



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>





C791.10



Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

Received *1 March, 1889.*







QUINTI SEPTIMII FLORENTIS  
TERTULLIANI  
QUAE SUPERSUNT OMNIA.

EDIDIT

FRANCISCUS OEHLER.

---

Tomus III.

CONTINENS DISSERTATIONES.

---

LIPSIÆ

T. O. WEIGEL.

MDCCLIII.

~~III 4850~~  
C791.10



*Constantius fund.*

## INDEX DISSERTATIONUM.

---

	pag.
1. Q. Septimii Florentis Tertulliani Vita auctore Iac. Pamelio	1
2. Q. Septimii Florentis Tertulliani Vita auctore P. Allix . . .	37
3. Dissertatio in Q. Septimii Florentis Tertulliani Apologeticum, duos ad Nationes libros, et unam ad Scapulam auctore Nic. le Nourry . . . . .	79
4. Io. Laur. Mosheim Disquisitio chronologico-critica de vera aetate Apologetici a Tertulliano conscripti initioque per- secutionis Severi . . . . .	490
5. Q. Septimii Florentis Tertulliani quae supersunt omnia in Montanismo scripta videri. Edisseruit Godofr. Centnerus	511
6. De vera aetate ac doctrina scriptorum quae supersunt Q. Septi- mii Florentis Tertulliani Disputatio auctore Io. Aug. Noesselt . . . . .	540
7. Dissertatio de varia et incerta indole librorum Q. Septimii Florentis Tertulliani auctore Ioh. Salom. Semler . . .	620
8. De Tertulliano et eius scriptis Dissertatio auctore Ioh. Kaye	697

---





VITA Q. SEPTIMII  
FLORENTIS TERTULLIANI  
CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI  
AUCTORE IACOBO PAMELIO

QUAE EIUS AETATIS VIGINTI QUATUOR ANNORUM HISTORIAM CONTINET.

Tertulliani vitam Deo auspice descripturis, qui (quod memoratu dignum est) sub Afro Romano pontifice S. Victore, imperatore item Afro sibi cognomine Septimio Severo, Afer et ipse floruit, duae occurrunt controversiae eaeque difficillimae. Prior de Tertullo consule, Tertulliano nostro, Tertyliano IC. et S. Tertullino martyre, e quibus quatuor hallucinatione quadam unum conficere quidam conati sunt. Altera de tempore et aetate Auctoris, qua fidei sacramentis novus Christi tyro initiatus est. Ad priorem quod attinet, imprimis fefellit Rhenanum corrupta lectio apud Reginonem, quae castiganda etiam apud Hermannum Contractum in Chronicis, ut pro Tertullino martyre, quem recensent martyrologia ex Actis passionis S. Stephani papae pridie Nonas Augusti, Tertullianum legerit. Deinde non minus hallucinati sunt hactenus, qui Tertullum Romanum consulem cum iureconsulto Tertyliano confundunt, occasione senatusconsulti Tertulliani, ad quod complura rescripta sunt edita, quae recitantur D. L. 38. T. 17. et Cod. L. 6. T. 55. Neque enim reperiri poterit aliquis consul Tertullianus seu Tertylianus, sed Q. Flavius Tertullus cum Licinio sacerdote anno U. C. DCCCCX. ad cuius relationem iam antea, imperante Hadriano Augusto, dictum senatusconsultum publicatum est. Utpote quum D. dicto titulo lib. 21. D. Pius decreverit in quadam facti specie cessare senatusconsultum Tertullianum, quod proinde eo constat esse antiquius, Tertylianus vero IC., sicuti mox latius, sub Alexandro imperatore multis post annis claruit, cum aliis plerisque Papiniani discipulis, qui iuri dicundo operam dedere, cuius constitutionem ex libris quaestionum et libro singulari de castrensi peculio, ne quid hic desit, post vitam hanc Auctoris nostri subiecimus. Quae solae quum supersint nec quisquam alius librorum aliorum ab hoc Tertyliano editorum meminerit, falsus videtur Conradus Gesnerus, dum illi praeterea adscribit legum rescripta ex libris de

senatusconsultis, ac ad SC. Libonianum et Orphitianum. Atque in his satis consentiunt doctiores. Verum an idem sit ille Tertulianus cum nostro hoc Tertulliano, adhuc sub iudice lis est, praesertim id asserentibus quibusdam magni nominis et eruditionis IC. Nos certe, salvo saniori iudicio, diversum censemus, tum quod ille iuxta veriore ex pandectis Florentinis lectionem, teste Augustino Iustiniano, ubique Tertulianus vocetur, noster vero Tertullianus, tum quod etiam Franciscus Balduinus datis ad me litteris stylum et orationem dissimilem confessus sit, tum denique, quod tempora non satis conveniant. Si enim cum Bernardino Rutilio Tertulianum suos edidisse libros dicamus sub imperio Hadriani et Antonini, quum Hadrianus imp. obierit anno U. C. DCCCLXXX., et Severus imp., sub quo noster Tertullianus, primum coeperit imperare anno U. C. DCCCCXLV. et sic intercesserit anni LV., oportebit hunc fuisse aetate quinquagenario maiorem, quum ex IC. Christianus factus est, maxime si responsa illa illi attribuamus, quae nonnisi in auctoritate magna constituti dare solent IC., cuius tamen contrarium ex S. Hieronymo constat, qui media illum aetate, quum antea diu presbyter fuisset, ad haeresin scribit defecisse. Sin vero, iuxta alios (quorum supra secuti sumus sententiam) sub Alexandro imp. cum caeteris IC., quorum responsa in pandectas relata sunt, iam luce clarius est eundem non esse. Nam noster Tertullianus ante Alexandrum annis plus minus xxx. Christi fidem amplexus, eo tempore si adhuc superstes fuerit, in haeresi volutabatur. Neque vero argumenta contra sentientium tanti sunt ponderis, ut in partes suas me potuerint pertrahere. Quod enim Ulpianus (qui locus fortassis occasionem huic dedit controversiae) D. L. 38. T. 17. ad SC. Tertullianum lib. I. rescripti meminit imperatoris et D. Patris (id est Antonini et Severi) ad Tertullianum quendam, imprimis aut Iunius aut Ovinus iuxta MSS. Codd. Tertullianus ille praenominatur, quum noster Q. Septimius Tertullianus appelletur, deinde pandectae Florentinae Tertullum legunt, fortassis eundem, qui etiam dictus Q. Flavius Tertullus cum T. Flavio Clemente consulatum gessit anno Severi III. Altera vero ratio, qua potissimum nituntur illi, quod iuris verborum retinentissimus atque adeo IC. Romanus fuerit, vel Eusebio teste, noster Tertullianus, non magis convincit, quam si dicamus Caecilium oratorem, quem introducit secum colloquentem in suo Octavio Minutius Felix, eundem esse cum Caecilio Cypriano nostro, quod uterque oratoriam exercuerit. Aut (quod ad institutum facit magis) si Septimium Severum imp. eundem esse existimemus cum Septimio altero Severo, quod uterque Afer et historicus fuerit, quorum ille suam, hic Alexandri imp. vitam conscripsit. Aut denique, si Septimium illum, cuius versus extant apud Crinitum in Iani laudes, aut Quintum Septimium Romanum, qui Dyctis Cretensis De Bello Troiano libros sex Latinos fecit, confundamus cum nostro Septimio Tertulliano, quod ambo et Afri et poetae fuerint. Ad quorum fortassis distinctionem Auctor noster Q. Septimii Florentis Tertulliani Carthaginiensis appellationes libris praefixit suis, non contentus duabus illis Septimii Tertulliani, quemadmodum reliqui post eum scriptores Afri, Minutius Felix, Caecilius Cyprianus, Lactantius Firmianus, Marius Victorinus et Aurelius Augustinus.



Porro (quod ad alteram pertinet controversiam) de tempore, quo ad fidem conversus est Tertullianus noster, maior multo se difficultas offert. Quosdam qui claruisse putant circa annum Christi nati CLX. fefellit illud Auctoris De Monogamia cap. 3. *annis circiter CLX. exinde productis*; verum illi quomodo computandi sint a passo Christo, an potius ab aetate qua apostolus Paulus epistolam scripsit ad Corinthios primam, infra latius ad annum Domini CCXIII. Multo itaque rectius Eusebius, Ven. Beda, Freculphus Lexoviensis, Martinus Polonus, Conradus a Lichtenavv Abb. Urspergensis, Vincentius Bellovacensis, Hermannus Contractus et Trithemius, circa annum plus minus Christi nati CC. Tertullianum claruisse scribunt. Atqui de anno, quo Christo nomen dederit, silent omnes praeter ipsum Tertullianum, sed verbis longe obscurissimis. Illud quidem perspicuum est, statim a baptismo conscriptum ab eo librum De Pallio, ea nempe occasione, quod, quum pro more Christiano toga dimissa pallium indutus esset, amicus quispiam obiecit: *Ita a toga ad pallium?* Cui inter caetera respondet: *At ego iam illi etiam divinae sectae ac disciplinae commercium confero. Gaude pallium et exulta, melior iam te philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire coepisti.*<sup>1)</sup> Verum non perinde intelligi potest, quid sibi velint eiusdem libri verba: *Sed vanum iam antiquitas, quando curricula nostra coram. Quantum reformavit orbis saeculum istud! Quantum urbium aut produxit aut auxit aut reddidit praesentis imperii triplex virtus, Deo tot Augustis in unum favente! Quot census transcripti! Quot populi propaginati! Quot ordines illustrati! Quot barbari exclusi! Revera orbis cultissimum huius imperii rus est, eradicato omni aconito hostilitatis et cacto et rubo subdolae familiaritatis consitum amoenum super Alcinoi pometum et Midae rosetum.* Id quidem Rhenanus, Magdeburgenses aliique eum secuti ita interpretantur, ut per *triplicem imperii virtutem* intelligant Severum Augustum et Pescennium Nigrum ac Clodium Albinum Caesares, quorum illi ab exercitiis in Pannoniis et Oriente, hic in Gallia Caesar dictus est. Sed ipse sibi contradicit Rhenanus, quum fatetur invito Severo id factum de Pescennio, et utrumque ab illo hostem iudicatum et e vivis sublatum postea. Non poterit igitur in tanta trium Caesarum simultate accommodari illud: *Deo tot Augustis in unum favente*, multo vero minus illud: *eradicato omni aconito hostilitatis*. Imo quum illa trium Caesarum variis in provinciis delectio contigerit statim initio imperii Severi, minime convenire potest cum verbis sequentibus: *Quot census transcripti! etc. quot barbari exclusi!* Quorum postremum, maiorem scrupulum iniicit, quod inde constat, non nisi post *exclusos barbaros* hunc librum conscriptum, id est, post devictos Arabas, Parthos et Adiabenos. Quod itaque, in argumento et annotationibus nostris, ad annum fere quintum retulimus imperii Severi, ad annum tertium potius applicari oportere postea deprehendimus, quum anno quarto a Severo deficere Albinus coeperit, et anno quinto interfectus sit. Itaque imperantibus tunc una Severo Augusto, Antonino eius filio et dicto Albino, pacato iam imperio, utpote devictis iam ac occisis et Iuliano, qui occiso Pertinace illud invaserat, et Pescennio

1) De Pallio cap. 5., cap. 6., cap. 3.

Nigro. Et vero de Albino imperii consorte consentiunt omnes. Nam iuxta fastos consulares statim post acceptos omnes imperii titulos, D. Clodius Albinus ab imp. Caes. L. Septimio Severo Aug. Caesar appellatus est: et anno sequenti consulatum iniiit Severus cum Albino, qui iam inde etiam Septimius dictus est, quantum apparet, in Severi gratiam. Qui eo etiam honore illum prosecutus est, ut nummos eius imagine (teste Spartiano) insigniri iusserit, qui etiamnum <sup>1)</sup> extant cum inscriptionibus tam Graecis quam Latinis apud generosos Dominos Marcum et Guidonem Laurinos Watresleti Toparchas, cum aliis compluribus, quorum infra fiet mentio. E quibus pro nostra sententia faciunt iam post occisum Nigrum publicati isti: IMP. CAES. D. CLUDIO SEPT. ALB. COS. II. MONETA AUG. SC. seu VICT. AUG., aut: MINERVAE PACIFERAE SAECULO FORCUNDO; aut denique: FELICITAS; quae omnia pertinere videntur ad illud, *eradicatedo omni aconito hostilitatis*. De Antonino autem Severi filio, quod etiam iam inde Caesaris titulo insignitus fuerit, duo sunt quae coniecturam confirmant nostram, tum lex 1. de Inofficioso testamento Cod. I. 3., quam rescripserunt Severus et Antoninus Kal. Iulii Falcone et Claro coss., quorum consulatus incidit in primum annum Severi, tum haec numismatis inscriptio: IMP. INVICTI PII AUGG. (cum Severi effigie et Antonini adhuc pueri imberbis) VICTORIA PARTHICA MAXIMA. Quae adeo referri potest ad illud: *quot barbari exclusi!* sicut et ista: L. SEPT. SEV. PERT. AUG. IMP. II. ARAB. PAR. ADIAB. COS. II. PP. EC., maxime consentiente Spartiano in haec verba post Nigri caedem: *Deinde circa Arabiam plura gessit, Parthis etiam in deditionem redactis, necnon et Adiabenis, qui omnes cum Pescennio senserant. Atque ob hoc reversus Arabicus, Parthicus, Adiabenicus appellatus est, sed triumphum respuit, ne videretur de civili triumphare victoria*. Insuper et Eusebio (seu potius B. Hieronymo, qui multa ad Latinos pertinentia Chronicis ipsius inseruit) qui bellum Iudaicum, Samariticumque ac Parthicum caedi Albini praeponit, quemadmodum etiam Orosius, Ioannes Zonaras et Hugo Floriacensis. Nec obstat, quod Herodianus dilatatum adhuc scribat bellum Parthicum, tum quod fides maior haberi debeat Latino quam Graeco scriptori, qui nullum historiae ordinem observavit, tum quod Spartianus postmodum iterum profectum scribat in Arabas, Parthos et Adiabenos, et bello contra eos confecto triumphum egisse, eundem nempe de quo infra anno Severi X., praesertim quum extant et marmorum et nummorum inscriptiones, in quibus bis Parthicus nuncupatur. Altera anni XI. eiusdem in arcu Septimii Romae: IMP. CAES. L. SEPT. M. F. SEVERO. PIO. PERT. AUG. P. P. PART. ARAB. PART. ADIAB. PONT. MAXIM. TRIB. POTES. XI. COS. III. PROCOS. ET IMP. CAES. M. AUREL. L. F. ANTONINO AUG. PIO FELICI TRIB. POT. VI. COS. PROCOS. P. P. OPTIMIS FORTISSIMISQUE PRINCIPIBUS. INSIGNIBUS EORUM VIRTUTIBUS DOMI FORISQUE S. P. Q. R. ANNI XV. altera: L. SEP. SEV. AUG. IMP. XII. PART. ARAB. PART. ADIAB. AA. X. PROPECTIO. AUGG., quantum apparet, in Britanniam. Quarum priori partim etiam explicatur illud: *quot populi propaginati!* Quemadmodum et illud: *quot ordines illu-*

1) Scilicet circa annum 1579, quo primum edita fuit a Pamelio vita haec Tertulliani.

*strati!* de ordinibus nempe seu legionibus militaribus, per inscriptiones annorum Severi II. III. ac IV. istas: IMP. CAES. L. SEPT. SEV. etc. TRIB. POT. II. IMP. IV. COS. II. PROCOS. P. P. ORDO CLŪS. et: VIRG. DIAN. SACR. PRO SALUTE IMP. L. SEPT. SEV. etc. TRIB. POT. III. IMP. V. ORDO CLŪS. ac: IMP. CAES. etc. IMP. VIII. TRIB. POT. IV. LEG. VII. CLŪS. Historiam nihilominus nostram auspicabimur a primo Severi anno et Tertulliani iam Christiani ab anno illius tertio, dummodo quaedam praemisimus de eius appellationibus Q. Septimii Florentis Tertulliani Carthaginensis, et proinde de ipsius gente, familia, stirpe, parentibus, patria, institutione, studiis et scriptis adolescentiae, vitae statu et aetate, quum Severus imperium iniiit.

Porro Q. (quod Auctori nostro tribuerunt iam olim Vincentius Bellovacensis, Trithemius, Politianus et MSS. Codd.) praenomen esse, norunt antiquarii omnes, fortassis quod quinto loco natus esset, utpote quum praenomina aut ab eventu, aut ab avis, proavis seu atavis lere usurpari a Romanis soleant (in quorum locum hodie successerunt propria cuiusque nomina) quale est et illud: QUINTA SEPTIMIA, quod inter praenomina feminarum ab Onuphrio recensetur. Septimii, gentis est appellatio, quae apud Romanos primum regia, deinde plebeia, postremo consularis fuit et patricia. Inprimis enim invenitur SEPTIMIUS MESIUS AEQUICOLARUM REX; inde in variis marmorum inscriptionibus, partim inter epigrammata antiquae Urbis, partim in Orthographia Aldi Manutii, feminarum appellationes: SEPTIMIA ANNIA, FL. HERATIA SEPTIMIA OCTAVILLA, SEPT. FELICISSIMA EURESIA, SEPT. SECUNDA, SEPT. EXORATA, et ordinis militaris viroorum (quae ad institutum magis faciunt) T. SEPTIMIUS FELICISSIMUS COHORTIS II. et L. FLAVIUS L. F. SEPTIMIUS AFER OCTAVIANUS C. V. TURM. II. EQUIT. ROM. XVII. STLITIBUS IUDICANDIS; et L. SEPTIMIUS ANTIGONUS MIL. COH. VI. PR., et T. SEPTIMIUS C. F. SER. TIVIA TR. MIL., denique L. SEPTIMIUS SEVERIANUS, et SEPT. CAPITO V. P.; consularium denique viroorum sub Iulio Caesare Augusto P. SEPTIMIUS, Trajano Caesare SEPTIMIUS AGNIDINUS V. C. AGENS. PER HISPANIAS V. C. P. T. VICESACRA COGNOSCENS; sub Marco imp. SEPTIMIUS SEVERUS; sub imper. Vero L. SEPTIMIUS SEVERUS, M. SEPTIMI GETA F. postmodum imperator; sub ipso illo Severo D. CLODIUS SEPTIMIUS ALBINUS, cum illo, uti supra diximus, Caesar appellatus; P. SEPTIMIUS M. F. GETA illius frater, Q. SEPTIMIUS PLAUTIANUS Antonini, filii ipsius, socer; et (mirum de Antonino eius filio maiore natu, quod Septimii appellationem praetermiserit) P. SEPTIMIUS SEVERI AUG. F. GETA IMP. CAES. AUG. De quorum gente an fuerit etiam ipse Afer Auctor noster non ita constat, ipse interim sibi ipse, lib. De Vel. Virg. cap. ult. his verbis id nominis tribuit: *Pax et gratia a Domino nostro Iesu redundet, cum Septimio Tertulliano, cuius hoc opusculum est;* hinc et a Lactantio Instit. Divin. V. 1. et a B. Hieronymo 188. Epist. ad Fabiolam, Septimius Tertullianus appellatur; quibus etiam consentiunt Trithemius, Politianus et MSS. excusique hactenus codices omnes. Florentis cognomen, familiam quidem certam gentis Septimiae significat, sed quae apud Romanos fuit incognita; attribuitur tamen Auctori non modo in excusis, sed et MSS. Codd., ac iam olim a Trithemio et Politiano. Tertulliani nomine praeter alios, qui illius mentionem faciunt scripto-



res omnes, non modo verbis iam citatis, sed etiam hisce seipsum ap-  
pellat: *Tantum oro ut, quum petitis, etiam Tertulliani peccatoris me-  
mineritis, et: Memento in orationibus tuis Tertulliani ad haec exhor-  
tantis.* Quod videtur derivativum a Tertullo, sicuti Octaviani ab  
Octavio et Septimini a Septimio, et stirpem significare familiae  
Florentum. De qua fortassis est quae extat Montani ad S. Mau-  
ritium ac Mediolani ad S. Victorem porta Vercellensi haec inscriptio:  
C. SARTORIUS L. F. OVF. TERTULLIANUS VETERANUS LEG. XI. CURATOR CI-  
VIUM ROMANORUM MOGONTIACI, SEU MUNGOTIARI. Hoc saltem constat ex  
Eusebii Chronico et B. Hieron. Cat. Scriptorum Eccles., Tertullianum  
nostrum Afrum fuisse centurionis proconsularis filium; quod etiam af-  
firmant B. Isidorus, Ven. Beda, Nicephorus, Freculphus Lexoviensis,  
Marianus Scotus, Ado et Vincentius Bellovacensis.

Patriam Carthaginem indicat agnomen Carthaginiensis: in quo etiam  
illi consentiunt, quum dicunt *provinciae Africae, civitatis Carthagi-  
niensis*, sicuti et B. Optatus Milevitanus lib. I. Adv. Parmenianum, et  
nominatim Nicephorus, quum Carthagine in Africa ortum scribit. Quid?  
quod ipse Auctor id satis superque indicet initio libri De Pallio: *Prin-  
cipes, inquit, semper Africae, viri Carthaginienses vetustate nobiles,  
novitate felices. Tamen et vobis habitus aliter olim tunicae fuere,  
et quidem in feminis, in viris autem pallii extrinsecus habitus. Vobis  
vero post iniuriae beneficium, post Gracchi obscoena omnia, post tri-  
nas Pompeii aras et longas Caesaris moras: ubi moenia Statilius  
Taurus imposuit, solemnia Sentius Saturninus enarravit, quum con-  
cordia invat, toga oblata est. Pallium tamen generaliter vestrum,  
immemorae etiam, denotatis. Equidem haud miror prae documento  
superiore. Nam et arietem illa dicitur Carthago studiis asperrima  
belli prima omnium armasse. Quum tamen ultimarent tempora pa-  
triae (en patriam Carthaginem vocat) et aries iam Romanus in mu-  
ros quondam suos auderet, stupere illico Carthaginienses ut novum  
extraneum ingenium. Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas.  
Sic denique nec pallium agnoscitur.* Haec paulo prolixius, ob opi-  
nionem Vadiani, qui in charta Palaestinae patriam illi assignat municipi-  
pium quoddam iuxta Aras Philenorum fratrum.

Atqui Tertulliani qualis felix fuerit institutio, libri eius Adversus  
Gentes testantur, qui (B. Hieronymo teste Epist. ad Magnum) cunctam se-  
culi continent disciplinam, e quibus vel solis constat omnes illum au-  
ctores evolvisse, historicos, poetas, grammaticos; de iureconsultis vero  
res notior est quam ut probatione sit opus, de medicis et philosophis  
idipsum ex libro De Anima colligere est. Quorum omnium catalogum  
in suas classes distributum reperiet lector inter indices nostros, tam  
Graecorum quam Latinorum. Hinc a Lactantio dicitur in omni genere  
litterarum peritus, ab Eusebio legum et rerum Romanarum peritia  
clarus, a B. Hieronymo acris et vehementis ingenii vir, quo nihil erudi-  
tius, nihil acutius, a B. Augustino disertissimus, qui buccis sonantibus  
orationem inflaverit, a Nicephoro eloquentia admodum pollens, acris et  
ingeniosus admodum. Quae omnia latius multo prosequitur Vincentius  
Lirinensis: „*Hic (inquit) apud Latinos nostrorum omnium facile prin-  
ceps indicandus. Quid enim hoc viro doctius? quid in divinis atque*

*humanis rebus exercitatus? Nempe omnem philosophiam et cunctas philosophorum sectas, auctores assertoresque sectarum omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum et studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio vero nonne tam gravi et vehementi excelluit, uti nihil sibi paene ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruerit, aut pondere illiserit? Iam porro orationis suae laudes quis exequi valeat? Quae tanta nescio qua rationum densitate conserta est, ut ad consensum sui, quos suadere non potuerit, impellat, cuius quot paene verba, tot sententiae sunt, quot sensus tot victoriae.*“ Quanquam interim experientia ipsa convicti fateamur necesse sit, quod de eo scribit Lactantius, parum esse facilem, minus comptum et multum obscurum et, iuxta B. Hieronymum, crebrum quidem in sententiis, sed difficilem in eloquendo, ut non mirum sit, stylum eius et aliorum etiam Afrorum facile potuisse discerni a Nepotiano (uti in Vita eius testatur idem B. Hieronymus), Minutii Felicis dico, B. Cypriani, Arnobii, Lactantii, Victorini. Obscuritatis vero styli praecipuam causam annotavit alicubi Rhenanus, quod ex Graecorum auctorum assidua lectione adeo Graecas loquendi formulas imberit, ut etiam Latine scribens illarum oblivisci nequiret. Et vero scripsisse eum quaedam in adolescentia, atque adeo ante fidem Christi susceptam, idem B. Hieronymus locuples testis est. Nam „est (inquit lib. I. Adv. Iovin.) huius loci nuptiarum angustias describere, et quasi in communibus locis rhetorico exultare sermone. Certe et Tertullianus, quum adhuc esset adolescens, lusit in hac materia.“ Cuius libri argumentum et titulum idem Epist. 22. ad Eustoch. recenset: „Si tibi placeat (inquit) scire quot molestiis virgo libera, quot uxor astricta sit, legas Tertullianum Ad Amicum Philosophum.“ Quo fit ut castitatem, quam toto vitae tempore usque adeo commendatam habuit, etiam iam inde ab illo observatam censeamus. Atque adeo non tam suo quam aliorum nomine, exempli gratia, dictum intelligimus illius Auctoris: „Ego me scio neque alia carne adulteria commisisse, neque nunc alia carne ad continentiam eniti.“ (De Resurr. Carn. cap. 59.)

Coniugium tamen iniisse Tertullianum ex libris duobus Ad Uxorem perspicuum est: fortassis quod nondum sublatae essent Papia, Poppaea et Iulia leges, quae liberos suscipi cogebant (uti ipse fatetur) et caelibes et orbos vetabant ex testamento solidum capere; de quibus per Severum imp. sublatis infra latius. Quarum legum constitutio praescribens matrimonii certam aetatem, utpote iuxta Platonem anni XXXV., nostram confirmat coniecturam, quod ante fidem matrimonium contraxerit, quanquam tamen liberorum eius nulla uspiam mentio. Scribitur autem a Trithemio apud Carthaginem aliquot annis rhetoricam gloriose docuisse; postea et oratorem fuisse seu causarum advocatum mox comprobabimus. Iureconsultum etiam fuisse constat ex variis quibus utitur phrasibus et IC. vocibus. Fortassis Romae praeceptore usus est Serbidio Scaevola, et studiorum collega Severo imp. et Aemilio Papiniano, aetate tamen minor Severo, qui natus fuit anno Domini CXLVI., ut quadragenarius fuerit initio imperii illius. Inde enim ad finem usque imperii ipsius et filii eius Antonini Caracallae, sub quibus Auctor floruit, anni efficiuntur XXIV. aut circiter, et sic simul

constituuntur LXIII. aetatis Tertulliani, a quo anno (quem climactericum vocant medici) decrepita aetas, ad quam usque vixit, exordiri solet. Pro quo facit quod B. Hieronymus et Nicephorus post mediam aetatem in haeresin Montani lapsum scribunt, nempe nostra quidem sententia circa annum aetatis eius quinquagesimum tertium, anno Severi XV. toto ante obitum decennio. Verum de his plus satis. Iam ad historiam pergamus annorum illorum XXIV.

Anno igitur Domini CXCIV. C. Sosio Falcone et C. Iulio Fructo Claro coss. S. Victoris filius F. Afri Romani pontificis anno VIII. imp. Caes. L. Septimii M. F. Afri Pii Pertinacis Augusti anno primo Tertullianus adhuc ethnicus causarum patronum agebat Carthagine; quod comprobatur his ipsius verbis, quae sub Pallii persona de se scripsit iam Christianus factus: *Ego, inquit, nihil foro, nihil campo, nihil curiae debeo, nihil officio advigilo, nulla rostra praeoccupo, nulla praetoria observo, cancellos non adoro, subsellia non contundo. Iura non conturbo, causas non elatro. Plus togae laesere rempublicam quam loricae* (De Pall. c. 5.). Certe ethnicum se fuisse ipse fatetur, agens de iudicio extremo vita et igne aeternis et suscitatione defunctorum: *Haec, inquit, et nos risimus aliquando, de vestris fuimus. Fiunt, non nascuntur Christiani* (Apolog. c. 18.). Apud Auctorem vero quaedam ad annum hunc pertinentia reperire est. Imprimis de caede imper. P. Helvii P. F. Pertinacis occisi V. Kal. April. illud Apologetici: *Unde qui faucibus exprimentis palaesticam exercent? Unde qui armati palatium irrumpunt, omnibus Stephanis atque Partheniis audaciores? De Romanis, ni fallor.* (Apol. c. 35.), utpote qui in foribus palatii ab armatis praetorianis militibus interfectus sit, factione Laeti praefecti praetorio eiusdem, cuius iussu Commodus imper. non multo ante a Narcisso athleta, cum quo ille solebat in palaestrica exerceri, strangulatus fuerat. Deinde de imper. Caes. Pescennio Nigro, qui occiso iussu Senatus imper. Caesar M. Didio M. F. Commodi Severo Iuliano Augusto exante diem Kalendas Maias imperium invaserat, illud eiusdem loci: *Plane caeteri ordines pro auctoritate religiosi ex fide nihil hosticum (adversus Caesarem) de ipso senatu, de equite, de castris, de palatiis ipsis spirant. Unde Cassii et Nigri?* Quorum prius ad Avidium Cassium refertur, qui ex familia Cassiorum C. Iulii Caes. interfectorum et Antonino Pio. et Marco ac Vero imp. principatus extorquere conatus fuit, alterum ad Nigri conspirationem adversus Severum imperatorem. *Iam et solemnna Caesarum* (qualia etiam Kalend. Iunii in auguratione nova Severi, qui antea Idibus Maii ab exercitu imperator dictus fuerat, celebrata sunt) ibidem in haec verba describit: *Cur die laeto non laureis postes obumbramus, nec lucernis diem infringimus?* et paulo post: *Ipsos Quirites, ipsam vernaculam septem collium plebem convenio, an alicui Caesari suo parcat illa lingua Romana? Testis et Tiberis, et scholae bestiarum. Iam si pectoribus ad translucendum quandam specularem materiam natura obduxisset, cuius non praecordia insculpta apparerent novi ac novi Caesaris scenam congiario dividendo praesidentis etiam illa hora, qua acclamant: De nostris annis tibi Iupiter augeat annos?* Hoc enim indicant Herodianus lib. II. inter caetera scribens milites praeto-

rianos relictiis armis pomparum habitu laureatos processisse, et Spartianus ac fasti consulares, dum XXX. postquam in urbem venerat die, exante diem Kal. Iul. profectum scribunt Severum in Orientem contra Nigrum tyrannum, datis prius plebi congiario et donativo militibus; denique et haec numismatis inscriptio: IMP. CAES. L. SEPT. SEV. PFRT. AVG. COS. LIBERALITAS AVGVSTI. quo pertinet etiam quod praemittitur: *Focos et thoros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernae habitu obolescere, vino lutum cogere.* Ad hunc praeterea annum pertinere censemus illud lib. Ad Scapulam: *Ipse etiam Severus pater Antonini Christianorum memor fuit. Nam et Proculum Christianum, qui Torpacion cognominabatur, Euhodiae procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requisivit, et in palatio suo habuit usque ad mortem eius; quem et Antoninus optime noverat Christiano lacte educatus* (Ad Scap. c. 4.). Nam morbum illi gravem contigisse initio imperii, ex Aelio Lampridio vel inde patet, quod quum filii sui id aetatis non haberent ut imperare possent, Severum id in animo habuisse scripserit, ut, si quid sibi forte humanitus accidisset, Niger Pescennius et Clodius Albinus succederent; quorum ille occisus fuit anno sequenti. Et quum (sicuti infra latius) anno ipsius IV. Antoninus annum agens XIII. Caesar. Aug. appellatus sit, oportebit huc referre quod de illius scribit educatione Auctor. Cui simile est illud de illo Spartiani: „*Si quanto feris obiectos damnatos vidit, flevit, aut oculos avertit. Septennis puer, quum callusorem suum puerum ob Iudaicam religionem gravius verberatum audisset, neque patrem suum, neque patrem pueri, neque auctorem verberum diu respexit.*“ Christiano vero lacte educatum, ex eo confirmatur, quod Lugduni natus sit, ubi vigeat fides Christiana.

Anno Domini CXCIV. imp. Caes. L. Sept. Sev. Pert. Aug. II. et D. Clodio Sept. Albino Caes. II. coss. ann. IX. S. Victoris Rom. pont. et ipsius Severi II. adhuc Carthagine causarum fuisse advocatum Tertullianum verisimile est. Ad hunc autem annum referri debet illud ipsius lib. Ad Scapulam: *Sic et circa maiestatem imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiniani nec Nigriani vel Cassiani inveniri poterunt Christiani; sed iidem ipsi qui per genios eorum in pridie usque iuraverant, qui pro salute eorum hostias et fecerant et voverant, hostes eorum sunt reperti* (Ad Scap. cap. 2.). Hoc enim anno imper. Caes. C. Pescennius Niger Iustus August. occisus est apud Cyzicum, sive Isicum iuxta Herodianum; quo facto mox Severus eos senatores occidit qui Nigri partes secuti fuerant et cum Nigro militaverant dum aut tribunorum nomine, aliosque omnes exceptis militibus, quos impunitate proposita recepit; Antiochenis privilegia et Neapolitanis ius civitatis eadem de causa ademit. Aliquot deinde barbarorum reges (iuxta Onuphrium), qui Nigro fuerant auxilio, a Severo victi sunt; quare ipse Imp. II. III. et IV. appellatus est; quos omnes Nigrianos Auctor noster appellat. Quod postremum confirmat nostram sententiam de Arabibus, Parthis et Adiabenis hoc anno devictis; atque adeo huc pertinent inscriptiones nummorum et marmorum antiquae supra citatae; et proinde illud Auctoris: *barbari exclusi* (De Pall. c. 2.). Et vero constitutiones his coss. editae titulo Severi et Antonini Augg. datae

V. Kal. Martii, XI. Kal. Maii, Nonis Iulii VI. Kal. Oct. et XI. Kal. Novemb. confirmant quod supra diximus de Antonino imperii consorte ab initio; quae extant Cod. Lib. 8. T. 14. l. 1. Lib. 6. T. 2. l. 2. Lib. 2. Tit. 1. l. 2. Lib. 2. T. 24. l. 1. et Lib. 8. T. 16. l. 1. Ad hunc annum pertinere censemus, cuius ex Eusebio supra meminimus, bellum Iudaicum et Samariticum, de quo etiam Freculphus Lexoviensis, unde et Iudaicum ei oblatum fuisse. Quo videtur ex parte respicere Auctor de Iudaeis agens: *Dispersi* (inquit), *palabundi*, *et coeli et soli sui extorres vagantur per orbem, sine homine, sine Deo rege, quibus nec advenarum iure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur* (Apolog. c. 21.). Unde conicio belli illius occasionem, quod Iudaeam vellent repetere, quia illis ab Hadriano Imp. interdictum fuerat. Huc etiam referendum quod scribit Niceph. Eccl. Hist. l. V. cap. 2: *Severi imperii initio satis bono loco res nostrae fuere, in diesque fidei professio augmenta sua cepit, eorum quos recensimus ecclesiasticorum doctorum scriptis atque doctrinis eam provehentibus, idque in maximis quibusque potissimum urbibus, nimirum Alexandriae, Antiochiae, Aeliae, et per Palaestinam omnem, Ephesi, Caesareae et Occidentem versus, Thessalonicae, Athenis, Corinthi, in Gallis et Romae maxime. Universae enim multitudines et domus totae ad fidem accedebant, quidvis facere et pati paratae, quam ut quidquam contra religionem nostram agerent aut novarent.* Qua occasione etiam recensendi hic veniunt, quorum tum ille, tum Eusebius meminerunt; huius aetatis ecclesiastici scriptores, maxime quum ipsorum scriptis et doctrinis haud dubie acceptam debeat suam conversionem Auctor noster. Apud Alexandriam Demetrius episcopus XII. ac presbyteri Pantaenus et eius discipulus Clemens Alexand., Antiochiae IX. episc. Serapio, Hierosolymorum XXXIV. Gordius, Caesareae Palaestinae Theophilus, Ephesius Polycrates, Ponticus Palmas, Berillus et Bachilus Corinthii, in Africa Carthagine Agrippinus, Lugduni Galliarum S. Irenaeus, Romae denique S. Victor pontifex. Atque adeo hinc confirmatur nostra ex MSS. Codd. lectio apud Auctorem: *Quales ergo leges istae, quas adversum nos soli exercent impii, iniusti, turpes, truces, vani, dementes; quas nullus Pius, nullus Verus impressit?* (Ibid. c. 5.), nempe usque ad id temporis quo Apologeticum edidit.

Anno Domini CXCVI. Q. Flavio Tertullo Scapula et T. Flavio Clemente coss. S. Victoris Rom. pont. anno X. et Severi III. Tertulianus fidei Christianae, mea quidem sententia, nomen dedit, imperio iam prorsus pacato, cum Severo imperantibus Antonino eius filio et Clod. Albino Caesaribus, quod adeo *triplex imperium* vocat verbis supra citatis, quo lectorem remittimus; complura enim illic reperiuntur quae ad hunc annum pertinent. Id tamen non initio, sed sub huius anni finem: *eradicato iam omni aconito hostilitatis* (Ad Scap. c. 3.; Apolog. c. 23.), utpote post excidium Byzantinum, quae urbs, Herodiano, Zonara et Michaële Glyca testibus, post triennii obsidione, coeptam anno primo Severi, adhuc vivente Nigro, tandem fame capta est, et libertate omni adempta Perinthiis, qui multa a Nigro passi fuerant, adiudicata est, etiam moenibus eversis, in vici formam redacta. Cuius

etiam Auctor meminit: *Caecilius*, inquit, *Capella in exitu Byzantino, Christiani gaudete, exclamavit* (Ibid. c. 19.). Occasionem suae conversionis ipse, quantum apparet, indicat ex testimonio alicuius dei qui a Christianis adiuratus daemone se confitebatur (Ibid. c. 20.). *Haec testimonia* (inquit) *deorum vestrorum Christianos facere consueverunt, qua plurimum illis credendo in Christo Domino credimus. Ipsi litterarum nostrarum fidem accendunt, ipsi spei nostrae fidentiam aedificant.* Neque tamen inde solummodo, sed et ex fide scripturarum sacrarum, quarum fidem dii suo testimonio approbabant. Maxime quod illarum auctoritatem (vel ipso teste iam Christiano) summa antiquitas vindicaret, utpote quum: *omnes substantias omnesque materias, origines, ordines, venas veterani cuiusque styli, gentes etiam plerasque et urbes, insignes historiarum causas et memoriarum, ipsas denique effigies litterarum, indices custodesque rerum, ipsos deos, ipsa templa et oracula et sacra unius prophetae Moysei scrinium seculis aliquot antevertit.* Quum etiam illarum maiestatem divinam praedictionum veritas comprobaret: *Quidquid enim, inquit, agitur, praenuntiabatur. Quod terrae vorant urbes, quod insulas maria fraudant, quod externa atque interna bella dilaniant, quod regis regna compulsant, quod famas et lues, et locales quaeque clades, et frequentiae plerumque mortium vastant, et quod etiam officia temporum et elementorum munia exorbitant, quod et monstris et portentis naturalium forma turbatur, providenter scripta sunt* (nempe Matth. 25.). *Dum patimur, leguntur; dum recognoscimus, probantur.* De quibus omnibus latius et De Pallio c. 2., et eiusdem Apolog. cap. 40., quo et ad annotat. nostras lectorem remittimus. Hic duntaxat addemus, alludere illum inter caetera ad luem maximam Romae et in multis provinciis, ac terrae motum quo corruit Smyrna urbs Asiae, quae recenset Euseb. in Chronicis sub Marco et Vero impp. et fulmen quod sub Commodio in Capitolium ruens bibliothecam inflammavit, et bella eius aetatis civilia, quorum iam meminimus. Item ad famem, de qua Ad Scap. in haec verba (Ad Scap. c. 3.): *Sicut et sub Hilario praeside, quum de areis sepulchrorum nostrarum acclamassent: Areae non sint, areae ipsorum non fuerunt; messes enim suas non egerunt.* Denique ad portentum, de quo ibidem: *Nam et sol ille in conventu Uticensi extincto paene lumine adeo portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, positus in suo hypsomate et domicilio.* Et vero, scripta quoque multorum a Christo Patrum adversus gentes conversioni causam dedisse sentimus, ad quae alludit alibi (De Test. An. cap. 1.): *Nonnulli, inquit, quibus de pristina litteratura, et curiositatis labor et memoriae tenor perseveraverit, opuscula penes nos condiderunt, commemorantes et contestificantes in suggillationem et originem et traditionem et sententiarum argumenta, per quae recognosci possit nihil nos aut novum aut portentosum suscepisse, de quo non etiam communes litterae ad suffragium nobis patrocinentur, si quid aut erroris eiecimus, aut aequitatis admisimus.* Inter quos commemorandi Quadratus, Aristides, Anaxagoras, Melito, Theophilus Antiochenus, Apollinarius, Tatianus, Clemens Alexand. et Apollonius Senator, demique ab Auctore alicubi (Adv. Valent. c. 5.) citati *Iustinus philoso-*

*phus et martyr, Miltiades ecclesiarum sophista, et Irenaeus omnium doctrinarum curiosissimus explorator.* Quibus omnibus evolvendis et ante et post fidem susceptam ipsum allaborasse, vel ex Apologetico patet, in quo subinde illos ad verbum fere imitatur. His omnibus administrandis ad Christi fidem conversus et iam initiatus, quum pallium Christianum indutus (sicuti antea etiam attigimus) inconstantiae notaretur ab amico, quod a toga transisset ad pallium, orationem habuit Carthagine (quam De Pallio inscripsit), qua et pallii vetustatem, simplicitatem, facilitatem, libertatem sine cura, philosophicam gravitatem et sanctitatem commendat, et vitio sibi dari non debere variis exemplis ostendit, quod habitum verterit. Qua occasione et libidinum varia genera, quibus natura mutetur, et matronarum cultum indecentem insectatur, et fori iudicum et militum vitiis, tum ambitioni et gulae cauterem adigit. Atqui his coss. data constitutio Severi et Antonini V. Idus Martias, quae extat D. Lib. 9. Tom. I. lib. I., iterum confirmat nostram sententiam de Antonino filio imperii consorte.

Anno Domini CXCVII. C. Domitio Dextro II. et L. Valerio Messala Thrasea Prisco coss. S. Victoris papae Romani anno II. et Severi IV. Tertullianus iam Christianus quibus se occupationibus totum dediderit, scripta eius, de quibus postea, plus satis suo confirmant testimonio. Ex quibus inprimis constat ita versatum fuisse in sacrarum lectione litterarum, ita memoriae omnia et singula scripturarum loco commendasse, ut vel unica periodo subinde complura complexus sit; sicuti ex scripturarum indice nostro, collatione cum Auctore facta, facile est deprehendere. In illis autem citandis editionem sequitur ubique LXX. Interpr. quod ad Vetus Instrumentum attinet, quod *per Esdram* (vel ipso teste) *constat restauratum* (De Hab. Mul. c. 3. Apolog. c. 18.), idque non in Pentateucho Moysi duntaxat aliisque libris historicis, sed et in prophetarum vaticiniis: *Quos enim* (inquit) *dicimus praedicatores, prophetae de officio praefandi dicuntur. Voces eorum, itemque virtutes, quas ad fidem divinitatis edebant, in thesauris litterarum manent, nec istae nunc latent. Ptolemaeorum eruditissimus* (quem Philadelphum supernominant) *et omnis litteraturae sagacissimus, quum studio bibliothecarum Pisistratum* (ut opinor) *aemularetur, inter caetera memoriarum, quibus aut vetustas aut curiositas aliqua ad famam patrocinebatur, et suggestu Demetrii Phalerei grammaticorum tunc probatissimi, cui praefecturam mandaverat, libros a Iudaeis quoque postulavit, proprias scilicet atque vernaculas scripturas, quas soli habebant. Ex ipsis enim et ad ipsos semper prophetae peroraverant, scilicet ad domesticam Dei gentem ex patrum gratia. Hebraei retro, qui nunc Iudaei. Igitur et litterae Hebraeae et eloquium. Sed ne notitia vacaret, hoc quoque Ptolemaeo a Iudaeis subscriptum est, septuaginta duobus interpretibus indultis, quos Menedemus quoque philosophus, providentiae vindex de sententiae communione suspexit. Affirmavit haec vobis etiam Aristaeas. Ita in Graecum stylum ex aperto monumenta reliquit. Hodie apud Serapeum Ptolemaei bibliothecae cum ipsis Hebraicis litteris exhibentur. Quae paulo prolixius citavimus, adversos eos qui auctoritatem LXX. Interpr. elevare non verentur.*



In Novo vero Testamento non tam Latinis translatis, quam Graecis veteribus codicibus usum Auctorem, Graece doctissimum, ex versione eius peculiari, ab aliis omnibus multum subinde diversa, manifestum fit; quam adeo discrepantiam in gratiam professorum sacrarum litterarum ubique annotavimus. Quam iam olim etiam indicavit B. Ambrosius sive quisquis Auctor est Comment. in Epist. Pauli ad c. 5. Rom. „*Constat* (inquit) *quosdam Latinos olim de veteribus Graecis translatis codicibus, quos incorruptos simplicitas temporum servavit et probat. Postquam autem discordia animis dissidentibus et haereticis perturbantibus torquere quaestiones coeperunt, multa immutata sunt ad sensum humanum, ut hoc contineretur in litteris, quod homini videretur. Unde et ipsi Graeci diversos codices habent. Illud autem verum arbitror, quando et ratio et historia et auctoritas observabatur. Nam hodie quae in Latinis reprehenduntur codicibus, sic inveniuntur a veteribus posita, Tertulliano, Victorino et Cypriano.*“ Hactenus ille. Atqui versabatur praeterea noctu diuque Auctor noster in perscrutandis non modo quos supra adduximus apologiarum pro fide Christiana auctoribus, sed et aliis haud dubie scriptoribus ecclesiasticis praeter Apollonium Senatorem et B. Victorem Graecis omnibus, Philonem dico, Iosephum (quem vocat *antiquitatum Iudaicarum vernaculum vindicem* Apolog. c. 19. Cf. De Praescr. adv. Haeret. c. 32. Adv. Valent. c. 5. Carm. adv. Marc. III. 9. De Praescr. adv. Haer. c. 38. Apolog. c. 35.), Apionem et Hegesippum, Iudaeos, Clementem Romanum ac S. Polycarpum (quorum illum Romanorum a Petro, hunc a Ioanne Smyrnaeorum episcopos ordinatos agnoscit), S. Ignatium Antiochenum, S. Dionysium Areopag. Galliarum, Papiam Hierapolitanum episcopos, Agrippam Castorem, Dionysium Corinthiorum, Pinitum ac Philippum Cretenses episcopos; Masanum, Modestum, Pantaenum Alexandrinum, Rhodonom Asianum, Serapionem et *Proculum* quendam, quem vocat *eloquentiae Christianae dignitatem*, de quo postea latius: Sextum denique Appionem, Candidum, Arabianum, Maximum et Heraclitum. Quibus adiicio primos illos caeteros pontifices Rom. in *Petri cathedra successores*, quorum extant decretales, quorumque cum *Lino et Cleto* Auctor meminit, *Anacletum, Boaristum, Alexandrum, Sixtum, Telesphorum, Hyginum, Pium, Anicetum*, Soterem item (quem, quod occasio sese non offerret, praetermisit) et *Eleutherum*, quem *Benedictum* nuncupat. Quos omnes Graece scripsisse, ex eodem stylo Latino, qui interpretis eiusdem videtur, caeseo; utpote, qui melius Graece noverint, sicut etiam S. Irenaeus quam latine. Quo fit, ut (vel Rhenano annotante) nemo mirari debeat Graecum Auctoris loquendi consuetudinem, quum etiam si qui in Latinam linguam translati essent, mallet ex fontibus bibere (quod aiunt) quam ex lacunis. Atqui hoc primum anno quidam scribunt Idib. Maii die natalitio imperii a Severo Imp. appellatum Caesarem Augustum filium eius Antoninum apud Viminatium, priusquam in bellum contra Albinum proficisceretur. Verumtamen etiam ab initio Augustum olim fuisse nuncupatum, patet ex rescriptis praecedentium annorum nomine Severi et Antonini Augg. Conspirationis interim Albini adversus Severum hoc anno factae meminit etiam Auctor in haec verba: *Unde Cassii, Nigri et Albini.*



Anno Domini CXCVIII. T. Sextio Laterano et M. Mario M. F. Titio Rufino coss. S. Victoris Rom. pontif. anno XII. Severi imp. V. Tertullianum verisimile est memoriae exercendae gratia conscripsisse carmine Genesin et Sodomam, imo mea sententia integram sacrorum bibliorum Veteris Testamenti historiam, utpote quum et prius illorum mutilum sit, et ex initio posterioris satis videatur etiam descripsisse orbis universi diluvium; atque adeo etiam Carmen illud ad Senatorem ex Christiana fide ad idolorum servitutum reversum, et libros quinque Advers. Marcion. carmine, ac De iudicio Domini librum. Hoc vero anno ad XI. Kal. Martias imp. Caes. D. Clodius Septimius Albinus Augustus praelio ab Imp. Severo victus et occisus est idque apud Lugdunum; quae quod illum antea recepisset (Herodiano teste) et direpta et incensa est; in qua expeditione, uti ex variis inscriptionibus constat, imp. VIII. IX. et X. appellatus est. Quo iamiam expugnato omnes inprimis Galliarum, Hispaniarum Britanniaeque proceres, qui illum iuverant, deinde Romam reversus amicos eius undique conquisitos, et inter eos senatores XL. Severus interfici iussit, tum et eos omnes qui in Pertinacem conspiraverant; quos adeo Auctor *Albinianos* appellat verbis supra citatis. Ad ann. Domini CXC. et per aliquot annos perdurasse hanc illorem inquisitionem significat: *Sed et qui nunc, inquit, scelestorum partium socii aut plausores quotidie revelantur, post vindemiam parricidarum racematio superstes*: nempe, quantum apparet, ad triumphum usque Parthicum, atque adeo novum Severi annum, quemadmodum ibi latius. Alibi etiam ad senatores occisos alludit: *Nemo non, inquit, etiam hominis causa pati potest quod in causa Dei pati dubitat. Ad hoc quidem vel praesentia nobis tempora documenta sint; quantae qualesque personae inopinatos, natalibus et dignitatibus et corporibus et aetatibus suis exitus referunt, hominis causa: aut ab ipso, si contra eum fecerint, aut ab adversariis eius, si pro eo steterint.* (Ad Scap. c. 2. Apolog. c. 35. Adv. Marc. cap. ult.) Fuit autem dictorum consulum alter Lateranus tantopere amicus Severo imp., ut illi magnificentissimas aedes Romae aedificaverit, quas etiamnum palatium Lateranense appellamus, quem postea scribit B. Hieronymus Epitaphio Fabiolae Caesariano obruncatum gladio, fortassis Antonini Caracallae, qui in plerosque amicos patris sui animadvertit. Atqui cum his coss. scripta sit Epist. II. S. Victoris Rom. pont. ad Afros episcopos data Kal. Septemb. et Epist. S. Eleutherii decessoris eius, V. Id. Iulii Materno et Bradua coss., necessario hunc annum, non praecedentem XII. pontif. eius designavimus, maxime quod B. Damasius in Pont. sedisse Victorem scribat a consulatu Commodi V. et Glabrionis (quibus coss. XIII. Kal. Aug. data est prior eius epist. ad Theoph. Alexand.) usque ad Lateranum et Rufinum. A Kal. autem Iuniis dicti consulatus, quo die creatus pontifex, usque ad V. Kal. Augusti anni sequentis conficiuntur anni XII. mensis I. dies XXVIII. Is dicta II. epist. discrepantiam Afrorum in sacramentis increpans mihi videtur ad celebritatem diei Paschae alludere, quam epistola priori die dominica celebrari debere, iuxta quod et praedecessores sui statuerunt, mandaverat, quaecumque incideret a XIV. luna primi mensis, usque ad XXI., in quo fortassis initio Afri quidam cum Polycrate Asiano con-

trariam sequebantur consuetudinem, quanquam postea in unum consenserint. Nam de Blasto haeretico quartodecimano sic Auctor: *Est praetera his omnibus etiam Blastus accedens, qui latenter Iudaismum vult introducere; Pascha enim dicit non aliter custodiendum, nisi secundum legem Moysi XIV. mensis. Quis autem nesciat, quoniam evangelica gratia evacuat, si ad legem Christum redigit?* (De Praescr. adv. Haer. c. 53. De Ieiun. c. 14. Ib. c. 13.). Ad eandem observationem pertinet illud eiusdem: *Pascha celebramus annuo circulo in mense primo; atque adeo etiam illud: Aguntur praeterea per Graecias illas certis in locis concilia ex universis ecclesiis.* Id enim etsi generatim loquatur, existimamus potissimum intelligi de conciliis paulo ante celebratis Palaestinae a Theophilo Caesariensi, Ponti a Palma, Corinthio a Bachylo, et Ecclesiarum apud Osraenum, Alexandrino quoque a Theophilo, denique Asiano, in quo scribit Niceph. Hist. Eccl. l. IV., c. ult. Patres dictam sententiam B. Victoris et concil. Romani secutos esse, cui etiam consentit concil. Galliarum sub Irenaeo.

Anno Domini CXCIX. T. Haterio T. F. Saturnino, et C. Annio App. F. Treboniano Gallo coss. S. Zephyrini papae Rom. I. ac Severi imp. VI. videtur nobis contigisse disceptatio illa Tertulliani cum Iudaeo quodam, cuius occasione scripsisse se significat librum Advers. Iudaeos. *Proxime acidit* (inquit Adv. Iud. c. 1.), *disputatio habita est Christiano et proselyto Iudaeo. Alternis vicibus contentioso fune uterque diem in vesperam traximus. Obstrepentibus etiam quibusdam spectantibus singulorum núbilo quodam veritas obumbrabatur. Placuit ergo, quod per concentum disputationis minus plene potuit elucidari, inspici curiosius, et lectoris stylo quaestiones retractatas terminare.* In quo inter caetera annotandum venit, quod de dilatazione fidei per universum paene orbem iam ab ea aetate pulchre deducit. *In quem enim, inquit, alium universae gentes crediderunt, nisi Christum qui iam venit? Parthi, Medi, Elamitae, etc.* (Ibid. c. 7.), sicuti legitur Act. 2., et caeterae gentes, ut iam Gaetulorum varietates, et Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, et Galliarum diversae nationes, et Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita, et Sarmatarum, et Dacorum, et Germanorum, et Scytharum, et abditarum multarum gentium, et provinciarum et insularum multarum nobis ignotarum, et quae enumerare minus possumus; in quibus omnibus locis Christi nomen qui iam venit, regnat? Est et illud de finibus Imperii Rom. tum temporis memoria dignum: *Germani adhuc usque limites transgredi non sinuntur. Britanniae intra Oceani ambitum conclusae sunt. Maurorum gens et Gaetulorum barbariae a Romanis obsidentur, ne regionum suarum fines excedant. Quid de Romanis dicam, qui de legionum suarum praesidiis imperium suum muniunt, nec trans istas gentes porrigere vires regni sui possunt?* Quod ipsum attingit de Germanis Herodianus Hist. l. II. dum Severum electum dicit per exercitus omnes, qui pro ripis Damubii Rhenique coërcendis barbaris excubantes Rom. tuebantur imperium. Et vero hunc annum primum collocamus pontificatus S. Habundii Zephyrini Habundii filii, natione Romani, quod defuncto S. Victore, postquam sedes vacasset diebus

XII. ipse creatus fuerit IV. Id. Augusti, his ipsis coss. vel Damaso teste, qui sedisse eum scribit temporibus Severi et Antonini a consulatu Saturnini et Galli usque ad Praesentem et Extricatum consules. Quomodo interim nondum incepta persecutione Christianorum quinta inter martyres S. Victor collocetur, difficultate non caret, quae et Eusebium et alios Chronographos movit, ut in annum VIII. et IX. aut X. Severi eius pontificatum protendant. Verum dicta mea et S. Damasi de utriusque temporibus sententia confirmatur per epistolas decretales Zephyrini datas his ipsis Saturnino et Gallo coss., priorem XII. Kal. Octob., posteriorem VII. Idus Novemb., et in primitiva ecclesia non fuit insolitum persecutionem a populo Rom. aut praefectis Urbis initium sumere. Quid? quod de hoc tempore id disertis verbis Auctor asserit: *Sed et clarissimas, inquit, foeminas et clarissimos viros Severus scientis huius sectae esse non modo non laesit, verum et testimonio exornavit, et populo furenti in os palam restitit* (Ad Scap. c. 4. Apol. c. 1. 2.). Atqui ante annum sequentem oportet latam fuisse legem Divorum Severi et Antonini, ne quis absens puniatur, cuius fit mentio lib. 1. ff. de Requir. reis; nam ad eam haud dubie alludit in haec verba Auctor: *Quid hic, inquit, legibus deperit in suo regno dominantibus, si audiatur? An hoc magis gloriabitur potestas earum, si inauditam damnabunt veritatem?* et rursum: *quando nec liceat indefensos et inauditos omnino damnari.*

Anno Domini CC. P. Cornelio Anullino II. et M. Aufidio. M. F. Frontone coss. S. Zephyrini Rom. pont. anno II. Severi imp. VII. quum, imper. cum filiis suis Antonino et Geta ante discessum suum declaratis Caesaribus Augustis et imperatoribus, congiario iterum populo dato et donativo militibus, in secundum bellum Arabicum, Parthicum et Adiabenicum profecto (de quo supra latius) antistites Romani sacrorumque pontifices religionem Christianam initio sumpto a S. Victore pont. persequi pergerent, Tertullianus ad imitationem aliorum qui ante se id fecerant, et praesertim B. Iustini mart. Apologeticum pro Christianis Romam misit, in quo, vel Lactantio teste, plene hanc causam peroravit. Iam ante tamen discessum suum multas leges a Severo et emendatas et publicatas vel ipse Auctor indicat: *Nonne, inquit, et vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem et squalentem silvam legum novis principum rescriptorum et edictorum securibus truncatis et caeditis? Nonne vanissimas Papias leges* (ubi alludit ad Legem Papiam Poppaeam, ita dictam a suis latoribus M. Papio M. F. M. N. Mutilo et Q. Poppaeo Q. F. Q. N. Secundino coss.), *quae ante liberos suscipi cogunt quam Iuliae matrimonium contrahi, post tantae auctoritatis senectutem heri Severus constantissimus Caesarum exclusit?* (Apol. c. 4.). Quae dictarum legum abolitio quomodo Severo possit attribui et tamen postea Constantino imper. tribuatur, latius in annotat. ad hunc locum nostris tractavimus; in quibus si placeat coniectura nostra de I. I. D. de Stupro et Adult. qua definitur etiam in sponsa stuprum et adulterium accusari et vindicari posse, oportebit eam legem his coss. latam fuisse. Et vero pro bello secundo Parthico nondum completo (quod his coss. Cassio-

II., 7. ipsum B. Cypriani praedecessorem nuncupet. Maxime cum alia esset ab Africa Aegypti provincia, in qua Alexandrinus ille episcopatum agebat, et B. Cyprianus Epist. 71. ad Quintum scribat, Agrippinum bonae memoriae virum cum suis coëpiscopis (quos etiam antecessores suos nuncupat Epist. 70.) decretum de haereticis baptizandis fecisse. Et vero statim accepto sacerdotio continuisse Auctorem a matrimonii usu pari consensu cum sua coniuge, mihi fit verisimile ex consuetudine Ecclesiae Latinae, iam inde a decreto S. Clementis PP. maxime cum propendere eo videantur haec eius Ad Uxorem verba: *Ne me putes propter carnis tuae integritatem mihi reservandam de contumeliae dolore suspectum, insinuare iam hinc tibi viduitatis consilium* (Ad Uxor. I., 1.). Item: *Tempus, inquit, in collecto est; superest ut qui matrimonia habent, tanquam non habentes agant. Quod si habentes obliterare debent quod habent, quanto magis non habentes?* (Ad Uxor. I., 5. et 6.). Certe id multis eo tempore fuisse usitatum ibidem indicat: *Quot enim sunt, inquit, qui statim a lavacro carnem suam obsignant? Quot item, qui consensu pariter inter se matrimonii debitum tollunt? Voluntariis spardonibus, pro cupiditate coelesti, salvo matrimonio, abstinentia toleratur* (Ibid. cap. 6.). Iam vero presbyter factus, potestatis sibi concessae et de absolvendis poenitentibus et de sacrificiis offerendis haud immemor, libros De Poenitentia et De Oratione conscripsit, quibus et poenitendi modum tum catechumenis, tum Christianis lapsis, et quos ritus servare debeant in sacrificio fideles, praescribit. Possunt etiam in hunc annum reiici scripta, quorum B. Hieronymus meminit hodie desiderata: De Circumcisione, De Vestibus Aaron, De Mundis et Immundis Animalibus, denique De Trinitate; fortassis etiam liber De Baptismo Graecus, utpote qui videatur conscriptus post concilium Agrippini. Nam eiusdem fuisse argumenti Auctor indicat: *Sed circa haereticos sane, inquit, quid custodiendum sit, digne quis retractet. Ad nos enim editum est. Haeretici autem nullum habent consortium nostrae disciplinae etc. Sed de isto plenius iam in Graeco digestum est* (De Bapt. c. 15.). Verum de hoc et Agrippini et ipsius paradoxo inter prolegomena latius. Porro hoc anno etiam oportet contigisse quod scripsit lib. Ad Scapulam anno sequenti: *Caeterum et imbre anni praeteriti quid commeruerit genus humanum apparuit; cataclysmum scilicet et retro fuisse propter incredulitates et iniquitates hominum. Fortassis et illud: Et ignes qui super moenia Carthagini proxime pependerit per noctem, quid minati sint, sciunt qui viderunt, et pristina tonitrua quid sonarint, sciunt qui obduruerunt. Omnia haec signa sunt imminentis irae Dei, quam necesse est, quoquo modo possumus, ut et annuntiemus et praedicemus, et deprecemur localem esse. Universalem enim et supremam suo tempore sentient, qui exempla eius aliter interpretantur* (Ad Scap. cap. 3.).

Anno Domini CCLII. L. Annio Fabiano, et M. Nonio M. F. Mutiano coss. S. Zephyrini pontificis Romani anno III. Severi imper. IX. quum Scapula vir consularis ordinis, praeses Carthagini, et proinde Africae proconsul, nondum adhuc decreta ab imperatore persecutione, imo fortassis Romae prohibita, crudelius tamen caeteris Carthagine

grassaretur in Christianos, librum Ad Scapulam scripsit Tertullianus in quo inprimis benevolentiam captat a Christianorum innocentia, et non solum oratione, sed et sacrificiis suis pro salute imperatoris, ex quo iam presbyterum fuisse constat (Ad Scap. c. 2.). Deinde sanguinis Christiani effusioni imputat *portenta* eius temporis et *exitium Byzantinum*, quorum ante mentionem fecimus, et exempla punitionis affert, tum *Valgii Saturnini, Hilariani* et ipsius *Scapulae in Africa*, tum *Claudii Herminiani in Cappadocia*, persecutorum fidei Christianae. Post haec hortatur ad dissimulationem ab huiusmodi causis, exemplis tum *Severi et Antonini* imp. supra adductis, *M. Aurelii imp. in expeditione Germanica*, tum praesidum et proconsulum *Servilii Prudentis* sub Antonino Vero imp., *Vespronii Candidi* sub imp. Commodo, *Cincii Severi*, qui postmodum a Severo imp. interfectus est, *Aspri* quoque et *Arii Antonini* (hic a Lampridio Arius, ab aliis Brusius praeses appellatur), qui sub Antonino imper. consules fuerunt. Denique conqueritur, quod, quum a *primordio mandatum sit gladio tenus animadverti*, et id observaretur a *praesidibus legionis et Mauritaniae*, iussu ipsius Scapulae etiam *cremarentur* Christiani (Ad Scap. capp. 3. 4.). Quo pertinet et illud Apologeticum: *Sarmentitios et Semaxios appellatis, qui ad stiptem dimidii azis revincti sarmentorum ambitu exurimur*. Ubi etiam recenset illud damnationis genus, quod ad *leonem damnatum fuit Christiana potius quam ad leonem* (Apol. cap. ult.). Idem libro Ad Martyras in carcere constitutos, quem eadem tempestate conscripsit, praeter *gladium et summam ignium poenam* addit etiam *trucem rabiem bestiarum, et omne carnificis ingenium in tormentis* (Ad Mart. c. 4.). Ubi etiam meminit consuetudinis, qua *pacem in Ecclesia non habentes*, utpote lapsi, a *martyribus in carcere exorare consueverunt* (Ibid. cap. 1.), quam etsi sub finem vitae iam haereticus non probet, in Ecclesia permansit usque ad B. Cypriani tempora, iuxta quod tractavimus in vita illius latius. Eadem omnia martyrum supplicia repetit libro De Patientia (De Patient. c. 13.), quem etiam huius persecutionis occasione conscripsit. Ubi fugam quoque in persecutione patientiae hono imputat, atque adeo nondum Montanistis addictus fuit, ex quorum sententia librum De Fuga in Persecutione contrarium postea, sed frustra scripsit. Et vero sub *Scapula damnatum fuisse ad bestias S. Mavilum Adrumeticum*, disertis verbis attestatur Auctor (Ad Scap. c. 3.). Porro Romae hoc anno fuisse Auctorem ex illis verbis apparet: *Gemmarum quoque nobilitatem vidimus Romae de fastidio Parthorum et Medorum caeterorumque gentilium suorum coram matronis erubescens, nisi quod nec ad ostensionem fere habentur. Latent in cingulis smaragdi, et cylindros vaginae suae solus gladius sub sinu novit, et in peronibus uniones emergere de luto cupiunt* (De Habitu Mul. c. 7.). Quod factum interpretamur in triumpho Severi imper. de quo in fastos consulares huius anni sic relatum invenimus: IMP. CAES. L. SEPTIMIUS M. F. SEVERUS, PIUS, PERT. AUG. ARABICUS, ADIABENICUS, PARTHICUS, MAXIMUS, PONT. MAX. TRIB. POT. VIII. COSS. II. P. P. PROCOS. IMP. XI. ET IMP. CAES. M. AURELIUS SEV. AUG. F. ANTONINUS, PIUS FELIX, AUG. TRIB. POT. III. COS. DESIGNATUS IMP. UNA DE ARABIBUS, PARTHEIS, ADIABENEISQ. ET REGE ARTABANO, TRIUMPHARUNT. Cuius triumphi etiam meminerunt Spartianus

et Herodianus. Facit pro hac nostra sententia, quod etiam morem in triumphis usitatum describat Auctor tanquam testis oculatus: *Hominem*, inquit, *se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru admoneatur. Suggestur enim ei a tergo: Respice post te, hominem te memento* (Apol. c. 33.).

Anno Domini CCIII. Imp. Caes. L. Sept. M. F. Arab. Adiab. Part. III. et imp. Caes. M. Aurel. Sev. Aug. F. Antonin. Aug. coss. S. Zephyrini papae Romani anno IV. ipsius Severi imper. X., aut certe praecedenti, iam grassantibus non solum antiquis, sed et recentioribus aliquot haeresibus vel in ipsa Africa, edidit Tertullianus vere aureum illud opus De Praescript. Advers. Haereticos, utpote quod ante alios omnes scriptum eiusdem argumenti libros ex his Auctoris verbis constat: *Sed nunc quidem generaliter actum est a nobis adversus haereseis omneis, certis et iustis et necessariis praescriptionibus repellendas a collatione scripturarum. De reliquo, si Dei gratia annuerit, etiam specialiter quibusdam respondebimus* (De Praescr. Adv. Haer. c. 45.). In eo sub finem catalogum haereticorum recenset, qui ad id temporis Ecclesiam dilacerarunt, B. Irenaeum imitatus, quantum ordine temporum non satis observato, quem nos adeo, quantum fieri potuit, expressimus. Inprimis *Iudaismi haereticorum genera quatuor, Dositheum Samaritanum, Sadducaeos, Pharisaeos et Herodianos* (cap. 45.). Deinde eos qui *ex Evangelio haeretici esse voluerunt* (cap. 46.), in universum numero XXV. *Simonem Magum, Menandrum, Nicolaum, Cerinthum et Hebionem* (capp. 46. 47. 48.), qui sub Apostolis suas sparserunt haereseis, atque adeo sub Tiberio, Claudio, Nerone et Traiano. Item *Saturninum et Basilidem, Ophitas, Catneos, Sethoitas et Carpocratem*, sub Apostolorum discipulis usque ad Hadrianum imperatorem (capp. 49. 50.). *Valentinum* deinceps eiusque assecras *Ptolomaeum ac Secundum, Heracleonem et Marcum ac Colorbasum*, quorum coryphaeum illum in catholicam primo doctrinam apud Romanenses credidisse sub Hygino papa Antonini fere principatu tradit Auctor, et sub episcopatu Eleutheri ob inquietam semper curiositatem una cum Marcione semel et iterum eiectum esse ab Ecclesia (capp. 39. 40.); sectatores vero eius sub Pii pontifice et imperatore. *Cerdonem* deinde eiusque discentem *Marcionem*, illiusque ex discipulis magistros *Lucanum et Apellem*, quorum prior cum Valentino coepit, Marcion et alii sub Aniceto, Sothere et Eleuthero, imperantibus Pio et Aurelio (cap. 51.). *Tatianum* post haec, quem etiam scholam suam erexisse scribit Clemens Alexandro sub annum XII. Antonini Pii. Quid? quod *Cataphrygas* quoque, in quorum haeresin postea incautus incidit, *haereticos* nominatim appellet (cap. 52.), *quorum quidam dicuntur κατὰ Proclum* (de quo infra latius), *alii secundum Aeschinem*, quibus non modo haeresin, sed et blasphemiam impingit, *qua in Apostolis dicebant Spiritum sanctum fuisse, Paracletum non fuisse, et Paracletum plura, meliora atque maiora in Montano dixisse, quam Christum in evangelio protulisse*, de cuius temporibus mox latius. *Blastum* denique, de quo supra, *Theodotum Byzantium ac Theodotum Coriariarum Melchisedechianum* sub S. Victore pontifice et Commodo imperatore, et Pra-

ream, de quo postea, ac *Victorium*, qui illius haeresin corroborare conatus est (cap. 53.). Fit eodem libro etiam mentio ex Apostolo Paulo aliorum haeticorum, nempe (cap. 3.) *Phygelli et Hermogenis, Hymenaei et Phileti*. Item (cap. 30.) *Nigidii, nescio cuius, et Hermogenis*. Sed de hoc quoque paulo post latius. Porro ad eodem anno indictam persecutionem Christianorum a Severo imp. alludit Auctor in haec verba de Amphitheatro loquens: *Illic quotidiani in nos leones expostulantur, inde persecutiones decernuntur, inde tentationes emittuntur* (De Spect. cap. 27.). Item illud: *Scire volunt scilicet tempus persecutionis, et locum tribunalis, et personam praesidis* (De Idol. cap. 23.). Aliaque complura in libris quos infra recensebimus. Hic duntaxat comprobavimus, non in annum VII. aut XI. sed in hunc potius X. imperii Severi annum referendum dictae persecutionis initium. Inprimis B. Hieronymus Cat. Script. Eccles. in Origene et post eum Sophronius ac Nicephorus Graecus scribunt, X. Severi Pertinacis anno adversus Christianos persecutione commota Leonidem ipsius patrem Christi martyrio coronatum; ille vero inter primos martyras recensetur ab Eusebio Hist. Eccles. lib. V., qui Alexandriae, ubi maxime persecutio abundabat, passi sunt. Deinde Iudas ad hunc usque annum Chronographiam perduxit, quod instare putaret adventum Antichristi ob hanc persecutionem gravissimam. Denique disertis verbis Spartianus significat, non nisi post consulatum cum filio in Syria initum (qui in hunc annum incidit) Alexandriam profectum, peregrinatione ea suscepta propter religionem dei Serapidis: *In quo, inquit, itinere Iudaeos fieri sub gravi poena vetuit; idem etiam de Christianis sanxit*. Qua persecutione passi sunt quam plurimi martyres Alexandriae sub Laeto praefecto, ac in Aegypto, Libya et Thebaide sub Aquila tyranno. In Gallis denique SS. Irenaeus, Andcolus, Benignus, Andochianus et Tyrus. Porro ad hunc annum referunt plerique inscriptionem illam: M. AGRIPPA L. F. COS. III. FECIT; IMP. CAES. SEV. COS. III. ET IMP. CAES. M. AUR. ANTON. COS. PANTHEON VETUSTATE CORRUPTUM CUM OMNI CULTU RESTITUERENT. Quod nunc adducendum putavimus ad memoriam Ecclesiae.

Anno Domini CCIV. P. Septimio M. F. Geta et L. Septimio Plautiano II. coss. S. Zephyrini pontificis Romani anno V. Severi imper. XI. etsi persecutione iam vigente, non tamen destitit Tertullianus a scribendis adversus haereseis libris. Inter quos primo loco collocandum censemus De Baptismo adversus Quintillam, utpote quem scriptum constat antequam aliquo modo ad haeresin propendere coepisset, ex eo quod factionis fuerit Montanistarum Quintilla, a qua dictos Quintilianos ex Epiphonio illic deduximus. An aliud quid adversus Montanum ipsum scripserit Auctor, non aequè probari potest, sed verisimile sit, tum ex illis B. Augustini verbis lib. De Haeres: *Ad Cataphrygas transit, quos ante destruxit*, tum maxime ex Niceph. lib. IV. cap. 34., qui tradit Auctorem ad statam mediamque aetatem in Ecclesia catholica presbyterum plura adversus Montani dogma conscripsisse, postea vero in illius delapsum errorem plures rursus libros pro illo composuisse. Qui quum Montani haereseos historiam libri eiusdem capp. 18. 20. 22. 23. 24. et 25. late tractet, ex Apollinari



Hierapolitano, Rhodone, Miltiade, Serapione et Apollonio, qui ad versus illum scriptis suis disputarent, secutus Euseb. lib. V. capp. 3. 4. 14. 15. 16. 17. et 18. nos (praeter ea quae ad lib. De Praescript. Advers. Haeret. annotavimus) eam, uti promissis satisfaciamus, in compendium hic redigendam putavimus. Pagus quidam esse dicitur in Mysia Phrygiae, quae nuncupatur Ardabam, ubi ferunt quendam Montanum nomine (De Praescr. adv. Haer. c. 52.), qui nuper ad fidem venerat, Grato tum proconsule Asiae, primum insatiabili quadam animi cupiditate in primatu ambiendo incensum, simul atque aditum diabolo ad se patefecerat, spiritu quodam maligno abreptum et derepente furore et mentis insania exagitatum peregrinas quasdam voces fundere et contra quam Ecclesiae consuetudo ex traditione et successione apostolorum derivata postulabat prophetare coepisse. Quas etsi adulterinas voces quidam agnoscentes, ne deinceps ita garriret, increparent, inter quos episcopi Zoticus Comanae sive Ostrenus, et Iulianus Apameae, et martyres quoque Gaius et Alexander cum illo eiusque insanis vatibus Maximilla et Priscilla, quas antea meretrices eodem spiritu daemon impleverat, ad extremum usque spiritum communicare recusarent, pauci tamen ex Phrygibus illi coeperunt adhaerere, et Theodotus ille, de quo supra, eius commentitiae prophetiae quasi procurationem suscepit. Qui inde in Galatiam, Pontum et Asiam progressi etiam Alexandrum quendam sibi adiunxerunt convivio familiariter a Maximilla excipi solitum, Alcibiadem quendam et Themisionem, qui falso se confessores et martyras Christi iactitabant. Idque (vel B. Hieronymo cum illis consentiente) sub imperio M. Aurelii imperatoris initio pontificatus S. Eleutheri. Nam ad hunc ex Galliis litteras tulerat B. Irenaeus, a Lugdunensibus cum litteris S. Attali aliorumque martyrum tum adhuc carcere conclusorum in Asiam et Phrygiam missus, uti iudicium Ecclesiae Gallicanae de pseudopropheta illorum eo perferret. Idem etiam, mea quidem sententia, *Romanus episcopus litteras pacis, praedecessorum suorum auctoritate nixus, illis recusavit* (Ad Praxeam. c. 1.). An ad hoc cooperatus fuerit Praxeas tunc adhuc catholicus, penes auctorem fides esto. Certe non solum Romae et in Gallis episcopi, sed etiam qui Asiam incolebant saepenumero et multis in locis in unum convenientes, prophetiam illorum falsam explorarunt, detestabilem ostenderunt et Montanistas communionem privarunt. Et vero Montanus insanaeque eius prophetides in Iudae mortem suspendio interierunt, non martyrio; et Alexander ille Ephesi ab Aemilio Frontino proconsule propter latrocinia in iudicio condemnatus, quum falso se martyrem praetexuisset, ne a suis quidem, qui latro, receptus est. Denique Theodotus ille sublimis in coelum a daemone elatus, Simonis Magi instar, derepente praiceps delapsus ita misere vitam finiit. Atqui de erroribus Montani, in quos postea Auctor incidit, inter paradoxa eius latius. Porro hoc anno ante Kalendas Iunias, ad quas incipiebat annus XI. Severi censeo accidisse quod scribit Auctor: *Agonas istos, contentiosa solemnia et superstitiosa certamina Graecarum et religionum et voluptatum quanta gratia istud saeculum celebret, etiam Africae liquuit. Adhuc Carthaginem singulae civitates gratulando inquietant donatam Pythico agone post stadii senectutem*



(Scorp. c. 6.). Nam eo pertinere videtur illa nummi vetus inscriptio: SEVER. PIUS AUG. PONT. MAX. TRIB. POT. X. sive: ANTON. PIUS, una ex parte, et ex altera: INDULGENTIA AUG. SC. IN CARTHAGINE; item et Graeca illa: ΑΥ. ΚΑΙ ΣΕΟΥΛΑΡΟΣ ΗΕΡΤ, ΚΑΡΤΑΓ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΟΣ, utpote qua significetur institutos ludos illos Carthagine a Severo et Antonino imperatoribus.

Anno Domini CCV. L. Fabio M. F. Septimiano II. et M. Annio M. F. Libone coss. S. Zephyrini papae Romani anno VI. Severi imper. XII. partim occasione dicti Pythici agonis aliorumque certaminum Carthagini exhibitorum, partim quod iam indicti essent ludi saeculares Romae, ad quos per praecones convocare solebant omnes, utpote qui nec spectati nec spectandi iterum forent, ut Christianos ab ea professione deterreret, scripsit Tertullianus et Graece et Latine insignem illum librum De Spectaculis (De Spect. cap. 1. et deinceps.), quo pulcherrime deducit, quidquid ad quatuor spectaculorum genera pertinet ab idololatria suam habere originem atque adeo Christianis interdicta. Certe hoc anno octavorum ludorum saecularium a Severo celebratorum non modo meminerunt Censorinus lib. De Die Natali, et Dion et Herodianus, quorum hic eos vidisse se scribit, sed etiam, testibus fastis consularibus: LUDI SAECULARES OCTAVI EX SC. FACTI, et invenitur haec nummi inscriptio: M. AUR. ANTONINUS PIUS AUG. SAECULARIA SACRA SC. Existimant etiam arcum Severi triumphalem, qui etiamnum extat, ea occasione hoc annum erectum Politianus et Onuphrius, cuius inscriptionem habes supra, quorum uterque latissime et originem et omnes ritus saecularium ludorum prosequitur. Et vero tam late de omnibus ludorum spectaculis in illis exhiberi solitis Auctor tractat, ut alio commentario lectori curioso non sit opus, maxime si consulat et annotationes nostras. Eodem paene tempore conscriptum constat librum De Idololatria, utpote in quo et huius libri ac persecutionis meminerit (De Idol. c. 13. et 23.), et solemnia Caesarum ad idololatriam pertinere adstruit, sicuti etiam multa alia, in quibus directe consistit idolorum cultus. In eundem quoque annum referimus libros De Habitu Muliebri et De Cultu Feminarum, quorum priori nimium ornatum, posteriori magis capilli et cutis curam superfluam reprehendit. Videntur eodem anno etiam conscripti libri Ad Uxorem duo. Nam quum priori a nuptiis secundis tantum dehortetur, et posteriori saltem nuptias cum gentilibus interdicat, apparet eos conscriptos ante haeresin Auctoris, fortassis Romae, quo frequenter discurrere solet saltem ad absentem, et quantum apparet a valetudinario, quippe qui priorem admonitionem tanquam iam moriturus *legatum ac fidei commissum* nuncupet (Ad Uxor. I., 7. II., 1.).

Anno Domini CCVI. imp. Caes. M. Aur. Bassiano Sev. Aug. F. Antonino Aug. II. et P. Sept. Sev. Aug. F. Geta coss. S. Zephyrini Romani pontificis VII. Severi imper. XIII. quum haereses variae grassarentur in Africa ad scribendum adversos eos serio se contulit. Inter quos primus occurrit liber Adversus Apelletianos, etsi hodie desideratus, id est Apellis discipuli Marcionis sectatores, de quibus Auctor: *Adhuc, inquit, in saeculo supersunt, qui meminerint eorum, etiam pro-*

*prii discentes et successores ipsorum, ne posteriores negare possint.* Eodem anno conscriptos putamus libros Adversus Hermogenem duos, De Materia Deo Coaeterna unum, De Censu Animae ex eadem materia alterum. Qui quo tempore disseminare suas haereseis coeperit, non ita constat; attamen ex parte id significare videtur B. Hieronymus Catal. Script. Eccles., dum contra haeresin Hermogenis primum scripsisse tradit Theophilum Antiochenum. Qui, etsi sub imper. Vero floruerit, eidem tamen supervixisse ex eius lib. III. ad Autolyicum comprobatur, ubi annos et mundi, et Romani consulatus, et Caesarum usque ad obitum Veri imp. computat. Proinde sub Commodio potius imp. errores illum suos sparsisse censemus; qui tamen aetate Auctoris adhuc vixerit, vel eo teste in haec verba: *Hos* (inquit, de Marcione, Valentino et Apelle loquens iam mortuis) *ut insigniores et frequentiores adulteros veritatis nominamus. Caeterum Nigidius, nescio quis, et Hermogenes, et multi alii, adhuc ambulant subvertentes vias Domini* (De Praescr. adv. Haer. c. 30.). Et vero in Africa Hermogenem floruisse testis est Philastrius lib. De Haeres., cui Auctor addit tanquam magistrum aliquem Nigidium. Quum etiam superessent adhuc *Valentinianorum haereticorum examina, ducibus praeter primos illos supra adductos Theotimo, Axionico, Alexandro et Prodicto*, B. Irenaeum imitatus ad verbum paene librum conscripsit Adversus Valentinianos. De prioribus sic Auctor: *Multum circa imagines legis Theotimus operatus est. Ita nusquam Valentinus: et tamen Valentiniani, qui per Valentinum. Solus ad hodiernum Antiochiae Axionicus memoriam Valentini integra custodia regularum eius consolatur* (Adv. Valent. c. 4.). De tertio in haec verba: *Nam, ut penes quendam ex Valentini factione legi, primo non putant terrenam et humanam Christi substantiam informatam* (De Carne Chr. c. 15.). De quo vero loquatur subiecit: *Insuper argumentandi libidine ex forma ingenii haeretici locum sibi fecit Alexander ille* (De Carne Chr. c. 16.) Et rursus: *Sed remisso Alexandro cum suis syllogismis* (De Carne Chr. c. 17.). Denique de postremo duo concurrunt loci, unus: *Quod si iam tunc Prodicus aut Valentinus adsisteret* (Scorp. cap. ult.), alter: *Quum alius Deus infertur adversus creatorem, tunc male quum plures, secundum Valentinus et Prodicos* (Adv. Prax. c. 3.). Neque enim ibi legi posse *Proolos*, quod erat in excusis codicibus, praeterquam quod suo loco comprobaverimus, vel eo convincitur quod Proclus seu Proculus non Valentinianus fuerit, sed Montanista, a quo dicti *κατὰ Proclum* quidam Montani sectatores (De Praescr. adv. Haer. c. 52.), quum adeo adhuc catholicus adversus Valentinum scripserit. Et vero quum vocet illum Auctor *virginis senectae et Christianae eloquentiae dignitatem* (Adv. Valent. c. 5.), videmur nobis attigisse primum quod aiunt lapidem offensionis, in quem ipse impegit, dum partibus Montani favere coepit; seductus, quantum apparet, admiratione quadam tum *virginis senectae Proculi*, quem tunc senem fuisse oportuit, utpote vel eodem teste *contemporalem haerestarcharum Valentinianorum, tum eloquentiae Christianae*, quam in scriptis eius deprehendit: parum memor miser ille, quid antea scripsisset, fortassis huius tanti viri occasione: *Solent, inquit, miriones isti etiam de quibusdam personis ab haeresi captis aedificari in ruinam: Quare illa, vel ille, fidelissimi, prudentissimi et*

usitatissimi in Ecclesia, in illam partem transierunt? Quis hoc dicens non ipse sibi respondet, neque prudentes, neque fideles, neque usitatos aestimandos, quos haereses potuerint immutare? Quid igitur, si episcopus, si diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr lapsus a regula fuerit, ideo haereses veritatem videbuntur obtinere? *Ex personis probemus fidem, an ex fide personam?* (De Praescr. adv. Haer. c. 3.). Alioqui certe non est verisimile in tam absurdam haeresin lapsum iri Auctorem, nisi ex tali quapiam occasione, fortassis etiam ex frequentatione ipsius familiari, dum subinde Romam invisceret; nam Romae Proclum habitasse postea deducemus, maxime quum antea blasphemiam dixerit, Paracletum, quem Christus promisit, in Montano primum apparuisse, et tamen in sequentibus scriptis non vereatur illi nomen Paracleti frequenter adscribere (Cf. De Praescr. adv. Haer. c. 52.).

Anno Domini CCVII. Nummio Annio Albino et Fulvio Aemiliano coss. S. Zephyrini papae Romani VIII. Severi XIV., plerique passas scribunt Perpetuam et Felicitatem, idque iuxta Ven. Bedam die natali Severi, quem assignant martyrologia Usuardi et Romanum Nonis Martiis, illis praeterea annumerantia Revocatum, Saturninum et Secundionum, simul passos in Mauritania civitate Thuburbanorum. Quum autem *Perpetuae fortissimae martyris* eo libro meminerit Auctor (De Anim. c. 55.), oportet non ante scriptum fuisse librum De Anima, quem scripsit adversus philosophos et haereticos. In quo etiam alludit ad librum De Paradiso. Quem coniecimus conscriptum fuisse occasione eorum, quae vidisse scribit S. Perpetuam in paradiso. Et vero uti in hac Christianorum per Africam quoque persecutione animos fidelibus adderet, censemus eodem paene tempore scriptum librum De Spe Fidelium. Quamquam interim verissimum comperiamus illud proverbii, quod error unus alium trahat, utpote quum paradoxon sit utriusque libri illius argumentum et haud paucas praeterea reperire sit opiniones non satis sanas in dicto libro De Anima, de quibus inter Paradoxa Auctoris cum Antidoto latius. Hoc unum hic addimus, scriptum illum librum De Omni Statu Animae, vel ipse teste, qui adeo etiam *commentarium animae* nuncupat, utpote in quo tractetur quidquid olim a philosophis et ab haereticis de anima tractatum fuit, ut neque philosophis neque theologis alio hodie commentario sit opus (Cf. De Resurr. Carn. c. 2 et 45.).

Anno Domini CCVIII. S. Zephyrini Romani pontificis IX. Severi imper XV. M. Flavio M. F. M. N. Afro et Q. Allio Fabio Catullino Maximo coss. scriptum fuisse a Tertulliano librum primum Adversus Marcionem ex hisce verbis constat: *At nunc quale est ut Dominus anno XII. Tiberii Caesaris revelatus sit, substantia vero ad XV. iam Severi imperatoris annum nulla comperta sit?* (Adv. Marc. I., 15.). Atque adeo hoc tempore simul editos fuisse oportet libros De Carne Christi adversus IV. haereses, de Resurrectione Carnis et Adversus Marcionem quinque, utpote eodem scriptos tempore. Nam sicut etiam alibi diximus, libro de Carne Christi (cap. 7.) citatur liber quartus adversus Mar-

cionem, libro de Resurrectione Carnis secundus et quartus Adv. Marc., et libro quinto Adv. Marc. allegatur liber de Resurrect. Carnis (V. De Resurr. Carnis c. 2. Adv. Marc. V., 10.), quo fit ut existimem primum scriptos adversus Marcionem quatuor, intermedios deinde duos libros et postremo adversus Marcionem quintum. Porro si hoc anno, uti Onuphrius tradit, celebrata sint decennalia Antonini imper. Severi filii, fortassis praeoccupata anno integro ob dicessum in bellum Britannicum, quem Cassiodorus his coss. accidisse scribit, hoc etiam anno scriptus est liber De Corona Militis; sin anno sequenti (quod mihi magis fit verisimile ex illa nummi inscriptione: ANTONINUS PICS AUG. COS. III. VOTA SOLUTA DEO) utrumque contigerit, illuc referre poterit lector, dummodo nobiscum sentiat, ante expeditionem Britannicam. Ad quam pertinet etiam inscriptio supra posita cum effigie equitis manu iaculum tenentis: PROEPECTIO AUGG. nam utrumque filium secum duxit Severus, a quo quum P. Septimius Geta anno primum sequenti imper. Caesar Aug. sit appellatus et tribunitiâ potestatem acceperit, sicuti fasti habent consulares, confirmatur dicta nostra coniectura. Conciliari quidem possunt inscriptiones et fasti consulares cum Onuphrio et altera quadam inscriptione, ubi appellatur Antoninus Aug. Trib. Pot. X. cos. III. design., ut dicatur coepit eius annus X. his coss. ad Kal. Maias, et finitus anno sequenti Kal. Maiis: sed nos ad annum sequentem referre maluimus, ne hic prolixiores simus.

Anno Domini CCIX. S. Zephyrini papae Romani X, Severi imper. XVI. imper. Caes. M. Aurel. Severi Aug. F. Antonino Aug. III. et P. Septimio Sever. Aug. F. Geta coss. Post celebrata decennalia Antonini Romae a Tertulliano scriptum censemus librum De Corona Militis. Romae enim scriptum apparet ex verbis illis: *Erubescite Romani commilitones eius*, et ad decennalia videtur referendum illud libri frontispicium: *Proxime facta est liberalitas praestantissimorum imperatorum; cui subiicienda putavimus quae sequuntur, eo quod occasionem scripti huius libri indicent, utpote in quo, contra quam alii mussitabant, Christianis coronae usum interdictum deducit. Expungebantur, inquit, in castris milites laureati. Adhibetur quidam illic magis dei miles; solus libero capite, coronamento in manu otioso. Singuli designare, eludere eminus, infrendere cominus in nostrum. Murmur tribuno defertur et persona iam ex ordine accesserat. Statim tribunus: Cur, inquit, tam diversus habitus? Negavit ille cum caeteris sibi licere. Causas expositulatus, Christianus sum, respondit. Suffragia exinde, et rex ampliata, et reus ad praefectos. Ibidem penulas posuit, speculatoriam de pedibus absolvit, gladium reddidit (nam militaria omnia insignia in exauratione militum exui solere, vel ex Herodiano lib. II. manifestum est, initio imperii Severi). Et nunc russatus sanguinis sui spe, donativum Christi in carcere expectat. Exinde sententiae auper illo, nescio an Christianorum (non enim aliae ethnicorum), ut de abrupto et praecipiti et mori cupido, qui de habitu interrogatus nomini negotium fecerit. Nec vero omittendum illud: *Plane superest, ut etiam martyria recusare meditentur. Mussitant denique tam bonam et longam sibi pacem periclitari. Nec dubito quosdam scripturas**

*emigrare, sarcinas expedire, fugae accingi de civitate in civitatem. Novi et pastores eorum in pace leones, in proelio cervos. Sed de quaestionibus confessionum alibi docebimus.* Denotat enim ibi aut librum de Fuga in Persecutione, aut quod magis placet, Scorpiacon adversus Gnosticos. (Scorp. cap. 1.), nempe *Prodicum Scorpianum et alios Valentinianos martyriorum refragatores*, qui iam in Africam irrupere coeperant. Fortassis etiam Romae scriptum. In eo enim et *de quaestionibus confessionum*, id est, quod confiteri Christum necesse sit, latissime deducit, et persecutionem omnium gravissimam, quae dicta occasione post longam pacem (utpote quum Romae et in Africa ad id temporis pauci leguntur sub Severo passi martyres) recruduisse videtur, his verbis describat: *In praesentiarum est medius ardor, ipsa canicula persecutionis ab isto scilicet cynocephalo* (ubi aut Severum imperatorem, aut potius urbis Romae praefectum in absentia illius iam in Britanniam profecti intelligit); *alios ignis, alios gladius, alios bestiae Christianos probaverunt, alii fustibus insuper et unguis degustato martyrio, in carcere esuriunt.* Porro Severum propterea absentem in Britannia diximus, quod expeditionis Britannicae hoc anno, uti antea probavimus, factae meminerint Euseb. in Chronic. Oros. lib. VII. cap. 2. Paulus Diaconus lib. VIII. cap. 1., ante eos Spartianus, Herodianus, et Dio in Severo. Nondum enim Britanniam Romanis paruisse ad id usque temporis, etiam ipse verbis his supra citatis indicat: *et Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita* (Adv. Iud. c. 7.), utpote Lucio Britanniarum rege paulo ante ope S. Eleutheri papae ad fidem converso, item etiam illis: *Britanniae intra oceani fines conclusae sunt.*

Anno Domini CCX. S. Zephyrini Romanae pontificis XI. Severi imper. XVII. M. Aurelio Claudio M. F. Pompeiano et Lolliano Avito coss. Romae adhuc existens Tertullianus scripsisse mihi videtur librum De Velandis Virginibus, quem Graece quoque scriptum esse his fatetur verbis: *Proprium iam negotium passus meae opinionis, Latine quoque ostendam virgines nostras velari oportere* (De Vel. Virg. c. 1.). De quo argumento anno sequenti latius. Scripsisse etiam verisimile est paulo post, iam Carthaginem reversum, librum Adversus Praxean, de quo Auctor: *Iste, inquit, primus ex Asia hoc genus perversitatis intulit Romae; homo et alias inquietus, insuper et de iactatione martyrii inflatus ob solum et simplex et breve carceris taedium. Fructificaverant avenae Praxeanae hic quoque* (nempe in Africa) *superseminatae, traductae dehinc per quem Deus voluit* (quantum apparet, Zephyrinum papam, utpote de quo tale quid tradat B. Opt. Milevit. l. I. contra Parmenian.), *etiam evulsae videbantur. Denique caverat pristinum doctor de emendatione sua, et manet chirographum apud Psychicos, apud quos tunc res gesta est, exinde silentium. Avenae vero illae ubique tunc semen excusserant. Ita aliquamdiu per hypocrisin subdola vivacitate latitavit et nunc denuo erupit* (Adv. Prax. c. 1.). Ex quibus verbis satis patet et revocasse suam haeresin aliquando Praxean disputatione alicuius emendatum, sed iterum relapsam denuo erupisse, et dum hic liber scriberetur, adhuc supervixisse. Quanquam

interim, si verum sit quod addit de Montani prophetia eius ope expulsa, quandoquidem illum floruisse constet sub S. Eleuthero papa, oporteat iam senem fuisse Praxean. Nos certe vixdum in eo quod dictum est, Auctori fidem adhibendam putamus; tum quod S. Pacianus haec vera scribat de haereticis secundum Phrygas: *Et primum hi pluribus nituntur auctoribus; nam puta Graecus Blastus ipsorum est; Theodotus quoque et Praxean vestros aliquando docuerunt*: tum, quod ipse Auctor, praeterquam quod illic subiungat tanquam discipulos *Blastum et Theodotum et Praxean* cum Victorino illis qui *secundum Aeschinem pronuntiabantur*, eandem haeresin attribuit et hoc libro impugnat.

Anno Domini CCXI. S. Zephyrini papae Romani XII. Severi XVIII. M<sup>r</sup>. Acilio M. F. M. N. Faustino. et C. Caesonio. C. F. Macro Rufiniano coss. completum fuit, quod scribunt post auctores supracitatos Cassiodorus in Chronico et Ven. Beda Histor. Eccles. lib. I. cap. 5. de Severo, quod vallum crebris turribus communitum in Britannia, per centum et amplius millia passuum de mari ad mare perduxerit, ut partem provinciae gravissimis proeliis receptam a caeteris faceret securiorem. Pro quo facit etiam lex Severi et Antonini Augg. Eboraci lata hoc consularu Non. Maii, quae extat Cod. lib. III. tit. 32. lib. 1. Certe tunc primum leguntur inscriptiones quibus appellatur Severus BRITANNICUS MAXIM. TRIB. POT. XVIII. ac Antoninus BRITANN. TRIB. POT. XIII. IMP. II. COS. III. denique et illa: P. SEPT. GETA PIUS AUG. BRIT. TRIB. POT. III. COS. II. uno ex latere, et ex adversa parte: VICTORIAE BRITANN. Utpote quum tertius fuerit duntaxat iste annus, ex quo Geta tributum potestatem cum caeteris imperii insignibus acceperat. Porro hoc fere anno contigisse censemus, quod de Tertulliano scribunt B. Hieronymus, Sophronius Catal. Scriptor. Eccles. ac Niceph. lib. IV. capp. 12. ac 34. quum usque ad mediam aetatem in Ecclesia catholica presbyter permansisset, ad Montani dogma delapsus. Verumtamen magna est difficultas, quomodo scribat B. Hieronymus id factum invidia et contumeliis clericorum Rom. Ecclesiae ac Sophronius *φθόνῳ καὶ προπηλακισμοῖς τῶν κληρικῶν τῆς ἐν Ρώμῃ ἐκκλησίας*, et interpres Nicephori *propter cleri Romani invidiam*; praesertim quum de eo nusquam conqueratur Auctor etiam in libris adversus Ecclesiam scriptis, maxime quum causam illam reticens Vincentius Lirinensis, etsi B. Hieronymo posterior, non aliud dicat, quam Tertullianum Catholici dogmatis et vetustae fidei parum tenacem ac disertorem multo quam feliciorum mutata sententia in errorem delapsus magnam fuisse in Ecclesia tentationem. Quem in hoc imitatur Abbas Trithemius. Est quidam qui invidia causam fuisse putet Auctori eloquentiam. Rhenani coniecturam, quantumvis suspectam, sequuntur etiam Catholici quidam, qui suspicantur illum, quum initio favere coepisset haeresi Montani, statim Ecclesiae communione privatum, prius quam se totum dederet, quare commotus ille prorsus in Montani partes transierit. Verum non video, quomodo excommunicationem ecclesiasticam, quam Auctor *divinam censuram et futuri iudicii praetudicium* appellat (Apolog. c. 39.), B. vero Hieronymus Epist. ad Heliod. *ante diem iudicii iudicium, quo eiectus de Ecclesia rabido daemonis ore discerpitur*, non solum invidiae (quam pro zelo etiam

in sanctis agnoscit idem B. Hieronymus Epist. ad Damas. de prodigo et frugi filiis), sed et contumeliarum nomenclatura ipse traduceret. Nos itaque, si quid in re incerta divinare liceat, coniecimus Tertullianum post obitum Agrippini in obtinendo episcopatu Carthaginiensi repulsam passum fortassis invidia clericorum quorundam ecclesiae Romanae, a quibus proinde etiam contumeliis affectus ad partes Montani desciverit. Certe fomitem illis invidiae administrare potuerunt loci aliquot in libris praecedentibus, quibus tacite quorundam clericorum, fortassis Romanorum, vitia reprehendit, non aliter atque postmodum BB. Hieronymo et Paulino accidit eadem de causa; imprimis de frequentatione spectaculorum: *Sed tragoedo* (inquit De Spect. cap. 25.) *vociferante exclamationes ille* (nempe aliquis de clero) *alicuius prophetae retractabit. Inter effeminationis modos, psalmum secum comminiscetur; et quum athletae agent, ille dicturus est reperiendum non esse; poterit et de misericordia moveri defixus in morsus ursorum et spongiarum relictiorum. Avertat Deus a suis tantam voluptatis exitiosae cupiditatem. Quale est enim, de ecclesia Dei in ecclesiam diaboli tendere? de caelo (quod aiunt) in coenum? illas manus, quas ad Dominum extuleris, postmodum laudando histrionem defatigare? ex ore quo Amen in sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere? eis aliovas alii omnino dicere, nisi Deo Christo? Item illud in artifices idolorum: *Tota, inquit, die ad hanc partem zelus fidei perorabit ingemens Christianum ab idolis in ecclesiam venire, his manibus adorare, quae foris adversus Deum adorantur, manus admovere corpori Domini, quae daemioniis corpora conferunt. Nec hoc sufficit. Parum sit, si ab aliis manibus accipiant quod contaminant, sed ipsae tradunt aliis quod contaminaverunt. Alleguntur in ordinem ecclesiasticum artifices idolorum. Proh scelus! Semel Iudaei manus Christo intulerunt, isti quotidie corpus eius lucessunt. O manus praescindendae!* (De Idol. c. 7.). Rursum illud de pastoribus in persecutione fugientibus: *Plane superest, ut etiam martyria recusare meditetur, qui prophetias eiusdem spiritus sancti respuit: novi et pastores etiam eorum in pace leones, in proelio cervos* (De Cor. Milit. cap. 1.). Denique De Velandis Virginibus: *Illam consuetudinem quae virgines negat, dum ostendit, nemo probasset, nisi aliqui tales, quales virgines ipsae. Tales enim oculi volent virginem visam, quales habet virgo quae videri volet. Invicem se eadem oculorum genera desiderant. Eiusdem libidinis est videri et videre* (De Veland. Virgin. cap. 2.). Auctor commentarii S. Ambrosio adscripti in epist. Pauli videtur interpretari invidiam illam, quasi fuisset ipsius Auctoris in clericum Romanum. Sic enim, inquit, *per invidiam caritatem corrumpentes scientiam ad nihilum deduxerunt. Nam et Tertullianus et Novatianus non parvae scientiae fuerunt; sed quia per zelum caritatis foedera perdiderunt, in schisma versi ad perditionem sui haereses creaverunt.* Ex quibus verbis fit etiam verisimilior mea coniectura ex eo, quod ob repulsam episcopatus Rom. in schisma et haeresin inciderit Novatianus. Porro si excommunicatus fuerat, iustissimis profecto de causis, etiam fortassis in absentem eam tulit sententiam B. Zephyrinus pontifex. Primum enim in libris omnibus scriptis citra XIV. imperii Severi annum, *Paracleti novae prophetiae**



*frequenter, Spiritus sancti etiam Montanici verbis iam citatis meminit, sicuti etiam mulieris prophetidis subinde, modo Priscillam, modo Maximillam significans; et similiter de extasi habet non pauca, locis citatis inter Paradoxa Auctoris. Deinde Psychicos quoque, id est animales appellare coepit Catholicos, tum adversus Marcionem tum adversus Praxean, sicuti etiam ibi latius. Postremo omnia illa simul coniungens libro Advers. Praxean cap. 1. Romanum episcopum, quantum apparet, Eleutherum calumniatur, tanquam qui agnoscens iam prophetias Montani, Priscæ et Maximillæ, ex ea agnitione pacem ecclesiis Asiae et Phrygiae inferre paratus fuerit, nisi Praxeas falsa (perperam inquit) de ipsis prophetis et ecclesiis eorum asserendo cõgisset litteras pacis revocare iam emissas, et a proposito recipiendorum charismatum concessare. Et insuper diaboli negotium procurasse dicit, qui prophetiam expulit et paraclatum fugavit. Certe ipse Auctor excommunicationem in haeticos approbat non uno in loco (Scorp. adv. Gnost. c. 1.).*

Anno Domini CCXII. S. Zephyrini papae Romani XIII. M. Aureli Antonini Bassiani Pii Felicis Augusti Britannici Germanici imperii I. Q. Epidio L. F. Rufo Lolliano Gentiano, et Pomponio Basso coss. conscriptum censemus Tertulliani librum De Fuga in Persecutione. Idque ante decessum imperatores L. Sept. Severi Pertin. Augusti, qui eo anno pridie Nonas Febr. Eboraci moerore magis quam morbo mortuus est (in hoc adeo punitus a Deo iuxta Orosium lib. VII. cap. 2.) nondum elapso anno imperii sui decimo octavo, utpote quum ab Idibus Maii anni Domini CXCIV. ad dictum usque huius anni diem computantur duntaxat anni septendecim, menses octo, dies unus et viginti; quo fit ut hunc annum primum Antonini faciamus, aut saltem ante reditum Antonini ex Britannii cum fratre suo P. Sept. Geta Felici Augusto Britannico imperii consorte, adhuc durante persecutione, quam ipse (utpote lacte Christiano imbutus (Ad Scap. c. 4.), sicuti supra ex Auctore diximus) vel Severo Sulpitio teste (Sacrae Hist. lib. II.), cessare fecerit, utpote qui scribat ab obitu Severi ad Decium usque pacem ecclesiis fuisse, praeterquam quod a Maximino in episcopos saevitum fuerit; quam adeo longam pacem appellat B. Cyprianus lib. De Lapsis. Quanquam interim edicta Severi adhuc aliquandiu viguisse ex his Auctoris verbis videantur: *Nisi forte in senatusconsulta et principum mandata coitionibus opposita delinquimus* (De Ieiun. c. 13.) Hunc quum contra Ecclesium scriptum asserant, ubi supra, B. Hieronymus, Sophronius et Nicephorus, verisimile fit, Fabium illum Romanum fuisse presbyterum. Certe quod aliquo ministerio ecclesiastico functus fuerit, colligere est ex verbis illis: *Sed quum isti auctores, id est, diaconi, presbyteri et episcopi, fugiunt, quomodo laicus intelligere poterit?* (De Fuga c. 5.). Quibus interim quando (contra quam sentit Auctor) fugere liceat, in annotationibus nostris latius. Meminit in eo etiam *Rutilii sanctissimi martyris*; porro et sub Severo haud dubie referri debet quod scribunt Euseb. et Nicephor. de Origenis prima persecutione maxima apud Alexandriam, antequam sese ipse castraret. Atqui ad intellectum Auctoris facit, ubi dicit: *Maledictum esse ante*

*ἀποθέσειν deum Caesarem nuncupare* (Apolog. c. 34.); id quod late recenset Herodianus lib. tertio de ritu observato de relatione Severi imper. post mortem in Divos per filios Romae facta, postquam cineres ex Britannia secum lati in urna alabastrina iuxta illum, aut aerea iuxta Spartianum, in sepulcrum Antonini sunt illati. Hic praeterea praeter-eundum non putavimus, quod, quum pridie Non. Februar. perierit Severus, castigari deberent leges duae Codicis, altera lib. VI. tit. 45. l. 1. ut legatur V. Kal. Februarii, pro, Ianuarii: altera eiusdem libri tit. 37. lib. 3. uti soli Antonino Aug. adscribatur, non Severo et Anton. Augg. utpote quum lata sit VI. Kal. Maii, diu post illius obitum, maxime quum extet lex Antonini solius Kalend. Maiis lata, et aliae plures his *cons. latae*.

Anno Domini CCXIII. S. Zephyrini Romani pontificis XIV. Antonini imper. II. M. Pomponio M. F. Aspro II. et Aspro *cons. sive* duobus Aspris, quibus *cons. leges* Antonini variae datae leguntur (quorum seniore eundem illum censemus, de quo supra ad annum CCII.), solus Antoninus (testibus Herodiano et Spartiano), fratre Geta ad pectus suae matris interfecto, postquam imperavit annum unum, dies viginti unum, ac sepulto in septizonio (quod a septem zonis coeli ita dictum Severus, vel Eusebio teste, aedificaverat) ac in divos relato, imperium usurpavit. Insuper et alios plurimos, quantumvis patri sibi que antea carissimos, neci tradi iussit, inter quos commemorandi veniunt Papinianus ille eius ac Iuliani et Tertuliani IC. praeceptor, Iuris Asylum cognominatus a Spartiano, et Sammonicus Serenus, cuius libros plurimos extare ille scribit, Gordiani postea Caesaris paedagogus. In hunc annum referimus librum Tertuliani De Exhortatione Castitatis, utpote quem Nicephorus lib. IV. cap. 54. inter eos recenset, qui contra Ecclesiam catholicam conscripti sunt, et in quo eo dementiae videtur venisse, *ut apud tres etiam laicos*, utpote Montanum et insanas eius prophetides Priscam et Maximillam, esse Ecclesiam existimet, quemadmodum latius idipsum alibi inculcat (De Exhort. Castit. c. 7. De Pudic. c. 21.). Huic etiam anno applicamus disputationem illam Caii scriptoris ecclesiastici adversus Proclum, cuius meminerunt Euseb. H. E. VI., 24., B. Hieronymus, in Catal. Scr. Eccles., et latius in haec verba Niceph. loco iam citato: *Floruit*, inquit, *sub Zephyrino Romae episcopo Caius, Antonino Severi filio imperante*. Is adversus Proclum Montani propugnatorem dissertationem copiosissimam habuit et composuit, temerariae audaciae, quod novam introduxerit prophetiam, illum redarguens et confutans. Quam quidem nos aliquando existimavimus ansam dedisse Auctori ad Montani partes deficiendi; quod verisimile fit in Proclum hac disputatione convictum nec resipiscentem a Zephyrino excommunicationem latam fuisse, et omnes eius assecclas, inter quos haud dubie Auctor, utpote Montanistarum *κατὰ* Proclum sectator, non eorum qui secundum Aeschinem dicebantur, contra quos egit libro Adversus Praxean. Verum iam antea illum deficere coepisse, imo contra Ecclesiam scripsisse, ex superioribus manifestum fit. Fortassis hoc tempore contigit Origenis discipuli Clementis Alexandrini et Ammonii Romana sub Zephyrino profectio, cuius meminerunt Eusebius et

Nicaphorus, quorum ille lib. VI. cap. 12. causam illius eam scribit, quod in optatis illi esset antiquissimam illam Ecclesiam invisere. Quo tempore etiam alii ecclesiastici scriptores ab illis enumerantur, Beryllus Arabiae Bostrenus, Hippolytus iuxta quosdam Portuensis, Alexander primum Cappadociae, deinde Hierosolymorum episcopus, quibus interserit B. Hieronymus etiam Minutium Felicem, qui Apologeticum Auctoris per multa imitatus est.

Anno Domini CCXIV. S. Zephyrini papae Romani XV. Antonini imper. III. imper. Caes. M. Aurel. Divi Severi F. Antonino Aug. Britann. German. IV. et P. Caelio P. F. Balbino II. coss. ipse Antoninus imper. trib. potest. XVI. de Britannis triumphavit. Quo anno a Tertulliano scriptum existimamus etiam adversus Ecclesiam librum De Monogamia. In eo inter caetera sic legitur: *Quum magis nunc tempus in collecto factum sit, annis circiter CIX exinde productis* (De Monog. c. 3.). Quos qui a passione Domini computandos voluerit, tota via aberrare ex superioribus plus satis manifestum est, etiamsi, iuxta erroneum calculum Auctoris a passo Christo usque ad devastationem Hierosolymorum anni duntaxat computarentur XXII., quos alii enumerant LII.; quia usque ad annum praesentem etiam solum CLX., sed producti essent CLXXXVIII. Sunt etiam qui ab apostolis hunc computum ineant, eo quod praemittatur: *post apostolos*; in qua sententia et nos fuimus, quum annotationes nostras in eum scriberemus locum. Verum SS. Petrus et Paulus primum passi sunt anno Neronis ultimo, qui in annum incidit Christi LXIX., a quo ad hunc non nisi computantur anni CXLVI. et S. Ioannes evangelista vixit ad Traianum usque, mortuus primum anno circiter C. Propius accedunt qui ab apostoli Pauli aetate computant annos illos circiter CIX., quorum sententiae accedimus: sed quia ille primum martyrio affectus fuit cum apostolo Petro (uti iam dictum est), censemus ab eo tempore numerandos quo epistolam scripsit priorem ad Corinthios, ab anno nempe Domini circiter LIV. Inprimis enim scriptam epistolam utramque ad Corinthios, postquam ab ipso ad fidem essent conversi, ex eisdem fit manifestum; quae conversio contigisse putatur anno Domini LI., quum ibi haesit ad annum et menses sex. Deinde si Ephesi scripta sit (sicuti quidam et rectius habent Graeci codices) ex historiis peregrinationis Pauli satis patet dicto anno, qui incidit in duodecimum Claudii Imperatoris, Ephesi illum habitasse. Sive ex Philippis (quod plures prae se ferunt et Latini et Graeci codices), certe anno LV. Per Philippos iter fecisse, postquam Epheso discesserat, sub festum Paschae, testantur Acta Apostolorum capite vigesimo. Et vero sic intelligi debere Auctorem, vel ex illis dictis verbis colligitur, quae leguntur fere I. Cor. VII., 29.: *Quum nunc tempus in collecto factum sit.* Atqui in hunc annum hoc incidere, non in XV Severi (uti quidam etiam viri eruditi coniecturam faciunt), ex eo perspicuum est, quod ille idem sit cum anno Domini CCVIII., ad quem proinde ab eo quem diximus non nisi anni CLV. conficiuntur, nec ulterius extendi possunt, quod anno primum LI. fidei catholicae initiati fuerint Corinthii. Porro fuit hic annus nobilitatus consulatu trium imperatorum ordinis virorum; nam praeter Antoninum et Balbinum, qui quartus ab

illo imperavit cum Pupieno, etiam suffectus fuit ex Kalend. Martiis M. Anton. M. F. Gordianus, qui postea imperat. Caes. Aug. appellatus, a Balbino interfectus fuit, sicuti rursus ex Kalend. Maiis P. Helvius D. Pertinacis F. P. N. Pertinax paulo post occisus ab Antonino.

Anno Domini CCXV. S. Zephyrini Romani pontificis XVI. Antonini imper. IV., Silio Messala et Q. Aquilio Sabino coss. imperator ex expeditione Gallica, cuius Spartianus meminit, Romam reversus, a vestis talaris genere inde allatae, quam plebi distribuit, ut eo vestitu sese salutaret, Caracalla nuncupatus est. Hoc fere anno scriptum censemus a Tertulliano etiam adversus Ecclesiam librum De Ieiuniis Adversus Psychicos. Ex quo imprimis fit verisimile, cum Proclo reliquisque Montanistis post dictam disputationem, etiam Tertullianum a papa Zephyrino excommunicatum fuisse, ex verbis inquam illis: *Dum quaqua ex parte anathema audiamus, qui aliter annuntiamus* (De Ieiun. c. 1.). Deinde varia tum fuisse celebrata per Graecias concilia ita testatur: *Aguntur praeterea per Graecias illas certis in locis concilia ex universis ecclesiis, per quae et altiora quaeque in commune tractantur, et ipsa repraesentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur. Conventus autem illi stationibus prius et ieiunationibus operati* (Ibid. c. 13.). Quae maxime contra Montanistas convenisse, vel inde mihi colligere videor, quod etiam in episcopos quosdam ea haeresis cancri in morem serpere coepisse videatur ex his Auctoris verbis: *Haec erunt exempla et populo et episcopis etiam spiritalibus* (Ibid. c. 16.); nam spirituales Montani assecclas Psychicos (ita Catholicos calumniose appellat) opponit (Ibid. c. 15.). Porro si vera sit lectio apud Beatum Hieronymum Epistola quinquagesima quarta ad Marcellam de Montanistis, quod illi tres in anno quadragesimas facerent, quasi tres passi essent salvatores; incipit ab illis nonnihil dissentire Auctor in duarum duntaxat observatione, sicuti ex his verbis, etiam iuxta MSS. Codd. manifestum fit: *Duas, inquis, in anno hebdomadas xerophagiarum, nec totas, exceptis sabbatis et dominicis, offerimus Deo, abstinentes ab iis, quae non reiicimus, sed differimus* (Ibid. c. 15.). Verum de hoc latius in annotationibus nostris.

Anno Domini CCXVI. S. Zephyrini Romani pontificis XVII. Antonini imper. V. Aemili Laeto (quem paulo post ab Antonino interfectum scribit Spartianus) et Anicio Cereali coss. eo ipso quo Antoninus in expeditione Germanica (teste Spartiano) iuxta Rhaetias multos barbaros interfecit, inde potissimum Germanicus appellatus, putatur scripsisse Tertullianus librum De Pudicitia. In quo sententiam S. Damasi in pontificali de vasis vitreis ad sacrificium ordinatis a S. Zephyrino, confirmant haec illius verba: *Cui ille si forte patrociniabitur pastor, quem in calice depingis*; maxime quod sequitur: *At ego eius pastoris scripturam haurio qui frangi non potest* (De Pudicit. c. 7. 10.); frangi enim facillime possunt calices vitrei; quos etiam depingi tum solitos esse, hinc fit manifestum. Hic etiam in hoc a Montanistis dissentit, quod, quum teste B. Hieronymo Epist. supracitata Montanus sensisset non posse renovari per poenitentiam lapsos, atque adeo illum

cum Novatiano coniungat, Auctor duntaxat moechis et fornicatoribus (etsi perperam, et contra quam antea scripserat libro De Poenit.) pacem Ecclesiae neget, oppugnans ex proposito illud Zephyrini (quem pontificem maximum etiam iam haereticus et *episcopum episcoporum* appellat): *Ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto* (De Pudic. c. 1.). Atque hoc est mea quidem sententia, quod de illo scribit B. August. lib. De Haeres., postmodum abs Cataphrygibus divisum sua conventicula propagasse, fortassis quod, iam defunctis illis qui κατὰ Proclum (cuius ipse sectator) dicebantur, obtinerent palmam illi qui secundum Aeschinem. Utpote contra quos tacite scripserit librum adversos Praxeum de Patre et Filio non eisdem. Dissensisse etiam illum annotavimus de duabus duntaxat quadragesimis. Quare falluntur, qui ex eo loco colligunt eum ad catholicam Ecclesiam rediisse, maxime quum B. Augustinus causam haereseos duplicem assignat, tum quia transiens ad Cathaphrygas coepit secundas nuptias damnare, tum quia sua conventicula propagavit.

Anno Domini CCXVII. S. Zephyrini papae Romani XVIII. et Antonini VI. Q. Aquilio Sabino II. (ad quem Ulpianus Libros 51. Digestorum scripsit) et Sext. Aurelio P. F. Annulino coss. censemur scriptos Tertulliani Libros sex De Ecstasi, et Adversus Apollonium septimum (inter fragmenta), quos etiam adversus Ecclesiam scriptos testantur B. Hieronymus, Sophronius et Nicephorus. Nec obstat quod Apollonium collocet B. Hieronymus Catal. Script. Eccles. ante Auctorem, quia, quod alias facere solet, nullius imperatoris adscribit tempora. Eusebius quoque Eccles. Histor. lib. V. cap. 17., et post eum Nicephorus, eum inter eos quidem recenset qui adversus Montanum scripserunt, sed aliquamdiu postea conscriptum satis indicant illa verba: *Porro Apollonius scriptor ecclesiasticus, quum ea quae Cataphrygum haeresis nominata est adhuc in Phrygia vigere videretur, librum separatim ad patronos eiusdem confutandos conscripsit.* Deinde convicit illud eiusdem: *Idem iste Apollonius in eodem libro commemorat, quod quadragesimus iam annus, in quo quidem ad hoc opus scribendum se contulit, agebatur, ex quo Montanus confictam et commentitiam prophetiam inceperit.* Atqui ab initio pontificatus Sancti Eleutheri, quo Montanus haeresin sparsit suam, uti supradictum est, ad hunc usque intercedunt anni XL. Sedit enim Eleutherus post consulatum Cethegi et Clari (utpote creatus pridie Idus Maii, quum extet illis consulibus epistola decretalis S. Soteris papae data X. Kalend. Iunii) usque ad Maternum et Pradam consules, defunctus VII. Kalend. Iunii, id est ab anno Domini CLXXII. usque ad annum CLXXXVI. per annos XIV., dies XIII., S. Victor, ut supra dictum est, annos XII., mensem I., dies XXVIII. His addantur anni XVIII. S. Zephyrini, fient anni XLIV.

Anno Domini CCXVIII. S. Zephyrini papae Romani XIX. Antonini VII. utriusque ultimo, Bruttio Praesente et Messio Extricato coss. nos etiam historiae nostrae Tertullianicae finem imponimus. Non quod certo velimus asserere postea non supervixisse Tertullianum, quem Trithemius scribit vixisse usque ad senectam et senium, sed quod sal-

tem a scribendo destiterit. Sentiebamus aliquando, quum in illum annotationes scriberemus, librum De Ieiuniis, sub S. Calixto papa editum fuisse, quod Ieiuniorum meminerit *citra illos dies quibus ablatus est sponsus* (De Ieiun. c. 13. Ibid. c. 14.), id est extra quadragesimam, existimantes alludi ad ieiunia IV. temporum ab illo instituta. Sed ubi penitius inspeximus, potest referri aut ad id quod sequitur: *Et stationum semiieiunia interponentes* (nempe feriae quartae et sextae ad horam usque nonam) *et interdum pane et aqua victitantes*, aut ad ieiunium sabbati, quod Romae celebrabatur ex statuto, non in Africa, (cuius etiam paulo post meminit) aut ad ieiunia poenitentium etiam catechumenorum, de quibus ipse in haec verba ante haeresin: *Ingressuros baptismum orationibus crebris, ieiuniis et geniculationibus et pervigiliis orare oportet* (De Baptism. c. 20.), aut denique ad ieiunia in vigiliis festivitatum ecclesiasticarum. Atque adeo placet B. Hieronymi, Sophronii et Nicephori sententia, qui non sub Macrino aut Hellogabalo, sed sub Severo principe et Antonino Caracalla floruisse et scripsisse testantur hunc Auctorem nostrum; maxime quum sub S. Zephyrino pontifice omnes illum claruisse scribant, non sub Calixto; praeter unum aliquem neotericum, qui tamen eum iam antea sub Adriano Caesare eundem fecerat cum Tertuliano IC. Porro postremum fuisse hunc annum Antonini Caracallae imper., non sequentem (uti Cassiodorus habet), patet ex fastis consularibus emendatioribus, in quibus sic scribitur: *Hoc anno ad VI. Idus Apriles imper. Caes. M. Aurelius Divi Severi filius Antoninus Augustus Britannicus Germanicus occisus est* (Apolog. cap. 15.). *Quum enim* (inquit Spartianus) *vellet iterum Parthis bellum inferre atque hibernare Edessae, atque inde Carras Luni Dei gratia* (de quo, quod insuper addit, ad intellectum facit Auctoris, qui alicubi Masculum Lunam ridet) *venisset, die natalis sui ipsis Megalensibus, insidiis a Macrino praef. praet. positis, qui post eum invasit imperium, interemptus est, ab eodem tamen in Deos relatus et templo ei aedificato et Saliis additis.* Confirmatur haec mea sententia, quod nullae extant leges Antonino et Advento coss. sed Antonini Aug. titulo duae Praesente et Extricato coss. altera lib. IX. Cod. data VIII. Kalend. Mart. altera lib. VIII. tit. 38. lib. 3. ex Kalend. Martiis paulo ante obitum. Imperavit proinde a pridie Nonas Febr. anni Domini CCXII. usque ad dictum diem, annos VII. menses II. dies IV. Atqui S. Zephyrino papae, quem et S. Damasus et alii omnes his consulibus vitam finisse scribunt, non possunt plures anni tribui quam XIX. et dies XVI. quod a IV. Idus Augusti anni Domini CIC. usque ad VII. Kalend. Septemb., quo hoc defunctus est, totidem computentur. Quem quum Ecclesia inter martyres celebret, oportet, ut absente iam Antonino, iterum per pontifices idolorum excitata fuerit Romae, et fortassis a Macrino continuata (qui proinde etiam post annum, mensem unum, dies aliquot a Deo caede punitus est) Christianorum persecutio, sed quia localis duntaxat, non computata ab historicis. Caeterum etiam hic adiciendum pro historiae veritate, frustra quosdam illum denuo ad catholicam fidem rediisse opinari. Nam in primis id ex S. Augustino colligi non posse ad annum abhinc secundum ostendimus. Deinde inter martyras minime computandum Ter-

tullianum, sed Tertullinum, supra in ipsis auspiciis annotavimus (Lib. De Poenit. in calce argumenti et suis quibusque locis). Denique S. Pacianus ad Sympronianum contra Novatianos nihil pro eis facit: *Tertullianus*, inquit, *post haeresin* (etiam addendum censuimus) *vester est: nam multa inde sumpsistis. Ipsum epistola sua, et ea ipsa quam Catholicus edidit, audies confitentem, posse Ecclesiam peccata dimittere.* Neque enim loquitur de epistola, quam post haeresin, sed quam antea adhuc Catholicus ediderat, nempe lib. De Poenitentia, ex quo multa ipsum descripsisse alibi annotavimus. Certe si ita creditum fuisset, non tantopere haeresin huius boni viri deplorasset S. Vincentius Lirinensis, cuius interim verba antidoti loco, ne quis forte ex eo scandalizetur, addenda putavimus: *Fuit iste quoque* (alludens ad Origenem, de quo similia scripserat, qui a fine imperii Severi ad Decium usque supervixit) *in Ecclesia magna tentatio. Sed de hoc nolo plura dicere, hoc tantum commemorabo, quod contra Mosis praeceptum exurgentes in Ecclesia novellas Montani furias et insana illa insanarum mulierum novitii dogmatis somnia veras prophetias asseverando meruit ut de se quoque et scripturis suis diceretur: Si surxerit in medio tui propheta, etc. non audies verba prophetae illius. Quare? Quia, inquit, tentat vos Dominus Deus vester, utrum diligatis eum, an non. His igitur tot ac tantis caeterisque eiusmodi ecclesiasticorum exemplorum molibus evidenter advertere ac secundum Deuteronomii leges luce clarius intelligere debemus, quod si quando aliquis ecclesiasticus magister aberraverit, ad tentationem nostram id fieri providentia divina patiat, utrum diligamus Deum, an non, in toto corde et in tota anima nostra.*

Denique coronidis vice non praetereundum, quod ex B. Augustino didicimus, durasse adhuc ad sua usque tempora Tertullianistas haereticos, et tum primum in catholicam Ecclesiam transiisse. Quibus etiam magis, quam ipsi Tertulliano, censemus imputandam absurdissimam illam haeresin, qua dicebant animas hominum pessimas post mortem in daemonas converti, maxime quum aetate primum Augustini post Donatistas et Iovinianistas collocentur Tertullianistae, qui id senserint, tum ab ipso, tum a S. Isidoro, Honorio Augustodunensi, Rhabano et Gratiano in catalogis haeticorum: „*Tertullianistae* (inquit ille ad Quodvultdeum, lib. De Haeres.) *a Tertulliano, cuius leguntur opuscula multa eloquentissime scripta, usque ad nostrum tempus paulatim deficientes in extremis reliquiis durare non potuerunt* (sic enim castigamus) *in urbe Carthaginiensi. Me enim ibi posito ante aliquot annos, quod etiam te meminisse arbitror, omni ex parte consumpti sunt. Paucissimi etiam, qui remanserunt, in Catholicam transierunt, suamque basilicam, quae nunc etiam notissima est, Catholicae tradiderunt.* Quod utinam illorum exemplo iam quoque in nostro Belgio fatiscentes nostrae tempestatis haeretici propediem faciant Deo auxiliante, cui honor, potestas et gloria in saecula saeculorum. Amen.



DISSERTATIO  
DE  
T E R T U L L I A N I  
VITA ET SCRIPTIS.  
AUCTORE PETRO ALLIX. V. D. M.

---

INDEX CAPITUM.

- Cap. I. Quo recensentur Tertulliani nomen, patria, genus, institutio, ingenium, aetas et ad fidem Christianam conversio.
- Cap. II. Quo de Tertulliani coniugio et illius in presbyterum Carthaginiensis Ecclesiae electione disseritur.
- Cap. III. Quo de Praxeae in Urbem adventu agitur et Tertulliani contra Praxeanum quempiam haeticum Carthaginae gesta referuntur.
- Cap. IV. Quo libri, quos Tertullianus adhuc orthodoxus edidit, enumerantur.
- Cap. V. De Tertulliani in Montani errores lapsu.
- Cap. VI. De iis libris quibus Tertullianus iam Montanista disciplinam a contemptu vindicavit.
- Cap. VII. De scriptis quae Tertullianus itidem Montanista varios adversus haeticos edidit.
- Cap. VIII. De Tertulliani scriptis, quibus adversus Ecclesiam ipsam invecus est.
- Cap. IX. De Tertulliani scriptis apologeticis et ad martyrium exhortationibus.
- Cap. X. De iis libris, qui Tertulliano suppositi sunt.
- 

Imdiu est, cum arbitrati sunt plurimi, alicuius esse ad penitorem ecclesiasticae historiae cognitionem momenti, Tertulliani res gestas et scripta per ordinem digerere. Atque equidem vix alius scriptores inter ecclesiasticos occurrit, cuius vel magis diffamatum fuerit nomen, vel libros evolvere magis sit conducibile. Vir fuit quem multiplex commendavit eruditio, argumentorum pondus, incredibilis rerum varietas, iuris civilis peritia et coniunctus ingenii dotibus summis flagrantissimus pietatis amor. Religionis christianae, ad quam ex gentilium numero advolvit, causam varias adversus haereses egit, Iudaeorum impetus suscepit in se retundere, ethnicorum in Christianos furentium iugas elidere eorumque calumnias et criminationes dispungere tanta

facundia aggressus est, ut ceteris in eo argumento palmam praeripuisse videatur. Quid quod haud ab alio melius tutiusve quam a Tertulliano antiquorum rituum, veterisque disciplinae, cuius acerrimum sese praestitit vindicem, cognitionem haurire queas.

Haec omnia cum Tertullianum Latinorum Patrum facile principem esse suadeant, fecerunt etiam ut maiori cum accuracione illius gesta et libros viri eruditi recensere fuerint aggressi hactenus, ac in dies commentationibus suis illustrare pergant.

Verum vel ipsa super eo argumento sententiarum ac opinionum diversitas (quod enim alter se firmis rationibus comprobasse existimavit, id procul valere iubet alius) sat ostendit quam inceptum istud arduum sit, quantisque cum difficultatibus coniunctum.

Erit igitur apud eruditos lectores veniae locus, si dum ecclesiasticae historiae huius vetustissimi temporis illustrandae causa nonnulla promere audeo, quae post sedulum examen certiora esse visa sunt, in tam obscuro argumento cespitare me alicubi contingat et hallucinari. Hoc ab ipso limine illos, quos monitores exoptem, deprecatus, ad rem aggredior, ea, ne fastidium ingeram, leviter persecuturus quae iam antea erudite et commode exarata sunt. Scilicet id mihi fuit consilii, ut quae aliorum diligentiam fugerunt, suppleam, ea vero ad incudem revocem, quae hactenus contra historiae fidem in eo negotio scripta fuisse videntur.

## CAPUT I.

Quo recensentur Tertulliani nomen, patria, genus, institutio, ingenium, aetas et ad fidem Christianam conversio.

Nulla iam reluctante constat Tertullianum dictum fuisse **Quintum Septimium Florentem Tertullianum**. Qua ratione tum a Tertullo consule, tum a Tertulliano iurisconsulto, tum a Tertullino martyre, ne alia iam afferam discrimina, satis distinguitur.

Haud minus certum est Tertullianum gente fuisse Afrum, civitate Carthaginensem, patrem habuisse centurionem proconsularem. Id ipse in scriptis indicat de Pallio cap. 1. et Apologetici cap. 9. ne solum fides sit penes Eusebium in Chronico, aut Hieronymum in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, de Tertulliano haec referentes.

Aegre dixeris quid in illo praestantius fuerit, Institutio, an ingenium: *Quid enim, ut loquitur Vincentius Lerinensis in Commonitorio cap. 24. hoc viro doctius, quid in divinis atque humanis rebus exercitatus? Nempe omnem philosophiam et cunctas philosophorum sectas, auctores adsertoresque sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum ac studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio vero nonne tam gravi ac vehementi excelluit, ne nihil sibi paene ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruerit, aut pondere eliserit?*

Vir fuit admodum acris et vehementis ingenii, atque adeo qui, dum legum et institutionum Romanarum scientiam excoleret, quod agnovit Eusebius Hist. Eccles. lib. II. cap. 2., mollioris eloquentiae generis, rebus quam verbis magis intentus deligendis, fugisse videatur.

*U*n in Tertulliano notabat vir in eloquentia princeps, Lactantium intel-  
ligo, qui Institut. lib. V. c. 1. minorem fuisse scriptorum Tertulliani  
famam ac laudem refert, quod plurimam obscuritatem prae se ferrent.  
Nequaquam tamen obstitit minus compta Tertullianae orationis facies,  
quin hoc illi vir ornatissimi ingenii Vincentius modo laudatus panxerit  
dogium: *Iam porro orationis suae laudes quis exequi valeat? Quae  
tanta nescio qua rationum necessitate conserta est, ut ad consensum  
sui, quos suadere non potuerit, impellat, cuius quot paene verba, tot  
sententiae sunt, quot sensus, tot victoriae.* Haud absimile fuerat Au-  
gustini iudicium libri de Haeresibus cap. 86.

Censuerunt olim nonnulli Tertullianum circa annum Domini CLX.  
floruisse, idque ex quibusdam ipsius in libri de Monogamia cap. 3.  
verbis sibi videbantur bene colligere. Verum cum in eo libro Montani  
pacita defendat, quem non nisi anno Domini CLXXI. novam discipli-  
nam promulgare coepisse notum est, toto coelo illos aberrare constat.  
Circa hunc quem designant annum quindecim aut viginti annos natum  
fuisse vixdum Tertullianum oportet, quem testatur sub Severo principe  
et Antonino Caracalla floruisse Hieronymus in Catalogo, id est ab anno  
Domini CXCH. quo imperare coepit Severus ad annum Domini CCXVL  
quo devixit Antoninus Caracalla.

Fama quidem erat, ut habet Hieronymus, vixisse Tertullianum  
usque ad decrepitam aetatem. Verum qui octuaginta propemodum an-  
nos attingit, is, ut norunt medicorum filii, ad decrepitam aetatem vixisse  
bene dicitur. Certe notum est, Hieronymum nonaginta circiter annos  
natum obiisse, quem ait Augustinus lib. I. adversus Iulianum in litte-  
ris sacris usque ad decrepitam vixisse aetatem. Imo ipse Hieronymus,  
cuius hic vocem expendimus, paulo ante obitum ad Augustinum scri-  
bens se pene decrepitum asseverat. Quinetiam ultimum Antonini an-  
num non fuisse Tertulliani fatalem annum, nec a vero abluere, ut  
sub Elagabalo post Macrini necem adhuc fuerit in vivis, infra probabimus.

Verum nulla ratione Georgii sententiam ferre possumus, qui Ter-  
tullianum etiam Cypriano superstitem coniicit, imo id se putat con-  
iicere quod Optatus Sabellium qui anno CCLVII. Eusebio teste emer-  
sit, a Tertulliano expugnatum fuisse referat. Apage tam insulsam con-  
iecturam, cuius in participationem Rigaltium eruditissimum virum vocare  
audet Georgius. Sabellium in Praxeae confutavit Tertullianus, quippe  
non novam haeresin, sed Praxeae haeresin exsuscitavit Sabellius: quod  
cum bonus vir non adverteret, ultra annum CCLVIII. Tertulliani vitam  
extendit.

Non ita obvium est tempus aut annum designare, quo ad fidem  
Christianam animum adiecit, eaque referre argumenta quibus, ut Chri-  
stianus fieret, videtur fuisse impulsus. Tertullianus ex ethnico se  
conversum esse ad Christi fidem testatur exerte cap. 18. Apologetici.  
Conversionis tempus et occasionem coniectura assequi se putant cum  
Pamelio nonnulli. Censet Pamelius ad Ecclesiam accessisse Tertullia-  
num occasione testimonii quod a quopiam falso numine religioni Chri-  
stianae fuerit datum. Verum a Pamelio torqueri Tertulliani locum Apo-  
logetici cap. 23. omnino manifestum est, ipseque audacior coniectu-  
ram exufflat Baronius ad annum CXCVII. §. 19.

Pamelio in ea quaestione longe infelicioꝝ Georgius Ambianensis. Ac ille quidem in Vindiciis Tertullianicis parte II. cap. 1. quaestione 1. varia laudabili sane diligentia conguessit, quae Tertullianum ad fidem potuerunt adducere; qualia sunt Christianae religionis sanctitas ac integritas nemini qui eam non ignoraverit exosa, ut profitetur Apologetici cap. 1. sacrae scripturae obvia et patens divina veritas, quam passim ibidem depraedicat cap. 18. et 20. ac denique mirum plane in daemones Christianorum quorumlibet imperium ac dominatio, quod demonstrationis plane ineluctabilis loco proponit Septimius Apologetici eiusdem cap. 23.

Haec tamen velut minime sufficerent visione aliqua vocatum Septimum arbitratur Georgius. Quidni, inquit, omnes de illo spondeant cum ipse de omnibus maior *paene vis hominum*, inquit de Anima cap. 47. *ex disionibus Deum discunt*. Haec prima Georgii ratio. Alteram his verbis subiicit: Credas Ulpianum, Suetonium, Tacitum aliosque inter gentiles, Iosephum, Philonem, Tryphonem aliosque inter Iudaeos, scientes ac prudentes viros, Christianam religionem ingenii humani tratina non expendisse, et aequae attento, ut Septimius animo, quid in illa esset, non discussisse? Illi tamen Christianis tanquam maleficiis adversabantur. Septimum igitur, inquit Georgius, aliquo speciali charismate reor praeventum, et inde in visiones, somnia, revelationes, etiam post fidem avide propensum.

Apage tam insulsam Georgii opinionem. Cum librum de Anima scriberet Tertullianus, Montani spiritu iam afflatus fuit, ut infra invicte demonstrabimus. Quam ob rem si quas visiones crepat, ad extaticos motus fuerint referendae. Quis autem pronuntiet, si sanus sit, Iudaeos ac ethnicos religionem Christianam eo non amplexos, illam aequae attento licet, ut Septimius, animo discuterent, quod his caruerint visionibus ac revelationibus, nec ex illis potuerint discere Deum, et contra Deum Tertulliano cognitum, quod illum ex hisce revelationibus Montanicis didicisset.

Ceterum omnino falsum est, quod pro vero sumit Georgius, seu Iudaeos seu ethnicos aequae attento, ut Septimius, animo quid in religione Christiana esset, discussisse, et tamen Christianis tanquam maleficis fuisse adversatos. Repugnat enim Tertullianus Apologetici cap. 1. *Testimonium ignorantiae est*, inquit, *quae iniquitatem dum excusat condemnat, cum omnes qui retro oderant, quia ignorabant quale sit quod oderant, simul desinunt ignorare, cessant et odisse: ex his fiunt Christiani, utique ex comperto, et incipiunt odisse quod fuerant, et profiteri quod oderant*. Sic cap. 18. de scriptura loquens, *Qui audierit, inveniet Deum, qui etiam studuerit intelligere, cogetur et credere*.

Atque equidem non aliis se ad religionis Christianae professionem adductus rationibus referunt ante Tertullianum Iustinus martyr suam conversionem narrans ad Dialogi cum Tryphone initium, Tatianus Syrus in oratione contra Graecos ultra medium suam itidem referens conversionem, Theophilus Antiochenus lib. I. ad Autolycum. Non alii commoti post Tertulliani aevum rationibus memorantur Gregorius Thaumaturgus a Gregorio Nysseno, Commodianus a Gennadio Massiliensi cap. 15. de Viris Illustr., Victorinus Rhetor ab Augustino Confess. lib.

**II. cap. 2.** Non alias exhibet Hilarius Pictaviensis suam ad Christianam fidem conversionem referens initio librorum suorum de Trinitate.

Sed iam ad tempus, quo Christo nomen dedit Septimius, designandum venio. Putabat Pamelius Tertullianum Christo nomen dedisse consulibus Tertullo et Clemente, qui est annus Domini CXCIV. At non feliciori coniectura. Hic error illi ex alio, in quem inciderat, factus est. Scilicet temere arbitratus tum librum de Pallio a Tertulliano statim a baptismo suscepto scriptum fuisse, tum per triplicem virtutem eius, dum imperatorum meminit, in eo libro mentionem iniicit Tertullianus, intelligi Severum, Nigrum et Albinum, cum tamen ex aliis clare colligatur, designari Severum, Antoninum et Getam, atque adeo hunc librum circa annum CCVIII. fuisse exaratum, quod ipse loco laudato optime probavit Baronius, et iam omnibus eruditis videtur receptum.

Dissolutis se, antequam ad fidem venisset, fuisse moribus memorat ipse Tertullianus: hinc enim spectaculis quorum tum solemnibus saevitia fuit ac impuritas, maxime addictum se antea refert de Spectaculis libri cap. 19. Illinc adulteriis semetipsum pollutum fuisse non obscure fatetur, indeque continentiae studio sese dedendi non minimum argumentum habere se ait de Resurrectione Carnis cap. 59. Quid quod suam in delictis praestantiam profitetur, se peccatorum omnium notarum, non nisi poenitentiae natum cap. 4. et 12. libri de Poenitentia clamat: quin in omnibus se reprehendendum agnoscit libro de Cultu Foeminarum.

Verum has maculas eluit, quam sibi praescrispsit, postquam semel in Ecclesiam admissus est vivendi ratio. Eiusmodi enim seculi erroribus, illius vitiis, voluptatibus, obscoenitatibusque ita renuntiavit, ut tandem ex laicorum ordine ad presbyteri gradum fuerit evehctus, vitae integritate, zelo ac pietate, ne quid de singulari eruditione in Christianae religionis mysteriis loquar, omnino suffragantibus.

## CAPUT II.

Quo de Tertulliani conjugio et illius in presbyterum Carthaginensis Ecclesiae electione disseritur.

Tertullianum coniugem fuisse clamant qui adhuc supersunt illius libri duo ad Uxorem. Num etiam presbyteratus ordine fuerit insignis videtur dubitandum. Certe unum quid ex illius operibus petendum adversus vulgatam de Tertulliani presbyteratu opinionem potest obijci. Scilicet libri de Exhortatione Castitatis cap. 7. haec habet omnino animadversione digna: *Sed dicis, ergo ceteris licet quos excipit. Vani erimus, si putaverimus, quod sacerdotibus non liceat, laicis licere. Nonne et laici sacerdotes sumus? Scriptum est: regnum quoque nos et sacerdotes Deo et Patri suo fecit. Cum enim hunc librum ad finem vitae iamdiu Montanista scripserit Tertullianus, ex tota sermonis idea, qua se laicis connumerat, nunquam presbyterum illum fuisse videtur necessario colligi.*

Verum propter hanc unam rationem nolim a communi sententia abduci. Primum enim quod agitat argumentum, ut ea ratione, licet

presbyter, loqueretur, flagitabat. Fuit illi consilium digamiam, quae apud Orthodoxos legitima fuit, conviciis proscindendi. Eam hoc argumento explodit, quod si quis digamus fiat, iam ineptus sit ad sacerdotale munus, cuius tamen laicus in necessitatis casu ius habet: *Differentiam, inquit, inter ordinem et plebem constituit Ecclesiae auctoritas, et honor per ordinis concessum sanctificatus: ideo ubi ecclesiastici ordinis non est concessus, et offers, et tinguis, et sacerdos es tibi solus.* Viden ut se a laicis, quibus semel antea, id nimirum voluit argumentum quod erat prae manibus, connumeraverat, discriminare curet; quod et in sequentibus observare est.

Atque equidem ea habet libri de Anima cap. 9., ex quibus illum extra laicorum gentem vixisse videtur posse concludi: *Est hodie, inquit, soror apud nos revelationum charismata sortita, quae in Ecclesia inter dominica solemnia per ecstasin spiritu potitur; conversatur cum angelis, aliquando etiam cum Domino, et videt et audit sacramenta, et quorundam corda dignoscit, et medicinas desiderantibus submittit. Iam vero prout scripturae leguntur, aut psalmi canuntur, aut adlocutiones proferuntur, aut petitiones deligantur, ita inde materiae visionibus subministrantur. Forte nescio quid de anima disserueramus, cum ea soror in spiritu esset. Post transacta solemnia dimissa plebe, quo usu solet nobis renunciare quae viderit (nam et diligentissime digeruntur, ut etiam probentur), Inter cetera, inquit, ostensa est mihi anima corporaliter, et spiritus videbatur, sed non inanis et vacuae qualitatis, immo quae etiam teneri repromitteret, tenera et lucida et aërei coloris, et forma per omnia humana. Hoc visio, et Deus testis et apostolus charismatum in Ecclesia futurorum idoneus sponsor; tu nec si res ipsa de singulis persuaserit, credas? Si enim corpus anima, sine dubio inter illa quae supra sumus professi. Quanquam enim, ut ex Clementis, Origenis et aliorum exemplis pateat, laicis saepe tum temporis concessum, ut ad plebem post scripturae sacrae lectionem verba facerent, tamen videtur Tertullianus se inter τοὺς προσητάς stetisse satis indicare, dum non modo se ad populum sermonem habuisse refert, sed post transacta solemnia et dimissam plebem ex usu fuisse docet, ut sibi ea renunciaret haec prophetissa, quae conscribi probanda postea et ad trutinam revocanda curabat.*

His accedit testimonium Hieronymi, qui clare Tertullianum presbyterum fuisse pronuntiat, cuius auctoritate moti Romanae communionis scriptores iam minime dubitant, quin inter sacrae gentis homines Tertullianus sit computandus.

Verum quia maximopere cautum volunt Pontificii, ne contra receptam apud suae communionis homines legem ac disciplinam, quem presbyterum fuisse colligunt ipsi, ex laudato libri de Anima cap. 9. et ex Hieronymi ac aliorum testimonio, eundem maritum fuisse in sacro ordine sui suspicentur, hinc Pamelius Tertullianum priusquam ad fidem venisset, iam quidem fuisse coniugem, at Severo et Victorino consulis, id est anno Domini CC., quo illum vult presbyterum ab Agrippino Carthaginis episcopo fuisse factum, a coniugii usu continuisse ex coniugis consensu, idque ex Latinae Ecclesiae legibus, quas tum ex fide nescio quot subiectorum monumentorum receptas fuisse pronuntiat.

Rem alia ratione componere studuit auctor nuperus, qui Pameli in aliquo vestigia premit. Nimirum arbitratus est Tertullianum, qui ante Christo datam fidem nupsisset, illico post baptismum duos ad Uxorem libros testamenti in modum scripsisse, nedum scilicet, ut opinari par est, de allectione in clerum sua aliquid divinantem. An id illi fuerit consilii, viderit; nos certe non iniuria eam homini mentem esse visi sumus colligere.

At enim utriusque conatus vani admodum remanent: quod, ni fallor, sensit Baronius, rem silentio tegere malens, quam remedio allato in vulnus insanabile oculos lectoris convertere.

Primum, quod asseritur Tertullianum nupsisse ante fidem susceptam, omnino id incertum est, nullaque probatione firmatur. Fateor viguisse tum Papias leges, quae, ut ait Tertullianus Apologet. cap. 4. a Severo imperatore rescissae sunt, quod ante liberos suscipi cogent, quam Iuliae matrimonium contrahi. Haud me latet etiam ipsum Tertullianum de Baptismo cap. 18. haec habere: *non minore de causa inuupti quoque procrastinandi, in quibus tentatio praeparata est tam virginibus per maturitatem, quam viduis per vocationem, donec aut nubant aut continentia corroborentur. Si qui pondus intelligent leptomagis magis timebant consecutionem quam dilatationem.*

Verum solemnem fuisse consuetudinem, an potius legem, non suadet ille Tertulliani locus. Tum non minima videtur in ea causa difficultas, sive Tertullianus ethnicae sive Christianae nupserit. Quid enim si ethnicam duxerit, quam ipse baptismi suscipiendi sociam et imitricem habuerit, cur tantam erga illam Dei benignitatem ne uno quidem verbulo, duos licet ad eam scripserit libros, commemorat? Quid si contra iam Christianam ipse adhuc ethnicus duxit, cur non eam, quam libro secundo a coniugio cum ethnico, si prior migraret, ineundo, ad periculum, quod Deo duce evaserat per mariti ad fidem Christi conversionem, maiori sedulitate vitandum dehortatur?

Certe qui Tertulliani hos libros legerit, facile sibi persuadebit Tertullianum, non diu antequam presbyter fieret, Christianam duxisse coniugem. Quin idem non aegre stuporem Pameli deridebit, cum hinc Tertullianum iamdiu presbyterum hos libros scripsisse pronuntiat, illinc vero suis praeiudiciis abreptus tam ineptum hoc argumentum libri I. ad Uxorem descripsit: *Tertullianus, inquit, iamdudum presbyter ad uxorem pari inter se consensu continentiae ergo a se separatam, humanae conditionis memor, si forte de seculo prior evocaretur, admonitionis hoc fideicommissum (fortassis Romae) conscripsit, quo ut post excessum suum nuptiis renuntiet, adhortatur.*

Age enim, si, cum ad presbyteri gradum euectus est Tertullianus, nuptiarum operi, iam solemniter ut nunc moris est voto, quodque nefas esset rescindi, ipse ac coniux renunciaverant, annon aërem ferit Tertullianus, qui integro libro I. suadet uxori, ut quanta posset continentia post illius excessum renuntiaret nuptiis? At id, si Pamelium audimus, iamdiu, cum maritus presbyter fieret, illa sponte ac voto emisso fecerat; quid igitur necesse fuit hoc demum consilii illi suggerere? Lepidus vero continentiae voto praemissae vindex, si Deo placet, fuit Tertullianus, qui libro altero ad secunda consilia respectu humanae

*infirmi- tatis*, ut ait ille cap. 1. conversus, ab ethnico matrimonio coniugem suam arcere cogitat, si post excessum viri illam nuptiis non renuntiare contingat. Bene est; si Pamelio credimus, possit quilibet, qui continentiam promittente idem uxore voverit, eam, quod fecit Tertullianus lib. I. cap. 7. ita alloqui: *Quare facultatem continentiae, quantum possumus, non diligamus? Quum primum obvenerit, imbibamus, ut quod in matrimonio non valemus, in viduitate sectemur. Amplectenda occasio est, quae ademit quod necessitas imperabat.* Verum pauci sunt, opinor, qui non alium longe Tertulliano in simili causa habendum fuisse sermonem, quique quantumlibet reluctantante Pamelio, virum vehementissimi ingenii, ad voti, si quod fuisset tum ab illa emissum, sanctitatem et auctoritatem commendandam, non alia verborum aut sententiarum pondera collecturum fuisse existimus.

Lapsus esse Pamelium qui, ut videtur, advertit nuperus auctor historiae Tertulliani, num sibi caverit magis, et suorum causae melius consuluerit; iam videamus. Hos ad Uxorem libros a Tertulliano statim post baptismum susceptum scriptos arbitratur. Quo argumento? An quod Tertulliani coniugem supponat florenti adhuc aetate, ac liberorum, quibus caruisse videtur, suscipiendorum causa novas nuptias cogitare post illius excessum potuisse? Hanc illi mentem affingere nulla, ut opinor, est iniuria.

Verum ne id admittamus, ipse Tertullianus pertinacissime vetat. Iam enim lib. I. cap. 1. tot usurpat quae ad senio- rem spectant qui testamenti tabulas ordinare aggreditur, ut iamdiu presbyterum scripsisse agnoscant Pamelius et Rigaltius vir acrioris longe iudicii. Pamelium audivimus supra: sic autem et Rigaltius in observationibus ad lib. I. ad Uxorem: *Tertullianus Ecclesiae Carthaginensis presbyter aetate iam ingravescente admonitus libros ad uxorem adhuc vividam duos quasi testamenti tabulas condidit.* Tum nemo est, qui licet in his libris longe mollius adversus secundas nuptias atque remissius agat Tertullianus, quam in ceteris scriptis quae Montanista factus edidit, plura tamen in illis occurrere non animadvertat, quae iam in Montani scholam ac disciplinam proclivem eius animum significant.

Eum usque ad medium aetatis presbyterum Ecclesiae permansisse ait Hieronymus in Catalogo, ad Montani dogma postea delapsus vixisse usque ad decrepitam aetatem: quid si annos septuaginta attigit, aut ad annum octuagesimum pervenit, quae videtur in multis decrepita aetas, tum sequitur circa annum CXCIX., quo consules fuerunt Anulinus et Fronto, Tertullianam Montanistam factam, atque adeo paulo antea libros ad Uxorem scripsisse videatur annos circiter quinquaginta aut sexaginta natus. Si coniecturas licet in re incerta promere, credam Tertullianum circa annum CXLV. aut CL. lucem vidisse, circa annum CLXXXV. ad fidem conversum, circa annum CLXXXVI. nupsisse coniugi Christianae, circa annum CXCII. ad presbyteri gradum ascendisse, circa annum CXCIX. ad Montani dogma delapsus, ac denique circa annum CCLXX. e vita migrasse.

Quicquid de his coniecturis statuatur, certum est non obstitisse coniugem quin presbyter fieret Tertullianus. Hi fuerunt scilicet tum recepti ab apostolicis usque temporibus mores, qui diu postea illibati



permanserunt: quod dum apud Pamelium incertum fuit, inscitiam an impudentiam maiorem in eo ostenderit, incertum est. Annon Gratianus Canonistarum, qui illum in eo secuti sunt, princeps haec habet Causa 36. quaest. 2. *Copula sacerdotalis nec legali nec evangelica vel apostolica auctoritate prohibetur?* Annon qui Petri Lombardi sententiarum librum commentariis ornarunt, scholastici theologi ad Distinct. 37. lib. 4. idem communi consensu statuunt, cum Thoma Aquinate 2. 2. quaest. 88. art. 11. *non esse essentialiter annexum debitum continentiae ordini sacro*, definientes, *sed ex statuto Ecclesiae*, Romanae scilicet? nam Graeci et qui a Romana Ecclesia plerique Christiani seorsim agunt alii, ut notum est, utuntur moribus.

Porro quod supra dixi, in Carthaginiensi civitate, non vero Romae, presbyterum fuisse, monere esse inutile, ni viris magnis posterius asserere contigisset, Sculteto, inquam, nostro in Medulla Patrum, et Philippo Labbeo in dissert. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Quid eos illuc impulerit divinare difficile. Putarunt forsitan quem invidia et contumeliis clericorum Romanae Ecclesiae ad Montani dogma fuisse delapsum ait Hieronymus, Ecclesiae Romanae clericum fuisse. Id certe Georgio Ambianensi placuit in Vindic. Tertull. Part. I. quaest. 7., ubi Septimum opinatur a fide Romae deprehensum et tandem moratum donec invidia et contumeliis clericorum Romanae Ecclesiae exagitatus solum vertere coactus sit, seque suae reddere Carthagini. Fucum illis etiam fecisse videntur absurda plerorumque praecipua, Tertulliani plurimos libros Romae scriptos esse non sine gravi hallucinatione arbitrantium.

Verum cum nihil a Tertulliano eorum quae extant operum Romae scriptum asserere possim, idque postea probabo; sic nihil necesse est ut in ordinem Romanae ecclesiae presbyterorum cooptatum fuisse Tertullianum ea ratione motus existimes. Tanta quippe fuerunt inter Carthaginem et Urbem tamque frequentia commercia, ut aequae illustris viri, ac fuit Tertullianus, ad Montani dogma propensio Romanae Ecclesiae illustriores aliquot viros diu latere non potuerit, cuius clerici cum illum commonere tentassent, vir impatiens et duri ingenii, monitis irritatus, quae ex invidia ac livore profecta censebat, magis ac magis eorum opera ad Montanismum praeceptus actus est.

Novi Baronium anno CCI. §. 7. arbitrari, Hieronymum humani aliquid passum esse cum Tertullianei lapsus causam explicat: quippe ipse Tertullianus se agnitione paracliti atque defensione disiunctum fuisse a psychicis testatur libri adversus Praxean cap. 1. Verum ea ratione quam secuti sumus longe melius hanc contrarietatem conciliasset Baronius, qua etiam stante quid demum iste Hieronymi locus, ut fingas Tertullianum Romae fuisse presbyterum, valere possit, non video.

Omnino possumus asserere, hinc veterum nullum affirmare Romani cleri hominem fuisse Tertullianum, non Eusebium Hist. lib. II. cap. 2., non Hieronymum in Catalogo cap. 53., non Augustinum de Haeresibus cap. 81. Illinc vero tum Optatum lib. I. adversus Parmen. eadem ratione dixisse Tertullianum Carthaginiensem, id est Ecclesiae Carthaginiensis presbyterum, qua Zephyrinum Urbicum, id est Romae episcopum et Victorinum Pictaviensem (legendum est Petavionensem)

dixit, tum Anonymum de Haeresibus, cui Praedestinati titulum addidit Sirmondus cap. 26. haec habere: *scripsit contra eos* (de Cataphrygibus loquitur) *librum S. Soter papa urbis et Apollonius Ephesiorum antistes; contra quos scripsit Tertullianus presbyter Carthaginensis*. Vides presbyterum non Romae, sed Carthagine fuisse: quod ob virorum doctorum auctoritatem annotasse iuvat.

Iam ad ea quae ante lapsum pro Ecclesia vel egit vel scripsit presbyter, veniendum est.

### CAPUT III.

Quo de Praxae in Urbem adventu agitur et Tertulliani contra Praxeanum quempiam haereticum Carthagine gesta referuntur.

Certant inter se viri eruditi super tempore quo Praxae ex Asia Romam veniens haeresin suam, quam postea Noëtus et Sabellius defenderunt, serere aggressus est. Sunt qui cum Eleutheri pontificatu Praxae adventum in urbem coniungant. Sic Blondelus noster post Pamelium et Bosquetum in Historia Gallic. Eccles. Sunt qui ultimis tantum huius seculi annis, id est circa annum CXCIV. sub Victoris pontificatu Praxean Romam venisse contendunt. Sic Baronius ad annum CXCVI. §. 17. et 18.

Miror in re facili in partes diversas itum fuisse. Utriusque idem suae sententiae fundus locus est Tertulliani adversus Praxean cap. 1. quem adeo hic opus est transcribere: *Iste primus* (Praxean intelligit) *ex Asia hoc genus perversitatis intulit Romae homo et alias inquietus, insuper de iactatione martyrii inflatus, ob solum et simplex et breve carceris taedium, quando etsi corpus suum tradidisset exurendum, nihil profecisset, dilectionem Dei non habens, cuius charismata quoque expugnavit. Nam idem tunc episcopum Romanum, agnoscentem iam prophetias Montani, Priscae, Maximillae, et ex ea agnitione pace ecclesiis Asiae et Phrygiae inferentem falsa de ipsis prophetis et ecclesiis eorum adseverando, et praecessorum eius auctoritates defendendo, coëgit et litteras pacis revocare iam emissas, et a proposito recipiendorum charismatum concessare. Ita duo negotia diaboli Praxae Romae procuravit, prophetiam expulit et haeresin intulit, paraclatum fugavit et patrem crucifixit. Fruticaverant avenae Praxeanae, hic quoque superseminatae, dormientibus multis in simplicitate doctrinae, traductae dehinc per quem Deus voluit, etiam evulsae videbantur. Denique caverat pristinum doctor de emendatione sua et manet chirographum apud psychicos, apud quos tunc gesta res est; exinde silentium. Et nos quidem postea agnitio paraclati atque defensio disiunxit a psychicis. Avenae vero illae utique tunc semen excusserant. Ita aliquando per hypocrisin subdola vivacitate latitavit et nunc denuo erupit. Sed et denuo eradicabitur, si voluerit Dominus, in isto comœatu etc.*

Hactenus Tertullianus, quem haec capita clare supponere haud, ut arbitror, temere dixero. Unum est, cum advenit Romam Praxae, tum plures fuisse in Asia et Phrygia ecclesias quae Montani et illius comitum falsam prophetiam fuerant amplexae. Alterum, eum qui tanquam episcopus Romanus in communionis signum cum his ecclesiis ineundae

litteras pacis ad has Asiae et Phrygiae ecclesias misisse. Tertium est, Praxean ita apud Romanum pontificem iam montanzantem egisse, ut hinc Montani et illius comitum prophetiam varie culpans, illinc praecessorum exemplum, qui de Montano aliter statuerant, episcopo Romano ingerens et eorum auctoritates, id est, ut conicio, scriptas episcoporum Romanorum adversus Montanistas epistolas defendens, coegerit litteras pacis revocare iam emissas.

In his quae Tertullianus suggerit, ac libere pronuntio, si quod horum capitum Eleutheri tempus commode designare potest, quod agnosco libens, singula tamen ad Victoris episcopatum longe melius referri.

Fateor, Eleuthero ecclesiam Romanam regente (obiit autem anno decimo Commodi imperatoris, id est anno Domini CXC.) iam ecclesias in Phrygia et Asia fuisse, quae Montani prophetias admitterent.

Fateor itidem, si adventum Praxae ad ultimos Eleutheri annos referas, non fore rem admodum improbabilem.

Verum id me unum ab hac opinione revocat, sat necessaria, ut videtur, consequentia: Etenim si ad Eleutherum referas, tum per praecessorum auctoritates, quas commemorasse et defendisse Praxas refertur, Tertullianus unius Soteris scripta designaverit, quem unum praecessores vocasse, ut absurdum est, ita Tertulliano id factum non debet adscribi.

Quid si dixeris praecessores intelligi a Tertulliano Soterem et Anicetum, tum res valde improbabilis statuenda sit, nimirum cum Montanus anno tantum CLXXI. disciplinam suam promulgasse coeperit, Anicetum tamen qui anno Domini CLXXII. exeunte aut saltem anno CLXXIII. ineunte devixit, de Montano et illius sociis pronuntiasse, et in eos tanquam in pseudopphetas fuisse invectum.

Res autem sponte fluit, si de Victore locutum esse Tertullianum dixeris. Hinc enim certum est Soterem, qui Aniceto successit, adversus Montanistas calumum strinxisse. Id expresse habet Anonymus sub Praedestinati nomine haeresi XXVI. Illuc vero minus absurde iudices Eleutherum, quippe qui Soterem immediate in successionis ordine exceperit, Soteri paria egisse et scripsisse adversus Montanistas.

Certe cum inter Victorem et Asiaticos lites multae satae fuerint, quae tandem in schisma evaserunt, cuius auctor fuit Victor, probabili admodum coniectura dicas montanzantibus Asiae ecclesiis in odium ceterarum a quibus dissentiebat ob quaestionem de die paschatis favisse aliquando Victorem, illisque suam communionem impartiturum, nisi demum Praxas illum obiecto Soteris et Eleutheri non obscuro super ea causa iudicio depictisque ad vivum his quae Montani placita sequebantur ecclesiis ab eo consilio revocasset.

At enim qui cum Baronio sentio per episcopum Romanum qui prophetias Montani iam agnoscebat Victorem designari, non possum quin illi in os contradicam, cum post memoratum Praxae in Urbem adventum anno CXCVI. §. 18. post descriptam illius haeresin §. 19. sub Zephyrino Victoris successore eundem Praxean Romae damnatum facti poenitentem recantasse palinodiam libellum suae poenitentiae conscripsisse, sicque diu latuisse, ac tandem latentem in stomacho haeresin iterum evomuisse asserit; haecque omnia loco supra laudato

Tertullianum fuisse prosecutum. Secutus videtur Pamelium qui, cum ait avulsas Praxeanas avenas per eum quem Deus vult, Zephyrinum designari putat.

Verum crassam Pamelii hallucinationem a Baronio emendari par fuerat. Quid enim annon ex Tertulliani loco sat manifestum est alibi quam Romae hanc Praxeanae haereseos impugnationem factam? *Fructificaverant avenae Praxeanae, hic quoque superseminatae?* Annon Africae metropolin, in qua presbyter erat, satis designavit? *Traductae dehinc per quem Deus voluit, etiam evulsae videbantur.* At quid hic de Romani pontificis opera? *Denique caverat pristinum doctor de emendatione sua, et manet chirographum apud psychicos, apud quos tunc gesta res est, exinde silentium.* Qui sibi non sponte eruit oculos, videt hic nihil de Praxea, sed de insano dogmate Praxae, quod ex Urbe in Africam transvectum fuerat. Quae igitur recantatio facta est, illam non in Urbe, sed apud Carthaginem factam esse docet Tertullianus. Qui avenas Praxeanas traduxit, ille non Romanensis quispiam, sed ipse, ut videtur, qui suum dissimulare nomen humilitatis studio voluit, Tertullianus.

Ex hoc autem quam leviter accipiant ansam suis omnia tribuendi Romanensium partium scriptores videas. Nihil Romae in Praxae causa actum memorat Tertullianus. Omnia tamen, si illis credas, Romae gesta sunt. Omnia Romae episcopi in haereseon debellatione ac expugnatione exegerunt. *Enituit tunc temporis, inquit Baronius ad annum CLXXIII. §. 4. quae de Sede Petri impollutae servanda viguit semper vigilans divina providentia: nam cum illi totis viribus nisi essent primariae Ecclesiae communicationem suffurari, quo sic ab universa catholica Ecclesia viderentur esse recepti atque probati, dum res apud Romanum pontificem ageretur, idemque de impartienda illis communicatione litteras dedisset, continuo revocavit, cum adveniens Praxaeas, catholicae religionis tunc homo, multa de illis quae hactenus praeterissent ipsum Romanum pontificem eidem significasset inculcassetque.*

Hoc est perpetuum causae suae studium, quod in Annalibus Baronii omnia, ubi Romano pontifici vindicandi principatus in ecclesiam occasio vel minima affulsit, conturbavit. Quid enim audio? Docet ipse Annalium parens ecclesiarum Asiae episcopos adversus Montanum et illius comites tanquam adversus pseudoprophetas insurrexisse. Id apud Eusebium lib. V. cap. 18. clare Apollinaris narrat. Docet Tertullianus Victoris praecessores, id est, Eleutherum ac Soterem, Montani, Priscae et Maximillae prophetias auctoritatibus suis, quod et a ceteris episcopis in Asia, ut memorat Apollinaris, factum est, explosisse. Veniunt Romam Montanistae sub Victore: suas prophetias apud Victorem ita probant, ut spreto Eleutheri et Soteris iudicio Cathaphrygas istos ad communionem suam admittat, et ad ecclesias montanizantes litteras pacis mittat. Non potuit, ut arbitror, errare solemnus Sedes Petri, quam nobis ab erroris contagio immunem praestare cupit Baronius.

Si Praxaeas Aniceti tempore venisset, tum ea docere potuisset, quae pontificem, re scilicet in lucis auras emergente, latebant, quaeque illi adeo fraudem facere poterant. Verum Baronium, quamquam id absurde ad annum CLXXXIII. referat, quod anno CXCVI. contigisse ipse refert

(Id est anno CXCIV.) non adeo fatuum fuisse arbitror, ut rem bis contigisse putet, duobus scilicet quos designat annis. Iam autem si res sub Victore contigit, qui factum, bone vir, ut causa, quae iam a duobus Victoris praecessoribus cognita fuerat, adhuc maneret incognita et contrarium Eleutheri et Soteris iudicium absque erroris insigni argumento a Victore ederetur? Id factum tamen docet Tertullianus. In errore non perseveratum a Victore dolet. Praxean carpit quod sic a Montanistarum societate et communione Victorem retraxisset, eumque in gratiam cum praecessoribus revocasset. Hoc ipso tempore Praxean pessimam haeresin Romae sub Victoris oculis serere molitur. Nil adversus Praxean haeresin a Victore gestum legimus: adversus illam non magis Zephyrinum Victoris successorem, quam Tertullianum insurrexisse docet Optatus (lib. II. c. Parm.): *Marcion, inquit, Praxean, Sabellius, Valentinus et ceteri temporibus suis a Victorino Pictaviensi (legendum Petavionensi) et Zephyrino Urbico et Tertulliano Carthaginiensi usque ad Cataphrygas, et ab aliis adsertoribus Ecclesiae catholicae superati sunt.* Praxean, ut videtur, de schola non homo haeresin istam in Africam infert; insurgit statim Tertullianus adhuc orthodoxus ad revocationem. Praxeanum haeticum impellit; apud Carthaginiensem Ecclesiam de emendatione sua cavet haeticus et chirographum tradit. Haec omnia aut pro nullis habet, atque adeo dissimulat Baronius, aut quia magna sunt, contra historiae fidem Romano episcopo satagit vindicare, quae tamen ad ecclesiam Carthaginiensem et ad Tertullianum imprimis merito fuerunt referenda.

## CAPUT IV.

Quo libri, quos Tertullianus adhuc orthodoxus edidit, enumerantur.

Nec vero privatim tantum adversus Praxeanum quendam haeticum, quantum illi esset dilecta ad quam eum Dei gratia perduxerat ex tenebris ethnicismi veritas Christi; aperuit Tertullianus, libris eruditissimis itidemque eloquentissimis Ecclesiae causam aut disciplinam ferventi zelo tutari aggressus est. De illis qui non extant iudicium ferre difficile, idque videtur supervacaneum, quamobrem in ea parte mihi temperabo.

De tribus qui extant ab eo, ut videtur, dum esset orthodoxus, editi, dicturus ordiar a libro cui de Baptismo titulum fecit. Huius scripto, cum cap. 15. de eodem argumento Graece prius se egisse testetur, occasionem dedit Quintilla quaedam, quae Caianam haeresin profitens viperæ instar venenatissimæ doctrina sua plerosque Carthagine rapuerat, *baptismum destruens*, ut loquitur Tertullianus. Eam ipsam putavit Pamelius esse Montani dogmatibus imbutam, quem illius errorem imitati sunt La Cerda et Georgius Ambianensis. Quare ad hunc librum olim respexisse vult Augustinum cum ait Tertullianum ad *Cataphrygas* transiisse, quos antea destruxerat, de Haeres. ad Quod-  
valdeant cap. 86.

Verum bis in eo a Pamelio peccatum est. Hinc enim nullus est qui Montanum aut illius consecraneas baptismum destruxisse referat. Testis est inculentus Tertullianus iam Montanista de *Pudicitia* cap. 19.

*Apud nos, inquit, ut ethnico par, imo et super ethnicum haereticus etiam per baptismum veritatis utroque homine purgatus admittitur. Illinc vero longe magis probabile est Augustinum oculos intendisse in librum Tertulliani de Poenitentia, quem ipse excisum volens retractat iam Montanista libri de Pudicitia cap. 1. Erit igitur, inquit, et hic adversus Psychicos titulus, adversus meae quoque sententiae retro penes illos societatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis obiectent. Quod sedulo annotare est operae pretium, ut ab insulsa Georgii Ambianensis querela liberetur Augustinus, quem de Tertulliano non suo sed vulgi sensu locutum existimat, dum Tertullianum ad Cataphrygas transiisse, quos antea destruxerat, pronunciavit.*

Porro licet ab orthodoxo scriptum de Baptismo librum existiment plerique, sunt tamen nonnulli quos illius caput quindecimum ita commovet, eo scilicet capite haereticorum baptismum exsufflat Tertullianus, ut non minimam ecclesiasticae in eo negotio traditioni plagam infixisse illum, et Agrippini concilio, quo luxatam volunt Ecclesiae in ea causa disciplinam, praevisse existiment et conquerantur. Ita Baronius ad annum Domini CCXVII. §§. 5. 6. 7., licet post varias querelas desultoria levitate tantoque viro indigna in incerto relinquat §. 8., an Tertullianus Agrippino praeiverit, an contra Agrippinus Tertulliano. Quid? quod hanc censent alii causam fuisse ob quam a clericis Ecclesiae Romanae, avitam consuetudinem a Tertulliano aegre convelli patientibus, fuerit durius exceptus, ac, ut loquitur Hieronymus, contumeliis oneratus.

Verum ut hi indulgent plus aequo suspicionibus, sic illi sunt adversus Tertullianum minus aequi. Nil enim in eo capite defendit Tertullianus quam quod ante illum, num id ab apostolis fluxerit necne, viderint alii traditionis tanti depraedicatores, solempni consensu fuerat receptum.

Fateor Eusebium, cum lib. VII. cap. 3. de controversia inter Stephanum Romanorum episcopum et Cyprianum Carthaginiensem mota loquitur, haec habere in Stephani gratiam: *Stephanus nihil novi aut alieni a traditione ex apostolorum temporibus derivata molendum arbitratus hac de re animo vehementer commotus fuit.* Verum ut ea adversus Eusebium non regeram quae affert Cyprianus in epistola ad Pompeium, ut Stephani decretum ad apostolicam auctoritatem minime posse referri comprobet, quis nescit, cum nullus Stephanus adversus Cyprianum in occiduis partibus aut in Oriente venerit suppetias, Cappadociae, Orientis, Aegypti, Asiae episcopos publice suum rebaptizandi haereticos morem pro apostolica traditione venditasse?

Quis porro nescit qua ratione tota haec in Synodo Arelatensi anni CCCXIV. composita fuerit controversia? Censebat Stephanus baptismum qualemcumque et a quibuscumque haereticis datum pro legitimo esse habendum. Censebat contra Cyprianus baptismum quemcumque et a quibusvis haereticis collatum esse pro nullo habendum. Sic super ea statuit quaestione synodus, quam plenariam passim dixit Augustinus, atque equidem nulli celebritate concedit: *De Afris quod propria lege utuntur ut rebaptizent, placuit ut, si ad Ecclesiam aliquis de haeresi venerit, interrogent eum symbolum, et si perviderint eum in Patre, in Filio, et Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum*

*imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc trinitatem, baptizetur. Annon id ita Eusebii et similia assertiones disiiicit, ut penitus evanescant?*

Haud mihi iam fidem adhibeat Baronius, sed viro quem summe venerari cogitur: is est Dominus Benedictus XII. in responsione ad Fraticellorum obiectiones contra Ioannis XXII. constitutiones, quam dum adhuc esset cardinalis edidit, et quam suo Eymericus Inquisitorum Directorio Parte II. quaest. 17. inseruit. Cum enim Fraticelli dicerent, quod in his, quae pertinent ad fidem et mores, determinatum semel per summum pontificem non potest per alium revocari (talem autem esse Nicolai IV. bullam de Christi et apostolorum paupertate pugnant), respondet Benedictus, *quod falsum est: nam Petrum, qui non ambulabat recte ad veritatem evangelii, reprehendit et correxit Paulus, ut patet ad Galat. 2., et tamen non erat illi par, sed inferior. Item Stephanus papa determinavit, quod nullus baptizatus per quoscumque haereticos veniens ad Ecclesiam catholicam rebaptizaretur. Sanctus autem Cyprianus cum multis episcopis in Africa celebrans concilium determinavit oppositum, videlicet quod baptizati a quibuscumque haereticis, si ad Ecclesiam catholicam veniant, sunt baptizandi: reprobans in hoc Stephanum papam, ut patet in Cypriani epistolis ad Iubaianum, ad Stephanum atque Pompeium. Concilium autem Nicaenum utramque opinionem S. Cypriani et Stephani papae correxit, determinando quod baptizati ab haereticis non servantibus formam Ecclesiae venientes ad Ecclesiam baptizentur, ab aliis vero haereticis baptizati non rebaptizentur, ut non sit contra articulum fidei: Et unum baptisma.*

Haec scripsit Benedictus iam cardinalis, qui paulo post ad pontificatum assumptus est, scilicet anno MCCCXXXIV. Illa ut recantasse nunquam legitur, tam probavit Eymericus, ut loco laudato adversus Fraticellos tanquam peremptoria argumenta retulerit. Quare omnino mirum est, quod tam impudenter in Benedictum invehatur Franciscus Pegna Directorii editor, nuperorum Romani pontificis adulatorum auctoritatem longe praeferens Benedicti XII. sententiae, quam per tantum tempus probarunt inquisitores et pontifices quotquot Directorio Inquisitorum usi sunt: quis autem illorum ineat numerum? Verum si quis quantum erravit Pegna, Stephani sententiam a posteris non revocata eo asserens, quod Romani pontificis definitiones circa fidem et mores a posteris revocari iam nefas arbitrentur Romanae curiae theologi, nosse cupit, consulat clariss. Romanae communionis theologum Ioannem Launoium epistolarum parte octava, epistola ad Iacobum Bevilacqua Parisiensem theologum et Senonensis ecclesiae decanum.

Eant igitur in vanum Baronio adversus Tertullianum invectivae, deque sprete ab illo traditione apostolica tam lugubres querelae. Eam traditionem non agnovit synodus quae, si quaequam alia, inter oecumenicas primo loco connumeranda fuit; et tamen, si Baronium audimus, hac lege Stephani nil magis erit apostolicum.

Certe, si tam parum solidis suspicionibus indulgere licet, longe sit iustus hunc librum de baptismo, cum iam ad Montani disciplinam inclinato esset animo Tertullianus, fuisse scriptum; tum quod illa, quae



De Montanistarum erroribus plurima quidem passim iactantur, ut et de sectae istius principum immanibus sceleribus, quae in unum satis diligenter conguessit Baronius ad annum CLXXIII. §. 24. et seq. Verum num omnia in Montanum et Montani discipulos quosvis competerent, dubitari merito potest. Id docet Pacianus Barcinonensis epistola prima ad Sympronianum, in qua Montanistarum plures describit sententias, his verbis: *Scriptis tuis, inquit Sympronianum alloquens, poenitentiam usquequaque damnantibus secundum Phrygas te assensisse pronuntias. Verum his ipsis, Domine clarissime, tam multiplex et diversus est error, ut non hoc unum in illis quod contra poenitentiam sapiunt, sed quasi quaedam capita Lernica caedenda sint. Et primum hi pluribus nituntur auctoribus; nam puto et Graecus Blastus ipsorum est. Theodotus quoque et Praxeas vestros aliquando docuere; ipsi illi Phryges nobiliores qui se animatos mentiuntur a Leucio, se institutos a Proculo gloriantur, Montanum et Maximillam et Priscillam secuti, quam multiplices controversias excitarunt, de paschali die, de paraclito, de apostolis, de prophetis, multaque alia, sicut et de catholico nomine, de venia poenitentiae. Omnino probabile est tum factum esse, quod saepius usu venit, ut quae a novatoribus proponuntur, singulis eorum discipulis, licet diversa sententibus, tribuerentur et contra quae a discipulis superaddita, eadem ad Montanum, ut auctorem sectae nefandae, referrentur.*

Mitto itidem quod illis perperam afflictum esse videtur horrendum impietatis genus a Cyrillo Hierosolymitano Catechesi XV. memoratum: scilicet Montanistas ait, ut mysteria peragerent, parvulos pueros iugulasse et in escam nefarium concidisse, atque hinc factum vult, ut a Christianis idem fieri consuevisse, Montanistis sibi Christianum nomen vindicantibus, suspicarentur gentes, et inde persecutionum ciendarum occasionem iustam nancisci se arbitrarentur.

Certe auctor anonymus, quem Hyginum perperam vocavit Hincmarus Remensis, at qui circa medium seculi quinti vixit, Haeresi XXVI. haec habet: *Hactenus de Cataphrygis; cetera quae dicuntur, quasi incerta praetereo, de infantis sanguine eos accipere. Quod ideo dicimus ne videamur ignorare omnia quae de eis dicuntur; hi enim qui contra eos scripserunt, nihil hinc penitus memorarunt.* Scriptores, qui rebus gestis sunt pares, non eos qui ab illo tempore sunt remotiores, qualis fuit Cyrillus, consulendos sapienter admodum monet. Consuluerat ipse addens: *Scriptis contra eos librum S. Soter papa Urbis et Apollonius Ephesiorum antistes: contra quos scripsit Tertullianus presbyter Carthaginensis, qui cum omnia bene et primo et incomparabiliter scripserit, in hoc solum se reprehensibilem fecit, quod Montanum defendit, agens contra Soterem supradictum Urbis papam, asserens falsa esse de sanguine infantis, trinitatem in unitate deitatis, poenitentiam lapsis, mysteriis eisdem, unum pascha nobiscum. Hoc solum discrepamus, inquit, quod secundas nuptias non recipimus et prophetiam Montani de futuro iudicio non recusamus.*

Periit quidem hoc Tertulliani adversus Soterem volumen, in quo, quam ab Ecclesia de poenitentiae remedio hauserat sententiam, adhuc retinebat, at quam postea retractavit libro de Pudicitia in peius profi-



ciens. At in iis qui supersunt libris non uno ille testatur loco Paracletum nil novi in doctrina seu regula fidei, sed in rebus disciplinae tantum attulisse: ita ille in libro de Monogamia cap. 2. et in libro de Ieiuniis cap. 1. Erit itaque magis utile, ex iis libris, quos Hieronymus a Tertulliano Montanista adversus Ecclesiam scriptos testatur, quid novi sibi defendendum sumserit colligere, ut de ceteris certius iudicium fiat, quam aut Epiphanius aut Hieronymi ceterorumve Haeresiologorum narrationes hic ingerere. *Specialiter*, inquit Hieronymus in Catalogo, *adversus Ecclesiam texuit volumina de Pudicitia, de Persecutione, de Ieiuniis, de Monogamia*. Ex iis libris illius errores sunt repetendi.

Ac libro quidem de Pudicitia pugnat eos qui post baptismum moechi comperti fuissent, licet a Deo veniam sperare possent, tamen ad poenitentiam ab Ecclesia non posse ita admitti, ut aliquando Ecclesiae illis pax redderetur ac communicio; quod tum Carthaginensi episcopo visum fuerat.

Libro de Fuga in Persecutione, nec in persecutione fugiendum, nec ab Ecclesia persecutionem esse pretio redimendam ex Montani disciplina pariter statuit.

Libro de Ieiuniis ex Montani doctrina adversus Catholicos invehitur, qui tum unam tantum diem, nimirum diem paschae, adiectis uno die parasceves et uno ante paschae diem sabbatho *pro solis legitimis diebus* habebant, id est, quibus ieiunii lege omnes obligarentur Christiani. A Catholicis aevo Tertulliani dicebatur, *eos dies, in quibus ablati sunt sponsus, esse dies ieiuniorum determinatos, ac de cetero differenter ieiunandum, ex arbitrio, non ex imperio novae disciplinae, pro temporibus et causis uniuscuiusque; sic et apostolos observasse, nullum aliud imponentes iugum certorum et in commune omnibus obeundorum ieiuniorum*. Haec Catholicorum sententia, qui, ut antea Tertullianus: *Arguunt nos, inquit, quod ieiunia propria custodiamus, quod stationes plerumque in vesperam producimus, quod etiam xerophagias observemus, siccantes cibum ab omni carne*, etc., haec ille cap. 1. suorum Montanistarum placita explicans. Iam enim non moror Peresii aut Turriani aberrationes, qui ex lepido plane praeiudicio in hoc de Ieiuniis volumine pro Ecclesiae disciplina adversus Montanistarum placita pugnassee Tertullianum volunt et Montanistas psychicorum nomine ab eo fuisse designatos.

Denique libro de Monogamia ita adversus secundas nuptias invehitur ex Montanistarum sententia, ut eas stupro affines esse definiat.

Haec potissimum fuisse videntur capita in quibus ab orthodoxis dissenserunt Montani asseclae, qui dum passim novam legem, quod facit Tertullianus, Paracletum Montani, illius disciplinam perfectiorem, revelationes ac charismata iactant, adversus Catholicos pugnarunt, tanquam adversus Psychicos, vere carnales et animales, sic eos titulando quod notavit Anonymus Sirmondi Haeresi XXVI.

Ceteros Tertulliani errores hic enumerare nihil attinet, quanquam nonnullos, ut quod de corporeitate animae illiusque sexu habet libro de Anima, ex revelationibus Montanistarum mulierularum profectos fuisse putet Baronius. Quippe vel ipsa librorum argumenta non retulisset, nisi ut ad illa tanquam ad lapidem Lydium cetera Tertulliani.

scripta afferens, eiusdem esse farinae comprobem, adeo ut, quod dixit Hieronymus in multis libris novae prophetiae Tertullianum meminisse, id sapientissime et post accuratum examen ab illo pronuntiatum esse pateat. Hoc ipsum est quod iam demonstrandum venit; ac primum de iis libris qui disciplinae severitatem ac morum sanctitatem spectare videntur.

#### CAPUT VI.

De iis libris, quibus Tertullianus iam Montanista disciplinam a contemptu vindicavit.

Eos inter libros primus scriptus esse videtur liber de Spectaculis, cui librum de Idololatria eodem tempore subiunxit. Certe in libro de Idololatria cap. 13. laudat librum de Spectaculis. Quo tempore uterque scriptus sit hic liber vix accurate potest definiari.

Arbitrabatur Pamelius scriptos Chilone et Libone consulibus, id est anno CCIV. idque tum occasione Pythici agonis Carthagine eo anno celebrati, tum occasione ludorum saecularium qui hoc eodem temporis articulo Romae apparabantur.

Non placuit Pamelii sententia Baronio, ut testatur ad annum CCVI. §. 4. Mahit scripta haec volumina Anulino et Frontone consulibus, id est anno CXCIX., sub hoc consulatu §. 36. referens quae habet Tertullianus de Spectaculis cap. 26. ad historiam pertinentia.

Verum cum Baronius ex antiquo praeiudicio, scilicet tum temporis Tertullianum Romae vixisse et Apologeticum ibi scripsisse putabat, in eam inciderit sententiam, id etiam illum aberrare necessum est. Quid? quod idipsum vel ex ipso de Spectaculis libro facile potest demonstrari. Hinc enim Romae Tertullianum tum non fuisse satis docet quam adhibet loquendi ratio cap. 7. *Quanta praeterea sacra, quanta sacrificia procedant* (de circensibus ludis loquitur) *intercedant, succedant, quot collegia, quot sacerdotia, quot officia moveantur, sciunt homines illius Urbis in qua daemoniorum conventus consedit. Huius Urbis, non illius dixisset, si tum scripsisset Romae, quam daemoniorum conventum infamem sic depraedicat, non expresso nomine. Sic cap. 11. Proinde tituli, Olympia Iovi quae sunt Romae Capitolina, etc. satis se non in Urbe scribere indigitat. Illinc vero quam iniicit praesidium cap. 30. mentio, quos persecutores Dominici nominis designat, eadem ratione qua eorumdem saevitiam in libello supplici ad Scapulam proconsulem Africae describit, hos de Spectaculis et de Idololatria libros in Africa, ubi notissimum praesidium nomen, editos fuisse manifestat.*

Certe ex libro ad Scapulam patet Vigellium Saturninum primum in Africa gladium strinxisse adversus Christianos. Herennium constat postea imitatum esse Saturnini crudelitatem, mortuo Timiano proconsule, ipso natali Getae Caesaris, qui celebratus est anno CCIII., ut ex actis Perpetuae et Felicitatis patet. Tum autem aut post aliquantum tempus datas esse plurimas spectaculorum vitandorum occasiones inuit aut discrete Tertullianus his verbis: *Odisse, inquit, debemus istos conventus et coetus ethnicorum, vel quod illic nomen Dei blasphematur, illic in nos quotidiani leones expostulantur, inde persecutiones decer-*

nuntur, inde tentationes emittuntur, Dicas Tertullianum ad acta Perpetuae aut ad similia martyrum cruciamenta respexisse.

Idipsum adhuc clarius colligas, si ad librum de Idololatria oculos convertas. Etenim non obscure alluisse Tertullianum iudices ad solemnitatem natalis Getae, in quo lucernae Carthagini accensae, non sine idololatriae periculo, ut notat cap. 15. *Ac nunc, inquit, lucent tabernae et ianuae nostrae: plures iam invenies ethnicorum fores sine lucernis et laureis, quam Christianorum.* Haec porro ad natalem Getae Caesaris alludere significat in sequentibus, ubi hanc solvens objectionem: *Reddenda sunt Caesaris quae sunt, Caesari,* addit: *Bene quod apposuit, Et quae sunt Dei, Deo, etc.* Sic cap. 23. haec habet: *Volunt scilicet tempus persecutionis, et locum tribunalis, et personam praesidis.* Quae non obscure Tertullianum illum de Idololatria librum eo scripsisse loco arguunt, quo praesides, praecipui tum magistratus, Ecclesiam persequebantur. Quis autem nescit praesides dictos fuisse magistratus qui varias Africae provincias administrabant, ut proconsulem, qui Africam proprie sic dictam et cuius Carthago fuit caput, obtinebat?

Porro utrumque librum a Tertulliano iam Montanista conscriptum fuisse, licet nihil admodum probet, tamen id mihi videor colligere ex iis quae habet libri de Spectaculis cap. 29. *Quae, inquit, maior voluptas, quam fastidium ipsius voluptutis? . . quod calcas Deos nationum, quod daemonia expellis, quod medicinas facis, quod revelationes petis, quod Deo vivis?*

Haud me latet in actis Perpetuae ab Holstenio nuper editis, Perpetuam induci huiusmodi revelationes in ultimi actus confinio petentem. Verum vel haec revelationum petitio mihi nonnullum facit scrupulum, ne ipsa Perpetua cum Tertulliano, qui eam alibi impense laudat, fecerit.

Quicquid sit, nolim enim de eo acriter cum quoquam contendere, cum libri I. de Cultu Foeminarum cap. 7. meminerit libri de Spectaculis prius a se editi, bene Pamelius assignare videtur horum de Cultu Foeminarum voluminum editionem anno eidem CCIV. ad finem scilicet vergenti. Nec enim audiendus est Georgius Ambianensis; qui veluti libros, quos grandi oneravit commentario, nequidem semel attente legisset, vult libros de Cultu Foeminarum Romae editos antequam libros de Spectaculis et de Idololatria scripsisset, quos inter ultimos scriptos arbitrat.

Hoc ipso tempore cum editos velit libros duos ad Uxorem Pamelius, me propemodum in assensum trahit, tum quod patet iisdem pugnasse argumentis Tertullianum in libro de Exhortatione Castitatis adversus monogamiam, quae iam Montanista adhibuit ad suam sententiam adversus Catholicos vindicandam, tum quod videtur passim iis in libris ad persecutionem tum ferventem alludere, tum denique quod id innuere videtur in veteribus libris mss. iamdiu servatus ordo. Scilicet non modo in iis codicibus, quos viderat Trithemius, libri II. ad Uxorem sequuntur librum de Habitu Mulierum et librum de Cultu Foeminarum, sed in ipso Agobardino codice, qui in bibliotheca regia servatur, idem videre est.

Quod si id incertum est post haec rationum momenta, at iam negari nequit, quin eiusdem pene argumenti liber cui titulum fecit de Virginibus Velandis, circa hoc tempus a Tertulliano scriptus sit. Dedit huic scripto occasionem virginum Carthaginiensium parum modesta consuetudo, quibus in ecclesiam venire aperto capite, ut maritum facilius quaerent, solemne fuit. Hunc morem acerrime insectatur Tertullianus. Iam autem Montanistam fuisse invicte probant quae habet huius libri cap. 1. de Paraceto: *Sic et iustitia, inquit: nam idem Deus iustitiae et creaturas primo fuit in rudimentis, natura Deum metuens, dehinc per legem et prophetas promovit in infantiam, dehinc per evangelium efferbuit in iuventutem, nunc per Paracletum componitur in maturitatem.* Mitto alia eiusdem commatis, quae rem, si adhuc esset in ambiguo, possent sola conficere. Ad aliud Tertulliani scriptum accedo.

Illud est de Exhortatione Castitatis liber, qui hoc ordine recensetur in indice Agobardini codicis: *De Cultu Foeminarum. De Cultu Foeminarum. Ad Uxorem it. Ad Uxorem. De Exhortatione castitatis.*

Haud me latet Pamelium velle hunc librum scriptum consulibus duobus Aspris, id est anno CCXII., quo tempore vult Tertulliano et Proclo a Zephyrino Romano episcopo anathema fuisse dictum. Verum, ne alia iam congeram, vel eo uno argumento invicte refelli potest Pamelii sententia, quod testetur cap. 12. huius libri Tertullianus adhuc viguisse legem quae ad liberos suscipiendos cogeret, quam legem in Apologetico testatur idem a Severo fuisse antiquatam; iam enim fingi nequit post mortem Severi hunc librum editum, qui eas supponat valuisse leges quae a Severo ante obitum abrogatae sunt et quas dein post illius obitum usu revixisse nulla ratione probatur.

Duo supersunt tractatus Tertulliani, quos ad disciplinae severitatem spectare nemo negaverit, de Corona Militis unus, de Pallio alter; de quibus quam inter se dissentiant viri eruditi vix satis mirari possumus.

Baronius et post illum Iacobus Capellus ac Scultetus, putant librum de Corona Militis Romae anno CXCIX. a Tertulliano editum. Verum longe melius Pamelius vult editum circa annum CCVIII., quod patet tum ex eo quod meminit in hoc libro cap. 6. libri de Spectaculis, quem circa annum CCIV. editum putat, tum ex eo, quod auctorem tum Montanistam maxime acrem fuisse nemo qui hunc librum viderit negare potest.

Quod autem putat Pamelius Romae fuisse scriptum, nescio qua ratione quove argumento id ivit sibi persuasum. Longe probabilius est Carthagine, ut ceteros Tertulliani libros, scriptum fuisse. Quid enim qui iam tum ab anno CC. presbyter fuit Carthaginiensis Ecclesiae ab Agrippino factus, ut censet Pamelius, Romam excurrisset propriamque deseruisset stationem, ut de Corona Militis librum Romae scriberet? Quod miles coronam respuit, id Carthagine omnino contigit, plaudente Montanistarum choro, forsitan non ita gratulante Catholicorum coetu, quod pacem hac ratione suam interturbari absque grandi necessitate cernerent.

Atque equidem eodem propemodum tempore de Pallio Tertullianum scripsisse Carthagine patet. Vapulat iam, nullo, quod sciam, propugnante, Pamelii sententia, eam licet secutus fuerit Scaliger, qui

in Animadversionibus ad Eusebium vult hunc libellum de Pallio Tertulliani operum fuisse primitias; scilicet Tertullianum, qui togatus erat, opus habuisse pallio priorem habitum mutare, ut eo profiteretur Christianum, propterea quod proprium Christianorum esset pallium, non minus quam Graecorum.

Optime Baronio probatum est ad annum CXCVII. §. 19. et seq. hoc opus a Tertulliano non nisi circa annum CCVIII. scriptum fuisse. Salmasius item noster Notis ad librum de Pallio lapsos in posteriori articulo Pamelium et Scaligerum invictis argumentis demonstravit.

Verum si tam erudito viro contradicere licet, vereor multum, ne dum firme probat pallium hac aetate non fuisse communem omnium Christianorum habitum, minori cum ratione asserat pallium tunc fuisse solorum presbyterorum proprium, ex quo putat tam primum in presbyterorum ordine adlectum fuisse Tertullianum, quando pallium philosophi adsumpsit, et hanc pro pallio declamationem scholastico stylo contexit.

Pallium quidem ab iis qui austerius vitae genus inter Christianos instituerent, quales fuerunt qui vulgo ἀσκηταὶ dicti sunt, unde tandem quarto ineunte seculo monachorum genus originem habuit, sumtum fuisse concedo. Ridendum enim se propinavit Georgius Ambianensis, qui librum de Pallio nil aliud vult quam monastici status defensionem. Verum aut Tertulliani aevo non alios quam presbyteros ex Christianis pallium induisse, aut eos qui ad presbyteri gradum erant evecti omnes pallium induisse, non video qui Salmasius potuerit pronuntiare. Pallium igitur sacerdotalem habitum tum διακονικῶς a Tertulliano cap. 4. huius libri cum Salmasio arbitrator, non quod vestis esset sacerdotum propria, sed quod, dum eam induisset Tertullianus iam presbyter, sacerdotalis habitus fuisset facta.

Atque equidem non video qui aliter a Salmasio ipso intelligi potuerit Hieronymi locus de Tertulliano asserentis eum *cum ad mediam usque aetatem presbyter Ecclesiae permansisset, invidia postea et contumeliis clericorum Romanorum ad Montani dogma delapsus*. Age enim si, ut putat Salmasius, de Pallio librum edidit Tertullianus cum iam Severus Augustus cum duobus filiis, Augustis et ipsis appellatis, placide imperaret, imo, ut ait, sub finem imperii Severi, aut cum iam diu imperasset, quod omnino annum CCVIII. connotat (obiit enim Severus anno Domini CXXI.), qui fieri potest, ut anno tantum CCVIII. presbyter factus sit, qui iam anno CCVII. in libris adversus Marcionem Catholicos gravi psychicorum convicio insectabatur, atque adeo iam in Montani dogma fuerat delapsus, cum prius usque ad mediam aetatem in Ecclesia presbyteri munere fungens permansisset?

Ut haec minime stare possunt, omnino dicendum tunc presbyterorum non propriam vestem fuisse pallium, quin eo vestis genere cum uti vellet Tertullianus iam diu presbyter, imo ex Ecclesiae presbytero Montanista factus, apud Afros rem ut novam ac peregrinam fuisse aestimatam, quam adeo hoc tractatu, novitatis invidiam amolians, defendere fuerit aggressus. In hanc rem motus est celebris admodum locus Coelestini I. papae in epistola ad episcopos provinciae Viennensis et Narbonensis. Cum enim quorundam presbyterorum, qui amicti pallio et

lumbos praecincti in Ecclesia ministrabant, mores carperet, haec habet: *Didicimus enim quosdam Domini sacerdotes superstizioso potius cultui inservire, quam mentis vel fidei puritati. Sed non mirum si contra ecclesiasticum morem faciunt qui in Ecclesia non creverunt, sed alio venientes itinere secum haec in Ecclesiam, quae in alia conversatione habuerunt, intulerunt. Amicti pallio et lumbis praecincti credunt se scripturae fidem non per spiritum, sed per litteram completuros. Tum paucis interiectis: Discernendi a plebe vel ceteris sumus doctrina, non veste, conversatione, non habitu, mentis puritate, non cultu.*

Fateor hoc ipso loco Coelestinum satis indicare nonnullos fuisse qui in remotioribus habitarent locis et procul a ceteris degerent, qui amicti palliis et lumbis praecincti morem potius quam rationem sequerentur, hunc cultum habentes. Verum id posteriori tempore factum esse agnovit noni saeculi scriptor Walafridus Strabus, qui de Rebus Ecclesiasticis libri cap. 24. haec habet: *Vestes etiam sacerdotales per incrementa ad eum qui nunc habetur auctae sunt ornatum. Nam primis temporibus communi indumento vestiti missas agebant, sicut et hactenus quidam Orientalium facere perhibentur. Stephanus autem XXIII. constituit, sacerdotes et levitas vestibus sacratis in usu quotidiano non uti, nisi in Ecclesia tantum. His paria habent Hugo Victorinus libro II. de Offic. Eccles. cap. 2. et Nicolaus Alemannius de Parietinis Lateran. cap. 9. Quid si communi veste in sacris usum presbyteri, quis credat illos, qua ratione dum ferretur persecutio-nis aestus, illico fuissent deprehensi, aliis quam communibus vestibus fuisse usos?*

## CAPUT VII.

De scriptis, quae Tertullianus itidem Montanista adversus varios haereticos edidit.

Qui communem Ecclesiae disciplinam aut ex Montani legibus affectatam in aliquot articulis severitatem huc usque defenderat, eodem impulsus zelo Christianae religionis praecipua capita a variis hostibus animose impetita tutari deinceps aggressus esse videtur.

Ac antea quidem, an adhuc orthodoxus incertum, Marcionis haeresim perniciosissimam totiusque exterminatricem fidei, aliquo breviori scripto iugulare delineaverat. Verum, cum nemo, ut queritur, librum nondum in lucem editum suffuratus esset, rem de novo maiori-que opere exequi molitus est, ut ipse testatur absolutissimi quod adversus Marcionem edidit operis libri I. cap. 1.

Consentiunt omnes editum hoc opus annum CCVII., qui idem est cum anno XV. Severi imperatoris, quo anno se animum ad haec haeresim revincendam advertisse refert lib. I. cap. 15. Quod enim Pamelius ait editum anno CCVIII., Baronius vero anno CCIX., non abeunt diversi, cum sub iisdem consulibus editum, atque eodem anno fateantur; idem illis sensus, licet eis supputandi ratio fuerit diversa.

Ab homine montanizante profectum hoc opus non credidit Pamelius, qui in annum CCX. Tertulliani ad Montanistarum dogma lapsam reiecit. Verum rem esse extra dubium agnoscit libenter Baronius, qui

iam anno CXCIX. Montanistam factum conicit. Nec id in dubium revocari potest ab eo qui libri I. cap. 28. et lib. III. cap. 24. et lib. IV. cap. 22. et lib. V. cap. 15. cum aliqua attentione legerit. Quid? quod lib. IV. cap. 22. de Catholicis loquens eos psychicorum cognomine designat, quod illis a Tertulliano Montanista appingi solitum notant Hieronymus in catalogo et quinti seculi Auctor quem sub Prae-destinati nomine vulgavit clariss. Sirmondus.

Eodem circiter anno argumentique vicinia illectum vult Baronius Tertullianum scripsisse librum de Carne Christi et librum de Resurrectione Carnis. Certe testatur Septimius cap. 2. libri de Resurrectione Carnis iam tum a se editum volumen de Carne Christi et opus adversus Marcionem. *Igitur, inquit, quantum ad haereticos, demonstravimus quo cuneo occurrendum sit a nobis, et occursum est iam suo quoque titulo. De Deo quidem unico, et Christo eius, adversus Marcionem: de Carne vero Domini, etiam adversus quatuor haereses.* Verum an eodem anno utrumque librum ediderit, ut non explicat, ita videtur incertum.

Quin, ut videtur, de Anima qui iam extat liber ab eo fuerat paulo antea editus. De Lucano enim quodam haeretico loquens, qui in Domino nec carnem nec animam, sed tertium quid resurrecturum arbitratur, ait: *Habet et ipse a nobis plenissimum de omni statu animae stylium, quam in primis immortalem tuentes solius carnis et defectionem agnoscimus, et refectionem cum maxime asserimus, etc.* Ita ille de Resurrectione Carnis cap. 2., sic et ea habet cap. 45. libri de Resurrectione Carnis, quae, antequam de resurrectione carnis ageret, probant commentarium de Anima a Tertulliano fuisse in lucem emissum. Atque equidem, cum in libro de Anima cap. 21. a se iam editam adversus Marcionem disputationem suam commemorat, non in aliud tempus huius libri conscriptio commodius reiici potest.

Notavit clariss. Rigaltius hunc de Anima librum passim in exemplari Agobardi inscribi *De Censu Animae*, quem titulum vult fuisse alterius operis de Anima, a Tertulliano adversus Hermogenem, animam ex materiae suggestu constare delirantem, scripti propriam inscriptionem, et in hodie extantem librum perperam translatum. Verum, num satis solida sit viri magni coniectura, est aliquis dubitandi locus, cum potissimum non multum diversa uterque titulus sonans utriusque operi a Tertulliano ipso potuerit adscribi.

Volebat olim Pamelius scripsisse Tertullianum adversus Indaeos librum, Saturnino et Gallo consulibus, id est anno CXCVIII. Melius longe visum est Baronio circa annum CCVIII. editum fuisse, idque bene colligit ex iis quae habentur huius libri cap. 7., quae scilicet ad ultimos Severi imperatoris annos non obscure referenda sunt.

Hoc ipso fere tempore contra Valentinianos scripsisse Tertullianum conicere est. Equidem tum Montanistam fuisse cum hunc scripsit librum, si quis non admitteret, facile ex iis revinci posset quae habentur huius libri cap. 5. de Proculo, an Proclo potius, quem Montanistarum coryphaeum sequi se velle Tertullianus ita pronuntiat, ut, quin eiusdem sectae fuerit homo, vix possit dubitare.

Praxeam deinde proprio volumine videtur aggressus, cuius errorem

circa Patris passionem item exagitat, ut non obscura indignationis suae in hominem, qui Montani scholam deseruerat, edat testimonia. Pamelius vult scriptum anno CCIX., a quo cur quis abeat, non adhuc video. Certum ex cap. 1. hunc librum non Romae, sed Carthagine scriptum, ut supra a me satis demonstratum est.

Quo tempore adversus Hermogenem librum qui iam extat scripserit, dicere non ita facile est. Certe tum Montanistam fuisse Tertullianum inde manifestum est, quod non obscure monogamiae defensorum agens multinubum Hermogenem culpat his verbis cap. 1.: *Praeterea pingit illicitae, nubis assidue, legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit, bis falsarius et cauterio et stylo, totus adulter et praedicationis et carnis, siquidem et nubentium contagio foetet, etc.*

Video clariss. Rigaltium dum Tertulliani opera diserneret, librum contra Hermogenem operi de Anima et iis quae supra iam memoravi, praefixisse. Verum facit ipsum libri contra Hermogenem exordium, ut arbitrer alio tempore scriptum, scilicet post librum de Praescriptione Haereticorum, quem post libros adversus Marcionem, id est annum CCVII. editum mox demonstrabo. *Solemus, inquit Tertullianus, haereticis compendii gratia de posteritate praescribere: in quantum enim veritatis regula prior, quae etiam futuras haereses praenuntiavit, intantum posteriores quaeque doctrinae haereses praedudicabuntur, etc.* Haec autem ad libri de Praescriptione Haereticorum primum caput ita spectant, ut illud Tertulliano tum ob oculos obversatum fuisse colligas.

Duo supersunt libri quos adversus Haereticos edidit. Unus est cui titulum fecit Scorpiacen. Hoc volumine Cainianos martyrii damnatores insectatur, quod nos docuit Hieronymus libri adversus Vigilantium cap. 3. Nec enim impios haereticos alicubi de nomine designaverat Tertullianus.

Eum hunc librum mente concepissem putat Baronius, cum libri de Corona Militis cap. 6. haec habet: *Sed de quaestionibus confessionum alibi docerimus.* Ita ille ad annum CCV. §. 19., cui libenter assentio. At erravit proculdubio, cum ad hunc annum, qui est CCIII. aerae vulgaris, Scorpiaceam scriptionem refert. Certe non obscure colligitur iamdiu coeptam persecutionem, cum haec habeat cap. 1.: *Et nunc praesentia rerum est medius ardor ipsa cunicula persecutionis ab ipso scilicet cynocephalo. Alios ignis, alios gladius, alios bestiae Christianos probaverunt. Alii fustibus interim et unguibus insuper degustata martyria in carcere esuriunt.* Imo fatetur ipse Baronius libros contra Marcionem anno CCVII. scriptos. Qui igitur Scorpiace, quae post libros contra Marcionem edita est, ut patet ex cap. 5., anno CCIII. iam scripta fuisse credatur? *Longum est, inquit, ut Deum meum bonum ostendam, quod iam a nobis didicerunt Marcionitae.* An potuit expressius se iam libros adversus Marcionem edidisse? Id vidit clariss. Rigaltius, qui Scorpiacen libris contra Marcionem subiunxit.

Alter, quo non unum quempiam haereticum, sed universos impugnavit Tertullianus, ille est qui de Praescriptione Haereticorum inscribitur; de quo libro huc usque dicere distuli, quia, cum multae sint



super eo commentario virorum eruditiorum sententiae, aliquid distinctius dicendum esse arbitror.

Putavit Capellus noster in Centuria II. scriptum anno CLXXXVII. Baronius vult scriptum anno CXCVII., qui est annus CXC. aerae vulgaris seu Dionysianae. Censet Pamelius scriptum anno CCII. Singuli ita computant, ut hic liber a Tertulliano, antequam ad Montani dogmata lapsus esset, fuerit scriptus.

Qui postremus hunc librum maximo molimine commentatus est Christianus Lupus, post libros adversus Marcionem, atque adeo annum CCVII. in lucem emissum quidem existimat. Verum idem a Tertulliano adhuc catholico exaratum esse ita diserte pronuntiat: *Quare libellum nobis dedit adhuc catholicus posteriorem libris contra Marcionem.*

Dies me deficiet, eorum si velim singula fundamenta evertere. Tria eos ut sic sentirent impulsisse videntur, quae tamen quam parum firma sint, iudicet lector.

Unum fuit ipsa huius operis excellentia miraue ad confutandos haereticos utilitas. Haec fere praecipua fuit excaecationis in Pamelio, dum de scriptis Tertulliani iudicium ferret, origo. Fecit singularis Tertulliani operum dignitas, ut qui ea legerent, eadem ab homine profecta, quem Ecclesiae hominem non fuisse ab Hieronymo dictum meminere dolerent, maxime, ac prout ea non libenter solemus credere quae maxime nolumus, non modo crederent aegre, sed plane negarent.

Aliud occurrit illis momentum, scilicet cum in libro de Praescriptione Haereticorum cap. 36. plura habeat ad auctoritatem Ecclesiarum apostolicarum in conservanda fide ac tradita ab apostolis doctrina vindicanda, Romanae inter alias non sine elogio illius fundatorum meminerit. Absurdum quid visum est illis, si ab homine schismatico hoc scriptum emissum fuisse supponerent: *Age, inquit Tertullianus cap. 36., qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae, percurrere Ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae apostolorum suis locis praesident, apud quas ipsae authenticae litterae eorum recitantur, sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscuiusque. Proxima est tibi Achaia. Habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus Dominicae passioni adaequatur, ubi Paulus Ioannis exitu coronatur, ubi apostolus Ioannes, posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque ecclesiis contesserit.* Si Christiano Lupo credimus, per Romanae Ecclesiae felicitatem doctor omnino intelligit eius supremum ac universalem primatum. Ita illa in commentario ad hoc caput pag. 505. ex isto primatu Romano episcopo id iuris ex Tertulliani etiam haeretici ac de pudicitia et adversus Praxeam scribentis sententia fuisse colligens, ut ecclesias reliquas per sua dogmatica definitionum decreta compelleret ab hoc aut illo dogmate concessare.

Tertium denique momentum fuit, quod, cum passim sub Tertulliani nomine editus haereticorum catalogus et Praescriptioni Haereticorum subiunctus haberetur, in quo Montanistae in haereticorum numerum recensiti sunt, Tertullianum in se ac suos ferrum suum convertisse videretur omnino improbabile.

Verum haec momenta non tanti sunt, ut viros eruditos debuerint commovere, et a veritatis, quae tantum non obvia est, agnitione remorari.

Ad methodum enim quod spectat, quam ad revincendos haereticos sequitur in libro de Praescriptione Haereticorum, eadem plane est quam adhibet compendiose libri I. adversus Marcionem cap. 1. et libri adversus Praxeam cap. 2., quos duos libros a Tertulliano iam Montanista scriptos esse constat. Posteriores locum adscribo, quo regulam fidei apud apostolicas Ecclesias ubivis terrarum receptam a Praxea violari pugnat, et eum vel sua novitate obteri docet. *Hanc fidem* (eandem autem formulam fidei retulerat quam refert libri de Praescriptione Haereticorum cap. 13.) *ab initio evangelii decucurrisset, etiam ante priores quosque haereticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa posteritas omnium haereticorum, quam ipsa novellitas Praxee hesterni. Quo peraeque adversus universas haereses iam hinc praedicatum sit, id esse verum, quodcumque primum, id esse adulterum, quodcumque posterius. Sed salva ista praescriptione, utique tamen propter instructionem et munitionem quorundam, dandus est etiam retractatibus locus.*

Nec id modo suadet Tertulliani in libro de Praescriptione Haereticorum methodus, verum ex Tertulliani ipsis verbis potest satis deprehendi. Cum enim certum sit Tertullianum de Praescriptione Haereticorum scripsisse, antequam librum de Carne Christi edidisset (eo enim volumine sic loquitur cap. 2. *Sed plenius huiusmodi praescriptionibus adversus omnes haereses alibi iam usi sumus*), non minus certum est de Praescriptione Haereticorum scripsisse Tertullianum postquam libros contra Marcionem edidit. Agnoscit id ipse Christianus Lupus loco supra a me relato idque non obscure ex ipso libri I. adversus Marcionem cap. 1. habes. *Sed alius, inquit, libellus hunc gradum sustinebit adversus haereticos etiam sine retractatu divinarum revincendos, quod hoc sint de praescriptione novitatis.* Vides iam Tertullianum hunc tractatum mente concepisse, ad quem ut iam editum alludens longe aliter loquitur de Carne Christi cap. 2. *Sed plenius, inquit, eiusmodi praescriptionibus adversus omnes haereses alibi iam usi sumus, post quas nunc ex abundanti retractamus* etc. Iam autem quae, cum de libris contra Marcionem agerem, supra attuli loca tam invicte probant Tertullianum tum Montanistam fuisse, ut Pamellii sententiam circa annum, quo in Montanistarum castra transiit Tertullianus, refingere coactus sit longe oculatior Baronius. Quare aliud egisse oportuit Christianum Lupum, qui id eos libros evolvendo non adverterit. Quid? quod non obscure *charismatum* iniecit mentionem Tertullianus huius de Praescriptione Haereticorum libri cap. 29., quam vocem Paracleti disciplinam explicans et placita Montani defendens non sine affectatione usurpat.

Certe quae Christianum Lupum post alios demulserunt Romanensis Ecclesiae elogia, non magis suadent tum temporis illius communionem fovisse Tertullianum, quam quae libri IV. contra Marcionem cap. 5. *Videamus quod hac a Paulo Corinthii hauserint, ad quam regulam Galatae sint recorrecti, quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesii, quid etiam Romani de proximo sonent, quibus evangelium et Petrus et Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt. Habemus et Ioannis alumnas ecclesias.* Nihil videt qui non omnia hic paria ac gemina videt. In utroque loco mens illi fuit argumento negante haeticos revincere, quae dogmata ab iis tanquam apostolica proponebantur, ea apud ecclesias quas apostoli fundaverant et ad mortem usque excoluerant penitus ignota fuisse demonstrando. Id autem quin recte facere potuerit quis non perspiciat, cum circa regulam fidei nulla esset inter Montanistas et Catholicos disputatio, ut ipse clamat Tertullianus de Ieiuniis cap. 1. *Hi Paracleto controversiam faciunt, propter hoc novae prophetiae recusantur, non quod alium Deum praedicent Montanus et Priscilla et Maximilla, nec quod Iesum Christum solvant, nec quod aliquam fidei aut spei regulam evertant, sed quod plane doceant saepius ieiunare quam nubere.* Id ut sedulo inculcaret Tertullianus non sine studio videtur toties regulam fidei exposuisse, qua salva semel permanente, ut notat ipse de Praescriptione Haetic. cap. 14., cetera quaerere et tractare non possit vitio verti.

Haud minus certum est catalogum haeticorum, qui Montanistas inter haeticos refert, perperam Praescriptioni Haeticorum Tertullianae fuisse annexum, cum hic catalogus alterius auctoris sit opus, non vero Tertulliani. Id non modo probat styli differentia insignis et quam illico sentias, si modo cum aliqua attentione legeris, verum etiam manuscriptorum codicum fides ac auctoritas. Certe in manuscripto Agobardi Lugdunensis archiepiscopi, qui habetur in bibliotheca regia, liber de Praescriptionibus ex iis constat quae capitibus 45. habentur, ad quorum calcem haec habentur verba: *Contra Haeticos Explicit.* Sequentia capita in eo non extant, ut nec extabant in manuscripto quo usus est B. Rhenanus ad primam editionem operum Tertulliani, nec extant adhuc in veteri et optima notae manuscripto Anglicano.

Fateor in aliquot manuscriptis extare hoc additamentum de haeresibus, verum vel ipse modus quo exhibetur in manuscriptis codicibus suppositionem arguit. Trithemio ut distinctum opus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis memoratur, et praepositur libro de Praescriptione Haeticorum, quem etiam ordinem servat MS. bibliothecae Vaticanae codex.

Accedit maximum pondus ex clausula quam habet ad finem cap. 45., qua se non haeticorum nomina aut haereses sic breviter descripturum, qua ratione factum in appendice de haeresibus, sed operibus integris quasdam impugnaturum significat: *Sed nunc quidem generaliter actum est a nobis adversus haereses omnes certis et iustis et necessariis praescriptionibus repellendas a collatione scripturarum: de reliquo, si Dei gratia annuerit, etiam specialiter quibusdam respondebimus. Haec in fide veritatis ci . . . . legentibus pax et gratia Domini nostri Iesu Christi in aeternum.*

Haec tanti momenti sunt ad hunc catalogum Tertulliano abiudicandum, ut qui prius Pamelium et Baronium hunc catalogum Tertulliano tribuentes sequebatur Rigaltius, Tertulliani non esse postea saepe pronuntiet, quem imitati sunt Georgius Ambianensis Vindic. Tertull. part. III., Christianus Lupus qui commentarium scribens in librum de Praescriptione Haereticorum hunc catalogum exulare iussit, variisque in scholio ad cap. 45. rationibus confixit, et adulterinum foetum ostendit; tum Natalis Alexander in Selectis Historiae Eccles. seculi primi cap. 9. art. 7.

Atque haec cum ita sint, nullus video, quin utilissimum licet volumen multaue lectione dignissimum a Tertulliano iam Montanista scriptum fuisse libere pronuntiemus, de vero auctore istius haereseon catalogi cap. ultimo huius dissertationis coniecturam nostram expositori.

### CAPUT VIII.

De Tertulliani scriptis, quibus adversus Ecclesiam ipsam invecus est.

Quae hactenus seu ad disciplinae tutelam seu ad haereticorum impugnationem a Tertulliano edita memoravimus, illa, ut a nobis ostensum est, Montanici spiritus non obscuras notas prae se ferunt; verum quatuor voluminibus de quibus in hoc capite sumus acturi, ita causam Montani agit et illius defendit placita, ut in ecclesiam plenis velis invehi videatur.

Notavit Hieronymus Tertullianum specialiter adversus Ecclesiam texnisse volumina, *de Pudicitia, de Persecutione, de Ieiuniis, de Monogamia, de Ecstasi libros sex, et septimum quem adversus Apollonium composuit.*

Extant tantum quatuor priora libris singulis absoluta. Nec enim putet aliquis plures de Monogamia libros a Tertulliano editos, quod innuere videtur Hieronymus Epistola 153. quae est ad Paulinum. Ibi minus accurate de Monogamia libros dixit, qui exactius loquitur in catalogo. Hoc ubi monui, tum quo tempore, tum qua occasione editi sint hi libri iam breviter dicam.

Vult Pamelius librum de Fuga in Persecutione ad Fabium, quem absque ulla ratione presbyterum Romanum putat, scriptum anno CCXI. cum certum sit hunc librum in Africa scriptum.

Vult idem anno CCXII. cum Proclo, quem illustrem reddidit disputatio adversus Gaium antiquum Ecclesiae theologum, Romae sub Zephyrino in Montanistarum causa habita Tertullianum fuisse anathemati subiectum.

Putat anno sequenti scripsisse Tertullianum de Monogamia.

Anno dein CCIV. censet scripsisse de Ieiuniis, et concilia varia in Graeciis adversus Montanistas habita memorasse:

Ac demum anno CCXV. adversus Zephyrini edictum de moechis ad poenitentiam admittendis librum de Pudicitia emisisse.

Pamelii sententiam aliquantulum interpolavit Baronius. Vult post disputationem, quae inter Gaium et Proclum anno CCXIII. Romae habita est, Tertulliano cum Proclo de Montanistis a Zephyrino Urbis episcopo anathema dictum, et conciliis per Graecias congregatis ceteros

Ecclesia episcopos in eandem cum Romano pontifice adversus Montanistas sententiam conspirasse, ut auctor est Tertullianus libro de Ieiuniis hoc anno, ut arbitratur, edito.

Anno sequenti, scilicet anno CCXIV., putat Tertullianum hoc anathemate velut oestro percitum adversus Ecclesiam furere coepisse, ac prius quidem librum de Monogamia edidisse, cui adversus Zephyrini de recipiendis moechis decretum librum de Pudicitia illico subiunxit.

Haec Baronius ex historia sic concinnata Romanorum episcoporum auctoritatem, quam spartam unice ornare in se susceperat, depraedicandi occasionem ita arripiens, ut iam Zephyrinum exhibeat ceteris ecclesiis leges dantem, suis decretis auctoritate apostolica circa disciplinam editis poenitentiae ordinem praescribentem, mox se Pontificis Maximi elogio in legum capite suarum extollentem supra reliquos episcopos, ne quid de ceteris somniis Baronii, quae larga manu in ea causa cumulat, aliud dicere aggrediar.

Nec Pamelio nec Baronio circa tempus, quo hi adversus Ecclesiam scripti sunt libri, suas coniecturas inviderem. Verum tria sunt quae in ea causa lectorem monitum velim.

Unum est, videri ipsum Tertullianum innuere se primis annis, quum ad Montani dogmata lapsus est, Paraleti Montanici dogmatum defensionem suscepisse. Locus habetur libri adversus Praxeam cap. 1., ubi postquam a se adversus Praxeanum haereticum gesta, dum esset orthodoxus, commemorat, addit: *Et nos quidem postea agnitio Paraleti atque defensio disjuncta a Psychicis.* Quid enim per defensionem hic nisi scriptis editis defensa a se Montani dogmata significare videtur? Hinc forsitan non incommode hos libros contra Ecclesiam, antequam adversus Praxeam scriberet, editos fuisse conicias. Equidem non improbabiler censeo Georgium librum de Fuga scriptum, cum persecutio a Severo indicta Carthaginem obsedisset et infractos animos ad fugam impulisset; quanquam errat Georgius cum Tertullianum arbitratur nondum segregem ab orthodoxis fuisse, quod tamen ex libro ipso satis potuit discere, imprimis ex capitis ultimi verbis. Nec aliud suadet martyr Rutilii in huius libri cap. 5. a Tertulliano iniecta mentio, quasi ante aliquod tempus illius martyrium contigisset. Etenim si persecutionis initio martyrium obiit, anno puta CCIII., quo iam plures passos ex Actis Perpetuae et Felicitatis discimus, potuit anno CCIV. exeunte aut anno CCV. illius exemplum in rem suam adducere Tertullianus.

Alterum est, si ea scripta adversus Ecclesiam edita Romanum quempiam episcopum impugnasse velis, Sotere longe potius quam Zephyrinum fuisse a Baronio et Pamelio intelligendum; quippe Praedestinatus Haeresi XXVI. haec habet: *Scriptis contra eos (Cataphrygas) librum S. Soter papa Urbis, et Apollonius Ephesiorum antistes, contra quos scripsit Tertullianus presbyter Carthaginensis, qui, cum omnia bene et primo et incomparabiliter scripserit, in hoc solum se reprehensibilem fecit, quod Montanum defendit, agens contra Sotere supra dictum Urbis papam.* Paria habet idem Auctor de Tertullianistis agens, licet in eo lapsus sit, quod Tertullianistas a Sotere damnatos dixerit, qui Tertullianum in errorem a Sotere longe antea damnatum incidisse dixisset melius maiorique cum ratione.

Tertium est, cum non admodum ex his scriptis possit colligi quo anno praecise edita sint, videri omnino futilibus nescio queis abductos praepiudiciis Pameliū ac Baronium, ut haec scripta in eum ordinem digerent.

Gaium sub Zephyrino circa annum CXXI. aut CXXIII. adversus Proclum Montanistarum coryphaeum disputasse recipio. Id clare post Eusebium Hieronymus.

Zephyrinum tum damnasse Proclum et Tertullianum et ceteros Montanistas credam, cum laudabunt Pamelius et Baronius alique auctorem fide dignum, qui illud referat.

Concilia in Graecia habita esse, quo tempore scripsit de Ieiuniis Tertullianus, concedo libens, cum id Tertullianus referat. Haec concilia Zephyrini sententiam comprobatura convenisse, quod somniat Baronius, ut non lego apud veterum quempiam, sic admittere non possum. Quin non tantum anathema dictum Tertulliano negat Georgius a Zephyrino, verum etiam paracleticorum potius quam catholicorum concilia a Tertulliano memorata maxima cum probabilitate adversus Baronium defendit. Quidquid sit, hic ob oculos suam ipsius regulam habere decuit Baronium: *Quod a recentiore auctore de rebus adeo antiquis sine alicuius vetustioris auctoritate profertur, contemnitur.*

Hanc ipsam regulam sequor, quum contemnere me profiteor quod addit Baronius, edictum de moechis deinceps ad poenitentiam admittendis a Zephyrini auctoritate fuisse profectum. Quis id veterum habet, seu Graecorum, seu Latinorum? An eorum, qui vitas Romanorum pontificum descripserunt, auctorum vel unus hoc facinus ante superius seculum Zephyrino vindicavit?

En testem omni exceptione maiorem dō Tertullianum ipsum, inquit Baronius; scilicet haec habet de Pudicitia cap. 1. *Audio etiam dictum esse propositum, et quidem peremptorium. Pontifex scilicet maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit: Ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto. O edictum, cui adscribi non poterit, bonum factum. Annon vides edictum, quod regium quid sonat? Annon vides a Romano episcopo profectum, quippe pontifex maximus iam communiter audit, et episcopus episcoporum? Annon denique de moechis ad poenitentiam admittendis legem fert quam postea servavit Ecclesia?*

Siccine Romanae causae patronos etiam inter sarcasmata ac conititia, queis Tertullianus huius decreti auctorem excipit, elogia et titulos suo Romano pontifici quaerere. Et tamen qui rem apud Baronium legit, ita fucatam et incrustatam cernit, ut verum a falso vix discernere, imo verum inter falsum vix possit internoscere, quod nostrorum nonnullos, in hanc absurdam sententiam, quasi haec causa Romae iudicata fuisset, Capellum, Scultetum et alios impulit.

Verum nihil tam absurdum, nihil tam a vero alienum, quam quod a Baronio in ea causa ex Tertulliani loco colligitur, aut ab eodem inverecunde supponitur. Ridet Tertullianus, idque salse more suo, a veteri rigore recedentem episcopi, de quo loquitur adversus moechos et fornicatores, indulgentiam. Ridet unius consilium, adversus quosdam in ea causa dissentientes, et pristinam legum antea receptorum

vim valere iubentes, lenitatem et relaxationem praeferentis. At Baronius omnia serio dicta putat, verbula ad trutinam ita exacturus, ut suum pontificem exinde ornet atque expoliat. O factum, cui adscribi possit, lepidum factum atque facetum.

Agamus serio, ut res postulat. Nego de Romano pontifice ac illius aliqua lege Tertullianum fuisse locutum. Nego talem fuisse a Zephyrino legem latam, quae, si lata fuisset, nullius plane fuisset auctoritatis extra Romani episcopi dioecesin, quae tum valde arctis admodum finibus continebatur.

Vidit id aliquo modo nuperus historiae Tertulliani auctor, qui aut Romanum episcopum aut alium quempiam episcopum a Tertulliano impugnari fatetur. Omnes agnituros spero Baronii errorem, si meam super eo argumento coniecturam aperuero. Arbitror Tertullianum adversus Carthaginiensis episcopi sententiam de moechis recipiendis, quam quidam Africae episcopi tum culparunt, insurrexisse. In Africa quaestionem natam arbitror, non Romae, quod mihi ex Cypriani scriptis colligitur, qui res circa hanc quaestionem gestas, propemodum Tertulliano aequalis, ignorare non potuit. Testis est, cui in eo negotio quod magis quam Baronio aut Pamelio fidimus mirabitur nullus. Is autem in Epistola 52. quae est ad Antonianum, haec habet quae in eo negotio maximi videntur momenti: *Et quidem apud antecessores nostros quidam de episcopis istis in provincia nostra dandam pacem moechis non putaverunt, et in totum poenitentiae locum contra adulteria clausurunt, non tamen a coepiscoporum suorum collegio recesserunt, aut, etc.*

Ex his patet controversiam fuisse in Africa agitatam. Patet etiam in Africa in quosdam episcopos ceterorum placitis in ea causa non acquievisse, atque eundem etiam diu post Cypriani martyrium Hispaniarum episcopi in concilio Eliberitano eorum rigorem imitabantur adversus moechos. Quod si Romanum pontificem pro legislatore agnovissent, illius semel edicto peremptorio promulgato minime contigisset. Patet Tertullianum rigidioribus in ea quaestione venisse suppeditas. Denique, si epistolam ad Antonianum integram cum aliqua attentione legas, inficiali coniectura patebit, clarissime nil in ea causa memorabile a Romano episcopo tum gestum; quod si gestum fuisse novisset Cyprianus, inprimis, contra quam ab illo factum est, debuisset commemorari, ut Stephani rigorem schisma molientis carperet et traduceret.

Omnino igitur Tertullianus Carthaginiensis episcopum et illius legem culpat, ab aliquot collegis dissensum illi-exprobrans. Quod autem illum *pontificem maximum* vocat, eadem id ratione facit, qua adversus Valentinianos cap 37. sic loquitur eorum naenias exagitans: *Accipe alia ingenia Currucae Enniani, insignioris apud eos magistri, qui et pontificali sua auctoritate in hunc modum censuit: Est, inquit, ante omnia Proarche, etc.*

Certe in quaestione de haereticis baptizandis, quae Africae episcopos, ut factum erat Tertullini aevo, inter se collidere poterat, Tertullianum scomma a capite suo avertere non obscure mihi videtur conatus Cyprianus, vir in Tertulliani scriptis versatus admodum, ut qui hominis quotidie tractaret volumina. Quid enim aliud prae se ferunt

haec Cypriani verba in concilio Carthaginensi: *Superest ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus, proferamus, neminem iudicantes, aut a iure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum episcopum se esse episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit; quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis et potestatis suae arbitrium proprium, tamque iudicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum iudicare.*

Non me latet, haec Cypriani verba a viris eruditis aliorum communiter trahi, sed a me moniti rem expendant velim, ac forsitan illis sententia immutabitur.

Quicquid sit, Tertullianus si egit adversus pontificis Romani sententiam, Soteris puta, non magis illum pro communi Christianorum legislatore ac rege Ecclesiae agnovit, quam Apollonium Ephesi episcopum, a quorum communione aequae sibi, legibus ac placitis eorum contemptis, recedendum esse arbitratus est.

Porro quanquam ab Ecclesia per schisma recessisset Tertullianus, eam tamen suis scriptis adversus persecutionem ab ethnicis procuratam defendit, ac egregie consolatus est. Solent nimirum inter se dissentientes nautas maris aestus et minantes naufragium procellae ad pacis studia revocare. Lubet id sequenti capite accurate elucidare.

## CAPUT IX.

De Tertulliani scriptis apologeticis et ad martyrium exhortationibus.

Sentiant communiter viri docti Apologeticum a Tertulliano Romae scriptum fuisse, et senatum ab eo designari cum *Romani imperii antistites in ipso fere vertice civitatis praesidentes ad iudicandum statim ab huius libri initio alloquitur*. Natalem huic scriptioni annum assignant aut CXCIII., quod fecit Georgius Ambianensis, aut annum CXCVI., quod fecit Capellus noster, aut annum CXCIX., quod fecit Pamelius et post eum Baronius et alii. Scilicet hoc tempore Severo cum Parthis bellum gerente plebem Romanam in Christianos mire saevisse fertur variisque suppliciiis esse debacchatam.

Non ab iis multum recessit clariss. Salmasius noster notis in *librum de Pallio pag. 62. Apologeticum, inquit, Tertullianus idem pro Christianis adversus gentes scripsit, quo tempore Severus Pescenniani belli reliquias persequabatur et expeditionem in Parthos parabat qui Pescennii partibus faverant, cum nondum Albinum debellasset, imo bellum adversus eum necdum suscepisset, quod ex Apologetico ipsius clare colligi potest, et nos ad Apologeticum pluribus adstruemus*. Girius in praefatione ad Apologetici versionem Gallicam, anno MDCXLII. in luce emissam, non anno CXCIX. sed anno CCIV. occasione quintae persecutionis Romae editum Apologeticum censet.

Haec vulgo statuunt, nisi quod Pamelius Apologeticum non Romae, sed Carthagini scriptum fuisse ac inde Romanum fuisse transmissum, sedandae persecutionis causa, existimat.

Verum rem totam accuratius expendens aliter omnino statuendum esse arbitror, quod eruditorum virorum pace dixerim. Igitur cum Pa-



melio censeo Apologeticum Romae non scriptum, sed in Africa. Censeo item non ad senatum Romanum, sed ad varios Africae praesides directum fuisse; nec ante Severi obitum scriptum fuisse arbitror, qui anno CCXI. contigit. Denique, si quid coniecturae dandum, scriptum fuisse circa annum CCXVII. eo tempore, quo libellum supplicem ad Scapulam Africae proconsulem misit. Haec forsitan levioris momenti videantur; verum plura in annalibus ecclesiasticis refigenda sint, ea potissimum quae habet ex Tertulliani Apologetici cap. 16. de pictura a nebulone quodam Iudaeo in Deum Christianorum exposita Romae, et ceteris quae Christianorum res spectant, sane non pauca, si Apologeticum alio loco alioque tempore exaratum firmiter comprobatur sit. Singula autem capita ut firme probem, communis sententiae patronorum facit singularis auctoritas. Id praestabo quam brevissime.

Igitur non Romae scriptum fuisse Apologeticum, haec non modo suadent, sed etiam probant. Primo quidem, quod eos alloquitur qui non in Urbe, sed in ipso vere *civitatis* vertice praesidentes iudicabant. Notum omnibus, Romam *Urbem*, non *civitatem* dictam. Ipse ita loquitur Tertullianus Romam designans cap. 6. *Liberum patrem cum mysteriis suis consules senatus auctoritate non modo Urbe, sed universa Italia eliminauerunt.* Eodem modo bis loquitur cap. 25. et passim in aliis eius operibus ubi *urbem* a *civitate* ita distinguit, ut Romam primo vocabulo, cum solum est, designatum usque eat, *civitatis* nomini alium longe sensum tribuere constanter videatur. Secundo clare docet extra Romam se scribere cum cap. 21. hac apostrophe utitur: *ut Graecis occurram, Orpheus Pieriae, Musaeus Athenis, Melampus Argis, Trophonius Boeotiae initiationibus homines obligaverunt. Ut ad vos quoque, dominatores gentium, aspiciam, homo fuit Pompilius Numa, qui Romanos operosissimis superstitionibus oneravit.* Sic cap. 35. eos arguens, qui Christianos nolebant Romanos haberi, sed hostes principum Romanorum: *Ipsos Quirites, ait, ipsam vernaculam septem collium plebem convenio, an alicui Caesari suo parcat illa lingua Romana,* etc. Idem omnino colligetur ab eo, qui cap. 9. Apologetici et cap. 24. cum aliqua attentione legerit.

Non Romae, sed apud Carthaginem scriptum Apologeticum, clare docet ipse Tertullianus cap. 9. Postquam enim de patria sua, quam ut proconsulis sedem designat (notum est autem apud Carthaginem proconsulem Africae sedisse), haec habet: *Remitto Tauricas fabulas theatris suis. Ecce in illa religiosissima urbe Aeneadarum piorum est Iupiter quidem, quem ludis suis proluunt humano sanguine. Tum pluribus exemplis eiusmodi caedium explicatis addit: Longius excurro. Hodie istic Bellonae sacrosatos sanguis de femore proscisso in palmulam exceptus esui datus signat.* Viden, ut post lustrata aliarum urbium facinora in patriam sceleris horrendi eadem exempla quaesiturus redit? Sic quod non alium designat magistratum quem timere debeant Christiani quam proconsulem, annon clare innuit in Africa scripsisse Tertullianum? Iam autem cap. 45. haec habet: *Enimvero nos qui sub Deo omnium. speculatore dispungimur, quique aeternam ab eo poenam providemus, merito soli innocentiae occurrimus . . . . cum timentes quem timere debet et ipse qui timentes iudicat, Deum non pro-*

*consulem timentes.* Minoris momenti argumenta mitto. Notum est enim Romae non proconsulem, sed praefectum, apud Carthaginem contra proconsulem fuisse magistratum qui timorem debuit incutere.

Iam non ad senatum, sed ad Africae provinciarum varios praesides, Legionensis puta, Numidiae, Mauritaniae utriusque, missum Apogeticum vel hinc arguere est. Primo quidem, quod nulla in hoc libro senatus mentio. Tum quod proconsulem ut praecipuum magistratum, et cui adversus Christianos saeviendo placere laborarent ipsi praesides, proponit loco mox laudato. Denique quod iudices quos alloquitur constanter praesidum nomine designat. Sic cap. 2. *O quanta illius praesidis gloria: tum hoc imperium cuius ministri estis.* Sic capp. 9. 30. et 50. De nomine autem et officio praesidum videatur Digesti lib. I. tit. XVII., qui si comparetur cum Tertulliani variis locis in libro ad Scapulam de Africae praesidibus, illico patebit, quod, cum ipsi in minoribus locis praesiderent, proconsule Carthagine sedem suam habente, eos in ipso fere civitatis, id est Carthaginis, vertice praesidentes iudicasse dixerit eleganter Tertullianus.

Dixi tertio non ante Severi obitum, qui annum CCXI. contigit, scriptum esse Apogeticum. Mitto iam quod Apogetici cap. 47. ad opus Praescriptionis Haereticorum, quod post annum CCVII. editum esse supra comprobavi, alludere videatur. Quid enim aliud haec verba sonant adversus haereticos emissa: *Expedite autem praescribimus adulteris nostris, illam esse regulam veritatis, quae veniet a Christo transmissa per comites ipsius, quibus aliquanto posteriores diversi isti commentatores probabuntur.*

At id praeterire non possum, quod, si recte a Pamelio observatum est, alicuius videtur momenti, Tertullianum Apogetici cap. 20. ad eclipsin, quae Uticae visa est, alludere videri, quod distinctius explicat in libro ad Scapulam, quem eodem tempore vult Pamelius a Tertulliano editum. Iam autem contra quam putavit Pamelius haec eclipsin anno CCX. contigit. Id ex rationibus astrologicis docuit Lallouera inter annotationes Holstenii ad Martyrum SS. Perpetuae et Felicitatis a cardinali Barberino laudatus. Nec modo ad ea quae anno CCX. gesta sunt alludit Tertullianus. Sed cap. 4. Apogetici Severum ut iam fato functum designare videtur. *Nonne, inquit, vanissimas Papias leges, quae ante liberos suscipi cogunt quam Iuliae matrimonium contrahi, post tantae auctoritatis senectutem heri Severus constantissimus principum exclusit?* An sic eum tantum constantissimum dixisset, si de illo adhuc vivo et imperante fuisset locutus? Locus est cap. 5., ex quo idem facile possit colligi: *Quales, ait, ergo leges istae quas adversus nos soli exequuntur impii, iniusti, turpes, truces, vani, dementes, quas Traianus ex parte frustratus est vetando inquiri Christianos, quas nullus Hadrianus, quanquam curiositatum omnium explorator, nullus Vespasianus, quanquam Iudaeorum debellator, nullus Pius, nullus Severus impressit?* Verum cum in editione Rigaltii legatur *nullus Verus* (quam lectionem meliorem esse arbitror), ab hoc loco urgendo, licet sic legat Pamelius, abstinere malim.

Porro haec sunt momenta, cur paulo ante annum CCXVII. Apogeticum a Tertulliano exaratum fuisse existimem. Primum enim id

mihî videor colligere ex iis quae habet toto hoc libro, omnino paria cum libris ad Nationes, quos ultimis vitae suae temporibus scriptos fuisse colligitur. Id ipsius libri praestantia singularis clamare videtur, quae aetatem proveciorem sapere videtur. Quod enim in Apologetico cap. 35. videtur alludere ad reliquias Albinianae partis, quasi tum illas penitus abolere vix sineret Severus, eadem habet penitus in libro ad Scapulam, quem anno CCXVII. scriptum esse post Scaligerum magnum probavit fuse clar. Holstenius in notis supra laudatis.

Cum in libris ad Nationes duobus idem volvat argumentum Tertullianus, quod in Apologetico tractaverat, eodem circiter tempore exaratos fuisse oportet. Eadem in utroque opere rationum momenta, imo eadem plerumque verba, ex uno opere in aliud ab auctore transfusa, diiudicare vix sinunt quodnam prius fuerit editum. Ut libri ad Nationes forma et ratione ab Apologetico differunt, probabile sit uno eodemque temporis articulo lucem vidisse, accurante Tertulliano ut quae iudices nosse intererat, eadem etiam plebi non manerent incognita. Videtur Tertullianus libri ad Nat. I. cap. 17. alludere ad titulos Antonini Caracallae, qui se Parthicum et Germanicum vocari iussit, Germanicum quidem vivo adhuc Severo, Parthicum vero post illius obitum. Sic quod eiusdem libri cap. 17. *nondum suae aetati* a cruce Christi annos numerari CCL. innuit, non alio tempore Septimium hos libros scripsisse.

Hoc ipso tempore librum de Testimonio Animae scripsit, quem post Apologeticum editum fuisse ex cap. 5. huius libri optime colligunt Baronius et Pamelius, sic sua sententia annum, quo illius editionem assignant, mutandum esse suadentes ac impellentes. In re perspicua immorari non est operae pretium. Sic nec fusius repetere hic iuvat, quae clariss. Holstenius de tempore quo liber ad Scapulam Africae proconsulem scriptus est, disseruit. Coniecerat iamdiu Scaliger in animadversionibus ad Eusebium, scriptum circa annum CCXVII. Id ita firmavit Holstenius, ut nulla dubitandi occasio fuerit relicta. Certe patet, brevius scriptum nihil aliud esse quam Apologetici deflorationem et compendium.

Atque exinde coniecere est, quid de duobus libris, uno ad Martyres, altero de Patientia, sit statuendum. Vult Pamelius scriptos anno CCI. idque Romae, cum hic ageret Tertullianus, ac fatetur idem editos occasione persecutionis a Scapula adversus Christianos in Africa motae. Bene est; ipse vel errando nobis viam monstrat: ipso duce, cum Scapula ad annum CCXVII. Christianorum nomen et res mire affligerit, habemus hos libros a Tertulliano circa annum CCXVII. fuisse conscriptos.

Haec sunt, quae de Tertulliani scriptis dicere habui, aliquam lucem ni fallor foeneratura, ut, quae ad historiam Ecclesiae in libris Tertulliani sat bono numero occurrunt, ad proprium tempus, quo gesta sunt, exactius quam antea factum est deinceps possint referri. De Tertulliani erroribus, qualis fuit sententia de animae corporeitate, a Fulgentio de Veritate Praedestinationis lib. III. cap. 2. suggillata, de illius libris non amplius extantibus, aut de iis qui Tertullianistae posteriori aevo dicti sunt, cum haec obvia sint et aliunde possint repeti, scribere su-

persedeo. Nonnulla tantum addam coronidis vice de scriptis aliquot Tertulliano subiectis, quod etiam uno capite absolvam.

## CAPUT X.

De iis libris, qui Tertulliano suppositi sunt.

Iam supra, huius dissertationis capite septimo, commemoravi libellum de Haeresibus, qui praescriptionibus adversus haereticos solet adici, falso tribui Tertulliano. Hunc libellum non esse partem libri de Praescriptionibus postremam, vidit iam aliquo modo lector. Id plenius hic demonstrabo. Primum enim de haereticis multa dicit Tertullianus passim, quae iste catalogus silet. Sic de Lucano ea habet de Resurrectione Carnis cap. 2. quae in catalogo frustra quaeras. Viciissim iste catalogus ea de haereticis profert, quae a Tertulliano non modo ignorata sunt, sed ex Tertulliani scriptis videntur posse confutari.

Sic quae habet auctor catalogi e S. Epiphanii Tractatu de haeresibus deprompta, Marcionem scilicet episcopi fuisse filium et virginem quampiam corrupisse, Tertullianum, qui id non potuisset tacere, fugisse censeas. Haec una ratio tantam vim in eo negotio habuit apud clariss. Rigaltium, ut ex illius sententia hinc *opinari liceat, hunc catalogum haeticorum non esse Tertulliani.*

Atenim non modo non est Tertulliani, sed ne supparis quidem Tertulliano auctoris, quod Philippo Labbeo visum est. Quis illum laudavit veterum? Quis illum exscripsit, quod tamen factum fuisset, si tantae fuisset vetustatis?

Non me latet Hieronymum, si et Rigaltio et Labbeo credimus, huius catalogi nonnulla laudasse, cum adversus Luciferianos agens, *Taceo, inquit, de Iudatami haereticis, qui ante adventum Christi legem traditam dissiparunt, quod Dositheus Samaritanorum princeps prophetas repudiavit, etc.* Quae cum sequentibus, si pauca verba inversa excipias, huius catalogi initio leguntur.

Verum super eo argumento aliter sentiendum esse opinor: non laudat ullum auctorem vetustiorum Hieronymus. Igitur iuniorem quempiam ab Hieronymo hanc laciniam mutuatum esse magis probabile est, quam a vetustiori auctore Hieronymum illaudato auctoris nomine. Quicquid sit, licet auctorem huius catalogi post Hieronymum vixisse censeam, nonnullus est pretii, maiorisque proculdubio auctoritatis quam qui sub Praedestinati nomine editus multa tradit quae ceteris veteribus penitus ignota videntur.

Si Pamelium audias, Tertullianus anno CXCVII., iunior scilicet, varia edidit poemata, Genesin nimirum, et Sodomam, Carmen ad senatorem, libros quinque adversus Marcionem et librum de Iudicio Domini.

Verum immaniter aberravit in eo argumento Pamelius. Longe sanius Rigaltius, qui hos libros in angulum reiecit et ut Tertulliano indignos foetus abiudicavit.

Certe, ut non observem, Genesin, Sodomam, et Carmen ad Senatorem ab ipso Pamelio Cypriano tribui, quod eorum incertos natales non magis probat, quam immanem Pamelii stuporem, ex his nonnulli

sunt quorum veros auctores designare de nomine me posse arbitror. Iudicium sit penes eruditos viros, quibus coniecturam meam subii-  
cio libens.

Atque quidem carmen, quod Genesis dicitur, Salviani Massiliensis presbyteri opus esse videtur. Id saltem arbitror a Gennadio in Cata-  
logo cap. 77. expressum: *In morem Graecorum de principio Genesis usque ad conditionem hominis composuit versu, quasi Exameron, librum unum.* Hoc ita in carmen quod Tertulliani nomine habetur, convenit, ut non alterius quam Salviani opus possit censi.

Sic libri de Iudicio Domini Verecundum Africanum episcopum esse parentem prope spondere ausim. Audi Isidorum Hispalensem de Viris Illustribus cap. 7. *Verecundus Africanus episcopus studiis liberalium litterarum disertus edidit carmine dactylo duos modicos brevesque libellos, quorum primum de Resurrectione et Iudicio scripsit, alterum vero de Poenitentia, in quo lamentabili carmine propria delicta deplorat.* Quod si iam consulas librum de Iudicio Domini, qui Tertulliano adscribitur, idem prorsus argumentum ab eo videas tractari: nec enim de Iudicio Domini tantum, sed etiam de Resurrectione agit. Idipsum suadet initium libri de Poenitentia hexametris scripti, quem vidisse se testatur clar. Garcias Loayza in notis ad hoc Isidori caput,

*Quis mihi moesta dabit lacrymosis imbribus ora?*

Hoc enim proemium ab eo quo usus est in libro de Iudicio Domini minime abludit: sic enim incipit,

*Quis mihi ruricolae aptabit carmine Musas,*

*Et verni (legendum vernis) roseas titulabit floribus auras?*

Fateor, in hoc de Iudicio Domini carmine nonnulla occurrere quae infimi aevi barbariam sapiunt, adeo ut lacinias aliquot ab homine decimi seculi coniciam intermixtas, dum in versus quasi rhythmicos oculos converto. Verum praeter quam quod aliquot eiusmodi barbariei iam quinto et sexto saeculo exempla occurrunt, fieri potest, ut huic libello, quod Aviti libris V. Poëmatum de Mosafcae Historiae gestis, contigerit, quibus Gagnaeus quingentos paene de suis intruserat versus, quos clariss. Sirmondus ex fide veterum exemplarium reiecit.

Quo tempore floruerit hic Verecundus definire difficile: nullam enim aut fere nullam, quod multas tenebras huic scripto affundit, temporis rationem habuit Isidorus in libro de Viris Illustribus. Hunc quidem immediate subiungit Rufino, qui circa annum CCCCIX. a vita migravit. Verum cum Garcia Loayza sentiam libenter floruisse Verecundum ante annum DLII., quo anno Victor Tunonensis in Chronico Verecundum Tunonensem episcopum in provincia Africae Byzacena defensorem trium Capitulorum ac exulem Chalcedone mortuum esse commemorat. Occurrunt forsitan alii eiusdem nominis episcopi, ut qui in Mauritania Caesariensi inter episcopos Africae, qui Carthaginem ex praecepto regis Hunerici pro reddenda ratione fidei anno CCCCLXXXII. venerunt, Nobensis Ecclesiae episcopus dicitur. Verum cui potius eorum hoc carmen tribuendum sit, sub iudice lis sit.

De libris quinque adversus Marcionem pauca sunt quae addenda habeam iis, quae sat larga manu a clariss. Rigaltio, ut subiectos esse

Tertulliano demonstret, cumulata sunt. Duo sunt tamen quae alicuius momenti ad eam quaestionem decidendam, si adhuc dubia sit, possint videri. Unum est horum librorum auctorem in os contradicere Tertulliano. Exemplum illustre habes: Tertullianus de Anima cap. 67. ait non Samuëlem ipsum, sed phantasma a Pythonissa fuisse malis artibus excitatum. *Absit alioquin, ait, ut anima cuiuslibet sancti, nedum prophetae, a daemonio credamus extractam, edocti quod ipse Satanus transfiguratur in angelum lucis, nedum in hominem lucis, etiam Deum se adseveraturus, etc.* Haec ille, quibus contraria habet incertus Auctor adversus Marcionem lib. III. his versibus:

*Mirificus Samuël, cui reges ungere primum  
Praeceptum, dare chrisma, viros ostendere christos,  
Talibus in vitae spatio laudabilis egit,  
Ut quoque post mortem prophetica iura teneret.*

En aliud non minus annotatione dignum, in quo mirum quantum dissentiant Tertullianus et Auctor V. librorum Poëseos adversus Marcionem. Scilicet Tertullianus, seriem successorum Petri Apostoli in cathedra Romana instituens, de Praescriptione Haereticorum cap. 32. Clementem Petro successisse immediate docet. At contrarium habet Auctor incertus lib. III. ad finem:

*Hac cathedra Petrus, qua sederat ipse, locatum  
Maxima Roma Linum, primum considerare iussit  
Postquam Cletus et ipse gregem suscepit ovilis.  
Huius Anacletus successor sorte locatus,  
Quem sequitur Clemens.*

Quis credat Tertullianum ita sui oblitum, ut tam contraria tamque sibi invicem repugnantia dixerit? Quid? quod longe a communi Afrorum sententia de Petri successoribus recedit, cum Cletum ab Anacleto distinguit, quasi duo fuerint homines, non vero unus ac idem, cuius nomen bifariam scriptum est. Certe Cyprianus Epist. 74., ad Pompeium, Hyginum in Urbe *nonum fuisse* episcopum scribit, cuius altero post seculo sic explicat mentem Optatus lib. II. adversus Parmen. *Sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evaristus, Evaristo Alexander, Alexandro Sixtus, Sixto Telesphorus, Telesphoro Hyginus.*

Omnino facit hic ordo quem in referenda pontificum Romanorum serie servavit Auctor incertus, ut illum post Hieronymi tempora vixisse arbitret. Certe cum ad hos versus lib. II. oculos converto,

*Golgotha locus est, capitis Calvaria quondam,  
Lingua paterna prior sic illum nomine dixit,  
Hic medium terrae est, hic est victoria signum, etc.*

vix possum quin illos esse imitationem dicam Auctoris qui est inter Cypriani opera in Hymno de Pascha. Eum manuscripti codicis varii Victorino Petavionensi vindicant, ut notabat Pamelius; et Beda sub Victorini nomine laudat in libro de Locis Sanctis cap. 3. Sic se habet:

*Est locus ex omni medium quem cernimus orbe,  
Golgotha Iudaei patrio cognomine dicunt.*

De Carmine ad Senatorem, quod etiam Cypriano ipse vindicavit Pamelius, non est eadem ratio. Quippe licet nec Cyprianum nec Ter-

tullianum auctorem agnoscat, videtur tamen ante Constantini tempora scriptum, vigente adhuc idololatria et principatum obtinente.

Ut Salviani esse carmen quod Genesis dicitur, supra coniecimus, sic etiam non iniuria eidem Salviano posset alterum illud, quod Sodoma inscribitur, vindicari. Nec sane repugnarem, ni stylus esset aliquanto floridior, quam quo scriptum est carmen de Genesi; quanquam forsitan non tantum discrimen intersit, quin utrumque ab eodem fonte fluere potuerit.

Ultimum est carmen de Iona et Ninive, quod solet Tertulliano tribui, et habetur in Bibliotheca Patrum ex codice manuscripto Pithoei a Iureto editum ac notis illustratum. Non esse Tertulliani, est certo certius. Tamen quisquis est, antiquus auctor est, quem dicas imitatos Prudentium in Hymno 7. Cathemerinon, et Paulinum Nolanum episcopum in Carmine ad Cytherium, nisi contra dicere malis eum Prudentii et Paulini magni nominis poëtarum fuisse imitatore. Certe indicet aliquis, ad eundem auctorem, qui Sodoma scripsit, esse referendum hoc carmen, si ex serie MSS. codicum possit tuto aliquid colligi: fuit enim in eodem Pithoei codice MS. quo habebatur Sodoma, ut iam non dicam carmen de Ninive posse videri carminis de Sodoma continuationem. Verum ab istiusmodi coniecturis, in quibus tum fallere tum falli aequae facile est, temperare malo, quam eis, quod criticorum genti solemne est vitium, nimis indulgere.

---

DISSERTATIO IN Q. SEPTIMI  
FLORENTIS TERTULLIANI  
APOLOGETICUM,  
DUOS AD NATIONES LIBROS, ET UNUM AD SCAPULAM,  
AUCTORE DOMINO NIC. LE NOURRY.

PRESBYTERO ET MONACHO ORDINIS S. BENEDICTI E CONGREGATIONE SANCTI MAURI.

---

CAPUT I.

*Analysis Apologetici, et quis sit Tertullianus, cuius nomine inscribitur.*

---

ARTICULUS I.

*Analysis Apologetici.*

Cum Tertullianus non magno sine animi dolore cerneret Christianos tanta iniquitate ab ethnicis vexari et occidi, ut nec sibi palam se tueri nec iudicibus eos publice audire liceret, ad ipsorum causam occulta scriptorum vi apud Romani imperii antistites agendam aggressus est. Primum itaque gravissime conqueritur, Christianos omnes ab ethnicis, qui eos nec noverant, nec nosse volebant, contra omnia aequitatis et naturae iura odio plane implacabili haberi et excarnificari. Publicum enimvero huius ignorantiae testimonium eo magis illorum praevaricationem redargebat, quod, ubi primum agnoscebant quae et qualis sit religio christiana, statim relicto falsorum deorum cultu eam toto terrarum in orbe amplexabantur. Neque dicendum est illos in malum tunc traduci. Mali siquidem hominis haec est conditio, ut pudore et timore perfusus, latebras quaerat: contra vero Christianus etsi damnatus, ac quolibet tormentorum genere excruciat, de sua professione gloriatur, gestit et exultat (cap. 1.).

Deinde vero si Christianus sacrilegii, incesti, homicidii vel alterius cuiuslibet criminis, uti garriebant gentiles, reus sit, cur ab illis



contra divinas humanasque leges, sine ulla criminis accusatione, sine teste, sine praevio ullius circumstantiae, temporis, consciorum examine, sed unico penitus nominis praepudicio condemnatur? Plinius itaque hac iniustitia permotus Traianum imperatorem interrogavit quid de Christianis, nullius plane praeter obstinatam in Dei et Christi cultu suaque disciplina perseverandi voluntatem criminis aut delicti convictis agendum esset. Sed nullum aliud ab illo responsum accepit, nisi eos non esse inquirendos, sed oblatos iudicibus puniri oportere. Quid autem, obsecro te, iniquius ea lege, quae Christianos, utpote innocentes, vetat inquiri, et tanquam nocentes condemnari praecipit (cap. 2.)?

Ad haec vero, divinis humanisque legibus cautum est, ne ullius cuiuslibet criminis reus ulla unquam torqueretur aut poena aut quaestione, nisi ut scelera sua confiteretur. At Christiani e contrario discruciantur, ut ea, quorum accusari solebant, crimina, seque Christianos esse negarent. De solo itaque Christianorum nomine proelium erat. Et certe quae a iudicibus de tabella adversus eos pronuntiabatur sententia, omisso cuiusvis criminis elogio, nihil aliud ferebat, nisi Christianos damnari. At ethnici tum in sacratiores leges eo gravius peccabant, quo saepius fatebantur castos sanctosque esse mores Christianorum, eosque qui ex suis gentilibus christianae fidei nomen dabant, fieri semper meliores. Verumtamen non minori crudelitate in hos neophytos, quam in ceteros omnes, ob assumptum christianum nomen saeviebant.

At nobis, inquebant ethnici, displicet auctoris eorum nomen. Quid ergo, respondet Tertullianus, odiosi subesse potest in Christi nomine? Nonne ex suavitate vel benignitate ductum est? Quid etiam in illo magis odio dignum, quam in ipso philosophorum, medicorum, coquorum nomine, transmissio ab auctoribus suis et ab aliis accepto? Nullius denique sectae nomen malum aut invisum videri debet, nisi prius quid in ipsa secta mali sit, certo dignoscatur et probetur (cap. 3.).

Urgebant ethnici se legum, ab imperatoribus latorum, praescripto ad vexandos tollendosque Christianos teneri. Verum prorsus inepta est, inquit Tertullianus, haec inceptio. Nemo enim ulla iniusta obligatur lege, quae aut bonum prohibet aut iniquum aliquid imperat. Atqui tales erant sancitae in Christianos leges. Inficias praeterea ethnici ire non poterant, plures a suis, aliisque legislatoribus, humanae infirmitati obnoxiiis, datas, quae quidem, quia visae sunt aut noxiae aut inutiles, ab aliis postmodum emendatae, truncatae, abrogatae fuerunt? Nonne enim leges Lycurgi a Lacedaemoniis, nonne leges Papiae de suscipiendis liberis a Severo imperatore aut correctae aut antiquatae sunt? Nonne lex de creditoribus in partes secundas immutata fuit? Nec mirum quidem. Enimvero neque vetustas, neque auctoris dignitas, sed aequitas sola leges commendat. Nulla vero unquam iniquior fuit, quam illa, quae Christianos, ob suum duntaxat nomen, nec audita causa, condemnari iubebat (cap. 4.).

Quantum enim non modo nova et iniusta, sed etiam tyrannica sit, inde Tertullianus demonstrat, quia Tiberius, quo regnante christianum nomen per varias mundi partes disseminari coepit, auditis Christi miraculis eum deorum numero voluit adscribi. Quod quidem

etsi, obstante senatu, non perfecerit; in sua tamen permansit sententia, et Christianorum accusatoribus periculum comminatus est. Ex successoribus autem illius Nero, omnium primus, heu quam impius sceleratusque homo! Caesariano gladio adversus Christianos ferociit. Domitianus vero, crudelitate illi non impar, cum eadem tentasset, suos cito repressit conatus. Ab utroque autem longe absuit Marcus Aurelius, qui, christianorum militum precibus impetrato divinitus imbre, iussit in eos severius animadverti, qui Christi sectatores accusarent. Antea Traianus, nulla lege lata, prohibuit eos inquiri. Nulla quoque adversus illos extat imperatorum Adriani, Vespasiani, Pii et Veri lex nullumque decretum. Soli itaque pessimi, nequissimi ac impiissimi imperatores in eos saevierunt (cap. 5.).

Tum dehinc Tertullianus, ut ethnicis omnem ex maiorum institutis ac legibus inepte litigandi viam praecludat, palam culibet brevi inductione facit, pessumdatus ab illis fuisse de sumptu, ambitu, vini abstinentia, divortio ac cultu deorum leges statutaque sacratoria. Romani quippe consules Liberum cum suis mysteriis Roma atque ex tota Italia, quemadmodum Piso et Gabinius, itidem consules, Serapidem, Isidem et Harpocratem ex Capitolio deorumque curia eiecerunt, qui postliminio dumtaxat a Romanis sunt restituti. Denique ethnici omnes nuntium moribus proavorum suorum remiserant habitu, victu, instructu, censu et ipso etiam sermone. Christianis igitur frustra obiiciebant conculcatam et profligatam veterum patrum suorum auctoritatem, quam ipsimet tam audacter, quam impune pessumdederant (cap. 6.).

Transit inde Auctor noster ad falsa et mentita infanda Christianorum crimina, quae quidem ita diluit, ut ipsos ab iis tam alienos, quam gentiles illorum reipsa reos esse evidentissime demonstret. Primum enim Christiani a longo iam tempore infamabantur, quasi carni occisi a se pueri ferino more vorarent ac postea extinctis canum opera luminibus in quolibet stupro et incestu foedissime volutarentur. At certe nihil facilius erat, quam Christianos tantorum, si revera ab iis perpetrarentur, criminum convincere. Tot enimvero illorum inimici et hostes semper fuerunt, quot Iudaei, quot milites, quot domestici, quot pene eorum uxores, imo et gentiles homines, qui illos semper insectabantur. Nullus tamen ex eis tanta facinora agnovit unquam multoque minus prodidit, vel iisdem Christianis pretio aliquo suum vendidit silentium. Et vero quis haec crimina prodidisset? Non Christiani quidem, qui non minus scrupulose, quam gentiles sua celabant mysteria. Neque etiam ethnici, qui ab eorundem Christianorum coetibus penitus exclusi, quid in eis ageretur, scire procul dubio non poterant. At isti, fama, inquebant, communi haec divulgata sunt. Sed quid fama levius, quae sane quia semper oritur vel invidia, vel odio, aut suspitione, aut alios decipiendi voluptate, tamdiu tantum perseverat, quamdiu mentitur (cap. 7.).

Urget Tertullianus tam horribilia esse illa flagitia, ut a nemine credi unquam debuerint aut potuerint committi. Sectatoribus quippe suis Christiani aeternam felicitatem promittebant. Quis autem in animam sibi inducat, eam pollicitos esse homini, qui infantem occideret; panem comederet recentis illius sanguine intinctum, ac postea nefando

incestu pollueretur? Imo vero nemini unquam persuaderi poterit haec ab ethnico, cui pudoris et humanitatis aliquis sensus sit, potuisse fieri. Neque dixeris religionis christianae candidatis factam ab aliis fraudem. Quis enim eam facere potuit? Num sacrorum pater, aut alius a quo edocebantur? At quo tandem dolo, quibus praestigiis eos docere poterat quidam ab ipsis ad execranda illa crimina perpetranda esset agendum? Esto tamen, et fac, si velis, haec ab illis fuisse commissa, cur ergo iis tandem agnitis et actis de fraude sibi facta nunquam con-questi in tradita sibi tam horribili doctrina tam constanter omnes perseverarunt? Numquid timebant ne ea patefacientes punirentur? Quin imo ethnicorum gratiam sibi inde conciliavissent: sed perire malebant, *quam sub tali conscientia vivere* (cap. 8.).

Qua autem facilitate Tertullianus Christianos de tantis purgat criminibus, eadem profecto ostendit gentiles eorundem aut similibus plane penitusque convinci. Saturno namque, qui propriis filiis suis non pepercit, infantes ad primum usque Tiberii proconsulatum palam, ac deinceps occulte in Africa immolabant. Galli vero solebant maiores natu Mercurio, Tauri suos hospites Dianae, Romani bestiariorum, non minus tamen homines, in publicis ludis Iovi mactare. Quid? quod alii non minori crudelitate infantibus aut abortu praeripiebant vitam, aut natos morti exponebant mox futurae. Huc accedit, quod non solum nationes quaedam, quemadmodum Catilina, effuso suo sanguine foedus pepigere, verum etiam Scythae hominem comedere ferebantur. Bello-nae quoque sacerdotes suo consecrabantur sanguine, et gladiatores, sicut comitali morbo laborantes, bibebant aliorum hominum in arena occisorum sanguinem. Alii etiam in publicis spectaculis carnes comede-bant aut cervi, qui in hominis sanguine iacuerat, aut apri, qui hominem cruentaverat, aut ursi alveolos, qui ructabant adhuc hominum in hisce ludis interfectorum viscera. Denique magis horrendo, nec unquam nominando, scelere substantiam hominis deglutiebant. Christiani e contrario abhorrebant ab omni saevitiae genere, nec fas eis erat etiam crudelissima inter tormenta aut animalium sanguinem aut oblatum falsis diis morticinium praegustare (cap. 9.).

Quid vero causae erat cur ethnici Christianos arguerent incestus, cuius exemplum dederat sceleratissimus Iupiter et rei erant Persae? Eiusdem vero sceleris suspecti erant Macedones, a quibus is irrisus fuit qui Oedipi tragoediam agendo lamentabatur violatam a semetipso matrem suam. Quid plura? Improbi gentiles stupris assuefacti suis etiam liberis, olim expositis nec sibi amplius cognitis, stuprum caeca libidine inferebant. At Christiani aut in virginitatis perseverabant statu, aut ab omni post matrimonium excessu semper abstinebant.

Ab falsis autem fictitiisque Christianorum occultis criminibus ad ea transit Tertullianus, quae ethnici manifesta et publica esse criminabantur. Praecipuum autem illud erat, quo sacrilegii et laesae maiestatis divinae ideo accusabantur, quod omnem diis cultum prorsus denegarent. Nec diffitetur quidem Tertullianus grande procul dubio esse illud crimen. si quos ethnici adorabant dii revera fuerint. At eos non deos, sed meros homines fuisse testis erat ipsorummet ethnicorum conscientia. Si quis tamen reluctari adhuc audeat ille con-

festim innumeris revincetur scriptorum suorum testimoniis, qui loca indicant, ubi commentitii illi dii nati, ubi mortalem egerunt vitam, et ubi ea finita sepulti sunt. Quia vero longius fuisset singulos hosce deos nominatim recensere, Auctor noster illud Saturni, deorum omnium primi, exemplo demonstrat. Omnes namque antiquitatum descriptores asserunt illum revera fuisse hominem, qui post multas expeditiones, Attico hospitio ab Iano vel Iane in Italia exceptus monti ac civitati quam incoluit totique Italiae dedit Saturniae nomen. Neque id minus perspicue declarabant tabulae ab ipso ibi primum confictae, et nummus imagine signatus, ob quem praesidere aulario perhibetur. Homo igitur ille fuit, nec de caelo et terra ortus, sicuti nonnulli fabulati sunt. Ceteros ergo omnes deos, qui suam ex illo ducunt originem, homines etiam fuisse, quis negare audebit (cap. 10.)?

Nec sinit quidem Tertullianus sibi responderi hos post mortem tantum suam deorum adscriptos esse numero. Divinitatem enim nullus homo sibi conferre potest. Si cui ergo seu ante seu post mortem data est, is certe ab alio potentiore Deo illam accipere debuit. At nulla plane causa unquam fuit cur ille summus Deus aliquos post eorum mortem deos faceret. Nullius quippe sive ad mundum fabricandum, sive ad aliud quidpiam agendum unquam indignit auxilio. Ante omnes siquidem fictitios gentilium deos, pluviae, lumina, sidera, tonitrua, fulmina et varia frugum genera orta sunt. Quin imo omnium hominum primus, post omnia ad vitam eius necessaria, conditus est. Non magis ergo Liber, Ceres, Bacchus et Minerva ob inventas fruges dii facti sunt, quam Lucullus ob cerasa ex Ponto transvecta in Italiam.

Neque potiori ratione dici potest collatam propter merita et virtutes hominibus divinitatem. Nam inde conficitur supremum aliquem esse deum, qui merentibus divinitatem dispensat. Deinde vero gentiles lateri cogebantur deos suos fuisse homines improbos, impios, sceleratos, nequissimos aliosque illis similes ab aliis bene moratis iure merito condemnari. Fac tamen illos fuisse probos, sed non meliores erant Socrate et Aristide, nec fortiores Themistocle et Alexandro, nec feliciores Polycrate et Sylla, nec Croeso Crassove ditiores, eloquentiores Demosthene et Cicerone, sapientiores Catone ac Scipione aequiores. Cur ergo ethnici his apud inferos relictis illos in coelum tanquam deos sustulerunt (cap. 11.)?

Sed dic porro quinam sint hi gentilium dii. Nihil plane in illis, ait Tertullianus, video, nisi mortuorum hominum nomina. Nihil audio praeter fabulas, atque ex his fabulis sacra instituta recognosco. Quid vero, quod eorum simulacra ex communium vasculorum et instrumentorum materie vel ex ipsismet vasculis et instrumentis fabrefacta dii tandem sacrilega consecratione facta sunt? Quis insuper non videat pulchra illa simulacra, dum fabricantur, eadem pati, atque Christiani, cum ab ethnicis torquentur? Ex metallis enim fiunt, quibus damnantur Christiani. Illa crucibus et stipitibus imponuntur, raduntur unguibus, ignibus exuruntur, sed his omnibus modis Christiani tolluntur e medio: in hoc tamen ab illis discrepant, quod simulacra primum sunt sine capite, quod Christianis iniquissime damnatis tandem amputatur. Ad haec vero hi in insulas relegantur, in quibus plerosque omnes genti-

lium deos natos mortuosque esse nemo nescit. Neque respondere poterant haec mera esse Christianorum in deos convicia, quandoquidem eosdem deos Seneca pluribus longeque amarioribus verbis insectatus est. Recte ergo Christiani illa deorum simulacra adorare renuebant, quae a milvis, muribus, araneis coinquinata, ab ipsis gentilibus negliguntur, illuduntur, destruuntur.

Quin etiam alii alios deos colebant, nullusque sine senatusconsulto deus esse poterat. Domesticos vero deos pro sua quisque aut necessitate aut potestate oppignerabat vel vendebat, vel mutabat modo in trullam, modo in cacabum. Publicos autem deos in hastario vectigales habebant, ac sub hasta, et publici praeconis voce venales. Nec id profecto mirum. Dii quippe quo magis sancti, eo magis tributarii erant. Mendicans vero ethnicorum religio circuibat cauponas, ac magnam pro templi alicuius aditu exigebat mercedem.

Sed agedum, quo, quaeso, modo ethnici deos suos honorabant? Eodem plane ac mortuos imperatores: imo vero eundem honorem illis viventibus, ac mortuis diis suis detulerunt. Simili quoque modo Larentinam meretricem, Simonem Magum, et nescio quem synodi deum, ac impuras Iunones, Cereres, et Dianas venerabantur. Quid ergo amplius in veterum deorum contumeliam fieri ab ullo homine poterat (cap. 12, 13.)?

Nonne etiam dii non minori illis erant ludibrio, qui pessima quaeque illis sacrificabant, et tertiam subripiebant decimarum Herculi debitarum partem? Nonne alii suis in libris non maxima sine illorum ignominia praedicabant eos inter se propter Troianos aut Achivos decertasse, Venerem sauciatam, Martem iu vinculis pene consumptum, Iovem a monstro quodam liberatum, nunc flentem, nunc foede subantem? Poëtae vero canunt Apollinem Admeto, et Laomedonti Neptunum servientes, Pindarus vero Aesculapium fulmine iudicatum. Praeterea a tragoedis decantantur deorum aerumnae et errores. Ex philosophis autem Socrates, etsi per quercum, hircum et canem iuraverit, quia tamen deos destruebat, morte damnatus est. Sed rescissa damnatione praeclarum tandem illi reddidere testimonium. Postremo Diogenes quidam irrisit Herculem, ac Varro trecentos Ioves introduxit (cap. 14.).

Urget adhuc Tertullianus in gentilium comoediis ac tragoediis repraesentari moechum Anubim, masculum Lunam, flagellatam Dianam, Iovis testamentum tresque Hercules famelicos. Ab histrionibus insuper exhibebatur Sol lugens, Cybele fastidiosum pastorem suspirans, Iovis elogium, Iunonis Minervaeque iudicium, ac tandem in illis ignominiosissimum caput repraesentabat dei alicuius imaginem, et corpus ridicula arte effoeminatum Minervam aut Herculem. Neque melius aliquid ex cavea expectes. Ibi enim persona agebatur Attidis castrati, ardentis Herculis, Mercurii inter ludicra meridianorum spectacula mortuos cauterio examinantis, ac fratris Iovis cadavera mortuorum hominum cum malleo deducentis. Plura alia his similia omittit Tertullianus vitioque gentilibus vertit, quod intra deorum templa ipsasque inter aras, atque in sacerdotum et aedituorum tabernaculis adulteria componerent tractarentque lenocinia. Quinam ergo, ait ille, divinae

maiestatis rei, an ipsi qui tanto ludibrio deos suos habebant, an Christiani, qui hos negabant esse deos quique idcirco eorum templa interdicta non noverant et ea, si fieri posset, penitus spoliassent (cap. 15.)?

Verum contra obiciebant ethnici caput asinum a Christianis tanquam deum adorari. Sed merum, ait Tertullianus, est somnium, cui Cornelius Tacitus dedit occasionem, ubi memoriae falso prodidit Iudaeos consimilem huius bestiae superficiem idcirco consecrasset, quia ipsis in Aegypto siti laborantibus quidam onagri fontem ostenderant. Sed huius mendacissimi scriptoris calumnia evidentissime patuit, cum Pompeius Iudaeorum templum ingressus nullum ibi invenit simulacrum. At certe quo id falsius, eo verius erat iumenta omnia et cantherios cum sua Hippona ab ethnicis coli et honorari.

Nec potiori ratione Christianis exprobrabant crucis Christi cultum. Quid enim in illo arguere poterant? Nonne apud eos prostabat Pallas Attica ac Ceres Pharia, quae rudi palo et ligno a crucis stipite non distinguebatur? In suorum praeterea deorum simulacris, in victoriis, tropaeis, signis militaribus, vexillorum et cantabrorum sipharis, aut eorum intestinis, monilibus et stolis cruces adorabant illis suppositas.

Alii paulo quidem verisimilius suspicabantur Christianorum, quemadmodum Persarum, deum esse solem. Sed haec falsa suspicio inde sortita est, quod iidem Christiani ad solem conversi Deum precabantur, ac die solis sive dominico laetitiae indulgerent. Sed istud gentilium reprehensione eo certe minus dignum erat, quod illi diem Saturni otio et victui destinaverant.

Postremo Auctor noster Iudaeum quendam, maximum profecto nebulonem, exsibilat, qui cum bestiarius esset, inter ludos circenses, in ista, inquit, civitate novissime editos, tabellam proposuit, in qua pictus circumferebatur Deus Christianorum auribus asininis, altero pede unguulatus, librum gestans et togatus, cum hac ridicula inscriptione: *Deus Christianorum Onochoetes*. Sed quam falsa mendaxque fuit haec pictura, tam verum erat ab ethnicis deos adorari hominum beluarumque membris compositos (cap. 16.).

Ne autem ethnici veram Christianorum doctrinam voluntaria ignorantia et impudentibus more solito mendaciis deinceps calumniarentur, illam Tertullianus summa cum brevitate, tum sinceritate sic exponit. Deus, inquit, quem colimus, unus est, qui mundum universum in suae maiestatis ornamentum ex nihilo creavit. Quamvis autem cognoscatur, invisibilis tamen est, inaestimabilis, immensus, ac sibi soli tantus quantus est cognitus. Hunc vero unum verumque Deum revera existere demonstrant et mundus et cetera omnia, quae verbo fieri iussit, ratione composuit ac virtute sua condidit. Quin etiam illud evidentissime comprobatur testimonio animae nostrae, naturaliter christianae, quae in quocunque sive infirmitatis sive erroris sive pravae libidinis statu sit, ubi respicit, aut redit ad se ipsam, non deos, sed unum conclamat Deum eumque iudicem contestatur (cap. 17.).

Nec minus evidens divinae existentiae argumentum desumitur ex sacris Veteris Testamenti libris, qui scripti sunt a viris divino spiritu inundatis, et qui scripta sua variis verisque miraculis confirmavere. Aristaeus autem testificatur hosce libros, hebraico primum sermone

compositos, in graecum, procurante Ptolemaeo Philadelpho ac Menedemo probante, a septuaginta Iudaeis summa fide conversos fuisse. Tum autem adhuc asservabantur in Ptolemaei bibliotheca hebraicis et graecis litteris exarati, quos Iudaei singulis quibusque sabbatis palam lectitabant. Nullum ergo de illorum veritate atque integritate dubium esse poterat (cap. 18.).

Maximam autem illorum auctoritatem vindicat antiquitas. Nam unius Prophetæ scrinium, id est Moysis libri, ceteris gentiliū commentationibus, diis, templis, oraculis, sacris, imo omnibus graecis characteribus ac plerisque gentibus et urbibus vetustiores sunt. Nam is Moyses, Inacho coævus, non modo Homerum et Priami cladem, sed vetustissimum quoque Danaum ætate longe superat. Ceteri vero prophetæ, etsi illo posteriores, non brevi tamen temporis intervallo Graecos sapientes, legiferos et historicos antecedunt. Quia vero id, quod omnibus probatu facillimum est, enarrare longius foret, Tertullianus hanc probationem idcirco missam fecit, ita tamen ut fontes indicet citetque varios scriptores, ex quibus illa Scripturae sacrae antiquitas unicuique manifestissima fieri potest (cap. 19.).

Neque porro summam illius auctoritatem repetit ex hac tantum antiquitate, sed eo maxime, quod plane divina sit. Ab illius namque auctoribus divino spiritu afflatis mundi clades aliæque plura prædicta sunt, quæ vera accidisse cognoscimus. Dubitare proinde de ceteris non debemus, quæ ab iis prænuntiata quoque fuerunt. Ratum itaque fixumque esse debet, unum dumtaxat qui ab eis passim prædicatur Deum existere, veramque esse christianam religionem, quæ hisce illorum libris suffulta est (cap. 20.)

Sed tum insurgabant ethnici, ac vociferabantur novellam esse hanc religionem Christianorum, qui a iudaica et nomine et ritibus plane penitusque discrepabant. Verum his respondet Tertullianus Iudæos summa felicitate tamdiu floruisse, quamdiu insigni sua iustitia ac patriarcharum fide gratiam Dei promeruerunt. Postquam vero conculcatis illius legibus maxima in scelera prolapsi sunt, in eorum poenam dispersi, palabundi ac caeli solique extorres ita vagantur, ut ipsis patriam suam vestigio saltem salutare concessum non fuerit. At non haec tantum a sacris illorum vatibus prædicta sunt, sed futurum quoque alium populum, in quem Deus maiorem quam illis gratiam transferret. Christus vero selecti huius populi arbiter magisterque est, ab iisdem quoque prophetis prænuntiatus. Et is quidem philosophis Zenoni et Cleanthi non plane incognitus, Dei λόγος sermo, ratio, sophia, sapientia verusque Filius est. Non enim hominum aut factitiorum deorum more, sed sicut radius ex sole, ita spiritus ex spiritu et lumen de lumine genitus non recessit a matrice, sed ita excessit, ut non separetur a substantia sui Patris, a quo alter modulo, non numero, gradu, non statu, unus omnino cum illo est Deus. Statuto dehinc tempore prolapsus in virginem homo Deo mistus factus fuit.

Ad aniles vero fabulas haec reicere non poterant neque gentiles, qui similes alias finxerant, neque Iudaei, qui noverant illum a suis Prophetis promissum fuisse. Nam hi in eo errabant, quod ea, quæ in iis sacris Scripturis de primo et secundo illius adventu dicta sunt,

non intellegentes illum ad nos iam venisse inficiabantur. Tanta autem erat eorum caecitas, perversitas et nequitia, ut hunc magiae accusaverint, qui editis miraculis se λόγος Dei palam ostendebat. Cum vero caelesti sua doctrina plurimos ad se alliceret, tunc exasperati illum obtulerunt Pontio Pilato ab eoque violentia suffragiorum extorserunt, ut cruci, quemadmodum ille praedixerat, affigeretur. Eo autem moriente facta est insolita plane solis defectio, ab iisdem Iudaeis, qui eam a prophetis annuntiatam nesciebant, in arcanis suis descripta. Ab illis porro corpus eius sepulcro est conditum. Sed cum tertia die mirabiliter resurrexisset, subreptum a discipulis iactitaverunt. At ille redivivus turbis se subduxit, ac per dies quadraginta cum quibusdam discipulis conversatus eos doctrina ubique divulganda imbuit, ac post haec circumfusa nube ascendit in coelum. Pilatus vero, qui tunc conscientia Christianus erat, ea omnia nuntiavit Tiberio, qui quidem Christo credidisset, nisi fuisset Caesar imperassetque ethnicis. Verum saeviores Iudaei discipulos Christi, traditam sibi ab eo doctrinam praedicantes, crudelissime divexarunt eorumque sanguinem Nero primus Romae effudit.

Porro autem Tertullianus constanter asseverat hanc veram esse christianae doctrinae summam, nec posse sibi ab ethnicis fidem abrogari. Persuasum siquidem Christiani penitus habebant fas nemini unquam fuisse, multoque minus sibi, religionis suae documenta declarantibus, mentiri. Quid ergo in hac eorum religione et cultu poterat esse mali, qui Deum a se per Christum coli palam asserebant? Nonne Iudaei Deum per Moysen venerabantur, ac gentiles Graeci per alios homines, Romani vero per Numam Pompilium superstitionibus suis initiati sunt? Quaerendum potius erat, utrum vera sit Christi divinitas, qua cognita homo in melius reformatur (cap. 21.).

Credebant praeterea Christiani esse daemones, philosophis, ac potissimum Socrati ac Zenoni, poëtis atque magis haud incognitos, quos vulgus execrando aut aliis maledicendo invocat. Hi autem spirituales, sicut angeli, sunt substantiae, sed in peccatum prolapsi, exitium hominis ab mundi initio moliti sunt. Sicut autem substantia, sic viribus spiritalibus praediti non solum fruges hominisque valetudinem vitiant, sed illius quoque animum concutiunt pravis motibus, et a divinitatis avertunt cogitatu. Nativa vero agilitate cum ubique uno momento sint, ac Dei dispositiones cognoscant, *aemulantur divinitatem, dum furantur divinationem*. Ad haec vero ambigua pronuntiant oracula, sanant quos laeserunt, falsa variis praestigiis faciunt miracula, phantasmata edunt, defunctorum infamant animas, pueros elidunt in oraculi eloquium, somnia immittunt, atque eorum opera caprae ac mensae divinare consueverant. Atqui ethnici, qui haec omnia diis suis ascribebant, hos dubio procul daemones esse fatebantur.

Neque respondere poterant deos suos non ex his quae in profanis locis, sed quae in eorum dumtaxat templis fiebant, debere aestimari. Non dispar etenim est illius furor qui ex turre his diis sacrata, et alterius qui se ex summo vicinae domus tecto dat praecipitem. Nec impar etiam illius est amentia, qui in deae honorem lacertos et genitalia, atque alterius qui sibi gulam prosecat. Sed si haec, ait Tertul-



lanus, levis videantur momenti, aliis argumentis invictissime demonstratur eosdem esse deos gentilium ac daemones. Producat enim aliquis, qui de deo patitur, qui aris inhalans numen concipit; producat dea virgo pluviarum pollicitatrix, proferatur in medium deus Aesculapius, morientem aliquem sanaturus, tumque hi omnes et singuli si petenti Christiano qui sint se daemones esse non fateantur, per Tertullianum licet, ut illico fundatur eiusdem Christiani sanguis. At nihil plane hac demonstratione est simplicius, manifestius et efficacius. Vel enim mentietur daemon, et deus non est: vel vera dicet, ac proinde dii revera daemones sunt. Quicumque ergo haec a diis facta dixerit, is asserat necesse est illos Christianis esse subiectos, atque idcirco tam falsos esse deos, quam vera est Christianorum religio. Omnis quippe haec potestas oritur ex Christi nomine, quo daemones ab illis adiurati de obsessis hominum corporibus coguntur non solum exire, sed insuper fateri se deos non esse, sed immundos spiritus ob malitiam suam praedamnatos, unicum vere esse Deum, ac vera idcirco esse quae de Christo paulo ante dicta sunt (cap. 22. 23.).

Recte ergo ex eis Tertullianus concludit Christianos perperam laesae maiestatis divinae accusari. Quamvis enim constaret veros esse deos ethnicorum, ipsi tamen, quemadmodum Plato, existimabant penes unum, puta Jovem, esse summam potestatem, et officia penes ceteros. Quid ergo peccabant Christiani, qui unum supremum Deum, sicuti alii homines unicum imperatorem, colebant et venerabantur? Numquid id minus licitum illis erat, quam singulis quibusque hominibus, civitatibus et provinciis quendam proprium et peculiarem deum habere? At certe alii, nemine repugnante, Jovem, alii Fidem, Aegyptii aves et bestias, Syri Astarten, atque ita ceteri suum deum privatim colebant. Uno verbo unicuique licebat quemcumque vellet colere praeter verum Deum. Sed nonne hoc potius erat maximum, cuius falso Christianos insimulabant, laesae maiestatis divinae crimen? Et certe illud tanto maius erat, quanto crudelius Christianos ad falsa numina colenda ac verum et rerum omnium creatorem Deum penitus negandum cogere nitebantur (cap. 24.).

Obiectabant tamen Romani se pro pietatis ac religionis erga deos suos merito accepisse totius terrarum orbis imperium. Quid ergo, ait Tertullianus? Numquid illud impetraverant a diis suis vernaculis ac domesticis, quales erant Sterculus, Mutunus et Larentina meretrix? Quis credat? Numquid a peregrinis et adventitiis, quibus maior Romae quam patriae suae protegendae cura esse debebat? At Cybele Romam adscita de nuntianda magno suo sacerdoti archigallo Aurelii imperatoris morte tam parum sollicita fuit, ut tranquillo animo passa sit lacertos impurumque sanguinem ab illo litari pro huiusce imperatoris salute, qui iam ante octo dies ex hac vita migraverat. Qua vero ratione Iupiter tam patienter tulit Cretam suam, ubi natus, mortuus et sepultus est, Romanis fascibus concuti? Numquid Iuno aequo animo ferre potuit Carthaginem, sibi olim adeo dilectam et Samo praepositam, a Romanis deleri, ut imperii sui fines latius propagarent? At si res tamen ita sit, cur Romani minorem illi honorem, quam lupae *prostitutissimae* Larentinae tribuerunt?

Deinde vero plures illorum dii, sicuti Saturnus et Iupiter, regnaverant. A quo erga Romanorum deo suum accepere regnum? Numquid a quodam Sterculo? Quis nisi fatuus id dicere audeat? Multi quoque fuerunt reges, qui nec Romanorum deos nec alios nunquam coluerant. Denique Romanum regnum ante religionem accrevit. Priusquam enim Numa Pompilius vanas superstitiones Romae instituisset, et antequam ulla apud illos fuissent deorum simulacra, plures Latini habuerunt reges. *Romani ergo, inquit Tertullianus, non ante religiosi, quam magni, ideoque non ob hoc magni, quia religiosi.*

Sed acrius adhuc urget. Quomodo, inquit, isti in aliorum regna invaserunt? Non pietate profecto, nec religione, sed bellis et victoriis, ac proinde communi moenium et templorum, sacerdotum et civium, rerum sacrarum et profanarum strage ac ruina. Haecine ergo est pietas, propter quam dii et laedentibus se Romanis orbis imperium dederunt, et aliis ademerunt, qui suos quoque nec minori pietate colebant deos. Denique ante iacta Romae fundamenta regnabant non solum Babylonii, Medi, Aegyptii, Assyrii et Amazones, sed Iudaei etiam, qui omnes Romanorum aliorumque gentilium deos respuebant et aspernabantur. Non ergo Romanorum aut aliarum gentium dii regna dispensant, sed solus ille omnipotens Deus, *cuius, inquit Auctor noster, est orbis, qui regnatur, et homo ipse, qui regnat.* Non Christiani igitur, qui illum colebant, sed Romani aliique gentiles laesae maiestatis divinae crimine convincebantur, qui non solum falsos deos colebant, sed eosdem Christianos ad eorum cultum quibuslibet suppliciis compellere conabantur (cap. 25. 26.).

Quorum vero maior erat clementia, hi persuadere illis tentabant, ut saltem *manente apud animum veri Dei colendi proposito*, tam pertinaciter tamque certo capitis periculo diis sacrificare non recusarent. Sed hoc falsae misericordiae consilium iis inspirabatur fraude et astutia daemonum, qui Christianorum potestatem timentes adversus eos implacabili odio praeliantur. Nec minimum quidem putant esse praedamnationis suae solatium, si constantiam illorum labefactare eosque laedere aliquando possint. Quamobrem Christiani illis resistunt persuasumque habent, se nunquam de ipsorum malitia gloriosius triumphare, quam cum pro constanti fidei suae professione damnantur (cap. 27.).

Porro autem ethnici impiis daemonum dolis et artibus Christianos non modo ad deorum cultum, qui omnino liber et voluntarius, aut nullus esse debet, invitos impellere volebant, sed ad iisdem quoque diis pro salute imperatoris sacrificandum. Quapropter haec sacrificia facere defugientes maioris quam laesae maiestatis divinae sceleris arguebant. Quidni, cum viventem imperatorem longe magis quam deos suos mortuos timerent, atque idcirco citius per hos omnes peierarent, quam per imperatoris genium? Quid vero rectae rationi magis repugnat quam diis sacrificare pro hominis salute, quam nec dare possunt nec conservare. Quo enim modo, urget Tertullianus, alios servabunt, qui suas aedes ac statuas sine caesareorum militum excubiis tueri non valent? Quid vero, quod templa et dii multi pendent de Caesaris aitu ac voluntate? Itaque Christiani multo potiori iure pro imperato-

ris salute non falsos illos deos, sed Deum verum, vivum et aeternum precabantur. Nam et ipsimet imperatores, si sanae mentis sint, hunc sibi optant esse propitium, a quo habent quod homines sint, quod vivant, quod aliis hominibus imperent. Pro eorum igitur salute, prosperitate, vita longiori diuturnoque imperio Christiani manibus expansis, nudo capite, sine praevio monitore preces fundebant de carne pudica, innocente anima ac sancto Spiritu profectas. Sed non offerebant, sicut ethnici, grana unius assis, nec arboris Arabicae lacrymas, nec sanguinem bovis tabie aut aetate confecti, nec spurcam conscientiam, aut hostias a vitiosissimis sacerdotibus immolatas. Ethnicorum itaque praesides provocat Tertullianus, ut Christianos, si fas unquam sit, eo modo Deum pro imperatoris salute precantes torqueant, discrucient et occidant (cap. 28. 29. 30.).

Quam sincero autem animo, nec ficta adulatione, quae ethnicis eam obiciuntibus prodesse poterat, sic Deum omnipotentem precarentur, inde ille demonstrat, quod sacris eorum litteris, quas non occultabant, omnibus praecipitur, ut non solum pro inimicis suis, sed pro ipsis etiam nominatim imperatoribus Deum orent. Addit aliam ipsis fuisse causam, sive potius necessitatem, pro imperatoribus et imperii Romani statu orandi, ut mundi nimirum, qui cum eo perire debebat, finis retardaretur. Quocirca per salutem imperatorum libenter iurabant, minime vero per illorum genios, quos adiurationibus fugare consueverant (cap. 31. 32.).

Praeterea tanto maior, inquit Auctor noster, erat Christianorum pietas et religio erga imperatorem, quanto certius sciebant illum a Deo vero electum ac constitutum. Ab hoc igitur Deo imperatoris salutem eo facilius poterant impetrare, quod hisce precibus illum Deo minorem esse fatebantur. Nefas autem ipsis erat imperatorem deum appellare, utpote qui homo est, ac dum triumphat, suae admonetur humanae conditionis. Quin vero Augustus imperator nolebat se dominum vocari. Et recte quidem; nam unus est omnium atque etiam imperatoris dominus, scilicet Deus omnipotens. Denique quomodo imperator adhuc vivus poterat Dei appellari nomine, quod ethnici non ante apotheosin Caesaribus tribuebant cap. 33. 34.)?

Qua autem facilitate et evidentia Tertullianus hactenus probaverat Christianos non esse reos laesae maiestatis humanae, eadem perspicuitate ostendit, eos propterea ab ethnicis dici non potuisse publicos hostes, quod ipsorum more non celebrarent Caesarum solemnia. Quis enim nisi impius homo negabit ea agenda esse cum magna modestia, verecundia, sobrietate et pudicitia? Atqui gentiles ea celebrabant summa cum lascivia, ebrietate, impudentia, seditiosis cursitationibus, iniuriis et appensis instar lupanarium ad domorum postes laureis ac lucernis. Huc accedit, quod haec festa solemnia agentes non ipsis parcebant imperatoribus, quibus cum plures vitae annos falso optabant, tum de alio novo cogitabant creando imperatore.

Neque sinit Auctor noster sibi respondere haec caeci tantum et ingrati vulgi esse vota, non vero aliorum. Non enim plebeii homines erant infensissimi imperatorum hostes Cassii, Nigri, Albini, neque alii Sigeriis et Partheniis audaciores, qui inter duas lauros Caesarem ob-

æderunt, neque ii tandem, qui harum scelestarum partium socii tum quotidie agnoscebantur. At isti tamen pro imperatorum salute sacra faciebant, per eorum deierabant genium ac solemnia sicuti alii omnes celebrabant. Eadem quoque dependebant officia astrologi, aruspices, augures, magi, qui daemonum artibus de Caesarum futura morte consultabant exoptabantque esse proximam (cap. 35.).

Debita ergo imperatoribus fides, pietas et religio non in his officiis consistit, quae ab eorum hostibus saepius exhiberi visa sunt, sed in iis moribus ac bonae mentis operibus, quae imperatoribus et aliis omnibus indiscriminatim nullaque nisi a Deo expectata mercede persolvas. At haec praestabant Christiani, qui iubentur nemini male velle aut facere, de nullo male cogitare, neminem odisse, diligere inimicos, ac cum laeduntur, par pari non referre. Quod quidem ab illis tam sedulo observatum est, ut ab vulgo lapidibus appetiti, vel aliorum furore ignibus exusti, vel bacchanalium furiis ex sepulcro effossi, tot tantasque sibi aut suis fratribus illatas iniurias nunquam ulcisci voluerint. Poterant tamen de iis poenas sumere aut pauculis faculis occultas, aut maioribus, quam ethnici, militum copiis apertas. Per totum siquidem mundum dispersi, urbes, municipia, castra, exceptisque solis deorum templis, omnia impleverant. Quamvis autem minores copias instruere potuissent, cui tamen bello prompti et idonei non erant qui libenter pro suae religionis confessione se trucidari patiebantur? Fac etiam, si velis, eos fuisse inermes. At sua sola a gentilibus defectione aut separatione sese vindicare facillime poterant. Tanta quippe erat illorum multitudo, ut ethnici sibi solis relictis, suam obstupissent ad solitudinem ac plures hostes habuissent quam cives. Denique ad Christianorum vindictam satis utique fuisset, si daemones non depulissent ab obsessis ethnicorum corporibus. Tanto igitur hoc uno praesidio gentilibus collato ostendebant se non humani quidem generis, sed erroris, uti hactenus probavimus, esse inimicos (cap. 36. 37.).

Transit inde Auctor noster ad alteram nec minus impudentem calumniam, qua Christiani de falso illicitae factionis crimine postulabantur. Quae enim, ait ille, est factio illicita, nisi hominum qui dignitatum aut gloriae ambitione civitates ac regna turbabant? Atqui Christiani, nulla ambitione ducti, nuntium semper remiserant ethnicorum coetibus et rebus publicis, quemadmodum circi, theatri, arenae aliorumque spectaculorum voluptatibus. At certe iis reiectis nullum inde ethnicis damnum nullaque iniuria, sicuti neque si quando Christiani alias consecrarentur voluptates, quas ethnici vicissim respuebant (cap. 38.).

Tertullianus porro ut cunctis planius adhuc ostenderet nihil a Christianis turbulento illicitae factionis, sed omnia solo verae religionis et pietatis animo fieri, breviter ac sincere ea describit quae in eorum coetibus agebantur. In illis, inquit, vim Deo faciebant, fuis precationibus pro imperatore et potestatibus, pro statu saeculi ac rerum quiete, pro mora fini ultimo mundi afferenda. Tum dehinc legebantur divinae Scripturae, quibus adstantium pascerent fidem, spem erigerent ac figerent fiduciam. Sequebantur postea exhortationes, castigationes, et divina ob grave aliquod peccatum censura. Praesidebant autem his coetibus probati seniores, non pretio, sed merito hunc honorem adepti.

Unusquisque vero menstrua die modicam stipem sua sponte et pro modulo conferebat ad alendos quoslibet egenos, senes, pueros, exules carceribus mancipatos aliosque ad metalla damnatos. Ethnici ergo frustra conabantur hanc infamare mutuam Christianorum charitatem qua etiam sese invicem, vera religione adunatos, fratres vocabant, suaque aliis partiebantur bona, quibus nunquam non dirimebatur mutuus ethnicorum amor. Indiscreta quippe illi habebant omnia, praeter uxores, quas hi, cetera omnia retinentes, cum amicis suis, quemadmodum Socrates et Cato, communicabant.

Pergit Tertullianus, ac coena, inquit, Christianorum, non sicut Megarensium vel aliorum ibi ab illo notatorum, prodiga erat et sumptuosa, sed iure merito a Graecis ἀγάπη et a Latinis dilectio nuncupatur. A precibus inchoatur, ac postea omnes tanta moderatione comedunt et bibunt, ut meminerint Deum per noctem adorandum. Post aquam vero manualet et lumina, quisque, ut potest, ad aliquem ex Scripturis sacris Deo canendum provocatur. Alii vero secum colloquentes Dominum audire sciunt. Denique oratio sicut incepit, ita dirimit convivium, atque inde omnes non tumultuoso et lascivo ethnicorum more, sed summa cum modestia discedunt. Atque ex iis ita expositis Tertullianus concludit non in his Christianorum, sed ipsi gentilium coetibus esse illicitas damnandasque factiones.

Nec potiori quidem iure hi clamitabant eosdem Christianos publicarum omnium calamitatum esse auctores. Nam ante auditum illorum nomen plures insulae ab auctore nostro denominatae aut maris fluctibus aut motibus terrae absorptae sunt. Constat etiam antea, ac priusquam ulli essent Romanorum dii, totum orbem terrarum generali nec tantum campestri, ut Plato putavit, periisse diluvio. Ad haec vero priusquam Iudaei in Aegyptum migrassent, atque adeo longe antea quam Christus religionem suam fundasset, ultor ignis Sodomam et Gomorrhiam, Vulsinios et Pompeios consumpserat. Nemini quoque incertum, Romanos Cannensi praelio fuisse profligatos, et captum Senonibus capitolium, cum Romani deos suos, et nulli Christiani verum Deum adorarent. Demum eadem antea fuit urbium atque templorum clades et ruina. At haec non potuerunt iis, quorum erant templa, factitiis diis adscribi, sed impietati hominum qui eos coluerunt ac vero Deum, omnium honorum fontem, aut ignorantes aut aspernati omni vitiorum scelerumque genere sese contaminaverant. Huc accedit, quod ab eo tempore, quo exorta est Christi religio, leviores procul dubio fuerunt publicae huiusmodi calamitates. Illi quoque sectatorum innocentia iniquitatem saeculi temperavit. Et vero ubi calamitate aliqua mundus premebatur, tum ethnici falsos deos suos ritibus solitis perperam fatigabant: Christiani vero continentia, ieiuniis aliisque poenitentiae actibus exorabant veri Dei misericordiam. Non haec itaque veri Dei cultores, sed ethnici, illum spernentes, publicarum calamitatum causa erant (cap. 39. 40.).

Instat adhuc Tertullianus iniquissimos esse horum deos, si propter Christianorum scelera illos tantis malis afflicent ac conficiant. Nec sinit hoc telum in Christianos retorqueri, quos Deus iisdem atque gentiles calamitatibus opprimi patiebatur. Iustos quippe homines, uti ipse

dixit, non discernet ab iniustus, nisi in ultimo post mundi finem iudicio. Quapropter voluit omnia in hoc humanae vitae cursu omnibus esse communia, et adversa quidem bonis in admonitionem, malis vero in castigationem. Nullis praeterea adversis laedebantur Christiani, quibus nihil erat optabilius, quam de hoc mundo exire. Quaecunque autem vexatione concuterentur, spem fiduciamque suam praedicatione divinarum Scripturarum recreabant. At ethnici e contrario nihil in adversis solatii a diis suis neque in hac neque in futura vita habentes iniustos utique colebant et ingratos (cap. 41.).

Quid praeterea magis absurdum alia ethnicorum de Christianis expostulatione, qua conquerebantur eos esse infructuosos ac reipublicae inutiles? Non enim Brachmanes erant, aut sylvicolae, sed quaelibet cum iisdem ethnicis commercia ubique habebant ac solis exceptis superstitionis illorum ceremoniis sic artes miscebant et operas, ut cum iis et de illis viverent. At templorum nostrorum, inquebant gentiles, vectigalia minuuntur. Sed quibus, ait Tertullianus? Numquid hominibus diisque vestris mendicantibus? Nonne Christiani opem illis penitentibus semper ferunt, eorumque misericordia plura *vicatim* tribuit, quam gentiles *templatim*? Cetera vero vectigalia iidem Christiani tanta fide expendunt, quanta improbitate ab ethnicis fraudantur (cap. 42.).

Quinam autem, pergit Auctor noster, de Christianorum querebantur inutilitate? Nonne lenones, perductores, aquarioli, sicarii, venenarii, magi et alii eiusdem farinae homines? At eis infructuosos esse fructus est. Ceterum si Christiani aliquid reipublicae asserant detrimenti, illud daemonia ex ipsorummet ethnicorum corporibus eiciendo, satis superque compensabant. Verum gentiles tanta profecto crudelitate, quanto reipublicae damno occidebant Christianos, quorum comperta omnibus esse debebat innocentia, vel eo solo, quod sceleratis cum pleni essent carceres, nullus ibi, nisi suum solum ob nomen, Christianus reperiatur (cap. 43. 44.).

Neque inde tantum probatur illorum vitae morumque integritas, sed ex divinis etiam illorum legibus, quae sanctitate et auctoritate sua omnibus humanis longe praestant. Nam hae homicidium, illae iram, hae adulterium, illae concupiscentiam, hae maleficium, illae maleloquium, illae iniuriam vindicari praecipunt, hae iniuriae vicem reddere prohibent. Huc accedit quod omnia quae in humanis gentiliū legibus probantur, haec ex divinis Christianorum statutis delibata sunt. Praeterea maiorem esse harum, quam illarum auctoritatem hinc plane conficitur, quia humana lex perfringi facile potest, vel propter reorum laebas et peccandi necessitatem, vel propter supplicii brevitatem, non ultra obitum infligendi. At nihil prorsus latere potest Deum, qui aeternas de quibuslibet criminum consciis poenas repetit. Quid mirum ergo, si tanta fuerit, sicuti iam demonstratum est, Christianorum illum timentium innocentia, et gentiliū proconsulem metuentium perversitas (cap. 45. 46.)?

At philosophi nostri, aiebant isti, eandem ac Christiani profitebantur innocentiam, iustitiam, patientiam, sobrietatem, pudicitiam. Si ita est, respondet Tertullianus, cur plures philosophi superstitiones gentiliū adapernati laudantur donanturque statutis ac salariis, Chri-

stiani vero idcirco torquentur et interficiuntur? Numquid Socrates, daemones sibi semper adsistentis opera usus est et Aesculapio sacrificavit, melior fuit Christianis, qui daemones fugant et expellunt? Numquid Thaletis, qui de Deo interrogatus nihil respondit, aut Platon qui dixit Deum esse inventum et enarratum difficilem, maior aut melior est scientia, quam cuiuslibet Christiani operibus, qui Deum invenit quis ille sit confestim explicat? Numquid Christianorum, qui continentiam servant, aut nullam praeter uxorem foeminam concupiscunt minor aut peior est pudicitia, quam Platonis adolescentium corruptio vel Diogenis Phrynen meretricem perditae amantis, vel Speusippi adulterio morientis, vel Democriti sese, ne mulieres corruptis occideret, obcaecantis? Quae vero fuit aut Diogenis modestia, superbi Platonis alia superbia calcantis, aut Pythagorae et Zenonis tyrannid affectantium? Quae Lycurgi aequitas, qui ob emendatas leges suam mortem sibi conscivit? Quid plura? Nonne Aristoteles tam turpi Hermiam loco suo expulit, quam Alexandro adulatus est? Nonne Platonis gratia venditatus, Aristippus nepotatus, Hippas in insidiis se alteri paratis, occisus memorantur? At Christianus ab iis omnibus alienissimus nihil unquam his simile tentavit. Si quis enim ex caetera regula disciplinae, tum desiit esse Christianus.

Ethnici ergo frustra venditabant philosophos suos Christianis scientia aequiparari. Nam hi ipsi philosophi, quemadmodum poetae ac philosophi, plura quidem placita ex sacris divinae nostrae Scripturae factis hausserant, sed eius simplicitatem ac sermonem tunc obscuri despicientes, ea pravis corruerunt suis opinionibus. Ex hac quibusdam sacra Scriptura agnoverunt unum dumtaxat esse Deum: sed hunc Platonem incorporeum, Stoici corporeum, Epicurus ex atomis, ex numero Pythagoras, Heraclitus ex igne ortum esse docuerunt. Simili quocumque modo Plato divinam illis providentiam asseruit, quam negavit Epicurus. Aliqui illum extra mundum, alii in eo positum censebant. Eandem sane ob causam variae fuerunt illorum de mundi ortu et duratione de animae humanae natura opinioniones. Neque obiciendum est a quibusdam quoque Christianis adulteratam fuisse recentem Christi doctrinam. Nam hi, inquit Tertullianus, haeretici sunt, et adversus errorem illorum praescribimus certissima veritatis regula, quae ab eiusdem Christi discipulis ad nos transmissa est.

Maligna insuper daemonum calliditate pravoque illorum instinctu gentiles philosophi et poetae quasdam excogitarunt fabulas, ut falsam veritatis in Scripturis sacris traditae similitudine ceteri hominis ipsi potius, quam Christianis, sibi odiosis, fidem praestarent. Sic enim finxere aliquod apud inferos tribunal, Pyriphlegetontem fluvium et Elysios campos; quia a nostris acceperant ultimum fore hominum omnium iudicium, aeternas improborum poenas ac piorum sempiternam in paradiso felicitatem. Sed quis nesciat scriptis nostris, utpote antiquioribus, potius quam aliis recentioribus, sicuti archetypo potius quam imagini credendum (cap. 47.)?

Et certe Pythagorica animarum transmigratio longe verior integra corporum nostrorum restitutio. Nemo quippe inficias unquam ibi corpus humanum ab eo retici posse, a quo anima de uno in ali-

corpus migrandi potestatem habere perperam fingitur. Verum enimvero fictitia plane est illa animarum migratio; quandoquidem nullus unquam se in bestiam reformatum agnovit. Praeterea hoc animae de uno in aliud corpus transitu una hominis pars viva, altera semper mortua remanet. At necesse omnino est totum hominem ad pristinam suam vitam redire, ut de bonis aut malis a se in hac vita actis ultimum a Deo iudicium referat. Quid vero, quod anima nihil sine corpore pati potest, quae tamen non sine illo aliquid meruit? Neque dixeris, id non posse unquam ab ullo fieri. Nam qui te, cum non esses, sicut et omnem mundum, de nihilo creavit, potest utique temetipsum, postquam esse desieris, totum sicuti eras reficere. Postremo lux, tenebrae, sidera, fructus terrae, semina, et cetera alia quam plurima reviviscunt, quanto magis ad vitam redibit homo, qui quidem si se Pythiae oraculo noverit, omnium morientium et resurgentium est dominus? Ubicunque ergo, aut quocunque modo ad nihilum redactus fuerit, ad vitam potestate illius revocabitur, *cuius est nihilum, sicut et totum.*

Numquid igitur, arguet aliquis, moriendum semper et resurgendum? Ita sane, ait Tertullianus, si Deo placuisset. At ille, qui ex diversis ac contrariis rebus creavit omnia, voluit utique homines mortuos ad pristinam vitam semel eo medio temporis puncto excitari, quod in fine mundi inter hanc temporaneam aetatem ac aeternitatem deinde futuram intercedit.

Tunc autem Dei cultores consequentur aeternae felicitatis praemium, quemadmodum profani et iniqui sempiterno igne cruciabuntur. Huius porro ignis, a terreno nostro plane diversi, exempla nobis suppeditant fulmina et montes semper ardentes. Quae quidem etsi philosophi agnoverint, aliique non improbaverint, hanc tamen Christianorum sententiam deridebant. Fac tamen, si Deo placet, illam esse falsam. At certe omnibus ipsa aeternae aut poenae aut mercedis spes utilis est et necessaria. Quaecunque porro illa sit, non idcirco tamen in Christianos gladiis, bestiis, crucibus et ignibus, exultante populo, saeviendum erat. Ethnici igitur insulse prorsus gestiebant ac gloriabantur de illorum suppliciis, qui damnari potius quam a Deo excidere optantes immortalem agebant triumphum (cap. 48. 49.).

Sed rursus gentiles acriusque vociferabantur nullam Christianis esse querendi causam, si sua sponte patiantur. At his Auctor noster respondet illos more pati militum, qui licet belli deprecentur pericula, totis tamen decertant viribus, ac demum gaudentes praedam, victoriam et gloriam adipiscuntur. Christianorum quippe victoria gloriam habet placendi Deo et vitae aeternae praedam. In glorioso autem hoc certamine ipsa, quibus cruciantur, instrumenta illis sunt habitus victoriae, vestis palmata et currus triumphantis. Nec desperati ergo nec perditū dici poterant ab ethnicis, qui Mutii, Empedoclis, Didonis, Reguli, Anaxarchi, Atticae meretricis, Zenonis Eleatis, Laconum aliorumque in tormentis et crudelissima nece fortitudinem et constantiam non maximis tantum extulerunt laudibus, sed eos etiam statuis, imaginibus, titulis ad quandam ex morte ad vitam revocationem et gloriae aeternitatem decorarunt. Tanto igitur abest ut Christianus, qui a Deo, pro



quo patitur, veram aeternitatem expectat, insanus sit, quin potius inde innocentiam suam et ethnicorum iniquam probet crudelitatem. Nonne etiam hi ipsi christianam mulierem ad lenonem potius quam leonem damnando palam confitebantur labem pudicitiae omni tormentorum genere, et morte ipsa atrociorum ab illa et aliis Christiani reputari? Neque inde, ne bilum quidem, gentilibus sua proficiebat saevitia, quandoquidem sanguis martyrum semen erat Christianorum, quo mirum in modum crescebat semper illorum numerus. Sua siquidem morte longe plures effecerunt discipulos, quam Cicero, Seneca, Diogenes, Pyrrhon et Callinicus, qui suos ad doloris tolerantiam et mortem cohortati sunt. Gentiles namque primum quidem invictam admirati sunt Christianorum constantiam. Tum dehinc agnoverunt tantae constantiae causam et christianae religionis veritatem. Eam porro agnitam ulla absque mora amplexati miro incensi sunt ardore martyrii, quo non solum remittuntur omnia peccata, sed tota etiam Dei gratia redimitur. Gratias igitur agebant ethnicorum sententiis, quibus damnati a Deo absoluebantur (cap. 50.).

## ARTICULUS II.

Ostenditur Tertullianum esse huius libri auctorem, ac quis ille fuerit, quae eius patria, qui parentes, quorum falsis religionibus primum imbutus fuit.

Constat sane, ac communis omnium nemine hactenus refragante sententia fuit, Tertullianum huius Apologetici libri verum genuinumque esse auctorem. Si quis tamen certa huiusce opinionis argumenta sibi proferri desiderat, abunde ei satisfacere haud difficile est. Nam praeter complures manuscriptos remotioris et propioris aetatis codices, in quibus hic ipse liber Tertulliani nomine inscribitur, Eusebius, cuius hac in re fides nulli suspecta esse debet, post transcripta quaedam huiusce libri verba, ibidem adiecit: *Ταῦτα Τερτυλλιανός, τούς Ῥωμαίων νόμους ἠκριβωκώς ἀνήρ, τά τε ἄλλα ἐνδοξος καί τῶν μάλιστα ἐπὶ Ῥώμῃ λαμπρῶν, ἐν τῇ γραφείῃ μὲν αὐτῷ τῇ Ῥωμαίων φωνῇ, μεταβληθείση δὲ καί ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα γλώσσαν ὑπὲρ Χριστιανῶν ἀπολογία* (Euseb. lib. II. Eccles. Histor. cap. 2.). Quae quidem Rufinus sic latine interpretatus est: *Haec Tertullianus vir et legum et institutionum Romanarum peritissimus, et inter nostros scriptores admodum clarus, in Apologetico suo, quem adversus gentes pro nostra fide scripsit* (Ruf. lib. II. cap. 2.). Nec male profecto, si aliqua non omisisset latine sic vertenda: *Postea graecum in sermonem translato*. Persuasum itaque Eusebius et ipse etiam Rufinus habuerunt hunc librum a Tertulliano conscriptum fuisse. Plura adhuc idem Eusebius, memorato Tertulliani nomine, ex hoc eodem libro transcripsit (Euseb. lib. III. cap. 23.), et alicubi addidit: *Εἴληται δ' ἡμῖν ἡ ἱστορία ἐξ ἧς ἀνωτέρω δεδηλώκαμεν τοῦ Τερτυλλιανοῦ Ῥωμαϊκῆς ἀπολογίας, ἧς ἡ ἐρμηγεία τοῦτον ἔχει τρόπον. Porro ex Tertulliani Apologetico, latine conscripto, cuius supra mentionem fecimus, haec a nobis desumpta est narratio* (Ibid. cap. 35.). Sic enim Valerius graeca Tertulliani verba latina fecit. Alio denique adhuc in libro, citatis similiter Tertulliani nostri verbis, haec praemisit (Idem lib. V.

ap. 5.): *Μάρτυς δὲ τούτων γένοιτ' ἂν ἀξιόχρεως ὁ Τερτυλλιανὸς ἢ Ῥωμαϊκῇ συγκαλήτῳ προσφωνήσας ὑπὲρ τῆς πίστωσης ἀπολογία, καὶ καὶ πρόσθεν ἐμνημονεύσασιν, τὴν τε ἱστορίαν βεβαίων σὺν ἀποδείξει μελῶν καὶ ἐναργεστέρῃ. Sed et Tertullianus, ita interprete Valesio, eiusdem rei idoneus testis est in Apologetico, quem pro fidei nostrae defensione ad senatum urbis Romae latino sermone conscripsit, cuius etiam supra mentionem fecimus, ubi hanc historiam validiore atque evidentiore argumento confirmat.*

Ad haec vero Hieronymus in sua ad Magnum epistola (Hieronym. Epist. 83. ad Magn. pag. 656.): *Quid Tertulliano, inquit, eruditius, quid acutius? Apologeticus eius et contra gentes libelli cunctam saeculi obtinent disciplinam.* Plura autem in rem adeo certam et evidentem congerere nihil necesse est, nisi velis ipsi soli meridiano lucem afferi.

Antequam vero ad hunc librum more nostro examinandum veniamus, operae pretium est investigare quis hic ipse illius auctor fuerit. Primo itaque quatuor, nullo adhuc reclamante, feruntur haec eius nomina: *Quintus, Septimius, Florens, Tertullianus.* Neminem vero movere debet haec tot nominum turba. Nam plures totidem appellati sunt, ut ab aliis suae gentis ac familiae hominibus discernerentur. Primum autem erat praenomen, quo is, cui imponebatur, ab omnibus suis fratribus distingui posset. Etenim praenomina, sicuti Varro nos monuit, sunt instituta ad usum singularia, quibus discernentur nomina gentilitia, ut a numero *Prima, Secunda, Tertia, Quarta, in viris, ut Quintus, Sextus, Decimus; sic ab aliis rebus, cum essent duo Terentii aut plures, discernendi causa ut aliquid singulare haberent, notabant, ut ab eo qui mane natus diceretur, ut esset Manius, qui luce, Lucius, qui post patris mortem, Posthumus* (Varr. lib. VIII. de Ling. Latin. pag. 124.).

Nomen vero erat gentilitium, sive a gente desumptum, ex qua suum aliquis ducebat originem. Cognomen porro, quod plures ab agnominibus distingunt, datum est, ut, cum in una familia plures eiusdem erant nominis, unusquisque ex qua natus fuisset, dignosceretur. At quidam tamen opinantur agnomen ideo dictum, quod tribus iam memoratis accesserit vel ob praeclarum aliquod factum, vel virtutem aliquam, vel aliquod animi vitium, vel corporis naevum, vel aliam similem ob causam. Sed de his plura Sigonius, Onuphrius Panvinius et alii (Sigon. de Nomin. Roman. cap. 5. Onuphr. de Nomin. Rom. §. 13. et 16.).

Tertulliani itaque praenomen fuit *Quintus*, haud dubie quia quinto inter fratres suos ordine natus erat. Nonne *Septimius*, uti ipse his significat verbis, quibus librum de Virginibus Velandis sic absolvit: *Haec cum bona pace legentibus, veritatem consuetudini praeponentibus, pax et gratia a Domino nostro Iesu redundet cum Septimio Tertulliano, cuius hoc opusculum est* (Tertull. lib. de Virg. Veland. cap. 17.). Nomen autem illud *Septimii* habuit, quia ortus est ex Septimia gente. Quia vero plures erant huius familiae viri, additum ei cognomen *Florens Tertullianus*, nisi probetur a cognomine distingui illud agnomen, quod ipsi aliquam peculiarem, uti annotavimus, ob causam sit adiectum.

Ceterum tametsi quatuor ipsi fuerint nomina, solo nihilominus

Tertulliani nomine ab Eusebio, uti iam vidimus, atque ab Hieronymo et aliis, quemadmodum infra nec semel animadvertemus, appellatur. Atque eo etiam solo Apologeticus eius liber in manuscriptis nostris codicibus inscriptus est.

Qua autem in provincia et urbe natus sit, nos docet Hieronymus hisce verbis: *Tertullianus . . . provinciae Africae, civitatis Carthaginiensis* (Hieronym. Catal. Scriptor. Eccles. cap. 53.). Quamobrem in chronico Eusebiano dicitur *Tertullianus Afer* (Chron. Euseb. ad ann. Christ. CCVIII.): ab Optato autem *Tertullianus Carthaginiensis* (Optat. lib. I. de Schism. Donatist. pag. 8.). Sed quid testibus opus est pluribus, cum ipsemet Tertullianus patriam suam his, quae in illo, de quo agitur, Apologetico legimus, verbis indicet? *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad proconsulatum Tiberii . . . teste militia patriae nostrae quae id ipsum munus illi proconsuli functa est* (Tertullian. Apologet. cap. 9.). At insuper se Carthagine natum fuisse testificatur alio in libro, quem Carthaginensibus obtulit. Oblivionis enim vitium ibi eis ideo exprobrat, quod etsi ariete olim in bellis usi fuissent: *Cum tamen, inquit, ultimarent tempora patriae, et aries iam Romanus in muros quondam suos auderet, obstupere illico Carthaginenses, ut novum extraneum ingenium* (Idem lib. de Pallio cap. 1.). Nonne autem inde colligi potest his verbis non minus clare suam, quam illorum quos alloquitur patriam ab illo designari?

Carthagine igitur haud dubie natus est, *patre*, ut ait Hieronymus, *centurione proconsulari*: vel sicut in Eusebii Chronico legimus, *ille centurionis proconsularis filius* fuit. At non magno quidem in honore erant proconsulis centuriones et milites, utpote qui illius apparitores villa ministeria obire consueverant (Hieronym. Catal. Scriptor. Eccles. cap. 53. Chron. Euseb. ad ann. Christ. CCVIII.).

Ab hoc autem patre suo Tertullianus et aliis nunc incognitis parentibus suis ethnicis ortus nefandas illorum superstitiones cum lacte suxit palamque postea professus est. Nam ubi de veris Christianorum dogmatibus disputat, eosdem ethnicos sic affatur: *Haec et nos risimus aliquando; de vestris fuimus: sunt, non nascuntur Christiani* (Tertullian. Apologet. cap. 18.). Suam vero, qua tunc laborabat, caecitatem ac veri Dei ignorantiam his verbis alio in libro deplorat: *Poenitentiam hoc genus hominum, quod et ipsi retro fuimus, caeci, sine Domini lumine, natura tenus norant, passionem animi quandam esse, quae veniat de offensa sententiae prioris* (Init. lib. de Poenitent. cap. 1.).

Tum ergo, quemadmodum eruditi viri observaverunt, veri Dei et christianae religionis lumine privatis profanis spectaculis delectabatur. De his enim ille alicubi dixit: *Malo non implere, quam meminisse* (lib. de Spectac. cap. 19.). Quin etiam non sine animi dolore confitetur se in turpia carnis vitia esse prolapsus: *Ego enim inquebat, scio me neque alia carne adulteria commisisse, neque tunc* (legendum nunc) *alia carne ad continentiam eniti* (lib. de Resurrect. Carn. cap. 59.). Nec minus aperte declarat se aliorum peccatorum suorum poenituisse: *Tu peccator mei similis, imo me minor. Ego enim prae-*

*sentiam in delictis meam agnosco* (lib. de Poenitent. cap. 4.). Ac rursus postea: *Peccator omnium notarum cum sim, nec ulli rei nisi poenitentiae natus, non facile possum super ea re tacere* (lib. de Poenit. cap. 12.). At nulli procul dubio mirum videbitur, si ethnicus homo, qui deos adulteros et adulteris peiores adorabat, eorum exempla, sicut Chaereas apud Terentium (Eunuch. III. 5, 43.) sequi voluerit. Sed quanta haec crimina Tertulliano olim ethnico voluptati, tanto ipsi christianam postea religionem profitenti, uti ex eius libris atque hoc praesertim Apologetico patet, horrore fuerunt.

## ARTICULUS III.

Quibus rationibus Tertullianus ad christianam religionem adductus et quando eam professus est.

Quibus Tertullianus rationibus ad Christi fidem amplexandam impulsus sit, si quis postulat, is a Georgio Ambianensi capucino audiet tres illas fuisse: Christianorum innocentiam, excellentiam sacrae Scripturae, ac miram eorundem Christianorum in daemones potestatem (Georg. Vind. Tertull. part. II. quaest. 1. et 2.). Verum haec ipsa, quantumvis valida, rationum momenta ille eadem qua adstruxerat manu destruit. Nam continenter adiunxit ethnico Iudaeosque, quales utique erant Ulpianus et Suetonius, Iosephus et Philo, aliosque doctissimos viros, hisce rationibus non minus attento, quam Tertullianus, animo ponderatis, non potuisse ad christianae religionis professionem adduci. Quamobrem putat, Tertullianum nutantem adhuc ac fluctuantem aliqua singulari divinaque visione impulsam christianae religioni suam dedisse nomen. Sed undenam, quaeso, Georgius didicit a memoratis ab eo cum gentilibus tum Iudaeis illas christianae religionis probationes tanta quanta a Tertulliano animi attentione, aequitate, sinceritate expensas et ponderatas? Unde etiam accepit, Tertullianum illa singulari visione fuisse donatum, qua privatus, aliis quantumlibet validissimis rationibus, ad christianam religionem adduci nunquam potuisset? Siccine ergo christiano religiosoque homini licet mera eaque levissima coniectura eorum vim et robur infirmare argumentorum, quibus christianae religionis veritas, ut infra ostendemus, invictissime demonstratur? Sed doctus ille vir animum haud dubie non satis adverterat ad ea Tertulliani in Apologetico de martyrum patientia verba: *Quis non contemplatione eius concutitur ad requirendum quid intus in re sit? Quis non, ubi requisivit, accedit? Ubi accessit, mori exoptat* (Tertullian. Apologet. cap. 50.)? Et rursus ille alteri libro sic finem imponit: *Quisque tantam tolerantiam spectans, ut aliquo scrupulo percussus, et inquirere accenditur quid sit in causa, et ubi cognoverit veritatem, et ipse statim sequitur* (lib. ad Scapul. cap. ultim.). At si quilibet gentilis, nec omnino pertinax nec iniquus rerum aestimator, sic agnita christianae religionis veritate eam amplexatus est, quanto magis Tertullianus, qui alios animi sagacitate et aequitate longe superabat?

Quid vero, quod ille maxime Christianorum in daemones potestatis oculatus testis fuit, aut saltem de illa ita persuasus, ut ethnicos ad

periculum illius coram omnibus faciendum provocet, ac nisi daemones ab illis adiurati se deos non esse fateantur, horumce Christianorum velit fundi sanguinem? At *quid isto, inquit, opere manifestius, quid hac probatione fidelius? Simplicitas veritatis in medio est* (Idem, Apologet. cap. 23.). Exploratam igitur habuit huius rationis et experientiae vim, cui a nemine, nisi falsis praeiudiciis penitus obcaecato, resisti posse arbitrabatur.

Nec minus perspecta ipsi fuit Scripturae sacrae auctoritas, quam, inquit, *qui adierit, inveniet Deum; qui etiam studuerit intelligere, cogetur et credere* (Ibid. cap. 18.). Nonne ergo et ille ibi Deum invenit, et falsos agnovit gentilium deos, ac veram esse christianam religionem? Tantus enim luminibus haec veritas fulgebat, ut ab omnibus voluntaria obstinatione non obcaecatis statim susciperetur. Sed audias velim illum haec enarrantem: *Testimonium ignorantiae est, quae iniquitatem dum excusat, condemnat; cum omnes qui retro oderant, quia ignorabant quale sit quod oderant, simul desinunt ignorare, cessant et odisse. Ex his fiunt Christiani, utique de comperto, et incipiunt odisse quod fuerant, et profiteri quod oderant* (Ibid. cap. 1.). At certe si tot gentiles, fatente ipsomet Tertulliano, his omnibus aut singulis rationibus facti sunt Christiani, quanto magis ille, cui adeo comperta fuit falsitas religionis ethnicorum et christianae veritas. Ad illam igitur reiiciendam et hanc amplexandam opus non habuit ea, quam Georgius finxit, divina visione.

Quando autem christianae religioni nomen dedit, non ita facile dixeris. Opinatus est enim Pamelius librum De Pallio publicam in lucem ab illo emissum anno Christ CXCv., et statim ac ille christiana religione initiatus fuit. Sed falsa est huius scriptoris opinio in assignanda huius libri aetate, quem longe postea, nimirum post ipsius a catholica Ecclesiae defectionem, et circa annum CCXI. scriptum nunc peritiores existimant.

Alio igitur modo investigandum est susceptae ab illo huius professionis initium. Discimus autem ex Hieronymo editam ab eo *de coniugii molestiis* commentationem *cum adhuc esset adolescens* (Hieronym. lib. I. adv. Iovin. pag. 157.). Quamvis autem eum iuvenili aetate lusisse in hac materia dixerit, Eustochium tamen virginem ad hunc sicut et alios Cypriani, Damasi atque Ambrosii libros legendos adhortatur: *Et nunc, inquit, eadem admoneo, ut, si tibi placet scire quot molestiis virgo libera, quot uxor adstricta sit, legas Tertullianum ad amicum philosophum* (Idem Epist. 18. ad Eustoch. p. 37.). Sed in dubium haud immerito vocari potest utrum hic liber, cuius iam a longo tempore iacturam fecimus, a Tertulliano ethnico aut christiano fuerit compositus. Verum cui, inquiet aliquis, verisimile videbitur, Hieronymum christianae virgini auctorem suasoremque esse voluisse, ut hunc sicut Cypriani, Damasi et Ambrosii libros pervolutaret, si quid vidisset in illo contra statas christianae religionis leges? Quomodo autem Tertullianus huiusmodi librum conficere potuit, nisi iisdem legibus abunde fuerit institutus? Atqui nullus, illo ipso teste, christianam religionem eiusque leges agnovit, quin illam confestim voluerit profiteri. Praeterea Hieronymus haec adhuc de illo memoriae manda-

*vi: Hic usque ad mediam aetatem presbyter Ecclesiae* (Idem Catalog. Script. Eccl. cap. 53.), videlicet catholicae, *permansit*, et idcirco antequam Montani haeresi infectus fuisset. Tum vero ille ibidem adiecit: *Partur vixisse usque ad decrepitam aetatem*, ad annum scilicet octogesimum, aut si velis, nonagesimum. Orthodoxus igitur presbyter permansit ad annum aetatis suae circiter quadragesimum. At nec tunc primum quidem, nec statim post emissam christianae religionis professionem, ad hunc sacrum ordinem evectus videtur. Ergo iuvenili in aetate ex ethnico Christianus factus videtur. Quanti autem in tota hac argumentatione sit ponderis, periti quique pronuntient.

## ARTICULUS IV.

De Tertulliani coniugio et summo continentiae amore, de eius sacerdotio; utrum presbyter factus maritorum more cum uxore vixerit, nec sacris ordinibus initiatus distinxerit a laicis: quodnam fuerit illius vivendi genus, quam asperis moribus, quomodo et quando in Montanistarum haeresin prolapsus, ac quo aetatis suae et Christi anno longiorem vitam finierit.

Uxorem certe Tertullianus habuit eamque christianam, uti ex duobus, quos ad illam scripsit, libris evidentissime demonstratur. At nostrae aetatis scriptores in controversiam vocant, utrum ille adhuc gentilis, aut Christianus illam gentilem aut christianam duxerit. Nam mos quidem, ut ipse Tertullianus testatur, Christianis tunc erat, ut inirent ethnicarum mulierum connubia nullumque in illius aliorumve scriptis extat vestigium, quo deprehendi possit, utrum ille ducta iam uxore ad Christi castra convolaverit. Verum si ex iis quae paulo ante diximus, inferri possit ab illo adhuc iuvene in leges Christi iuratum, nonne et hinc quoque concludi potest ductam ab eo postea uxorem? Ubi enim Christianus factus est, maiori observandae christianae legis studio semper flagravit, quam ut ipse Christianus aliam in matrimonium nisi christianam acciperet. Et vero in citatis ad Uxorem libris ei persuadere conatur, ut si ipse prior ex hac vita migraverit, illa aut permaneat in viduitatis statu, aut christiano nubat viro, si velit secundis nuptiis illigari. Nonne autem vero prorsus simile est, illum paruisse legibus, quas uxori suae praescripsit? Sed hasce coniecturas aliorum iudicio permittimus.

Cum sua porro uxore Tertullianus, solito coniugum more, haud dubie vivebat, quando illi libros proxime laudatos direxit. Eam quippe, si ipse prior moriatur, ad continentiam in viduitate servandam sic cohortatur: *Et quod in matrimonio*, inquit, *non valuimus, in viduitate sectemur. Amplectenda occasio est, quae adimit quod necessitas imperabat* (Tertull. lib. I. ad Uxor. cap. 7.). Quorsum enim haec ad illam fecit verba, si a consueto matrimonii usu ipse uxorque eius sibi semper temperavissent? Nemo tamen est, qui inde non intellegat, quanto Tertullianus continentiae castitatisque studio inflammatus semper fuerit.

Minus autem mirum omnibus videri deberet, quod ille uxorem suam ad continentiam his in libris adhortetur, si vera sit de tempore, quo scripti sunt, quorundam cum heterodoxorum tum catholicorum opinio. Ab illo enim editos suspicantur tam ingravescente ipsius

quam florente ac vivida uxoris aetate. Quamobrem putant in iis conditas illius quasi testamenti tabulas. Sed non aliud opinionis suae argumentum proferunt, nisi haec Tertulliani verba, quae prioris libri initio ita leguntur: *Nam saecularibus satagentes sumus, et utriusque nostrum consultum volumus. Si talibus ordinamus, cur non magis de divinis atque caelestibus posteritati nostrae prospicere debeamus, et legatum quodammodo praelegare admonitionem et demonstrationem eorum, quae ex bonis immortalibus et de haereditate caelorum deputatur* (Ibid. cap. 1.)? Sed quia in codice Agobardi, uti nos monet Rigaltius, his legitur *talibus*, id correctum voluit, ac legendum: *talibus tabulas ordinamus*; et inde colligit hos libros testamenti instar a Tertulliano aetate iam plurimum provento compositos (Rigalt. Not. 1. in hunc libr.).

Sed tametsi res ita esset, numquid testamenta nunquam, nisi in gravescente iam aetate, ab hominibus facta obsignataque sunt? Numquid nemo prudens homo, ac praesertim christianus, etsi florente adhuc aetate de morte semper incerta et testamento suo conscribendo cogitavit? At certe Tertullianus eo potiori iure de illo condendo qualibet aetate sua cogitare debuit, quod tunc saevientibus in Christianos ethnicis nescire non poterat vitam suam quotidie periclitari. Nonne etiam ille, tanto tamque singulari, uti diximus, continentiae castitatisque amore semper incensus potuit quolibet vitae suae tempore uxorem suam ad eam, si unquam vidua foret, conservandam adhortari? Ad haec vero si illa, cum Tertullianus edendis his libris operam dabat, adhuc erat, ut aiunt, vivida, numquid ex ficta quorundam illius verborum significatione concludi potest illum senem fuisse aut decrepitem? Neque audiendi sunt, qui obiciunt plura in his libris occurrere, quibus Tertullianus suum in Montanistas iam propensum animum patefacit. Numquid enim quia uxorem suam ad continentiam adhortatur? At nonne ipse etiam Paulus apostolus Christianos ad eandem virtutem cohortatus est? Sed nobis sufficit quod concedant Tertullianum, cum hos ad uxorem scribebat libros, nondum in Montanistarum lapsum fuisse errorem. Ad mediam enim usque aetatem, uti Hieronymus a nobis citatus testificatur, presbyter catholicae Ecclesiae fuit. Ergo longe ante senectutem suam libros illos composuerat.

At quemadmodum de Tertulliani coniugio constat, ita sane extra dubium esse videtur illum sacro presbyteratus ordine fuisse inauguratum. Etenim Hieronymus et libri de Praedestinatorum haeresi auctor illum Ecclesiae presbyterum haud dubitanter appellant (Hieronym. Catal. Script. Eccl. cap. 53. pag. 115. Praedestin. cap. 26. pag. 28.). Quamobrem Alixius memoratae Rigaltii de libris a Tertulliano iam aetate confecto ad uxorem scriptis opinioni eo lubentius subscripsit, quod inde confici posse putabat eundem Tertullianum, postquam presbyter factus est, cum uxore sua solito vixisse more maritali. Sed haec sententia et ruinoso prorsus, uti annotavimus, fundamento ac falsis Calvinianae haereseos praeiudiciis innixa est. Et certe quo maiori continentiae studio Tertullianus, ut saepius diximus, ardebat, eo minus probabile est illum, postquam presbyteratus ordini adscriptus fuit, non stetisse in aliorum Latinae Ecclesiae sacerdotum vestigiis, qui sese ab

solita uxorum consuetudine continebant. Paucissimos siquidem atque ad summum duos vel tres invenias, qui secus egerint. Nemo autem illa unquam ratione ostendet, Tertullianum horum potius, quam illorum sibi ad imitandum proposuisse exempla.

Verum alius nescio quis forsitan sacrorum ordinum oppugnator a nobis postulabit, cur Tertullianus, si presbyter fuit, sese aliquando a laicorum retulerit numerum. Nam in libro de Oratione: *Nos, inquit, vel maxime nullius loci homines* (Tertull. lib. de Orat. cap. 14.). Sed quamvis hic, sicuti opinantur, esset horum verborum sensus, nihil tamen ex eis contra Tertulliani sacerdotium concludi potest. Certum enimvero non est, utrum, quando haec scripsit, tum adhuc in grege non fuerit laicorum.

At quidam nobis haud dubie obiicient ab illo sublatum fuisse omne laicos inter et clericos discrimen, ubi de utrisque hunc loquitur in modum: *Unde episcopi et clerus? Nonne de omnibus? . . . Sed cum extollimur et inflamur adversus clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes sacerdotes; quia sacerdotes nos Deo et Patri fecit; cum ad peraequationem disciplinae sacerdotalis provocamur, deponimus infulas et impares sumus*. Ita quidem ille in libro de Monogamia (Idem lib. de Monog. cap. 12.). Simili quoque modo in alio de Exhortatione Castitatis: *Differentiam, inquit, inter ordinem et plebem constituit Ecclesiae auctoritas, et honor per ordinis concessum sanctificatus; adeo ubi ecclesiastici ordinis non est concessus, et offers et tinguis et sacerdos es tibi solus* (Idem lib. de Exhort. Castit. cap. 7.).

Verum nemini incompertum est, illum, dum haec scriberet, iam animo imbibisse Montanistarum errores, quos ibidem secutus adiecit: *Sed ubi tres, Ecclesia est, licet laici* (Ibid.). Quamobrem errantium more vel sibi non constitit, vel nomen sacerdotis non proprio et strictiori, sed improprio et latiori accepit significatu, quemadmodum non semel sumitur ab Ioanne his, ad quae alludere videtur verbis: *Fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo* (Apocalyps. cap. I. 6.). Atque iterum postea: *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes* (Ibid. cap. V. 10.). Ipse enimvero idem Tertullianus, tametsi tunc Montani sectator, alio in libro sic loquitur: *Est hodie soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter dominica solemnia per ecstasin in spiritu patitur . . . Post transacta solemnia dimissa plebe, quo usu vlet nobis renuntiare quae viderit* (Tertull. lib. de Anim. cap. 9.). At certe ibi ille sese a plebe seu omnium laicorum grege secernit.

Privatam autem solitariamque egit vitam ac reiecta communi omnium veste sumptoque philosophorum pallio se ex publicorum negotiorum tumultu subduxisse testificatur. Haec enim sunt eius ficto eiusdem pallii sui nomine verba: *Ego nihil foro, nihil campo, nihil curiae debeo; nulli officio advigilo, nulla rostra praecoecupo, nulla praetoria observo; canales non odoro, cancellos non adoro, subsellia non contundo, iura non conturbo, causas non elatro, non iudico, non milito, secessi de populo: in me unicum negotium mihi est; nisi aliud non curo quam ne curem* (Idem lib. de Pall. cap. 5.).

Moribus vero tam castis sanctisque fuit, quam duris profecto et



asperis. Severioris quoque disciplinae non solum sectator erat, acerrimus etiam, ac ultra statos aequitatis limites defensor et patronus. Nec parum quidem verisimile videtur illum falsa severitatis, quam Montanistae prae se ferebant, specie deceptum in eorum haeresin sese dedisse praecipitem. Sed huc ingenita animi duritia inclinantem traxerunt falsae quarundam mulierum illius haeresis veneno imbutarum visiones atque praedictiones. Denique *invidia et contumeliis clericorum Romanae Ecclesiae*, ait Hieronymus, *ad Montani dogma delapsus in multis novae prophetiae meminit, specialiter autem adversus Ecclesiam* (Hieronym. Catalog. Script. Eccl. c. 53. p. 115.).

Primam itaque vitae suae, quae longior procul dubio fuit, partem in Ecclesia catholica, alteram miserando sane nec satis unquam deplorando casu inter Montanistas haereticos transegit. Nam sicut pergit idem Hieronymus: *Usque ad mediam aetatem presbyter Ecclesiae permansit* (Ibid.). Addit autem ibidem eruditissimus scriptor illum floruisse potissimum sub Severo principe et Antonino Caracalla atque, uti fertur, pervenisse ad decrepitam usque aetatem. Si vero peritioribus nostri temporis scriptoribus fidem habeamus, natus fuerat circa annum Christi CLX. et anno circiter CCXLV. mortuus est. Inficias porro nullus ibit, longiorem media parte fuisse vitae illius cursum, cuius postremam partem in propugnandis absurdis haereticorum erroribus consumendo et sibi ipsi et aliis quampluribus nocuit. Quamobrem recte jam laudatus a nobis Hieronymus: *In Tertulliano*, inquit, *laudamus ingenium, damnamus haeresin* (Idem. lib. III. Apolog. adv. Rufin. pag. 463.). At de illius ingenio paulo uberius agendum est.

## ARTICULUS V.

De Tertulliani ingenio et multiplici eruditione; utrum iuriconsultus fuerit et idem ac Tertulianus; de eius stylo ac scribendi modo et nominis celebritate.

Severo morum vivendique genere Tertullianus sequebatur innatos impetus ingenii, acutissimi quidem et acerrimi, sed non minus asperi ac vehementis. Quapropter Hieronymo vocatur: *acris et vehementis ingenii vir* (Hieronym. Catalog. Script. Eccl. cap. 53., pag. 115). At quamvis id tacuisset, durum et impatiens illius ingenium passim ubique in eius lucubrationibus emicat. Quid ergo mirum, si ille intra legitimos patientiae, mansuetudinis ac moderationis limites sese continere saepius non potuerit? Et ipse certe tam sincero quam poenitenti animo palam confessus est se patientiae virtute non omnino fuisse praeditum. His enim suum de eadem patientia librum orditur verbis: *Confiteor ad Dominum Deum satis temere me, si non etiam impudenter, de patientia componere ausum, cui praestandae idoneus omnino non sum, ut homo nullius boni, quando oporteat demonstrationem et commendationem alicuius rei adortos ipsos prius in administratione eius rei deprehendi, et constantiam commonendi propriae conversationis auctoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubescant* (Tertull. lib. de Patient. cap. 1.).

Verum si acriores animi impetus virtute patientiae mitigare non semper valuit, ingenio certe pollebat ad quamlibet scientiam facile con-

sequendam aptissimo. Quantum vero omni eruditionis genere abundaverit, ex his conice Vincentii Lirinensis verbis: *Sicut Origenes apud Graecos, ita hic apud Latinos nostrorum omnium facile princeps iudicandus est. Quid enim hoc viro doctius? Quid in divinis atque humanis rebus exercitatus? Nempe omnem philosophiam et cunctas philosophorum sectas, auctores assertoresque sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum ac studiorum varietatem miram quaedam mentis capacitate complexus est. Ingenio vero nonne tam gravi ac vehementi excelluit, ut nihil sibi paene ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruerit aut pondere eliserit? Jam porro orationis suae laudes quis exequi valeat? Quae tanta nescio quae rationum necessitate conserta est, ut ad consensum sui quos suadere non potuerit, impellat. Cuius quot paene verba, tot sententiae sunt, quot sensus, tot victoriae. Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praezae, Hermogenes, Judaei, Gentiles, Gnostici ceterique, quorum ille blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus vertit.* (Vincent. Lirin. Commonitor. cap. 24.). Sed tantis laudibus illam haud dubie omnigenam Tertulliani eruditionem cumulat, qua inprimis libros suos in christianae religionis et orthodoxorum dogmatum defensionem scriptos passim ubique conspersit. Quamobrem praeter Eusebium et Rufinum, iam a nobis citatos, aliosque complures, ab Hieronymo appellatur *vir eruditissimus* (Hieronym. adv. Vigil. pag. 285. et Epist. 83. ad Mag. pag. 656.), quo quidem nihil est eruditius et acutius. In ipso autem, de quo nunc disputamus, ipsius Apologetico et aliis adversus gentes libellis id emicare haud dubitanter affirmat. Operae igitur prorsus inutilis foret, hoc, sicut facile est, illustrium cuiuslibet aetatis scriptorum testimoniis comprobari, quod a nemine ignoratur, et ipsamet auctoris scripta manifestissimum omnibus faciunt.

At praetermittere tamen non possumus singulare quoddam eruditionis genus quod his Eusebius verbis in Tertulliano laudavit: *Τερτυλλιανός τοῖς Ῥωμαίων νόμοις ἠκριβωκῶς ἀνῆρ τὰ τε ἄλλα ἐνδοξος καὶ τῶν μάλιστα ἐπὶ Ῥώμῃ λαμπρῶν* (Euseb. lib. II. Histor. Eccles. cap. 2. pag. 41.), id est Valesio interprete: *Tertullianus vir et legum Romanarum peritissimus, et inter latinis scriptores celeberrimus.* Valesio longe antea praeverat Rufinus eundem paene in modum: *Tertullianus vir et legum, inquit, et institutionum Romanarum peritissimus, et inter nostros scriptores admodum clarus* (Ruf. lib. II. Hist. Eccles. cap. 2.). A vero autem longe absunt qui inde concludi posse autumant, Tertullianum nostrum professione sua fuisse iurisconsultum eumque ipsummet esse Tertullianum, qui revera leges publice docuit et interpretatus est. Nam uterque propriis suis nominibus satis distinguitur. Deinde vero quis nesciat posse aliquem iuribus legibusque Romanorum affatim imbui, tametsi illorum scientiam nunquam in scholis publicis professus fuerit? Non ibi itaque Eusebius Tertulliani professionem laudat, sed perfectam legum Romanarum doctrinam atque peritiam.

Par tantae illius eruditioni non erat elocutio. Aequos autem et idoneos ea de re iudices si desideras, en tibi praesto est Lactantii, qui Cicero christianus audit, iudicium: *Septimius Tertullianus fuit omnis*

*genere litterarum peritus, sed in eloquendo parum facilis, et minus comptus, et multum obscurus* (Lactant. lib. V. Inst. Divin. cap. 1. pag. 459.). Neque dixeris ibi Lactantium loqui de Tertulliani potius Apologetico aliisque libris adversus ethnicos scriptis, quam ceteris eius operibus. Etenim eadem est Hieronymi de omnibus illius commentationibus sententia, quam hisce paucioribus verbis pronuntiavit: *Tertullianus creber est in sententiis, sed difficilis in eloquendo* (Hieronym. Epist. 49. ad. Paulin. pag. 567.). Nemo autem est, qui notata ab utroque orationis difficilis, inornatae et obscurioris vitia non statim deprehendat.

Alii vero reprehendunt inaequabilem eorum, quibus ille utitur, argumentorum varietatem. Gravissimis siquidem et invictissimis, inquirunt, argumentationibus plures alias rapidioris ingenii acumine excogitatas quandoque intermiscet, quae levissimi aut nullius plane sunt momenti.

At plerique omnes fatentur illud vitiosum sive dicendi sive argumentandi genus, sicubi occurrat, micanti prorsus sententiarum gravitate summaque aliorum argumentorum vi ac pondere, quasi mira quadam compensatione, leniri et resarciri. Et vero si Vincentium Lirinensem, non omnino ineptum iudicem, iam a nobis citatum, rursus audire velis: *Tanta, inquit, nescio qua rationum necessitate, oratio eius conserta est, ut ad consensum sui quos suadere non potuerit, impellat. Cuius quot paene verba, tot sententiae sunt, quot sensus, tot victoriae.* Eam sane ob causam ille, sicuti aiebat Chronici Eusebiani auctor: *Omnium ecclesiarum sermone celebratur* (Euseb. Chron. ad annum Christ. CCVIII.). Ecclesiarum autem dicit non solum Occidentis, sed etiam Orientis. Quidam enim illius libri ob magnum, quo aestimabantur, pretium in graecam linguam, ut paulo antea annotavimus, conversi ab graecis hominibus non minus avidè, quam a latinis legebantur.

Tanti porro Cyprianus eos fecit, ut idcirco Tertullianum magistrum appellaverit suum nec diem ullum sine alicuius ex illius libris lectione praeterire voluerit. Huius autem tam assiduae lectionis testis omni fide maior nobis est Hieronymus, qui a quo et quam certo id acceperit, sic enarrat: *Vidi ego quendam Paulum Concordiae, quod oppidum Italiae est, senem, qui se beati Cypriani iam grandis aetatis notarium cum ipse admodum esset adolescens, Romae vidisse diceret referreque sibi solitum, nunquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unum diem praeteriisse, ac sibi crebro dicere: Da Magistrum, Tertullianum videlicet significans* (Hieronym. Catalog. Script. Eccles. cap. 53., pag. 115.). Quin etiam plane asseverat hoc ex ipsismet Cypriani libris testatum satis fieri. Ad Pammachium enimvero et Oceanum haec in verba scripsit: *Beatus Cyprianus Tertulliano magistro utitur, ut eius scripta probant; cumque eruditi et ardentis viri delectetur ingenio, Montanum cum eo Maximillamque non sequitur* (Idem Epist. 42. pag. 342.). Nec dubium sane est quin alii quamplurimi, quemadmodum Cyprianus, Tertulliani libros pervolutaverint. De illo siquidem haec rursus ab Hieronymo litteris mandata legimus: *Multa scripsit volumina, quae quia nota sunt pluribus, praetermittimus* (Hieronym. ibid.) At quomodo illis adeo nota esse poterant, nisi ea saepe saepius legissent?

## CAPUT II.

De libri Apologetici aetate, quibus directus nuncupatusque sit, utrum auctoris nomine primum inscriptus, quis illius titulus, quodve argumentum, a quibus in capita divinus et praefixa capitum summaris, quo applausu susceptus, a quo in graecam linguam conversus ac quo stylo conscriptus.

## ARTICULUS I.

Quo tempore Tertullianus Apologeticum publicam in lucem emisit.

Extra omne dubium est Tertullianum, uti iam ostendimus, esse huius Apologetici libri verum ac genuinum auctorem. At quo tempore eum composuerit, non una est omnium consensio. Georgius enim Ambianensis putant illum a Tertulliano editum primis Severi imperatoris annis, hoc est paulo post annum Christi CXCIII. (Georg. Vind. Tertull. part. III. §. 1. pag. 20.), quo ille Romani imperii habenas moderari coepit. Suam autem opinionem inde confirmare conatur, quod existimet Tertullianum, ubi de superstitie parricidarum, qui necem imperatoribus intulerant, racematione loquitur, ibi de Pertinacis interfecto-ribus fecisse sermonem (Tertullian. Apologetic. cap. 35.) Quia vero Albini, qui adversus Severum imperatorem conspiravit, nomen, quod in textu Tertulliani ibidem legitur, huic sententiae adversari cernebat, illud intrusum atque ex libro ad Scapulam huc translatum esse pronuntiat (Idem lib. ad Scapul. cap. 2.). Sic itaque difficultatis nodum unius verbi amputatione secari voluit. Verum qua, amabo te, ratione? Nulla penitus, ac contra omnium manuscriptorum codicum auctoritatem. Everso itaque vanae illius opinionis fundamento et ipsa penitus ruat necesse est. Quin etiam illius falsitas ex mox dicendis adhuc clarius patebit.

Scaliger autem et Allixius opinati sunt hunc librum in lucem tantum prodiisse post eiusdem Severi imperatoris mortem, quae anno Christi CCXI. mense Februario accidit. At nullam opinionis suae aliam reddunt rationem, nisi quia arbitrantur hac Tertulliani verba: *Papias leges heri constantissimus principum Severus exclusit* (Idem Apologet., cap. 4.), non aliter, quam de hoc imperatore iam mortuo posse intellegi. Numquid ergo adverbium *heri* illum potius mortuum, quam adhuc viventem significat? Deinde vero ibi Severus glorioso constantissimi principis titulo exornatur. At quomodo Tertullianus hoc elogio illum decorare potuit, nisi antequam publicis edictis diram in Christianos excitasset persecutionem? Atqui eam movisse perhibetur exeunte anno Christi secundo supra ducentesimum. Tertullianus igitur hunc librum ante hunc annum, ac proinde ante huius imperatoris obitum confecisse dicendus est. Nec minus quidem certo illud probari posset his illius verbis: *Leges adversus Christianos nullus Severus impressit*, quae in quibusdam huius Apologetici manuscriptis et editis codicibus leguntur (Ibid. cap. 5.). Quia tamen in aliis editionibus et septem nostris codicibus manuscriptis scriptum est: *nullus Verus impressit*, haec, de quibus adhuc postea, non ultra quam oporteat urgenda duximus.

Instat vero Allixius: ad suum Tertullianus de Praescriptionibus Haereticorum librum alludere videtur, ubi in Apologetico contra illos

sic disputat: *Expedite praescribimus adulteris nostris illam esse regulam veritatis, quae veniat a Christo, transmissa per comites ipsius, quibus aliquando posteriores diversi isti commentatores probabuntur* (Ibid. cap. 47.). At numquid hoc argumentum adversus novatores et doctrinae christianae corruptores ab alio adhiberi non potest, nisi ab eo, qui librum De Praescriptionibus Haeticorum ediderit? Deinde vero si ibi ad hunc librum collineare voluit, cur illum clarioribus verbis non indicat, atque iis utitur, quae de illo, uti alii putant, tam conficiendo quam iam composito possunt intellegi? Denique non constat inter eruditos quo tempore Tertullianus hunc De Praescriptionibus librum publicam emisit in lucem. Peritiores autem critici censent ab eo divulgatum, cum nondum ab Ecclesia catholica defecisset.

Neminem porro, uti opinamur, illud movebit quod Allixius adhuc obiecat designatam a Tertulliano sibi videri insolitam eclipsin, quae anno Christi CCX. contigit (Ibid. cap. 20.). Quod enim citat libri Apologetici caput, in eo nullum plane extat singularis et insolitae alicuius eclipsis indicium nullaque significatio.

Alii itaque existimant hunc librum a Tertulliano elucubratum fuisse, cum Severus orbi Romano imperabat. Non enim illum nisi adhuc regnantem, nec in Christianos adhuc palam saevientem, constantissimi, uti paulo ante diximus, imperatoris elogio exornasset. Deinde vero ubi de perduellibus, laesae majestatis reis ac publicis hostibus postea disserit: *Unde, inquit, Cassii et Nigri et Albini?* (Ibid. cap. 35.), qui videlicet de summa imperii potestate cum legitimis imperatoribus decertaverant. At post occisum mense Maio anni CXCIII. Pertinacem imperatorem C. Pescennius Niger purpuram et imperium in Pannonia assumpsit eiusque in partes transiit Cassius Clemens. Niger vero victus a Severo ac profligatus tertio praelio illius copiis fuga salutis suae consulere frustra conatus est. Ab iis enim, qui fugientem insequabantur, occisus fuit sub finem anni CXCIV., vel CXCIV. initium. Post haec Severus Albino, quem falsis blanditiis, ne hostium suorum numerus auferretur, deceperat, bellum intulit. Commisso tandem prope Lugdunum praelio, Albinus initio anni CXCVII fractus ac fusus, mortem sibi conscivisse perhibetur.

Neque tamen tunc omnino finitum est civile bellum. Superfuerunt etenim huius factionis fautores, de quibus ibidem Tertullianus noster: *Sed et qui nunc scelestorum, ait, partium socii ac plausores quotidie revelantur, post vindemiam racematio superstes,* (Ibid. cap. 38.) At haec clarius ab Aelio Spartiano hunc in modum explicantur: *Multi sane post Albinum, fidem ei servantes, bello a Severo superati sunt* (Spartian. in Vit. Sever. pag. 323. col. 1.). *Ultus est igitur graviter Albinianam defectionem, interfectis plurimis, genere quoque eius extincto, iratus populo et senatoribus Romam venit.* Tum deinde post memorata varia Severi itinera illud adiecit: *Inter haec Pescennianas reliquias, Plautiano auctore, persequabatur, ita ut nonnullos etiam ex amicis suis, quasi vitae suae insidiatores appeteret* (Ibid. ead. pag. col. 2.). Atque ex his posterioribus verbis aliqui confici posse existimant, Tertulliani Apologeticum in lucem prodixisse non solum post extinctas, de quibus ille disserit, perduellium reliquias, sed post

Plautiani etiam caedem, qui iubente Caracalla anno Christi CCIV. aut CCV. interfectus est.

In huius autem opinionis confirmationem adduci quoque poterant subsequencia eiusdem Spartiani de hoc ipso imperatore verba: *Multos etiam, quasi Chaldaeos aut vates de sua salute consulissent, interemit, praecipue suspectos unumquemque idoneum imperio, cum ipse parvulos adhuc filios haberet, idque dici ab iis vel crederet vel audiret, qui sibi augurabantur imperium* (Ibid.); nam Tertullianus eodem citato a nobis capite dixit: *Eadem officia, in principum scilicet solemnitatibus, dependunt, et qui astrologos et aruspices et augures et magos de Caesaris capite consultant.* (Tertullian. Apologet. cap. 35.).

Negari quidem non potest hanc argumentationem non minimi profecto esse ponderis, si ethnici proximam imperatorum mortem operantes magos aliosque divinandi arte peritos de solius Severi imperatoris salute semel tantum consulissent. At certe Tertullianus hanc consultationem saepius propositam et repetitam fuisse haud obscure significat. Praeterea si haec illius de iisdem seditiosis factionibus verba: *Sed et nunc . . . quotidie revelantur*, attentiori animo expendamus, nonne inde colligi recte potest, de illis sermonem ab illo fieri tanquam nondum penitus extinctis, sed ad summum sopitis, caputque amplius attollere non audentibus? Nondum ergo Severus habuisse videbatur apertas cum Plautiano similitates. Atque Plautianus filiam suam Plautillam Caracallae eiusdem Severi filio in matrimonium anno CCIV. collocavit. Anno autem subsequenti ille, teste Herodiano, manifestam Caracallae, generi sui, qui tum uxorem suam oderat, audaciam furoremque veritus in eius imperium insidiis invadere molitus est (Herodian. lib. III. in Vita Sever. pag. 254. et seqq.). Sed his relictis Caracalla illum, praesente Severo patre suo, iussit occidi. Ante hunc igitur annum Tertulliani Apologeticus, sed non multo prius, scriptus videtur. Quorsum enim Plautiani potius quam Albini et aliorum perduellium nomini pepercisset? Post annum itaque CXCVII., quo Albinus violentas sibi manus attulit, et ante annum CCIV. aut CCV., quo Plautianus necatus est, hunc Tertullianus librum confecit.

Probabile tamen quibusdam videtur eum a Tertulliano profectum anno posteriore, quo Antonini Caracallae decennalia Caesariani imperii celebrata sunt, atque ignis persecutionis in Christianos concitatae ardentius flagrabat. Nam de iis Tertullianus in hoc Apologetico saepius disputavit (cap. 2.). Deinde vero plures quidem ab aliis imperatoribus in Christianos leges latas memorat, sed nullum a Severo. Nonne ergo Tertullianus ante promulgata huius in eos edicta hunc Apologeticum librum divulgavit?

At quamvis ille hoc in libro adversus ethnicos, qui principum solemnia non minus nefario quam superstitioso ritu agebant, acerrime invehatur, non de Caracallae tamen potius, quam Severi aliorumque principum solemnitatibus disserit. Ad Christianorum autem persecutiones et leges in eos scriptas quod spectat, facile concedimus Severum imperii sui iuitio iis revera favisse. Ipse siquidem Tertullianus testis est huiusce favoris, cuius hanc reddidit rationem: *Ipse*.

etiam, inquit, Severus, pater Antonini, Christianorum memor fuit (Tertull. lib. ad Scapul. cap. 4.). Nam et Proculum Christianum, qui Torpacion cognominabatur, Euhodiae procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requisivit, et in palatio suo habuit usque ad mortem eius, quem et Antoninus optime noverat, lacte christiano educatus. Fatemur quoque nullam in Apologetico fieri legis ab eodem Severo in Christianos sancitae mentionem.

Verum non inde certo concludi posse putamus illum editum fuisse postquam Caracalla anno CCXI. solus imperare coepisset, atque ethnici eo iam regnante in Christianos omnes crudelissime furebant ac bacchabantur. Tantus quippe erat ethnicorum in eos furor, ut is solus ac vanus veterum legum praetextus ipsis ad quoslibet nunquam non excrucianos suffecerit. Neque id a nobis temere fingitur. Eosdem enimvero gentiles Tertullianus noster his compellat verbis: *Quoties in Christianos desaevitis, partim animis propriis, partim legibus obtemperantes! Quoties etiam, praeteritis vobis, suo iure nos inimicum vulgus invadit lapidibus et incendiis! Ipsius Bacchanalium furiis nec mortuis parcunt Christianis, quin illos de requie sepulturae, de asylo quodam mortis iam alios, iam nec totos, avellant, dissecant, distrahant* (Tertullian. Apologet. cap. 36. pag. 459.). Paulo autem prius ille dixerat: *Nec ulli magis deprecatores Christianorum, quam vulgus* (Idem cap. 35. pag. 451.), caecum nempe et vesanum, quod sua proculdubio rabie ac ingenito quasi furore, nullo autem legum praescripto ad vexandos necandosque Christianos ferebatur. Huc accedit, quod ethnici in eos refundebant publicarum omnium calamitatum causam. Ubi igitur aliqua accidisset, tum confestim, teste adhuc Tertulliano, conclamabant: *Christianos ad leonem* (Ibid. cap. 40.).

Adire tamen nobis videmur aliquem, qui adhuc instabit haec aliaque plura in hoc Apologetico non potuisse ab Auctore nostro describi, quamdiu Severus imperator favit Christianis nec ullam adversus eos legem dederat. Verum si nullius legis ab eo latae Auctor noster meminit, id alii de industria factum esse opinantur, ne magis irritaret viventis tunc imperatoris animum, sed facilius ad sanio rem mentem illum revocare posset.

Ea porro sunt rationum momenta quibus diversae de huius libri aetate opiniones innituntur. At iis sedulo expensis, si haec posterior aliis praeposenda tibi videatur, fatendum est hunc librum vulgatum fuisse post excitatam ab eodem Severo adversus Christianos persecutionem, non quidem anno CXCVII. aut CXCVIII., ut quidam frustra opinantur, sed anno CCII., quo idem Severus leges in eos revera condidit et decimum, ut ait Eusebius, imperii sui annum agebat (Euseb. lib. VI. Eccles. Hist. cap. 2. pag. 101. et seqq.).

At si quis iudicet non satis valida esse huius opinionis firmitate, is certe non diffitebitur ex his, quae paulo ante annotabamus, recte profecto colligi posse hunc Tertulliani librum in lucem ab illo emissum fuisse aliquo post Albinum necem tempore, id est post CXCVII., quemadmodum observavimus, Christi annum. Quoniam vero Tertullianus ibidem significat repressos fuisse maiores factionis illius impetus, ac quasdam tantum superfuisse illarum reliquias, inde sane con-

dudendum est, huius libri aetatem anno CIC. aut potius CC. consignandam videri.

Urgebit tandem aliquis, tunc Tertullianum, ut saepius dictum est, non attingisse quadragesimum quintum aetatis suae annum. Atqui summa eruditio, quae mirum in modum et passim ubique in hoc illius Apologetico refulget, proveciorem aetatem desiderare videtur. Imo vero supernum, uti alii respondent, divini luminis et gratiae auxilium. Praeterea Tertullianus tam excellenti ac perspicaci ingenio praeditus erat, ut quadragesimo aetatis suae anno hac ipsa aliaque maiori eruditione imbui et ea totum hunc librum complere haud difficiliter potuerit.

## ARTICULUS II.

Quibusnam antistitibus et praesidibus hunc Tertullianus Apologeticum librum nuucupaverit.

Quanto apertius clariusque Tertullianus ipso Apologetici initio prodidit illum a se directum *Romani imperii antistitibus in aperto et edito, in ipso fere vertice civitatis praesidentibus* (Tertullian. Apologet. cap. 1. pag. 257.), tanto maiori animorum contentione inter eruditos disputatur quinam cuiusve civitatis fuerint illi praesides. Apud plurimos quidem opinio iam dudum invaluerat his verbis Romanum senatum significari; aliis tamen postea visum est designari praesides Carthaginis; aliis demum quotquot toto Romano in imperio praesides erant.

Primae autem opinionis fautores nituntur his ipsis, quae citavimus, Tertulliani verbis. Non aliam enimvero urbem nisi Romam indicari arbitrantur. Et certe quis alius, inquirunt, esse potest ille apertus et editus civitatis vertex, nisi Romanorum Capitolium, quod Tertullianus periphrasi potius quam suo nomine appellandum censuit? Nonne etiam in huius sententiae confirmationem illud proferri poterit, quod de solis eclipsi, quae Christo moriente contigit, scriptum ab illo legitur: *Eum mundi casum relatam in arcanis vestris habetis* (Ibid. cap. 21.)? Quenam etenim illa sunt, nisi Romanorum arcana sive archiva et chartophylacia, in quibus acta publica recondebantur? Nam ibi ille narrat Pilatum Tiberio imperatori nuntiavisse non solum hanc eclipsin, sed ea etiam extraordinaria omnia quae ante et post Christi mortem acciderant. Quis autem facile non concedet Tiberium iussisse haec in iisdem reponi et servari arcanis, ad quae scrutanda Tertullianus Romanos provocat?

At quod ille obscurius, hoc Eusebius clarius his, quae nulla obscuritate involvuntur, retulit verbis: Tertullianus apologiam suam τῆ Ῥωματικῆ συγκλήτῳ προσφωνήσας: *Ad senatum Romanum conscripsit* (Euseb. lib. V. Hist. Eccles. cap. 5. pag. 169.). Nec minimum quidem roboris huic sententiae eo afferri autumant, quod Tertullianus Romae diu commoratus sit. Rursus namque de illo Eusebius haec posteris scripto tradita reliquit: *καὶ τῶν μάλιστα ἐπὶ Ῥώμης λαμπρῶν: Et Romae celeberrimus fuit* (Idem ibid. lib. II. cap. 2. pag. 41.). Haec quoque accedit Hieronymus (Hieronym. Catal. Scriptor. Eccles. cap. 53. pag. 115.), qui testificatur illum clericorum Romanorum vetatum fuisse invidia et contumeliis. Ubi autem, nisi cum Romae degebat?



Sed nihil, inquit alii, obstat quominus Tertullianus, etiam dum Carthagine habitaret, illis invidiae et calumniarum aculeis pūgeretur. Tam enim frequens erat inter Romanos et Carthaginenses commercium, ut quam Tertullianus meruerat summae eruditionis et doctrinae famam, ab invidis Romanae Ecclesiae clericis potuerit lacerari. Nec alio certe quam ad hanc illius famam Eusebius, verbis proxime citatis, respexisse ipsis videtur. Neque etiam his ille denotat aliquam Tertulliani in urbe Roma habitationem, sed maximam apud Romanos nominis et famae eius, ob singularem doctrinam scriptaque sua celebritatem.

Urgere tamen alii poterant, neminem prorsus diffiteri posse illum Romam saltem semel venisse. Quis enim hoc negare auderet, quod ipsemet Tertullianus disertissime asseruit? *Gemmarum nobilitatem vidimus Romae de fastidio illo Parthorum et Medorum ceterorumque gentilium suorum coram matronis erubescens, nisi quod nec ad ostentationem fere habentur* (Tertull. lib. I. de Cultu Foem. cap. 7.). At certe sicut semel, ita saepius Romam ire potuit ibique commorari. Optime quidem reponent alii: Sed quomodo probari poterunt alia Tertulliani in hanc urbem itinera, aut eum ibi revera mansisse quando Apologeticum conficiebat?

Quamobrem plures arbitrantur illum prorsus Carthagine editum oblatumque huiusce civitatis praesidibus. Etenim ab illius, uti iam vidimus, exordio illos vocat *in aperto et edito vertice civitatis praesidentes* (Idem Apologet. cap. 16. pag. 259.). Rursum vero alibi: *In ista, inquit, civitate, in qua suum elucubrabat Apologeticum. Atqui Roma non civitas, sed urbs, atque eo solo Urbis nomine per autonomasiam appellari solebat. Nonne enim haec ipsamet sunt eius verba: Liberum . . . consules auctoritate non modo Urbe, sed universa Italia eliminaverunt* (Ibid. cap. 6. pag. 305.)?

Deinde se tunc illinc absuisse haud obscure Tertullianus ipse significat. Nam post citata proxime illius verba dixit: *Ecce in illa religiosissima urbe Aenadarum piorum, id est Roma, est Iupiter quidam* (Ibid. cap. 9. pag. 317.). Vides hanc ab eo vocari urbem, et his verbis, *in illa*, significari se ab ea fuisse remotum. Ad haec vero, ubi patrios ut indigetes quarundam nationum deos recenset: *Romanas, ut opinor, inquit, provincias edidi, nec tamen Romanos deos earum, quia Romae non magis coluntur, quam qui per ipsam quoque Italiam municipali consecratione censentur* (Ibid. cap. 24.). At sane si hunc librum Romano senatui nuncupasset, non his verbis: *Romanas, Romanos, Romae*, sed potius istis: *vestras, vestros, et a vobis* utique uteretur. Eundem tamen in modum alibi adhuc locutus est (Ibid. cap. 21. pag. 392. cap. 35. pag. 451.).

Instant praeterea, nullam in hoc libro fieri senatus Romani mentionem, sed sicuti initio *antistites et praesidentes*, ita et in fine *praesides* compellari. Iam vera audisti priora eius verba, nunc posteriora audias velim: *Sed hoc agite, boni praesides, meliores multo apud populum, si illi Christianos immolaveritis* (Ibid. cap. 50. pag. 530.). At eo nomine non appellat Romanos senatores aut magistratus, sed alios in urbe ac provincia, in qua manebat, Africa videlicet et Carthagine *praesidentes et antistites*.

Quid vero, quod postquam ostendit humanas victimas apud varias gentes et Romanos ipsos diis immolari et in Catilinae coniuratione humanum sanguinem degustatum, tum haec subiunxit: *Longe excurro: hodie istic*, id est in ipsa urbe ubi haec scribebat, *Bellonae sacros sanguis de femore proscisso in palmulam exceptus esui datus signat* (Ibid. cap. 9.). Quis ergo, inquit, non videt ab illo suam civitatem a Romana aperte distingui?

Denique ethnicis opponit Christianos, Deum non *proconsulem timentes* (Ibid. cap. 45.). Ethnici igitur hunc, minime vero illum timebant. Proconsul autem non Romae, sed in provinciis hanc gerebat primam magistratus dignitatem. Verum alia superioris sententiae firmitate, quibus Romanos praesules compellatos esse ostendimus, his rationum momentis nec destruuntur nec infirmantur.

Tertia itaque et inter utramque hactenus a nobis expositam media illorum opinio est, qui arbitrantur hunc Apologeticum librum a Tertulliano directum fuisse non unius tantum civitatis aut provinciae, sed totius, quam longe lateque patebat, Romani imperii praesidibus. At ea si probari possit, aliarum assertores poterunt secum facile reconciliari. Utrum autem vera sit, quia id ab eius patronis non satis accurate demonstratum est, a nobis diligentius inquirendum. Primo itaque constat hunc librum nullis nominatim, sed generatim praesidibus missum esse et oblatum. Si qui enim nomine suo nec alii praeter illos appellarentur, nulla esse posset lis aut controversia. Nam iis hunc in modum nominatis absoluta sane ac perfecta causa erat.

Deinde vero fatentur omnes in hoc libro Romanos praesides, nec semel quidem, compellari. Ecquid enim id negaretur, quod iam probatum est atque his rursus verbis confirmatur: *Ut ad vos dominatores gentium adspiciam: Homo fuit Numa Pompilius* (Ibid. cap. 21.). Neque tamen hos tantum praesides, sed Quirites, et ipsam quoque plebem Romanam sic alloquitur (Ibid. cap. 35.): *Ipsos Quirites, ipsam vernaculam septem collium*, hoc est urbis Romae, *plebem, convenio, an alicui Caesari suo parcat lingua Romana?* Verumtamen aliud est, inquit, aliquos in libro suo alloqui, aliud vero iis suum mittere et nuncupare librum. Recte quidem. Sed cur, amabo te, omnes Romanos praesides, Quirites et plebeios nominibus suis appellavit, nisi quia suum ad eos librum mittendum esse certo noverat?

At satis perspicue ostendimus, non Romanos tantum, sed alios etiam praesides in hoc Tertulliani libro compellari. Exposita namque in secundae opinionis defensionem argumenta non minus aperte probant huncce librum aliis scriptum fuisse, quam Romano senatui aut praesidibus Romanis.

Huc accedit, quod auctor noster in hoc Apologetico, quemadmodum in duobus Ad Nationes libris, communem omnium, quotquot in orbe terrarum erant, Christianorum causam agit. Sicut ergo hos ad cunctas nationes, ita Apologeticum librum ad omnes Romani imperii praesides ab eo missos fuisse, cui verisimillimum non videbitur?

Neque dixeris scriptum ab illo quoque, in Christianorum defensionem, alium, ut ipse vocat, libellum, quem ad Scapulam, praeposito

illius nomine, direxit. Cur enim, obsecro te, huic quem, obiectas, libello proconsulis proprium nomen inscripsit? cur in eo ubique se ad eum speciatim scribere significat? cur e contrario in Apologetico, multo graviori ac longiori libro, nullius plane singularis hominis nec quorumdam praesidum nomen ullibi inseruit? Nonne haec ipsa ratio est, quia Apologeticum omnibus generaliter ethnicis praesidibus scribendum esse censuit? Et certe is videtur esse primorum libri illius verborum sensus: *Si non licet vobis, Romani imperii antistites*, id est, qui in toto Romano imperio primarii, principes et praesides estis, *in aperto et edito, in* (quae ultima particula desideratur in omnibus codicibus nostris, et editis antiquioribus) *ipso fere vertice civitatis*, nimirum cuiusque, *praesidentibus*. Ibi enim indefinite dixit: *Romani imperii antistites*, qui in aperto atque edito ipso vertice civitatis cuiuslibet ad alios iudicandos praesidetis. At haec interpretatio, et tertia opinio, id saltem habet commodi, quod facile tollat propositas ab aliarum sententiarum patronis difficultates et ipsasmet diversas sententias inter se conciliet. Nam hinc facile intelligitur cur quosdam praesides aliquando, alios vero nonnunquam in hoc appellaverit libro, quem Carthagine scribebat. Omnia porro trium illarum opinionum argumenta sive ab aliis proposita, sive a nobis adiecta candido simplicique more nostro exposuimus, ut quae maioris ac gravioris ponderis sint, omnes facile agnoscant ac quam veriolem iudicaverint opinionem amplectantur.

## ARTICULUS III.

Utrum Tertullianus huic Apologetico nomen inscripserit suum: de illius titulo, argumento, in capita divisione capitumque summaria.

Disputant eruditi nostrae aetatis scriptores, utrum Tertullianus huic libro nomen suum praefixerit. Verisimilius enim quibusdam videtur illud ab eo compressum; quandoquidem ab eius exordio palam expostulat sibi aliisque Christianis publicae defensionis viam praeccludi. Totidem quippe haec sunt illius verba: *Si denique, quod proxime accidit, domesticis iudiciis* (manuscripti nostri et melioris notae codices editi iudiciis) *nimis operata infestatio sectae huius obstruit defensionem* (in quibusdam editis additum *obstruit viam*), *liceat veritati vel occulta via tacitarum litterarum ad aures vestras pervenire* (Tertull. Apolog. cap. 1.). Si ergo Christianis non licuit causam suam publice ac coram iudicibus defendere, quanto minus Tertulliano, tam acriter gentilium errores impugnanti, ne prolato suo nomine, caput certo et inevitabili periculo temere offerret? Tum enim ille nondum superbum audacioremque Montanistarum animum induerat, sed catholicae Ecclesiae obtemperantem praeceptis, quibus cuilibet Christiano horrendis cruciatibus ac morti crudelissimae ultro se exponere vetabatur.

Quid vero, inquit alii, si martyrii desiderio inflammatus supplicia mortemque pro Christi confessione eo minus timuerit, quo ardentius eam optabat? Quid etiam, si persuasum omnino habuit nomen suum latere diu aliis non potuisse, sed fore ut ipso suo dicendi

genere omnibus statim fieret manifestum? Quamvis ergo iudicibus palam se sistere ausus non fuerit, potuit tamen occultae, ut ipse loquitur, tacitarum litterarum viae suum nomen praemittere, quod diu occultare non poterat. Nulla quoque videtur esse ratio, cur in huius potius libri, quam aliorum Ad Nationes et Ad Scapulam titulo nomen suum reticuerit.

Ceterum quidquid de tacito sive expresso Tertulliani nomine designatur, nemini plane dubium esse debet illud saltem Christianis non diu fuisse incognitum. Neque enim latuit Eusebio neque Lactantio, qui hunc librum non dissimulato, uti vidimus, eius nomine citaverunt. Quosdam igitur huius libri codices ad manum habebant, ipso Tertulliani tempore haud dubie descriptos, in quibus nomen eius praepositum erat. In duobus autem antiquissimis nostris codicibus manuscriptis hic est illius titulus: *Apologeticum Tertulliani*; et in fine haec verba leguntur: *Apologeticum Quinti Tertulliani Explicit*. In ceteris quoque aliis codicibus, tam manuscriptis, quam editis, hic liber *Apologeticum* aut *Apologeticus* inscribitur. Veram autem esse hanc inscriptionem non probatur hoc tantum illorum testimonio, sed Lactantii etiam, a quo is liber *Apologeticus* appellatur, et Eusebii, a quo graecis hisce citatur verbis (Lact. lib. V. Inst. cap. 4. pag. 470. Euseb. loc. supr. cit.): ὑπὲρ Χριστιανῶν ἀπολογία, id est *Christianorum apologia* et defensio. Plures autem in rem adeo certam ac probatam citare tam nobis longum quam aliis molestum foret.

Quantumlibet autem brevis sit hic titulus, totum tamen ipsius libri complectitur argumentum. In eo siquidem Tertullianus defensionem suscepit Christianorum planeque demonstrat illos contra omnia cuiuslibet naturalis divinae et humanae legis praescripta propter solum nomen suum, nec causa unquam audita, ab ethnicis condemnari et occidi, qui omnium rei erant scelerum, quorum eisdem Christianos falso falsius accusabant. Ex his itaque, quae in proposita a nobis huius libri analysi fusius explicata sunt, apertissime conficitur totum illius argumentum eo titulo exhiberi.

Quamvis autem hic ipse liber in omnibus editis ac manuscriptis etiam vetustissimis codicibus, varia in capita sit divisus, ea tamen divisio a Tertulliano profecta non est. Ecquis enim quantumlibet parum eruditus vel primo intuitu non deprehendit quam parum accurata quamque imperfecta sit? Plurimis autem, qui novas illius editiones adornarunt, illud ita persuasum fuit, ut hancce partitionem mutare non dubitaverint. Conatum vero illorum qui improbet putamus esse neminem. At nullus etiam negabit eos scopum nondum attingisse et hunc librum posse adhuc melius in capita distribui.

Porro autem si certum sit, hunc librum in capita Tertulliano non fuisse divisum, longe profecto certius est ab illo edita non esse eorundem capitum summaria seu argumenta. Et ea quidem in libris quaecumque antiqua manu exaratis ita inepta sunt ac praepostera, ut nihil peius fieri potuerit. Quamobrem posterioribus huius Apologetici editionibus praefecti studuerunt illa emendare; nec omnino quidem inutilis fuit eorum correctio, sed non ita absoluta, quin adhuc accuratiori castigatione indigeant.

## ARTICULUS IV.

Quanto applausu hic liber susceptus, a quo graecam in linguam conversus, quo stylo conscriptus, et utrum Tertullianus suscepto defensoris christianae religionis munere rite functus sit.

Summo sane omnium cum graecorum, tum latinorum Christianorum applausu communique approbatione susceptus lectusque fuit hic liber. Neque ad id probandum alio opus habemus teste, quam Eusebio, qui memoriae prodidit illum tanto apud Graecos fuisse in pretio, ut ab eis vernaculam suam in linguam conversus fuerit. Ab illo quippe his totidemque verbis citatur: *Τερτυλλιανός . . . ἐν τῇ γραφείῳ μὲν αὐτῷ τῇ Ῥωμαίων φωνῇ, μεταβληθεὶς δὲ καὶ ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα γλῶτταν, ὑπὲρ Χριστιανῶν ἀπολογία* (Euseb. lib. II. Eccl. Hist. cap. 2. pag. 41.). *Tertullianus . . . in apologia ab ipso quidem latine conscripta, postea vero in graecum sermonem translata.*

At quidam nostrae aetatis scriptores, eruditione sua conspicui, de huius graecae interpretationis auctore inter se dissident. Nonnulli enim opinantur hunc ipsum esse Eusebium. Sed hoc negant alii. Nam ubi idem Eusebius ex hoc libro plura transcripsit, quae Plinius ad Tiberium de Christi miraculis retulerat, ibi multa praetermisit, quae ad suum tamen propositum maxime conducebant. Sed non magni momenti est hoc argumentum. Maioris ponderis illud videtur, quod plura testimonia ex hoc adhuc libro ab eodem Eusebio desumpta non satis accurate in graecum sermonem versa sunt. Sed parum Ecclesiae interest scire quis hunc librum graece sit interpretatus. Nobis autem facilius persuadebitur eum graece redditum ante Eusebii tempora, et cum tyranni maiore persecutionis aestu in Christianos saeviebant. Non omnino siquidem obscure ille nobis significare videtur, hunc librum a se non antea lectum, quam graeco idiomate divulgaretur. Utcumque porro sese res habeat, inde profecto liquet quanti haec Apologia a graecis hominibus aestimata fuerit.

Quid ergo, inquiet aliquis, nonne aliud longè diversum Lactantius de illa iudicium his tulit verbis? *Septimius Tertullianus fuit omni genere litterarum peritus, sed in eloquendo parum facilis et comptus, et multum obscurus fuit. Ergo ne hic quidem satis celebritatis invenit*, id est famae et laudis (Lactant. lib. V. Inst. Divin. cap. 1.). Verum qui haec obiecerit, is animum, quaeso, ad ea advertat, quae superius diximus, ac primum quidem a Lactantio laudari omnigenam Tertulliani nostri eruditionem (Sup. cap. 1. Art. 5.). Deinde vero quod dixit illum non satis invenisse celebritatis, ita intelligi non debet, ac si minus validis rationum momentis causam egerit Christianorum, sed propter difficilem, incomptam ac multum obscuram dictionem atque elocutionem. Et sane qui hunc librum primariis, ut aiunt, labris attigerit, putamus esse neminem, quin statim fateatur illum frequentibus verborum a bona latinitate alienorum spinis, salebris asperitatibusque respergi, et magna involvi saepius obscuritate. At nullum quoque esse credimus, qui non fatebitur Tertullianum, si hoc in libro lectores suos verborum leporibus, venustate sermonis et politae elegantisque orationis suavitate non deliniat ac delectet, miro tamen styli acumine sententiarumque gravitate eos concuti, ac pleraque omnia

ihus argumenta tanti esse momenti ac ponderis, ut iis aut pertinaciorer conterantur atque obruantur. Neque tamen dissimulare possumus eam asperioris ingenii impetu nonnunquam raptum quaedam adhibuisse argumenta, quae aut infirma atque etiam falsa pluribus videntur. Verum infra demonstrabimus eos non satis diligenter attendisse, quantum ille hoc in libro brevitati consuluerit, et plura quae falsa putant, vera profecto deprehendi, si cum aliis, quae ipse alibi fusius enarrat, attento animo componantur.

Non iure autem prorsus immerito potest in hoc libro desiderari melior argumentorum dispositio et ordo, qui maius toto operi lumen attulisset et quo Tertullianus sibi facilius conciliasset lectoris benevolentiam et approbationem.

Verum nobis aliquis adhuc obiiciet Lactantium, qui hanc de eodem Tertulliani Apologetico tulit sententiam: *Quaquam Tertullianus eandem Christianorum causam plene peroraverit in eo libro, cui Apologetico nomen est, tamen quoniam aliud est accusantibus respondere, quod in defensione aut negatione sola positum est, aliud instruere quod nos facimus, in quo necesse est doctrinae totius summam contineri* (Lactant. lib. V. Inst. cap. 4.). Declarat enim duo ab iis agi debuisse, qui christianae religionis defensionem adversus ethnicos suscipiebant. Primum erat iis respondere, qui Christianos plurimum criminum insimulabant. Secundum, doctrinam christianae religionis ita exponere ac demonstrare, ut ea quilibet plene ac perfecte instrueretur. At ille primam huius causae partem a Tertulliano plene peroratam fatetur, minime vero secundam. Verum satis Tertullianus proposito suo esse putavit insulas evertisse ethnicorum Christianos cuiusvis gravissimi criminis accusantium criminationes, ac vindicasse illorum innocentiam ac morum integritatem. Quam recte autem id demonstraverit, ex data huius libri analysi atque aliis infra dicendis fiet omnibus manifestum.

Deinde vero ille penitus intactam non reliquit christianae doctrinae institutionem et explicationem. Nam praecipua eius capita breviter quidem, sed adeo sincere ac candide explicat, ut ab omnibus intelligi facile possit nihil esse et divinis institutionibus et rectae rationi, sicut postea ostendemus, magis consentaneum. Sed Lactantius longiorem proculdubio desiderabat horum documentorum expositionem ac probationem. Verum in superioribus nostris dissertationibus ostendimus non iustam omnino esse hanc querimoniam (Dissertat. in Minuc. Cap. 2. Art. 2. et in Lactant. Cap. 3. Art. 2.).

### CAPUT III.

De huius libri Apologetici manuscriptis codicibus, editionibus et variorum in eum paraphrasibus, scholiis et observationibus.

#### ARTICULUS I.

De variis huius libri manuscriptis codicibus.

Piures sane Apologetici a Tertulliano nostro editi codices manuscripti ad aetatem usque nostram pervenerunt. Duos enim indicat

Beatus Rhenanus, quorum opera huius aliorumque eiusdem Tertulliani librorum editionem adornavit. Primus Paterniacensis, in Paterniaci Transiurani coenobii, secundus in Hirsaugiensis monasterii bibliothecis asservabantur. Uterque autem plurimis iisdemque fere omnibus sic scatet mendis, ut alter ab altero videatur descriptus. Alium vero Tertulliani Operum codicem Sigismundus Gelenius vetustissimum et optimae, ut ipse ait, notae codicem nactus est ex Masburensi coenobio: sed ille satis clare nobis non edisseruit, utrum hic Apologeticus unus ex Tertulliani libris sit, qui in hoc codice desideratur. Tres praeterea extant in bibliotheca Vaticana eorundem librorum codices, ex quibus sibi ab illustrissimo Cardinale Sirleto subministratis Alanus Copus diversas ab editis lectiones collegit transmisitque Pamelio, qui iis ad concinnandam novam operum Tertulliani editionem usus est. Sed tria adhuc illorum exemplaria ipsi suppeditata sunt, et duo quidem ex S. Amandi ac Bayonis monasteriis, tertium Anglicum, quod penes se Ioannes Clémens Anglus habebat. Verum neque Pamelius neque alius quispiam nobis indicavit qualia quantaeve antiquitatis ea sint.

In nostra autem Gallia alii cuiuslibet aetatis reperiuntur horum librorum manuscripti codices, ex quibus plures nullis aliis aut veneranda antiquitate, aut eleganti caractere cedere videntur. Ex iis unus Puteanorum olim fratrum asservatur in regis nostri christianissimi bibliotheca. Alterum vero Iacobus Bongarsius possidebat. At utrumque autem Desiderius Heraldus singularem Apologetici editionem castigavit.

Nicolaus vero Rigaltius non magna sine indignatione conqueritur emendatissima Operum Tertulliani prima genuinaque exemplaria iam a longo tempore ab iis, qui Africani huius scriptoris dictiones capere non potuerunt, sic corrupta fuisse, ut vix ulla restituendi veri textus spes supersit. Sed fatetur tamen suae editioni plurimum lucis et ornamenti accessisse ex variis lectionibus, a Rhenano, et aliis melioribus a Fulvio ac Iunio collectis et editis. Nos insuper admonet sibi ad manum fuisse memoratum codicem Puteanorum fratrum et alterum Petri Pithoei, ac variantes codicis Fuldensis lectiones, in libro illustrissimi Monchalli, Tolosaturni archiepiscopi, ex autographo, ut ipse ait, descriptas. Horum autem codicum, atque inprimis harum lectionum sibi missarum auxilio, textum Apologetici 250. in locis se emendasse gloriatur. At penitus tacuit cuius notae et antiquitatis sint duo illi codices et illud autographum, ex quo Fuldenses lectiones delibatae sint.

Nos vero non solum duos illos primos nacti sumus codices, sed alios etiam complures, qui quidem qualesve sint, explicandum est. Primus itaque Puteaneus, caractere pulcherrimo circa annum Christi CM. descriptus peritioribus videtur. In eo autem solus Tertulliani Apologeticus liber continetur asservaturque in christianissimi, ut diximus, regis nostri bibliotheca numero 3971. notatus, quem illustrissimus abbas Tellerius summa, qua solet, benignitate nobiscum a Nicolao Clemente communicari praecepit.

Secundus Petri, ut diximus, Pithoei olim fuit et RR. Patrum Oratorii Iesu collegio Trecensi dono datus, in eorum bibliotheca cu-

stoditus, ad nos singulari prorsus illorum humanitate transmissus est. Viri autem in examinandis veteribus codicibus magis exercitati, ex characterum forma illum undecimo circiter saeculo scriptum esse iudicarunt. Sed primi librarii imperitia variis passim foedatus est mendis, quae alius doctior appositis obelis, atque ad marginem notis, aut correxit aut corrigenda esse monstravit.

Plures autem in eo codice transcripti sunt Tertulliani tractatus, quorum index in prima illius pagina exhibetur. Verum in hoc indice praetermissus est hic Apologeticus liber. Quamobrem suspicandi locus esse videtur utrum post alios libros ab aliquo librario postea exaratus fuerit. Nam index ille eadem manu, atque alii libri scriptus est. Qui vero Apologeticum deinceps descripsit, is aliis imperitior et latine linguae ignarus, frequentes, quibus codex ille passim ubique scaturit, errores reliquit. Alia quoque in eo, quam in aliis libris conspicitur verborum contractio. Quidam tamen satis idonei scripturae veteris iudices hunc librum, sicut alios, ab eodem librario exaratum existimant. In eo autem non integer ille Apologeticus liber exhibetur, sed dumtaxat usque ad capitis trigesimi initium, cetera autem, quae quartam totius libri partem continent, plane desiderantur.

Tertium codicem manuscriptum nobis suppeditavit vir illustrissimus et omni laude maior, Achilles Harlaeus, qui postquam admirabili prorsus iuris scientia, aequitate, probitate aliisque eximiis virtutibus per multos annos Parisiensi senatui praefuisset, tanta animi fortitudine, quanto communi omnium desiderio se hac dignitate abdicavit ac servata semper eadem vitae aequabilitate mortuus est. Codex autem ille characteris elegantia Puteaneo non cedit neque centum post annos descriptus nobis videtur. At plerasque in eo easdem atque in illo deprehendimus bonas et malas lectiones.

Quartus ac quintus codex Colbertinae est bibliothecae numerisque 989. et 5271. signati. Antiquior autem ab annis circiter DCC. et recentior non ante annos CCCC. scripto videtur traditus. Bibliothecae vero illius praefectus cl. vir Carolus Duchesne nobis utriusque codicis, iubente illustrissimo abbate Colberto, copiam fecit.

Diversas insuper lectiones ex duobus aliis codicibus manuscriptis accepimus, quorum primus monasterii est Morbacensis, in cuius fine haec leguntur verba: *Orate pro domno abbate Morbacensi*. Is autem ipse est Bartholomaeus de Andelo, qui anno MCCCCLV. ac postea huic monasterio praepositus, collectos undique quamplurimos codices manuscriptos eadem subscriptione notari voluit. Longe autem recentiori manu exarata sunt haec subiecta Apologetico verba, quam ipse Apologeticus liber, qui 600. aut 700. abhinc annis scriptus apparet. Varias autem eius lectiones summa diligentia et ad scrupulum usque decerpit ad nosque misit unus eiusdem monasterii monachus, cuius humanitati gratias nec minimas quidem habemus.

Alter codex manuscriptus, cuius variantes ab editis lectiones ad nos missae sunt, unus ex iis est, quibus suam bibliothecam Romae ditavit abbas illustrissimus Iustus Fontaninus, sua satis notus eruditione nec a nobis unquam sine debita laude nominandus. Hunc autem ille codicem subministravit nostro Claudio Devic, qui, licet maiori-



ribus studiis deditus, curavit erutas a se diversas huius codicis lectiones ad nos transferri.

Quinque porro memoratos codices, Putaneum, Pithoeanum, Harlaeanum et utrumque Colbertinum, cum adornata a Rigaltio editione diligenter contulimus, atque ex hac collatione plurimas sane collegimus diversas lectiones, quae ab illo, nulla saepe saepius reddita ratione, sed propria, uti videtur, auctoritate saepe saepius aut penitus rescatae aut immutatae sunt. Fatetur enim se duobus dumtaxat, uti diximus, codicibus Puteaneo et Pithoeano et variis Fuldensis lectionibus usum fuisse. At hae lectiones alieno plane in loco inventae sunt, nec scire Rigaltius potuit a quo, aut qua diligentia collectae fuerint. Nec magis compertum habuit, aut certe neminem admonuit, cuius notae et aetatis sit ille codex Fuldensis, cuius ut plurimum auctoritate textum immutavit Tertulliani. Nam ex collatis nova post illum cura Puteaneo et Pithoeano, aliisque memoratis codicibus atque diversis aliorum lectionibus, plane animadvertimus illos correctionibus Rigaltii omnino adversari. Quis autem dixerit dubiam unius Fuldensis codicis fidem tot aliorum et meliorum et antiquiorum auctoritati esse anteferendam? Ne quis vero nobis minus quam illi credendum esse existimet, quaedam proponenda sunt huiusmodi amputationum et immutationum exempla. In primo itaque Apologetici capite haec tantum in Rigaltii editione leguntur: *Omnes qui retro oderant, quia ignorabant, simul desinunt ignorare*, etc. (Tertullian. Apologet. cap. 1.). In nostris autem exemplaribus manuscriptis ac prioribus editionibus: *Omnes qui retro oderant, quia ignorabant quale sit quod oderant, simul desinunt ignorare*, etc. Videsne a Rigaltio reiecta esse haec verba *quale sit quod oderant*? Neque dixeris ea a typographis omissa fuisse. Nam eundem Rigaltium summae negligentiae, nec ulli qui editioni huiusmodi operis praeficitur condonandae, accusabis. Postea vero haec nec plura in eadem Rigaltii editione habentur: *Venerem humana sagitta sauciatam, Martem*, etc. (Ibid. cap. 14.). In iisdem autem editis et manuscriptis libris: *Venerem humana sagitta sauciatam, quod filium suum Aeneam, paene interfectum ab eodem Diomede, rapere vellet: Martem*, etc. Numquid ergo et id typographorum oscitantiae aut festinationi tribuendum? Sin autem Rigaltius haec ex margine vel aliunde in textum intrusa putabat, cur nos huius additamenti non admonuit? Sed age, et alia ex auctoris nostri textu similiter rescata agnosces. Alibi quippe Tertullianus, ut testantur nostri codices, scriptum reliquerat: *Dicam plane imperatorem dominum, sed voce communi* (Ibid. cap. 34.). At Rigaltio haec tria posteriora verba tollere placuit. Nec multo post ille: *Tanto abest ut imperator Deus debeat dici, non modo*, etc. Verum in iisdem antiquioribus exemplaribus scriptum est: *Tanto abest ut imperator dici debeat, quod credi non potest, non modo*, etc. Quis igitur haec verba: *quod credi non potest* ex textu sustulit, nisi ille qui inutilia et supervacua esse arbitratur?

Quid vero? quod non modo excisa, sed transposita sunt ab eisthaec Tertulliani verba: *Licuit Epicureis aliquam decernere voluptatis veritatem. Quo vos offendimus, si alias praesumimus voluptates?*

*Si oblectari novisse nolumus, nostra iniuria est, si forte non vestra. Sed reprobamus quae placent vobis; nec vos nostra delectant* (Ibid. cap. 38.). In aliis vero vetustioribus editis et manu exaratis codicibus: *Quo vos offendimus, si alias praesumimus voluptates? Si oblectari novisse nolumus, nostra iniuria est, si forte nostra, non vestra. Sed reprobamus quae placent vobis, nec vos nostra delectant. Sed licuit Epicureis aliquam decernere voluptatis veritatem, id est animi aequitatem et ampla negotia christianae.* Sed hoc ultimum verbum *Christianae* in editis non invenitur. Quid ergo? Nunquid propter hoc solum verbum, ab oscitante librario praepostere additum, fas alicui fuit textum Tertulliani immutare, pervertere, detruncare? Simili tamen modo Rigaltius delevit alibi haec Tertulliani verba: *Deum tangimus* (Ibid. c. 40.).

Aliud adhuc huiuscemodi immutationum exemplum si velis, non longe quaerendum est. Non enim multo post ille haec in eodem Tertulliani textu mutavit editorum et codicum manuscriptorum verba: *Non laevar diluculo*, ubi scribi iussit: *Non lavo sub noctem*. Plura alia huius libri loca a Rigaltio pariter interpolata maleque mulctata possent facile proferri. Sed iis recensendis nunc, ne eadem repetantur, supersedendum esse duximus. De illis enimvero, quae maioris momenti sunt, data inferius occasione agendum erit. Decreveramus quidem omnes prorsus vel a nobis vel ab aliis excerptas variantes huiusce libri lectiones ad nostrae dissertationis calcem repraesentare. Verum quia unus e sodalibus nostris, qui adornandae omnium Tertulliani librorum editioni sedulam dat operam, poposcit hanc sibi provinciam demandari, aequioribus illius votis satisfaciendum esse censuimus. Ad propositum itaque nostrum sufficere arbitramur praecipua ac notata digna in hac dissertatione indicare corrupta, interpolata, excisa et immutata Tertulliani verba; ut eius mens et sententia possit ab omnibus facilius intelligi.

## ARTICULUS II.

De variis huius Apologetici aliorumque Tertulliani librorum editionibus.

Pauca profecto invenias veterum Ecclesiae Patrum opera, quae saepius typis mandata sint, quam hic Apologeticus aliaque Tertulliani lucubrationes. Neque ille simul cum istis tantum, sed seorsim quoque publici iuris factus est. Nam is solus ex typographorum officina publicam in lucem studio ac cura Ioannis Baptistae Egnatii exivit.

Altera autem huius Apologetici editio Lutetiae Parisiorum facta est anno MDCXIII., labore et opera Desiderii Heraldi, qui ei, ut suo loco annotavimus, M. Minucii Felicis Octavium subiunxit (Dissertat. in Minuc. Octav. Cap. 2. Art. 3.).

Antea vero et postea ille Apologeticus liber cum aliis Tertulliani operibus aut plurimis aut omnibus publicae luci datus fuit. Praecipuus autem eorum editiones ut breviter recenseamus, primo quidem B. Rhenanus illa Basileae anno MDXXI., ac deinde anno MDXXVIII. typis excudi curavit. Ex his autem editionibus aliae annis MDXXV., MDXXXVI. et MDXXXVIII. eodem plane modo divulgatae sunt; alia

vero anno MDLXII. curis Sigismundi Gelenii in vulgus prodivit. Tum deinde anno MDLXXX. aliam Rehatus Laurentius de la Barre nobis procuravit, qua Tertulliani commentationes veterum, ut ipse ait, et recentiorum exemplarium collatione emendatae fuerunt. Nulla autem horum librorum editio multiplicata magis fuit, quam illa quae curante Iacobo Pamelio anno MDLXXIX., publicam in lucem emissa est. Nam ea rursus annis MDLXXIX., MDLXXXIV., MDXCVI., MDXCVII., MDIC., MDCVIII., MDCXVI., MDCXXXVII., MDCLVIII., MDCLXII. et MDCLXIV. variis recusa fuit in Europae urbibus.

Praeterea Ludovicus de la Cerda, primarius apud RR. e societate Iesu Patres theologiae professor novo labore novisque curis pleraque publicavit Tertulliani opera: sed ea praesertim omisit, quae ab illo adversus Marcionem et catholicam Ecclesiam scripta sunt. Duobus tamen tomis ea complexus est, qui anno MDCXXIV., MDCXXX., ac MDCXLI. e praelo exierunt.

Anno autem MDCXXXIV. Nicolaus Rigaltius omnia quoque Tertulliani opera, uno tomo comprehensa, novo studio novisque typis edidit. Sed quod ad Apologeticum, de quo nunc disputamus, librum attinet, iam animadvertimus plura ab illo in Africani scriptoris nostri pro libito propriae auctoritate variis in locis immutata, transposita atque etiam penitus excisa.

Subsequenti tamen anno MDCXXXV. altera post eundem Rigaltium editio Parisiis ex typographorum exivit officina. Qui vero illi praepositus est, is nullo amplius manuscripto codice usus voluit librum Tertulliani de Pallio et Apologeticum ad Pamelii, reliquos omnes ad Rigaltii numeros recudi. Verum praefationis auctor in hoc plane aberrat, quod editos ab Rigaltio libros de Pallio et Apologeticum sic perfectos esse existimet, ut videri possint ab illo luci publicae primum donati. Nam ex his, quae paulo ante notavimus et postea annotabimus, quis non videat hunc librum a Rigaltio pluribus in locis potius corruptum fuisse, quam emendatum? Anno nihilominus MDCXXI. tota illa ipsa editio talis iterum a typographis excusa est, qualis ab eodem Rigaltio adornata fuerat.

Quae porro has editiones exceperunt, eae ad nullius deinceps manuscriptorum codicis, sed Rigaltianae tantum fidem adornatae sunt. Priorem ex iis procuravit Georgius Ambianensis, minorita capucinus. Tres autem eam divisit in tomos, quorum primus anno MDCXLVI., secundus anno MDCXLVIII., et tertius anno MDCL. divulgatus fuit. Insignem vero praefixit toti operi titulum *Tertulliani Requivivi*, perinde ac si mortua eruditissimi illius Africani opera ad vitam revocasset. Nihil profecto necesse est nostrum de hac inscriptione totaque editione interponere iudicium; quandoquidem alii quam plurimi suum, nec illud quidem valde honorificum, affatim tulerunt. Quidam tamen eruditi viri plura sane in ea laudibus haud immerito, uti paulo post dicetur, digna iudicant.

Secundae tandem post Rigaltium omnium Tertulliani operum editioni praefuit Philippus Priorius, qui illam anno MDCLXIV. absolvit. Sed nihil ei de novo addidit, nisi brevem de Tertulliani vita et naevis dissertatiunculam, nec interruptum importuna notarum mole textum novosque typographorum errores.

## ARTICULUS III.

De variorum in Tertulliani Apologeticum scholiis, paraphrasibus, notis et observationibus.

Plures sane varia eruditione conspicui scriptores, qui in edendis Tertulliani libris curam impenderunt, aut aliud aliquid agebant, conati sunt obscuriora aut notatu magis digna Apologetici illius libri loca suis observationibus, scholiis, paraphrasibus et commentariis aut explicare et illustrare, aut confirmare. Primo autem B. Rhenanus huic libro a se edito praefixit argumentum, sed longe qaam par erat brevius. Verum hanc brevitatem suppleri posse putavit subiectis novis capitum, ut aiunt, summariis, quibus alia in manuscriptis exhibita emendare connixus est. Ad haec vero in eodem, etsi brevissimo, libri huius argumento tentavit paucissimis quibusdam obscuris eius locis lucem aliquam praeferre.

Posthaec vero Franciscus Zephyrus, cum animadvertisset quantae utilitatis hic liber omnibus esse possit, ac ne studiosi adolescentes propter sermonis obscuritatem corruptosque librariorum incuria locos, ab eius lectione deterrentur, ipsius composuit ediditque paraphrasim. In ea autem, quae textui Tertulliani minus quidem commode intermiscetur, plura loca intellectu difficilia explanare ac varia obscuritatis impedimenta removere molitur. Tanti porro Pamelius hanc paraphrasim aestimavit, ut illam in eum plane, quo in superiore editione, modum textui Auctoris nostri censuerit inserendam.

Verumtamen haec ipsa ab aliis, qui variis huius libri editionibus deinde praepositi sunt, atque imprimis Ludovico la Cerda plane penitusque reiecta est. At doctus iste vir, ne quis de hac omissione congeri unquam posset, novam edidit textus Tertulliani interpretationem. Singulis quoque capitibus subiecit notas suas, quibus, alias laude dignis, idem textus non sine interrupta lectoris attentione legi haud facile potest. Sed plures etiam expostulant de inutilibus quibusdam ac longioribus notis atque a Tertulliani proposito alienis digressionibus. Ab aliis nihilominus laudantur ceterisque anteponuntur hactenus editis. In his itaque illud dumtaxat desiderant, quod textum Tertulliani ad manuscriptos codices non castigaverit, quod omnia illius opera non publicaverit, quod pro sua eruditione non explicaverit et confirmaverit tradita ab eo christianae religionis documenta.

Ab Heraldo autem post editum a se hunc Tertulliani Apologeticum adiectus est liber, uti ab eo vocatur *Commentarius*, quem notis tantum a se invicem plane disiunctis composuit. Ne vero in illis a Tertulliani proposito longius excurreret, duos ei subiunxit digressionum libros, quibus difficilia et salebrosa eius loca complanare nititur. In his autem omnibus deprehenditur profana auctoris eruditio, sed sacrorum et obscuriorum christianae religionis dogmatum a Tertulliano traditorum explicationem frustra requiras. Plura quoque alia reliquit intacta, quae explicatione et confirmatione proculdubio indigebant.

Multas quoque in omnia Tertulliani opera animadversiones edidit Laurentius de la Barre, quas se ex iis excerptisse declarat, quibus Beralduus, Alciatus, Crinitus, Turnebus, Vetranius, Homanus, Cuiacius aliique peregrinis in locis quasdam intellectu difficiles Tertulliani dictiones

explicare contendebant. Sed quia haec spectant ad grammaticam, ibidem adiecit Rhenani notas, quas quidem, quia Romanorum et Hispanorum censuram non effugerant, a se prius correctas esse significat. At quia paucas admodum easque brevissimas addidit vixque ullam dedit in Apologeticum hunc librum, vides sane quid ab eo de rebus theologicis expectare debeas.

Maioris itaque pretii aestimantur Pamelii in hunc aliosque Tertulliani libros annotationes. Non minima quippe, uti aiunt, consperguntur sacra profanaque eruditione, quae lectoribus prodesse potest. Sed hoc in eis culpant, quod Pamelius a proposito saepius digrediat, plura congesserit inutilia et interiecta, sicuti diximus, Zephyri paraphrasi, interruperit Tertulliani textum, quem debebat in hoc et aliis libris meliorum codicum ope pristinae, si fieri potuerit, restituere integritati.

Rigaltius itaque iis omnibus spretis postque habitis novas scripsit in hunc Apologeticum aliaque Tertulliani Opera notas et observationes. Verum quoniam plurimas ab eruditis hominibus profectas haud merito prorsus iure praetermisit, illae rursus publici iuris factae sunt in uno volumine quod anno MDCXXXV. editum est. Collectae autem fuerunt ex Pamelio, Latino Latinio, B. Rhenano, Ioanne Mercerio, Edmondo Richerio, Theodoro Marcilio, Ioanne Wowerio et Gabriele Alhaspinaeo Aurelianensium episcopo.

Persuasum autem eruditi quidam viri habuerunt hoc volumine divulgatae a Rigaltio operum Tertulliani editioni coniuncto hanc ceteris omnibus fore perfectiorem. Sed praeterquam quod in illo notarum volumina omittuntur aliorum, sicuti la Cerdae non minus utiles notae et explicationes, quid, amabo te, sperandum de Rigaltio, qui ad emendandum Tertulliani textum, nec ipsos, sicuti diximus (Art. super.), quos prae manibus habebat, nec alios manuscriptos codices aut legere aut sequi curavit? Deinde vero non minima quidem in notis suis scribendis fuit illius audacia, quam in praefatione sua excusare coactus est. Sed paucos admodum invenias, quibus omnino accepta sit illius excusatio.

Minus quidem temerariae sunt, sed non magis probantur longissimae et ad nauseam usque coniectae a Georgio Ambianensi observationes. Nam in illas ea omnia intrusit, quae aliam ob causam et ad publicas, uti videtur, conciones corrogaverat. Nonnulli tamen fatentur in iis aliqua esse utilia, ac praesertim in capitum scholiis, quae in adversa textus Tertulliani parte ab ipso exhibentur.

Denique Priorius varias selegit eruditorum virorum Rhenani, Pamelii, la Cerdae, Salmasii, Alhaspinaei aliorumque quorundam animadversiones, quibus et quasdam a se excogitatas identidem interseruit. Sed haec tam levis sunt momenti, ut qui eas approbaverit, vix ullus reperiat. In hoc tamen utcunque laudandus, quod omnes illas animadversiones et notas in paginarum inferiori margine, absque ulla textus Tertulliani interruptione, excudi voluerit. Nam eo modo lectoris commoditati melius consultum est. Sed quis negligentiae vitium ei unquam condonabit, qui ad opera Tertulliani novis typis recudenda aggressus nullum plane cum editis contulit manuscriptum codicem, sed solam Rigaltii editionem de verbo ad verbum secutus fuit?

Ex iis porro, quae de tot tamque variis operum Tertulliani editionibus hactenus a nobis disputata sunt, quis nobiscum non fatebitur nullam prorsus esse, quae perfecta et omnibus numeris absoluta dici merito possit? De litteraria igitur republica is proculdubio bene merebitur, qui sacra profanaque eruditione non parum imbutus novam parabit Apologetici et aliorum Tertulliani operum editionem. Sed ante omnia textus illius summa fide et diligentia ad manuscriptos codices gallicos, italicos, germanicos, anglicos, ac veteres editiones recognosci debet et castigari. Plures enim supersunt saltem Apologetici libri optimae notae codices, quos nemo hactenus cum editis contulit. At si varias ac notatu dignas lectiones ex illis excerptas bona fide exhibeat, de vero genuinoque Tertulliani textu certius iudicium ferri poterit.

#### CAPUT IV.

De duobus Tertulliani ad Nationes libris.

##### ARTICULUS I.

Analysis libri primi ad Nationes.

Duobus ad Nationes libris causam Tertullianus adhuc egit Christianorum duasque utrumque librum satis aperte divisit in partes. In prima siquidem prioris libri ostendit, Christianos nec auditos nec defensos falsissimis iniquissimisque praeiudiciis a gentilibus vexari, condemnari ac crudelissime necari (Lib. I. cap. 1. et seqq.). Planum vero secunda in parte omnibus facit, falsa omnino esse quorum Christiani accusabantur crimina horumque reos revera esse gentiles (cap. 9. et seqq.). In prima autem secundi libri parte demonstrat, quam vana et absurda sit ficta a Varrone triplex ethnicorum theologia, quae ab eo physica, mythica ac plebeia sive gentilis appellatur (Lib. II. cap. 7. et seqq.). In secunda autem parte demonstrat deos Romanorum falsos esse planeque commentitios (cap. 9. et seqq.). Sed haec paulo enodatus explicanda sunt.

Primum itaque ethnicis vitio vertit, quod implacabili odio Christianos persequerentur, tametsi qui qualesve sint penitus ignorarent nec scire unquam voluerint. Ubi primum enim illos agnoverant, statim desinebant odisse christianamque religionem ultro amplectebantur. Neque id negari poterat, quod clamabat quotidiana ipsorum de multiplicato Christianorum numero querimonia. Non sinit autem Auctor noster sibi obiici hos, ut fieri aliquando solet, in malum conversos. Nullam quippe mali notam habet christianae religionis professio, cuius neminem aut pudet aut poenitet ac de qua omnes gaudent et gloriantur (Lib. I. cap. 1.).

Si qua vero fuissent Christianorum crimina, ad ea utique declaranda illos ethnici quaestione ac tormentis cogere debebant. At e contrario iis nomen suum vel sponte negantibus vel negare coactis confestim credentes fateri quoque debebant nihil mali in eorum religione posse apprehendi. Suis praeterea legibus quilibet iudices tenebantur

quorumvis criminum reos interrogare quae, qualia et quanta haec essent, qui eorum socii et receptores, ac ea tandem in scripta damnatorum sententia nominatim enuntiare. At nihil tale in Christianorum damnatione factitatum nec aliud eorum sententia pronunciatum, nisi christianum nomen. Solum ergo nominis crimen erat; sed hoc ipsum nomen nihil barbarum, infaustum, inhonestum sonat, sed vel unctio-nem, vel saltem suavitatem, aut bonitatem, quando ab ipsis gentilibus *Christiani* corrupte vocabantur (capp. 2. 3.).

At hi plane desipiebant, qui solo auctoris nomine sectam Christianorum se odisse causabantur (cap. 4.). Non enim Platonicos, aut Pythagoraeos, ob Platonis aut Pythagorae, nec medicos ob Erasistrati, nec grammaticos ob Aristarchi nomen oderant. Quis etiam nesciat nefas esse sectam aliquam odio habere nisi, quid in ea odio dignum sit, antea advertatur? Ethnici tamen nec christianam sectam nec eius auctorem noverant nec volebant cognoscere. Ad haec vero, per ipsos cuilibet ethnico licebat, quam vellet philosophorum, tametsi reipublicae ac principibus infensorum, sectam amplecti. Eos quoque solos philosophos vexabant, qui veritatem ex parte docentes aspernabantur illo-rum deos. Ita sane Socratem damnauerunt, quanquam Apollinis oraculo renuntiatum fuisset mortalium omnium sapientissimus. Non mirum itaque si illorum in Christianos odium veritas pepererit. Sed vide, quaeso, quo insanientis animi furore. Fatebantur eos omnes meliores factos, qui eiurato falsorum deorum cultu, suum dederant christianae religioni nomen. Sed in illos hoc solo nomine crudelius saeviebant eosque nocentes et sceleratos esse malebant quam Christianos.

Contra tamen obiciebant ethnici quosdam ex Christianis pessimos esse ac vitiiis sceleribusque perditos (cap. 5.). Verum hi, inquit Tertullianus, pauci admodum erant; qui quidem, sicut naevi corporis, ita sectae suae ostendebant praestantiam. Quicumque porro et quotquot illi fuerint si, non secus ac philosophi sectam suam flagitiis infaman-tes, erant veri desertores, nomine tenus Christiani, imo hoc indigni nomine.

Urgebant gentiles sectam Christianorum revera malam esse, ut-pote quae imperatorum legibus damnata sit (cap. 6.). At nonne eae-dem, regerit Auctor noster, imperatorum aliorumque iustae leges sta-tuerunt neminem unquam condemnandum, nisi prius criminis alicuius sit rite convictus? Cur ergo ethnici Christianos nec auditos nec con- victos condemnabant? Nonne plures etiam datae sunt ab eorundem ethnicorum legislatoribus iniquissimae leges, postmodum emendatae vel antiquatae? Denique iniusta lex, qualis in Christianos lata fuerat, nullum exigit honorem aut obsequium.

Nec instare poterant ethnici leges in Christianos ab iis sancitas, qui illorum crimina communi popularique fama compererant. Nonne enim fama, fatentibus iisdem ethnicis, malum est quo nullum velocius? Sed illa tamdiu tantum vivit, quamdiu incerta, falsa et mendax est. Ubi enim res est certa, ibi haec fama desinit. Investiganda igitur illius origo, atque expectandum *tempus*, quod *omnia revelat*. Quis autem ab ipso christianae religionis exordio obiecta Christianis infanticidia, incestus aliaque scelera in eorum synaxibus unquam deprehendit,

patefecit, prodidit? Numquid ipsimet Christiani? Sed summo silentio sua mysteria tegebant nec poterant tam horrenda crimina, si illorum conscii fuissent, sine capitis periculo prodere. Numquid gentiles? Minime quidem. Quamvis enim Christianos in suis synaxibus quotidie obsiderent, nemo tamen haec deprehendisse nec ullus domesticus pretio corruptus se aut vidisse aut celavisse unquam testificatus est.

Praeterea Christiani sectoribus suis leges Christi sedulo observantibus pollicebantur aeternam felicitatem. At dic, quaeso, utrum non insano penitus homini credibile fiat illam aliquando promissam fuisse iis, qui tanta scelera perpetrassent? Nemo etiam gentilis, vel minimo humanitatis sensu praeditus, ea perpetrare ausus unquam fuisset. Ergo nec ulli Christiani, quorum eadem ac ceterorum hominum natura, nec Cynopennae erant nec Sciapodes nec antipodes (cap. 7.).

Quis autem non rideat ethnicos, qui ridiculo pueri, a muta nutrice educati primoque vocis sono βέβηκος pronuntiantis, commento probare contendebant Christianos Phrygibus aliisque nationibus esse posteriores? Quis enim nesciat christianam gentem, quae a Iudaeis ortum duxit, esse ceteris antiquiorem? Quamvis autem aliis recentior foret, tertia tamen post Graecos et Romanos natio inhumanissimis superstitionibus addicta non erat (cap. 8.).

Instabant ethnici, Christianos ob deorum contemptum omnium dadium esse auctores, atque idcirco exterminandos (cap. 9.). Sed variis Tertullianus exemplis demonstrat mundum gravissimis calamitatibus, uti aquarum inundationibus, igne caelesti ac generali diluvio perturbatum obrutumque fuisse, antequam ipsimet ethnici deos suos finxissent, ac fundatae essent urbes, in quibus nati, commorati et sepulti sunt. Quid vero, quod postea hi eximii dii non potuerunt ab aliis cladibus suos eripere cultores?

Secunda huius libri in parte Auctor noster ostendit ipsosmet gentiles eorundem criminum esse conscios, quorum Christianos arguere frustra conabantur. Nam hi qui antiquos, sed impios ritus a Christianis repudiatos immerito querebantur, illi ipsi a maiorum suorum legibus, institutis, moribus desciverant cultu, victu ipsoque sermone, ac nunquam satis a se laudatas reiecerant vetustates.

Deinde vero Christiani deos, quos nullos esse noverant, contemnere non potuerunt. Ethnici vero quos veros esse ac se colere venditabant, penitus adspernabantur. Pluribus siquidem spretis et repudiatis, quosdam tantum a se selectos honorabant. Nonne etiam contumeliose a senatu eieci sunt deus Alburnus, Liber, Serapis, Harpocrates, Anubis et statuae illorum eversae? Quid diis adhuc magis iniuriosum, quam sine senatusconsulto eos coli non posse? Quid magis ignominiosum, quam a privato quolibet homine domesticos pignori deos, publicos vero in hastario venditari? Quid turpius, quam pro templi solo, aditu, stipitibus, ostiis exigi mercedem? Quae maior deorum infamia, quam senem in Saturno, imberbem in Apolline, in Marte militem, in Vulcano fabrum consecrari, quam diis maximis aequales facere mortuos homines, quam punire per deos, non vero per genium Caesaris deierantes, quam pessimas quasque victimarum partes iis sacrificare? Quid tandem deorum maiestate magis indignum,



quam ab Homero aliisque poëtis impune decantari Venerem sauciatam, vinctum Martem, Iovem ab aliis diis lacessitum, flentem, luxuriantem, suaque adulteria dinumerantem? Quid plura? Nonne iidem dii deridebantur in theatris et Lentulorum atque Hostiorum comoediis, ubi cunctis plaudentibus mimi et histriones ridiculam plane agebant Cybeles pastorem suspirantis personam, vel Iovis elogia et ignominias decantabant? Nonne dii infamabantur a perditis hominibus, qui in cavea repraesentabant Attin castratum, crematum Herculem, Ditem gladiatorum deducentem exsequias ac Mercurium mortuos examinantem? Quis ergo diffitebitur huiusmodi deos, ab his ipsis, qui eos finxerant, gentilibus longe magis, quam a Christianis contemni et derideri (cap. 10.)?

Age vero, ethnici a mendace Tacito decepti falso asseverabant a Christianis adorari asini caput (cap. 11.). Sed ipsi gentiles revera totos adorabant asinos cum sua Epona suisque cum praesepibus consecrabant bestias. Qua vero ratione Christianis crimini dabant, quod crucem Christi colerent, cum ipsi Atticam Palladem et Cererem Phariam a crucis stipite non discrepantem venerabantur? Nonne etiam rectae crucis parti superstruebant deos suos, et integris crucibus victorias, cantabra, siphara et signa militaria, quae maximo habebat in honore (cap. 12.)?

Quidam vero ex illis perperam opinati sunt, Solem a Christianis adorari, quia verum Deum suum facie ad eundem Solem conversa precabantur ac die dominico spiritali indulgebant laetitiae (cap. 13.). Verum improbi isti calumniatores negare non potuerant morem ethnicorum fuisse simili modo factitios deos suos precandi, atque illis dicandi unum hebdomadis diem, quem dominico proximum longe diverso ac Iudaei ritu celebrabant.

Tum deinde Tertullianus acriter invehitur in bestiarium quendam, Iudaicae religionis desertorem, qui in circo picturam Dei Christianorum sub forma asini circumtuleraat cum hac inscriptione: *Omochoetes* (cap. 14.). Nam quanto longius istud a veritate abhorrebat, tanto certius erat ab ethnicis adorari deos cornutos, caprigenas ac monstris omnino similes.

Nihil quoque falsius fingi poterat, quam a Christianis sacra inter mysteria occidi infantem eiusque sanguinem potari. At plane constabat ab ethnicis contra leges suas recens natos trucidari infantes, aut summa crudelitate iniuriis aëris necandos exponi, aut elici eorum sanguinem totosque praecoquos devorari (cap. 15.).

Quid vero impudentius quam Christianos falsi omnino nocturni incestus ab iis accusari, qui inficias ire nequibant, gentiles Persas cum matribus suis palam coire, quique Oedipum scelus illud in theatro repraesentantem magno cum applausu laudabant incitabantque. Quin etiam isti ipsi cum liberis suis, quos, sicut diximus, exposuerant infantes nec amplius agnoscebant, saepius infami incestu commiscebantur (cap. 16.). Ne quis autem illud gratis fictum obiiceret, ab Auctore nostro confirmatur celebri exemplo, quod Fusciani Urbis praefecti tempore nec paulo ante acciderat quam hos libros scripsisset.

Pergit ille palamque facit, Christianos frustra publicos hostes ab

ethnicis ideo proclamari, quia non adorabant imagines Caesarum nec per eorum genium iurabant (cap. 17.). Plane enim ostendit hoc ipsum in crimen merito vocari rebelles illas nationes, quae ab imperatoribus debellatae Parthorum, Medorum, Germanicorum cognomina eis pepererant. Nonne etiam publici hostes fuerunt Romani, qui conspiraverant adversus imperatores suos eosque in palatiis suis nuper in Gallia occiderunt? Nonne etiam publici hostes dicendi sunt, qui illos vexaverunt omni contumeliarum genere in ludis circensibus, vel famosis libellis ad eorum statuas appensis? Denique quinam publici hostes, nam Christiani, qui nolebant deum vocare imperatorem, vel gentiles, qui contra conscientiam illum non sine irrisione appellabant deum ac per eius genium deierantes peierare non verebantur?

Novum porro hi scelus Christianis inferebant, mirabilem videlicet in quibuslibet cruciatibus pro religionis suae veritate perferendis constantiam (cap. 18.). Sed qua, quaeso, fronte et audacia? Nam ipsi maximis laudibus efferebant Regulum, qui primus crucis supplicio, reginam Aegypti, quae bestiarum morsu, uxorem Annibalis, quae, sicuti Dido, voluntario igne vitam finierunt? Nonne etiam laudabant atticam mulierem, quae post acerbissima tormenta linguam suam, ne secretum proderet, in tyrannum expuit? Nonne etiam gladiatoribus laudi tribuebant, quod a se invicem aut a bestiis necari, quod quidam vivos se comburi, quod Lacones se flagris caedi laniarique constanter paterentur?

At certe eo magis laudanda erat invicta Christianorum in horrendis cruciatibus fortitudo, quod illos, non sicut ethnici, ad aucupandam inanem hominum gloriam tolerabant, sed quia certissime expectabant futuram corporum resurrectionem, ultimum Dei iudicium atque aeternam pro meritis mercedem (cap. 19.). Neque hanc propter expectationem exhibilandi erant ab ethnicis, qui asserebant animas hominum in alia etiam bestiarum corpora migraturas, futurum Minois ac Rhadamanthi iudicium, ac postea impios aeterno igne, pios autem in amoeno loco vitam aeternam transacturos.

Postremo Tertullianus ex hactenus disputatis concludit, Christianos, etiamsi omnium, quorum falso accusabantur, criminum rei fuisent, non puniendos tamen vexandosque ab ethnicis, qui eadem perpetrassent revera convincuntur (cap. 20.). Denique quamvis Christiani se criminum reos esse dixissent, maxima nihilominus diligentia ethnici investigare debebant, an haec vera essent, ac legitimos audire, examinare horum criminum testes ac conscios. Sed nolebant haec a legibus suis statuta observare, ne agnita Christianorum innocentia eos amarent, quos odisse ac de medio tollere decreverant. Voluntaria igitur ignorantia errores suos amabant oderantque veritatem.

## ARTICULUS II.

Analysis libri secundi.

Secundo in libro, duas quoque in partes diviso, ostendit Tertullianus falsos esse gentilium deos pravosque ac reiciendos eorum cultus (lib. II. cap. 1.). Quacunq; enim maiorum auctoritate stabiliti

videantur, illorum falsitas adeo manifesta est, ut omnibus, qui se sponte non excaecaverint, facillime agnoscat. Indomitam itaque horum obstinationem ut frangat Tertullianus, ea primum refellit, quae Varro, omnium sui temporis virorum eruditione praestantium facile princeps, in suis de religione libris tradiderat. Triplex autem ibi ille distinguit deorum genus: primum physicum sive philosophorum, secundum mythicum seu poëtarum, tertium gentile seu populorum. Sed primum, inquit Auctor noster, incertis nititur coniecturis, secundum meris fabulis, tertium ridiculis deorum adoptionibus cultuque insano et turpissimo. Ea ergo omnia tam falsa sunt, quam communis unaque esse debet omnium de vero Deo sententia unanimsque consensus.

Summa quippe erat physicorum seu philosophorum de Dei natura dissensio, quae non aliunde, quam ex ipsis ignorantia oriebatur (cap. 2.). Sapientiam itaque frustra profitebantur, cuius initium est Dei timor. Quomodo autem eum timere potuissent, quem quis qualisque sit ignorabant? Promptum tamen illis erat hunc verum Deum ex sacris nostris scripturis cognoscere. Sed quae ex puris hisce fontibus hauserant, caeca gloriae libidine ducti variis corruerunt argutiis et exinde varias scissi sunt in partes. Platonici siquidem docebant Dei providentia omnia administrari, contra Epicurei id plane penitusque negabant. Asserebant iidem Platonici Deum intra, Stoici vero extra mundum esse positum. Fatebatur Diogenes se nescire quid in caelo agatur quive dii sint, prius vero Thales Milesius Croeso de diis illum interroganti nihil prorsus respondere potuit. Socrates vero illos existere non quidem credebat, sed iussit tamen gallum gallinaceum Aesculapio immolari.

Quid plura? Dionysius deos trifariam divisit: primo in eos, qui sub adspectum nostrum cadunt, ut sol et luna, secundo in alios, qui non videntur, ut Neptunus, tertio in alios, qui assumpti sunt ex hominibus, sicuti Hercules et Amphiarus. Triplex etiam, sed diversum deorum genus excogitavit Arcesilaus, mimirum Olympios, Astra et Titanicos. Posteriores vero tantum duos Xenocrates admisit, quemadmodum plerique Aegyptii non plures, quam solem et lunam, caelum et terram. Suspicebatur autem Democritus deos omnes ortos esse cum superno igne, cuius instar Zeno naturam esse voluit. Unde Varro docuit mundi animum esse ignem, quo quippe extincto morimur.

Ad id tamen unum hae omnes, quantumvis diversae, opiniones conspirare videntur, ut non alios philosophi illi deos esse putaverint, quam mundi elementa aut quae ex iis oriuntur (cap. 3.). Verum Tertullianus haec vigilantium hominum somnia esse demonstrat. Nam Deus ex se ipso est, ingenitus et aeternus, qui nec initium habet nec finem unquam habebit. Atqui elementa partes sunt mundi, quem Plato creatum esse fatetur et solus Epicurus increatum esse somniaverat.

Ad haec vero, si mundus et elementa dii sint, animalia esse debent, atque hoc ipso mortalia sunt ac divinitate carentia. Nec audiendus est Varro, qui garriebat ea esse quidem animalia, sed quae ex se ipsis moventur et idcirco immortales dii censendi sunt. Nam

quoquo modo haec elementa moveantur, sunt profecta corporea ac proinde destrui cum possint, dii esse nequeunt. Deinde vero, etsi sese moverent, motus tamen sui principium acceperunt ab alio, qui quamvis non videatur, omnium motuum primus auctor est et idcirco verus solusque Deus.

Nec sinit Tertullianus sibi obiici nomen graecum *Θεός* a cursu ac motu, quo elementa praedita sunt, reipsa derivari (cap. 4.). Nam vera Dei denominatio non aliquam, quae oculis nostris conspiciatur, non secus ac cursus et motus, qualitatem significat, sed supremam maiestatem ac substantiam. Quid vero, quod plures ethnici deos suos bene multos immobiles esse praedicabant. Nemo insuper inficias unquam ibit elementa componi materia, quam simplicissima Dei natura pati non potest. Et certe Zeno materiam mundi a Deo seiunxit eumque per illam tanquam mel per favos transire arbitratus est. Sed dicas velim, quo physici pacto mundum ac comprehensa in eo elementa deos esse asseverant? Plato enim ipsum hunc mundum censet esse rotundum capiteque carentem. Epicurus vero: *Quae supra nos, inquietat, nihil ad nos!* solemque dumtaxat pedalem esse effutiebatur: contra Peripatetici illum toto terrarum orbe longe maiorem esse opinabantur. Nonne ergo tales deos fingere summa dementia est? Denique Thales Milesius caelum rimando in puteum cecidit. Quid autem casus ille indicat, nisi vanam fuisse curiositatem physycorum, qui rerum naturam frustra scrutati verum illius artificem Deum omnipotentem non cognoverunt?

Instabat Varro tribuendam elementis divinitatem, qua homines aut summis beneficiis sibi devinciunt aut premunt incommodis (cap. 5.). Verum respondet Tertullianus, elementa rerum prosperarum vel adversarum esse tantummodo instrumenta verumque Deum, cui serviunt, esse illarum auctorem. Nam sicuti aegroti sanatio non medicamentis, sed medico, et mors hominis non gladio aut lanceae, sed latroni aut hosti tribuendae, sic prospera et adversa non elementis, sed Deo, aeque meritorum iudici, adscribenda sunt. Constat praeterea elementa *minimi*, intercidere ac regi ab aliquo (cap. 6.). At verus Deus nec *minimi* nec pati aliquid potest omniaque regit ac moderatur.

Transit inde Tertullianus ad secundum deorum genus quod Varro mythicum seu poëtarum cognominare placuit (cap. 7.). Finxerunt autem poëtae hos deos esse heroas, qui post transactam mortalem hominum vitam praeclaris factis adepti sunt divinitatis praemium. Pessimo autem hoc exemplo Romani suos reges, aliis peierantibus, deos similiter renuntiarunt. At quinam, amabo te, fuerant illi poëtarum dii? Homines utique sordida aut scelerata origine procreati, qui per vitae suae curriculum in omni sese volutarunt genere scelerum. Quamobrem Plato poëtas ipsumque Homerum tanquam improbos deorum criminatores civitate pellendos esse censuit. Quin etiam ethnici, quantumlibet impudentes Christianis tantam deorum infamiam exprobrantibus nihil aliud respondebant, nisi meras esse fabulas poëtarum. Verum etsi poëtae se non credere clamarent, fictos tamen ab illis deos Cererem, Idaeam matrem, Saturnum, Herculem non solum venerabantur, sed horrenda quoque eis sacrificia faciebant. Quis igitur hos

poëtarum deos non summa sine impietate ab ethnicis coli et venditari non fatebitur?

Nec minus certe insulsum erat tertium deorum genus, quod Varro gentile seu plebeium esse docebat (cap. 8.). Non alii quippe erant hi dii, quam illi quos quidam populi ad arbitrium ac libidinem adoptatos ab aliis nec visu nec auditu ac ne nomine quidem discernebant. Tales Tertullianus memorat Atargartim, Caelestem, Versutinam, Obodam, Dusaren, Belenum, Delventinum, Visidianum, Numentinum, Anchariam, Praeverim et Nortiam. Eadem vero licentia factum ille putat, ut Aegyptii, qui bestias colebant, patriarcham Ioseph Serapidis nomine deum habuerint et honoraverint. Recte igitur ex dictis concludit falsissimos esse illos populorum deos; quandoquidem solus verus Deus ubique praesens et omnium dominus ab omnibus pariter colendus et adorandus est.

Secunda huius libri parte Romanorum deos ille speciatim expedit et evertit (cap. 9.) Eos autem Varro praepostere divisit in dubios, certos et electos. Nam quis, inquit Auctor noster, nisi amens, incertum dubiumque deum honorat. Certos vero deos et selectos qui habet ac veneratur, is alios profecto spernit ac reprobatur. Inepta est igitur illa divisio deorum, qui paulo melius distingui poterant in communes et proprios. Verum primi sive communes iidem sunt ac publici et adventitii, qui paulo ante memorato a nobis et confutato deorum physico vel mythico genere comprehenduntur. Supersunt itaque tantum proprii Romanorum dii, qui vel ex devictis hostibus rapti et Romam asportati erant, vel Penates et Lares, quos unusquisque privata in domo sua peculiarique ritu colebat. At hi omnes homines fuerunt, qui ob egregia quaedam facinora dii post mortem insulsa plane consecratione facti sunt. At quaenam, ait Tertullianus, unius ex eis, verbi gratia Aeneae, erant merita? Num pietas in patrem et filium? Sed is vel suam, sicut Antenor, prodidit patriam, vel eam relicto Priamo et Astyanacte flagrantem deserendo non imitatus est foeminam Punicam, quae se cum filiis in ardentis patriae ignes iniecit. Numquid melior Romanis, qui pro salute principum adversus liberos et coniuges iurabant? Si quid porro patrem humeris gestando promeruit, nonne Argivi iuvenes matrem suam, ne in sacris piaculum faceret, tanquam iugales vexerunt? Si suum ille patrem aluit, nonne filia quaedam maiori pietate patri suo in carcere posito admovit ubera? Magis ergo illi divinis honoribus digni erant, quam ignavus timidasque Aeneas, qui post praelium Laurentinum nusquam comparuit. Numquid etiam divinitatis honorem meruit Romulus, qui interfecit fratrem suum alienasque rapuit virgines? Numquid Hercules propter Augiae fimum eiectum, Penelope propter castitatem, Sanctus propter hospitalitatem iura divinitatis potius, quam Sterculus, quam Ulixes consequi debebant?

Quid vero de aliis longe turpioribus diis dicendum? Quid, obsecro te, divinitatis est in Larentina meretrice publica et Romuli nutrice? Quid foemina, quae ab Herculis aedituo post ridiculum ludum vitata ipso Hercule iam mortuo se compressam fuisse gloriabatur? Quis patienter ferat infamem Antinoum a Romanis deum ha-

beri? Alios tamen non minus turpes deos hi commenti sunt, quos nuptiis ac procreandis liberis praeesse stultissime praedicabant. Tales sunt Consevius, Fluvionia, Vitumnus, Sentinus, Diespiter, Candelifera, Prosa, Farmus, Albana, Runcinia, Potina, Edula, Abeona, Domiduca, Volamnus, Voleta, Paventina, Venilia, Volupia, Praestitia, Peragenor, Consus, Iuventa, Fortuna Barbata, Afferenda, Mutunus, Tutunus, Pertunda, Subigus, Prema et alii quorum officia nominibus suis appellare vel minimus pudoris sensus prohibet (capp. 10. 11.).

Omnes porro Romanorum deos ut simul et semel Tertulianus praecidat, ipsam petit illorum originem, quam Varro a Iove, Iunone et Minerva orditur, sed quae a Saturno illorum parente repetenda est (cap. 12.). Non hic autem, multo minus eius filii, deus unquam esse potuit, qui e Coelo seu Chrono et Terra genitus patrem suum castrasse perhibetur. Nec dicendum haec allegorice de tempore terraeque foecunditate explicari. Clarissimi siquidem scriptores Cassius Severus, Cornelius Nepos, Tacitus, Diodorus et alii disertissime asseverant Saturnum revera hominem fuisse, qui variis orbis terrae partibus peragratis in Oenotria seu Italia exceptus monti et urbi, ubi sedem fixerat, ac toti Italiae suum imposuit nomen. Quia vero ille tanquam ex inopinato appulerat nec cogniti erant eius parentes, de coelo lapsus ferebatur. Ne quid autem ethnici mutire auderent, hoc recepto ab illis Sybillae testimonio confirmat.

Itaque cum nullus ambigendi locus detur, quin Saturnus homo fuerit, inde certo colligitur, quos ethnici ortos ex illo ac postea mortuos sepultosque fatebantur, hos reipsa fuisse homines (cap. 13.). Atqui mortui homines non possunt esse dii, nisi vel a seipsis vel ab aliis suam acceperint divinitatem. A se autem ipsis eam non habent. Non enim sivissent se primum fuisse homines, tot tantisque humanis infirmitatibus obnoxios. Neque etiam suprema divinitate ab alio aliquo donati sunt, nisi ceteris omnibus fictis diis potentiore, qui proinde solus verus Deus dici debet. Deinde nulla prorsus assignari causa potest, cur verus Deus alios fecerit deos. Non quidem ut sibi auxilio essent vel ornamento. Deus enim omnipotens nullius ope vel ornatu indiget. Neque aliquos homines propter eorum merita deos fecit. Quid namque merebatur Saturnus, filiorum suorum devorator, aut Iupiter patris subductus furori, sororis adulter, qui ut alia supra et adulteria securus faceret, bovis, imbris aurei, cygni aliasque formas induisse perhibetur? Tam impii ergo et scelerati huiusmodi homines divinitatem nunquam meruerunt.

Neque ii etiam dii sunt quos Dionysius Stoicus in nativos et factos distinguit (cap. 14.). Tertulianus siquidem vel unico Herculis exemplo, sed quod plane sufficit, insulsissimam hanc opinionem evertit. Non enim divinitate dignus erat Hercules, quia feras interemit, quandoquidem plures occiduntur a gladiatoribus, neque etiam quia terrarum percucurrit orbem; nam Asclepiades Cynicus pluresque philosophi maiori mendicitatis labore cunctas lustraverunt totius mundi partes. Numquid ergo deus est, quia ille se contulit ad inferos? Sed quibusnam eorum via patet? Pergamus, si placet. Nonne eximius ille Hercules constupravit foeminas? Nonne ob amissum puerum mi-

litiam deseruit Argonautarum? Nonne lascivae uxoris venenis circumventus accenso rogo necem sibi ipse conscivit! Quis ergo mentis suae compos homo hunc credat esse deum? Quo etiam pacto Aesculapius potuit deus renuntiari, qui, ut narrat argivus Socrates, patre incerto natus ob medicinae peritiam fulmine Iovis, quemadmodum eius mater, percussus fuit? Athenienses tamen illum matremque eius, sicut Thesea, adorant.

Nec coelo ac divinitate magis digni Castores, Perseus, Erigone, exoletus Iovis sive Ganymedes, sicuti nec canes, scorpiones et cancri, quos Romani in astra transtulerunt. Quis vero sine risu illa audiet nomina deorum, quos Romani certis quibusdam urbium ac domorum locis praepositos arbitrabantur? Ab iis quippe vocantur Yiduus, Caeculus, Orbana, Arquis, Iana, Ascensus, Levicola, Forculus, Cardea, Limentinus aliique singulis quibusque vitae officiis praefecti. Sed hi solis paene Romanis cogniti, si dii fuissent, ceteris omnibus nihil opus erat (cap. 15.).

At ingrati plane sumus, inquietabant Romani, si divinitatis honores iis denegemus qui vitae necessaria nobis invenerunt. Tribuendi igitur sunt, ait Tertullianus, hi honores Catoni, qui ficum viridem et Pompeio, qui cerasa Romam primi attulerunt. Sed nihil hac ratione futurus. Non enim fructuum inventor, sed auctor et creator verus Deus est. Et certe novae artes ab hominibus quotidie inveniuntur; nemo tamen harum inventores deos esse dixerit (cap. 16.).

Instabant Romani, se sua in deos pietate ac religione meruisse totius mundi dominatum. Itane vero, inquit Tertullianus? Numquid turpis Sterculus Romani imperii fines propagavit? Numquid Iupiter antri Idaei, Cretae patriae suae, ac iucundissimi nutricis suae odoris oblitus, his praetulit capitolum? Numquid Iuno Carthaginis, quam Samo olim praeposuerat, penitus immemor, voluit eam a Romanis subverti? Sed horum aliorumque imbellium deorum nec ulla fuit adversus fata potestas nec potuerunt suas urbes provinciasque adversus hostium suorum arma tueri.

Ad haec vero Romanorum imperium antea fundatum fuit, quam ulla deorum essent simulacra, cultus ac sacra, quae postmodum a Numa Pompilio introducta sunt. Bellis itaque accrevit illud imperium, atque idcirco pari sacerdotum ac civium caede, pari rerum sacrarum atque profanarum ruina totque sacrilegiis, quot tropaeis ac triumphis. Denique quis nescit funditus eversa fuisse regna Assyriorum, Medorum, Persarum, Aegyptiorum, qui non minore pietate, quam Romani, deos suos colebant? Solus ergo Deus, unus et omnipotens, regna dispensat, minime vero Romanorum aut aliarum gentium dii, quos tam factitious esse constat, quam illorum, a quibus coluntur, falsas vanasque religiones (cap. 17.).

### ARTICULUS III.

Varis rationum momentis ostenditur Tertullianum horum librorum esse auctorem et nova Hoornbeeki id negantis opinio refellitur.

Testatum nobis Hieronymus fecit editos fuisse a Tertulliano praeter Apologeticum alios ad Gentes libros, de quibus ad Magnum haec

scripsit in verba: *Quid Tertulliano eruditius? quid accuratius? Apologeticus eius et contra Gentes libri cunctam saeculi obtinent disciplinam* (Hieronym. epist. 83. ad Magnum.). Quis autem non videat hos de quibus agimus designari libros et ab Apologetico distingui? Quamvis enim in Agobardi codice, de quo infra dicendum, inscribantur ad Nationes, eundem tamen atque *Ad Gentes* titulum esse quis diffitebitur?

Huc accedit Augustinus, qui Tertulliani nostri opinionem refellendo eius nomine hosce libros, tametsi paulo obscurius, citavit: *Non dico, inquit, quod facetius ait Tertullianus fortasse, quam verius: Si dii seliguntur ut bulbi, utique ceteri reprobi iudicantur* (August. lib. VII. de Civit. cap. 1.). Scimus quidem nonnullis visum ibi citari illius Apologeticum. Sed persuasum alii ita habuerunt non alios ibi quam ad Nationes libros citari, ut inde illorum textum corrigi voverint. Et certe postea ostendemus Augustinum ibi ad hos potius respexisse Auctoris nostri libros quam ad Apologeticum.

Praeterea hi libri in vetusto Agobardi codice manuscripto non semel inscribuntur ipso Tertulliani nomine. Secunda enim illius in pagina haec legimus: *HIC SUNT TERTULLIANI LIBRI: AD NATIONES LIBER I. ITEM AD NATIONES LIBER II.* In primi etiam libri fine: *TERTULLIANI AD NATIONES LIBER I. EXPLICIT. INCIPIT LIBER SECUNDUS AD NATIONES.* Huius porro codicis librarius in prima eius pagina litteris maioribus scripsit: *LIBER OBLATUS AD ALTARE SC<sup>7</sup> STEPHANI EX VOTO AGOBARDI EP<sup>7</sup>*, id est, episcopi. At is, inquit, ipse est Agobardus Lugdunensis archiepiscopus, qui Caroli Magni filiorumque eius aetate atque ineunte saeculo nono florebat. Tum itaque descriptus fuit ille codex ex alio proculdubio antiquiore, in quo, atque aliis haud dubie pluribus, hi libri praefixum similiter habebant Tertulliani nomen. Communis igitur non eo tantum Agobardi, sed superioribus etiam saeculis opinio erat Tertullianum horumce Ad Nationes librorum esse auctorem.

Quamvis autem tanti roboris ratio nobis deesset, horum tamen librorum argumentum, aetas atque in primis styli scriptionisque genus ac summa cum Apologetico affinitas illos a Tertulliano profectos esse demonstrant. Ex ipsa siquidem a nobis iam exhibita eorum analysi evidentissime patet illorum scriptorem in hoc esse totum, ut palam omnibus faciat Christianos contra legum omnium praescripta ab ethnicis iniquissime vexari eorumque criminum falso accusari, quorum revera conscii erant ipsimet gentiles. Scripti sunt ergo hi libri ipsa Tertulliani aetate, cum ethnici tam caeco quam effrenato furore in Christianos adhuc saeviebant. Denique nihil in eis sive de Christianis, sive de gentibus dictum est, quod Tertulliani aetati non conveniat ipsorumque eius tempus non indicet.

Singularis quoque horum librorum stylus, insolitum dictionum verborumque genus, plane ostendunt Tertullianum esse verum illorum parentem. Nam peculiaris eius ac propria ceterisque dissimilis eius elocutio in eis ubique passim emicat ac citius a quolibet lectore apprehenditur. Ad haec vero, in illis saepius occurrunt non solum eadem atque in Apologetico propria insolitaque Tertulliani verba, sed integrae etiam eadem periodi. Neque id longa inductione probari



necesse est, quod facile obvium, atque ex postea dicendis manifestum omnibus fiet. Nonne autem tanta utrorumque librorum affinitas et connexio satis aperte demonstrat illos ab uno eodemque scriptore, nimirum Tertulliano, esse compositos?

Miramur itaque recentiore quendam, magni certe apud suos nominis virum, qui audacter pronuntiat sibi plane non videri Tertullianum horum librorum revera esse auctorem. Sed quibus, putas rationum momentis? Non aliis paene quam iis ipsis, quibus ei potissimum vindicatur: *Non videtur mihi, inquit, auctor esse Tertullianus, non eius stylus et materia, quae fere eadem quae in Tertulliano Apologetico inde potius hausta et per aliquem forte Tertulliani aemulum aut studiosum ad eum efformata* (Hoorneek lib. I. de Theolog. Patr. cap. 1. §. 10. pag. 106.). Novum sane et mirum est illud argumentandi genus! Idem stylus, inquit doctus ille vir et eadem est Apologetici et librorum ad Nationes materia; ergo hi libri non a Tertulliano, sed ab eius aemulo aut studioso compositi sunt. Quid, si inde nos similiter concludamus, Apologeticum non ab illo, sed ab eius aemulo aut studioso esse confectum? Numquid respondebit hunc librum Tertulliano ab aliis scriptoribus adiudicari? At nos etiam hoc ostendemus ipsi quoque ab aliis adscribi illos ad Nationes libros.

Deinde vero eruditus ille vir nobiscum fatetur, quod negare non potest, eundem esse horum librorum et Apologetici stylum. At ne ille nec alius unquam negabit Tertulliani stylum dicendique modum ita ipsi proprium et peculiarem esse, ut vix ac ne vix quidem ullum unquam potuerit illum imitari. Nonne ergo hinc, ut peritiores critic solent, longe potiori iure concludendum est eundem Tertullianum horum trium librorum esse revera parentem?

Instat Hoorneekius, eandem praeterea esse illorum materiam idemque argumentum. Sed quid inde? Numquid idem Christianus auctor duos diversos de eodem argumento, ac potissimum in christiana religionis, ab ethnicis tanta iniquitate quanta saevitia vexatae defensionem libros conficere, aut scriptos retractando reficere, corrigere augere, minuere non potuit? Nunquam certe is, qui haec nobis obiectat, illud inficiabitur. Nam ipse, sicut alii omnes, palam confitetur Tertullianum libri Ad Scapulam verum esse auctorem. Atqui in hoc libro idem atque in Apologetico et duobus Ad Nationes libris argumentum, videlicet Christianorum iniquissime vexatorum causa, sed quae brevius agitur. Ad haec vero libri Ad Nationes, ad alios quam Apologeticus et liber Ad Scapulam directi sunt. Quid vero quod paul post demonstrabimus alia plura in Apologetico, quam in libris Ad Nationes, ac vice versa pertractari? Denique ostendemus Tertullianum validis rationibus ad hos libros post Apologeticum scribendos compulsam fuisse.

Urget tamen Hoorneekius, auctorem libri primi Ad Nationes dixisse nondum elapsos a Christo nato annos ducentos, in libro autem de Monogamia *circiter centum et sexaginta* (Tertull. lib. de Monogam. cap. 3.). Sed levissimas rationes alia longe leviori confirmare frustratur nititur. Nam etsi constaret nullum librorum in numeris describendis subesse errorem, ac certum foret initium horum annorum ab ipso

Christo duci, non inde tamen concludi potest libros Ad Nationes Tertulliano esse abiudicandos, In ipso siquidem horum primo legimus: *Aetati nostrae nondum anni CCL.* (Idem lib. I. ad Nation. cap. 7.). *hic non multo post: Ut supra edidimus aetatis nostrae nondum anni trecenti* (Ibid. cap. 9.). Numquid ergo hunc librum non ab uno eodemque auctore editum esse dixeris? Quis sanae mentis homo ita unquam argumentatus est? Quis non videat ab eodem scriptore, chronographum non agente, dici revera potuisse nondum a Christo fluxisse CC. annos et alibi annos circiter CLX. elapsos esse? Sed nos sane puderet taederetque tam vanam singularemque opinionem refellere, nisi quidam postea huic, quem magnis laudibus extollunt, novo auctori subscripsisse viderentur.

## ARTICULUS IV.

Quo tempore hi libri publicam in lucem prodierunt.

Quo ipso tempore Tertullianus his Ad Nationes libris componendis operam dederit, dictu nec promptum nec facile est. Quaedam tamen in eis aetatis notae atque indicia nobis sese offerunt. Primo etenim in libro legimus latam paulo antea a Fusciano, Urbis praefecto, sententiam in quendam patrem, qui, cum filium suum recens natum exposuisset, elapso dehinc tempore sibi amplius non cognitum a seque emptum constupraverat (Tertull. lib. I. ad Nat. cap. 16.). Atqui Capitolinus meminit Fusciani Urbis praefecti, cui Pertinax proxime successit (Capitolin. in vita Pertinacis post init.). Initio autem anni CXCIII. hic imperator creatus, post tres circiter menses occisus fuit. Non diu ergo post Pertinacis mortem Tertullianus hos libros edidisse dicendus est.

Neque obiicias illum in eodem libro scripsisse: *Aetati nostrae nondum anni CCL.*, id est a christianae religionis exortu (Tertull. lib. I. ad Nat. cap. 7.). Nam postea adhuc scripsit: *Ut supra edidimus, aetatis nostrae nondum anni trecenti* (Ibid. cap. 5.). Nihil ergo penitus certum et exploratum inde concludi potest. Maiorem enimvero annorum numerum assignare ille proculdubio maluit, ne ethnicis ullum cavillandi locum praeberet. Praeterea ex duobus illis numeris, *nondum anni CCL. et CCC.* tam disparibus, quid certum colligi potest? Si quid autem inde colligere velis, prius definiendum tibi erit, quo Tertullianus anno assignaverit aerae christianae initium.

Nonnulli itaque existimant horum librorum aetatem certius agnosci posse ex aliis illius verbis, quibus ethnicos sic adloquitur: *Ex vobis nationibus quotidie Caesares et Parthici et Medici et Germanici sunt* (Ibid. cap. 17.). At haec, inquiunt, Caracallam spectant, qui Germanis Parthisque devictis Germanici Parthique agnomine anno CCXVI. insignitus est. Non male quidem, si Caracallae soli haec honoris cognomina data fuissent.

Clarius ergo horum librorum aetatem indicant haec subsequencia Auctoris nostri verba: *Adhuc Syriae cadaverum odoribus spirant; adhuc Galliae Rhodano suo non lavant* (Ibid.). Nam ibi proculdubio designantur Pescennius Niger et Clodius Albinus, qui cum a Severo impe-

ratore defecissent, ille in Syria, hic in Gallia cum suis copiis profugati caesique fuerunt. Atqui haec, quae in eiusdem Tertulliani Apologetico memorantur, contigerunt anno CXCIV. vel CXCV., aut potius anno CXCVII., sicuti supra fusius explicavimus (Supr. cap. 3. Art. 2. Paulo igitur post hunc annum hos Tertullianus ad Nationes libro sicut Apologeticum divulgasse dicendus est.

Quidam vero ex subsequentibus illius verbis: *Temporum qualitate robore . . . ris antiquitatis exegerit ingenia duriora: at nunc tranquillitas pacis et ingenia mitiora* (Ibid. cap. 18.), arbitrantur conficere posse haec ab illo tradita, cum Christiani sub initio imperii Severi optata pacis et otii tranquillitate fruerentur. At Severus ille persecutionem in eos excitavit datis anno CCII. edictis. Antea igitur Tertullianus hos, inquit, libros confecerat.

Sed animadvertendum est illum his verbis induxisse ethnico perperam obiectantes duriora fuisse suorum ingenia maiorum, qui a quolibet etiam acerbissimos cruciatus patienter ferendos comparari magis erant, quam alii aetatis suae homines, quorum ingenia tranquillitas pacis et otii mitiora reddiderat. Si tamen haec ipsa Auctor nostri verba de vera christiana Ecclesiae pace intelligenda esse contendas ac probaveris, ultro tibi assentiemur. Inficias nemo tamen ibi ex superius dictis certius colligi hos Ad Nationes libros et Apologeticum non multo post annum CXCVII. publicam venisse in lucem. Quinam autem ex iis primum prodierint, alia est inter eruditos controversia, iam a nobis excutienda.

#### ARTICULUS V.

Utrum hi duo ad Nationes libri ante vel post Tertulliani Apologeticum scripti fuerint.

Qui duos ad Nationes libros post Apologeticum scriptos fuisse autumant, hi ratione triplici opinionem suam stabilire conantur. Primum enim Apologeticum anno circiter ducentesimo atque initio commotum ab imperatore Severo adversus Christianos persecutionis editum suspicantur, libros autem ad Nationes iam profecto Caracallae imperio postquam hic imperator Parthici Germanicique nomen accepisset. Verum iam ostendimus nutare penitus huiusce posterioris de Caracalla assentionis fundamentum.

Secunda illorum ratio est, Christianorum defensionem, quae totum et Apologetici et librorum ad Nationes complectitur argumentum, per se in his quam in illo pertractari. Sed a nobis postea demonstrabitur, quam vero parum similis sit haec coniectura.

Tertiam rationem sumunt ex verbis et periodis, qui aliis occurrunt in libris, quos Tertullianus post suam ad Montanistas defectionem divulgavit. Quasi vero nec alia his quoque similia reperiantur in aliis eius libris, ac praesertim Apologetico, ubi longe plura eadem atque in libris ad Nationes occurrere fatentur.

Quam infirma autem haec rationum momenta, tam valida nobis videntur alia, quae ex his ipsis ad Nationes libris erui possunt. In his siquidem non semel Tertullianus promittit multa se alibi explicaturum. Ne vero aliquid dubii et incerti proferri quidam causentur

ea non urgebimus quae Tertullianus, postquam probavit Christianos ob suum dumtaxat nomen vexari, continenter addidit: *Sed dum haec ratio suo loco ostenditur, vos quam insequimini ad expugnationem nominis edite rationem* (Tertull. lib. I. ad Nat. cap. 3.). Nihil enim ibi diserte pollicetur a se deinceps agendum, sed rem ipsam a se satis explicatam significasse nobis videtur.

At clarioribus profecto verbis spondet fore, ut alibi longiorem instituat de futura corporum resurrectione aeternisque hominum post mortem aut praemiis aut poenis disputationem. Hunc enim ille loquitur in modum: *Viderimus de fide istorum, dum suo loco digeruntur* (Ibid. cap. 7.), id est, scriptis tradenda disponuntur et praeparantur. Ubinam vero hoc ille adversus ethnicorum ineptias digessit ac tradidit? Non in his quidem ad Nationes libris, sed sub finem Apologetici sui, quem potius quam alium librum designasse haud immerito dixeris (Idem Apologet. capp. 48. et 49.).

Tum deinde, ubi alias ethnicorum, Christianos omnis publicae cladis causam esse clamantium, calumnias refellit: *Postmodum, ait, obtundentur expositione totius nostrae disciplinae* (Idem libr. I. ad Nation. cap. 10.). Dic autem, obsecro, ubinam ille ad diluendas hasce gentilium criminationes hanc christianam doctrinam exposuit. Non in his certe ad Nationes libris, sed in pluribus Apologetici capitulis, uti vel ex sola patet, quam supra dedimus, huius libri analysi (Idem Apologet. capp. 17. 18. et seqq.).

Praeterea pollicetur se aliquando probaturum falsa esse de Deo non modo ethnicorum poetarum, sed divinandi etiam artem profitentium documenta: *Delibanda enim, inquit ille, nunc est species ista, cuius suo loco ratio reddetur* (Idem lib. II. ad Nat. cap. 5.). Quo ergo in libro illam, qua gentilium ineptae accusationes redarguantur, reddidit rationem? Nonne in Apologetico, ubi eam fuse explicatum legimus (Idem Apologet. capp. 21. et 22.)?

Quid plura? Ubi ille rursus gentilium, qui infanticidii Christianos impudentissime postulabant, audaciam retundit, illos his compellat verbis: *Vos, si de memoria abierunt quae caede hominis quaeque infanticidiis transegisse, recognoscetis suo ordine. Nunc enim differimus pleraque, ne eadem videamur ubique retractare* (Lib. H. ad Nation. cap. 15.). Vides profecto ibi duo ab Auctore nostro diserte enuntiari. Primo quidem plenius a se ipso demonstrandum gentiles homicidii atque infanticidii esse reos. Atqui id ille nullibi fusius quam in Apologetico demonstrat. Secundo palam declarat multa se distulisse, alibi a se fusius enucleanda, ne eadem aliis in libris repeteret ac retractaret. Sed ubi, quaeso, haec adversus gentiles uberius, quam in Apologetico disputavit?

Quis ergo, iis omnibus quae retulimus accurate expensis non fatebitur Tertullianum, cum hos ad Nationes libros exarabat, nos ad suum misisse Apologeticum quem tum conficere meditabatur (Supr. cap. 3. Art. 1.)? Prius igitur libri ad Nationes, quam Apologeticus ab illo editi sunt. At ex assignata a nobis huius aetate satis aperte colligi potest illum ad datam scribendi Apologetici fidem liberandam non longum interposuisse temporis spatium nec moram pati potuisse,

quin Christianorum causa, sicuti apud universas nationes, it eorum praesides, iudices ac magistratus perorata illorum innoc omnibus patefaceret. Si ergo Apologeticus liber circa annum CC., quemadmodum diximus, publicam in lucem emissus est, ad Nationes libri paulo ante divulgati fuerant (Ibid.)

## ARTICULUS VI.

De horum librorum argumento et utrum illud plenius perfectiusque in eis quam getico pertractetur.

Plura quidem in superiori articulo retulimus Tertulliani quibus testatur se plura in his ad Nationes libris praetermissis in Apologetico fusius explicare decreverat. At haec plane re illorum opinioni qui contendunt harum commentationum arg tum in libris ad Nationes uberius, perfectius meliorique ordine in Apologetico pertractari. Animum enim nescio qua ratione i rant acre, vehemens, acutum auctoris ingenium igneumque illi men passim ubique in his micare libris, sed eum violento illi petu raptum plura scripsisse quae non satis meditata, polita que sunt. Verum ruit plane haec opinio, si Apologeticus post Ad Nationes ab eo, sicuti vidimus, profectus fuerit.

Praeterea constat plura magni sane momenti in Apologeti putari, quae in libris ad Nationes omissa sunt, tametsi non his vicissim libris et neutiquam in illo legantur. Cunctis au haec magis plana ac perspicua fiant, exhibendum censuimus i capitum, in quibus eadem aguntur. Inde enim unusquisque faci cabit, in quibus hi libri a se invicem discrepant.

## INDEX CAPITUM

in quibus Apologeticus et libri ad Nationes inter se conveniunt.

Liber primus ad Nationes. . .	Apologeticus.
Caput 1. . . . .	Cap. 1.
Caput 2. . . . .	Cap. 2.
Caput 3. . . . .	Cap. 2. et 3.
Caput 4. . . . .	Cap. 3. et 46.
Caput 6. . . . .	Cap. 4.
Caput 7. . . . .	Cap. 7. et 8.
Caput 8. . . . .	Cap. 8., non totum.
Caput 9. . . . .	Cap. 40. et 41.
Caput 10. . . . .	Cap. 12. 13. 14. et
Caput 11. 12. 13. et 14. . . .	Cap. 16.
Caput 14. 15. et 16. . . . .	Cap. 9.
Caput 17. . . . .	Cap. 35.
Caput 18. . . . .	Cap. 50.
Caput 19. . . . .	Cap. 47. 48. 49.
Liber secundus ad Nationes. . .	Apologeticus.
Caput 12. . . . .	Cap. 10.
Caput 17. . . . .	Cap. 25.

Vides sane ex hoc indice cum Apologetico concordare primum ad Nationes librum, si huius excipias caput quintum, in quo petita ab ethnicis ex malis quibusdam Christianis argumentatio diluitur, et caput ultimum, quod totius libri conclusio est. Secundus autem liber ad Nationes in septendecim capitula divisus est, quorum quindecim nihil cum Apologetico commune habent. In octo autem prioribus ex his quindecim capitulis Tertullianus fictum a Varrone triplex deorum genus physicum, mythicum, plebeium, in septem vero posterioribus venditatos Romanorum deos exagitat et explodit.

Ex quinquaginta vero Apologetici capitulis ne media quidem pars cum duobus ad Nationes libris congruit. Cum ceteris autem dissidet, in quibus Tertullianus explicat asseritque quam vera sint Christianorum documenta, quam casti et incorrupti illorum mores, quam pii et sancti solennes eorum coetus ac quam religiosae synaxes. At de his nihil in libris ad Nationes. Uno verbo in hisce libris demonstratur Christianorum innocentia iniquissime vexata, ethnicorum vero iniustitia, depravatio, corruptela et religionis pravitas, nihilque amplius. Verum in Apologetico haec quidem omnia et insuper christianae religionis sanctitas ac veritas. Quis ergo ex hac horumce librorum collatione negare poterit illorum argumentum longe plenius ac perfectius in Apologetico quam in libris ad Nationes explicari ac demonstrari?

## ARTICULUS VII.

De librorum ad Nationes titulo; cur a Tertulliano scripti, ac quibus directi fuerint; de unico illorum manuscripto codice, variis editionibus ac quorundam in eos notis et observationibus.

Observatum a nobis fuit hos libros in Agobardi codice inscribi Ad Nationes (Supr. hoc cap. Art. 3.), ab Hieronymo autem librorum ad Gentes nomine citari, sed utriusque tituli eandem esse significationem. Quia tamen illi, ad quos hi libri directi sunt, ab ipso Tertulliano Nationes aut *miseræ* aut *miserundæ nationes* appellantur, hinc certe potior videtur praefixa in Agobardi codice inscriptio (Tertull. lib. I. ad Nat. cap. 1. et lib. II. cap. 1.).

Quidam autem ex hac epigraphe colligi posse autumant hos libros ad ethnicorum populum plebemque directos, Apologeticum vero ad ipsorum magistratus, iudices ac principes. At de hoc quidem Apologetico certa res et extra controversiam posita est. Quid tamen vetat quominus duo Ad Nationes libri omnibus omnino ethnicis, cum populis, tum iudicibus et praesidibus, scripti fuerint? Nonne in eis Tertullianus non solum in plebem gentilium invehitur, sed etiam in iudices, qui contra praescriptam aequitatis legumque cunctarum formam Christianos indefensos et inauditos condemnabant? Nonne ergo dici potest Tertullianum, cum hanc ethnicorum iniustitiam summamque crudelitatem cerneret, hos primum Ad Nationes, id est quoscunque gentiles, direxisse libros, ut eos ad saniores, si fieri posset, revocaret mentem? Sed quia nihil aut parum certe profecerat, tum ad iudices nominatim praesidesque suum misisse Apologeticum, quo illos compelleret ad examinandam Christianorum causam, ne ea inaudita con-

ipsemet liber, totus quantus est, palam attestatur? Nam idem in eo atque in Apologetico et Ad Nationes libris dicendi genus, eadem peculiare ac Tertulliano propriae dictiones, eadem verba singularia, eadem plerumque in Christianorum adversus ethnicos defensionum argumentationes. Quemadmodum etiam Apologeticus et libri Ad Nationes aut omnibus ethnicis aut eorum praesidibus missi sunt, ita plane constat hunc librum directum fuisse Scapulae, Carthagini totiusque Africae praefecto, quem Tertullianus a Christianis plane innocentibus torquendis et trucidandis avocare conatus est.

Sed quid Tertulliano, inquiet aliquis, necesse erat aliam adversus gentiles et pro Christianis praeter Apologeticum et libros Ad Nationes commentationem aut librum scribere? Immanis, inquam, Scapulae, Africae praesidis, in Christianos saevitia illum ad hunc non quidem librum, sed libellum supplicem offerendum compulit. Quamvis enim Severus, anno Christi CXCIII. imperator factus per primos imperii sui annos impense favorit Christianis post debellatos tamen Cassium, Nigrum et Albinum ac post suum solemnem anno CXCVII. in urbem Romam ingressum, animo plane mutatus est. Tum enim ipso primum annuente, aut saltem non prohibente, recrudescere coepit dira in Christianos persecutio. Iratior deinde factus novas anno CCH. in eos condidit leges, quarum auctoritate, ait Eusebius, ubique locorum per Ecclesias facta sunt martyria. Africam itaque non secus atque alias provincias is crudelissimae vexationis aestus depastus est (Euseb. lib. VI. Eccles. Hist. cap. 2. Hieronym. Catalog. Scriptor. Eccl. §. 54.)

Tertullianus vero de Christianorum salute semper sollicitus ante datas hasce leges Apologeticum et libros ad Nationes, sicut diximus, divulgaverat, quorum lectione furor gentilium in Christianos, quantumlibet inflammatus, debebat procul dubio sedari (Euseb. ibid. cap. 1.). Sed nulla prorsus sole etiam meridiano clariora rationum momenta potuerunt illum restinguere nec prohibere, quominus iniquissimis legibus a Severo latis Christiani in Africa excarnificarentur. Quamobrem Tertullianus hunc adhuc supplicem libellum Scapulae, illius provinciae proconsuli, obtulit, quo eum et gravissimo argumentorum pondere et domesticis illustribusque aliorum praesulum atque etiam imperatorum exemplis a divexandis torquendisque Christianis avocaret.

Plura autem hic liber nobis suppeditat argumenta, quibus illum post exortam Severi imperatoris in Christianos persecutionem scriptum fuisse satis aperte conficitur. Quorundam enim ibi proponuntur exempla praesidum, qui, cum per id tempus Christianos variis suppliciis affecissent, crudelitatis suae poenas iam dederant. Ab Hilariano autem sic Tertullianus orditur: *Sub Hilariano praeside, cum de areis sepulchrorum nostrarum acclamassent: Areae non sint, areae ipsorum non fuerunt! Messes enim suas non egerunt* (Tertull. lib. ad Scapul. cap. 3.). Ibi vero haud prorsus inepta antithesi *aream* sive locum vacuum aut campum sterilem, in quo mortui sepeliebantur, opponit *areae*, in qua fruges teruntur et excutiuntur. Dixit itaque quo tempore acrius ethnici saeviebant in Christianos acclamabantque negandam ad illos sepeliendos *aream*, tum iisdem ethnicis defuisse *messes* et

frumenta, quae suis in areis tererent. Palam autem asserit hanc sterilitatem contigisse, cum Hilarianus Africae praeses erat. Atqui ex Actis sanctarum martyrum Perpetuae et Felicitatis, quae tanquam vera et genuina a pluribus, ac tandem a Bollandi sociis et nostro Theodorico Ruinaro typis edita sunt, discimus has sanctissimas martyres bestiis expositas fuisse iussu Hilariani procuratoris: *Qui tunc, sicut ibi legitur, loco proconsulis Minutii Firmiani defuncti ius gladii acceperat* (Bolland. VII. Martyr. pag. 633 et seqq. Ruinar. Act. Martyr. cap. 85 et seqq.). Quidam autem putant eas martyrio coronatas anno CCH., alii CCHII., alii CCV., post commotam proculdubio a Severo imperatore persecutionem. De Perpetua porro haec ipse Tertullianus alio in libro memoriae mandavit: *Perpetua, fortissima martyr, sub die passionis in revelatione paradisi solos illic commartyres vidit* (Tert. lib. de Anim. cap. 55.). Discimus quoque ab Augustino, qui illius et Felicitatis saepius mentionem facit, utriusque festum diem quotannis in Africa celebratum. Nonne autem inde satis liquido conficitur has in Africa palmam talisse martyrii, cum ibi Hilarianus proconsulis officio fungeretur? (Augustin. Serm. 280. et seqq. pag. 1134 et seqq.).

Postea Tertullianus: *Vigilius Saturninus, inquit, qui primus hic gladium in nos egit, lumina amisit* (Tertull. lib. ad Scap. cap. 3.). At hunc esse existimant Africae proconsulem, qui anno CC., vel sicut aliis placet, CCV. Carthagine Speratum aliosque Scillitanos martyres capite damnavit. Nam haec litteris consignata legimus in eorum martyrii actis, quae tanquam vera et sincera a Baronio primum, ac nostro deinde Ruinaro aucta et emendata, publicam emissa sunt in lucem (Baron. ad ann. Christ. CCH. §. 2 et seqq. Ruinar. Act. Mart. p. 77 et seqq.). Quod autem Tertullianus subiunxit Saturninum primum in Africa *gladium* in Christianos *egisse*, ibi proculdubio subintelligendum, postea quam excitata fuisset a Severo imperatore persecutio. Omnem enimvero extra controversiam esse videtur plures antea neci fuisse traditos. Sensus itaque Tertulliani est, Christianos prius a Saturnino, quam Hilariano excruciatos, ac proinde illum ibi recensendo Africae praefectos Christianorum carnifices non sequi temporum ordinem.

Minus igitur certa videtur illorum opinio, qui arbitrati sunt Cincium Severum, Vespronium Candidum, Asperum ac Pudentem ibidem a Tertulliano nostro post Hilarianum et Saturninum eodem ordine appellari, quo unusquisque proconsul Africae fuit (Tertull. lib. ad Scap. cap. 4.). Nam hos ideo commemorat, quia tanto mitius in Christianos egerunt, quanto illi crudelius. Cur autem temporum ordinem servasse dicetur hos potius, quam illos nominando? Ad haec vero, dubitandi locus est utrum hi Africae fuerint praesides. Etenim Hilariano et Saturnino, dirissimis Christianorum tortoribus, subiunxit Claudium Herminianum Cappadociae praefectum. Si quis tamen ab Auctore nostro veram illorum in Africae proconsulatus successionem exhiberi probaverit, ei haud inviti assentiemur.

Ceterum ille haec clementiorum praesulum exempla ante Scapulae oculos non aliam ob causam posuit, nisi quia Africae praesides post leges adversus Christianos a Severo imperatore sancitas in illos acer-



bis furebant et bacchabantur (Ibid. cap. 3.). Praeter praefatos siquidem Saturninum et Hilarianum ipsemet Scapula, sicut Auctor noster ibidem testificatur, non modo Adrameticum Mavillum ad bestias damnaverat, sed Africa etiam christiana ipso non cohibente aut iubente, *obnoxia*, inquit, *facta est concussionibus et militum inimicorum suorum cuiusque* (Ibid. cap. 4.). Quamvis autem definire non possimus, quo praefati proconsules anno Africam rexerint, ex haecenus tamen disputatis colligi potest hunc ad Scapulam librum editum fuisse a Tertulliano post commotam a Severo imperatore adversus Christianos persecutionem.

Inquirendum igitur superest, utrum statim post excitatum aut extinctum illius incendium editus fuerit. Quidam autem opinantur illum in vulgus prodiisse post annum CCX. et Severi imperatoris mortem. Tertullianus etenim ibi de quadam, inquit, solis eclipsi hunc loquitur in modum: *Sol in conventu Uticensi extincto paene lumine adeo portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, positus in suo hypsomate et domicilio* (Ibid. cap. 3.). At haec, aiunt illi, eclipsis accidit anno Christi CCX., undecima aprilis die horaque ipsa meridiana. Sed aliis omnino vacillare videtur totum huius opinionis fundamentum. Solitam quippe illi notant solis eclipsin, Tertullianus vero aliam omnino extraordinariam, quae, sicuti ait, *portentum fuerat*. Tum namque sol, inquit, erat in suo *hypsomate*, id est, summitate, altitudine et cacumine. Hoc enim significat verbum graecum ὑψωμα. Nulla autem illius ibi positi fieri potest eclipsis, quam tunc tantum patitur, cum transit circa nodos, qui in Draconis capite et cauda occurrunt. Quamvis autem Tertullianus noster in astrologiae scientia omnino peregrinus fuisset, ex illius tamen verbis colligi potest solitam non fuisse hanc solis defectionem, sed ita extraordinariam, ut astrologi, ad quos ille nos mittit, hoc negare non potuerint.

Quamobrem Scaliger posthabita illa ratione existimat hunc librum fuisse compositum post mortem Caracallae, iamque regnante Heliogabalo, qui mense Maio anni CCXVIII. imperator creatus est. Tertullianus enim de Severo haec, quemadmodum vidimus, verba facit: *Proculum Christianum . . . . . in palatio suo habuit usque ad mortem eius, quem Antoninus Caracalla optime noverat* (Tertull. lib. ad Scapul. cap. 4.). At nemo sane mentis, ait Scaliger, putaverit illud de Antonino Caracalla adhuc vivente dictum (Scalig. Animadv. in Chron. Euseb. pag. 129.).

Sed quibus sana et integra mens est, hac in argumentatione sanam Scaligeri mentem non agnoscunt. Quid enim vetat quominus Caracalla iuvenis et adolescens noverit Proculum, tuncque adhuc vixerit, quando Tertullianus haec litteris mandabat? Ad haec vero, illud verbum *noverat* ideo ille adhibet, quia Proculus, non autem Caracalla, tum revera erat mortuus. Non ergo ii amplius audiendi sunt, qui ea invalida Scaligeri ratione freti, ab eius tamen opinione paululum recedentes, suspicantur editum fuisse hunc librum anno CCXVII., quo regnavit Macrinus. Everso siquidem huius opinionis fundamento ipsa etiam corrui.

Propius itaque a vero abesse videntur qui huius libri aetatem

adsignant paulo post annum CCXI., quo Severus Eboraci in Anglia mense Februario vitam imperiumque posuisse perhibetur. De illo quippe hoc in libro haud dubie Tertullianus loquitur ubi dixit: *Ipsæ etiam Severus pater Antonini Caracallæ Christianorum memor fuit* (Tert. lib. ad Scap. cap. 4.). Cur enim, inquit, appellatur *pater Antonini*, nisi quia iam migraverat ex hac vita et in eius locum filii eius Caracalla et Geta substituti fuerant? Nonne etiam postea Auctor noster ad eos iam imperantes alludit, cum asseruit Scapulam habuisse suae in Christianos crudelitatis magistros? Post Severi autem obitum, aut certe non multo postea, cum cerneret Tertullianus mitigatum Scapulae atque aliorum in Christianos furorem, illi hunc supplicem libellum obtulisse videtur. Non enim illum offerendum esse censuit, cum Severus, cuius summam primis imperii annis in Christianos clementiam, ut vidimus, laudaverat, in eos ad mortem usque atrociter saeviebat. At illo vita functo oblatam sibi proconsulem Scapulam a vexandis Christianis deterrendi occasionem confestim captasse verisimilius est.

## ARTICULUS III.

De huius libri manuscriptis et editis codicibus, de variorum in eum observationibus ac nonnullis diversis lectionibus et notis.

Plures indicantur huius libelli codices. Primus est Gorziensis, quo ad illius editionem usus est Rhenanus. Alter autem vocatur Anglicus, ac tres insuper Vaticani memorantur. Gelenius vero ad prioris et Pamelii ad posteriorum fidem, superiores huius libelli editiones recognoverunt ac castigarunt. Rigaltius porro alium se vidisse testatur penes Petrum Belinium S. C. Divionensem, cuius diversae ab editis lectiones in Petri Pithoei manus inciderant.

Nunquam autem hic liber ex typographorum officinis solus, semper cum aliis Tertulliani operibus publicam in lucem prodivisse perhibetur. Tot itaque factae sunt huius, quot illorum editiones. De his autem cum iam plura disputaverimus, ea nunc repetere nihil necesse est. Pamelium autem, qui veteres ex tribus, uti ait, Vaticanis codicibus editiones emendavit, Rigaltius ubique secutus est. Quamvis enim Divionensem codicem venditet, unam tamen tantum notavit diversam lectionem, quam plane repudiavit. Ibi vero occurrit, ubi de Proculo haec Tertulliani in editionibus omnibus verba legimus: *Quem et Antoninus Caracalla optime noverat, lacte christiano educatus* (Tertull. lib. ad Scapul. cap. 4.). In codice autem Divionensi scriptum habetur: *quem et Antoninus noverat Christianis educatum*. Quibus significatur hunc Proculum, non vero Antoninum Caracallam, lacte educatum fuisse christiano.

Verum hanc Divionensis codicis lectionem reiicit Rigaltius, quia illa Tertulliani verba referri debent ad Antoninum, *qui septennis puer*, sicut narrat Spartianus, *cum collusorem suum puerum ob Iudaicam religionem gravius verberatum audisset, neque patrem suum, neque patrem pueri, vel auctores verberum diu respexit* (Spart. in Vit. Carac. pag. 331. col. 1.). At Iudaicae religionis nomine christianam Spartianus intellegit, quia utramque ethnici confundebant. Addamus,

si lubet, Proculum paulo ante ab ipso Tertulliano dictum fuisse Christianum. Repetendum igitur illud non erat his verbis *Christianis educatum*, quae in Divionensi codice corrupta satis apparent.

Huius praetera libri initio in Pamelii et aliis deinceps editionibus haec legimus: *Nos quidem neque expavescimus . . . cum ad hanc sectam utique suscepta conditione eius pacti venerimus, ut etiam animas nostras auctorati in has pugnas accedamus* (Tertull. lib. ad Scapul. cap. 1.). At in primis editionibus scriptum fuerat: *Nos quidem neque expavescimus . . . cum ad hanc sectam, utique suscepta conditione eius, pacti ante cum anima nostra et auctorati in has pugnas accedimus*. Solus autem Laurentius de la Barre se haec verba ex Gorziensi codice emendasse testificatur. Sed veterum editionum verba in notis integra conscribere debebat, ut cuncti facilius agnoscerent num recte corrigantur: neque enim sensu aliquo penitus carere videntur. Ceterum Tertullianus ibi utitur verbo *auctorati*, sicut et alibi, *Ad ignes*, ait, *quidam se auctoraverunt* (Tertull. lib. ad Martyr. cap. 5.). At verbum *auctorare* significat aut mercede se obligare aut sacramento. Primis autem Tertulliani verbis hoc verbum secundo, posterioribus primo sensu accipitur. Si vero scriptorum quorundam testimonio illud tibi probari postulaveris, primum audi Ciceronem: *Ipsa, inquit, merces auctoramentum servitutis* (Cicer. lib. II. de Offic. p. 272. lin. 4.). Suetonius autem narrat Tiberium Caesarem dedisse munus gladiatorum *auctoramento centenum millium* (Sueton. lib. III. §. 7.). Dixit quoque Seneca: *Eum dedi larvis et proximo ponere inter novos auctoratos* (Senec. Lud. de Morte Claud. p. 919.). Milites vero addictae militiae sacramento auctorati, dimissi autem ex auctorati a Livio aliisque scriptoribus saepius dicuntur. Ceteras porro huius libri diversas lectiones infra, cum occasio se dabit, annotabimus.

Notas autem et observationes in hunc librum iidem eodemque modo scripserunt qui et in Apologeticum. De illis itaque omnibus idem, quod supra animadvertimus, iudicium ferendum est. Nihil igitur adiciendum, nisi quod his Tertulliani ad Scapulam verbis: *Cum Adrumeticum Mavillum ad bestias damnasses et statim haec vexatio subsequuta est* (Tertull. lib. ad Scapul. cap. 5.), Rigaltius arbitratur denotari acutissimae cuiusdam aegritudinis cruciatum, quo ipse Scapula ob iteratam, inquit, in Christianos saevitiam denuo vexabatur. Nam Tertullianus continenter addidit: *Et nunc ex eadem causa interpellatio sanguinis*, id est, ut idem Rigaltius opinatur, Christianorum sanguis clamaverat ad Deum ac divinae illius patientiae moras interpellaverat. Sed nullum plane, ne minimum quidem, auctor noster de primo aut secundo Scapulae morbo verbum fecit. Et vero si acutissima, quemadmodam vult Rigaltius, aegritudine semel et iterum laboravisset, cum longe acrius inde urgeret, ut ad saniores mentem facilius reduceretur. Verum hoc omisso, instat et urget aliorum exemplis praesidium et proconsulam, qui suae in Christianos crudelitatis poenas dederant. Nobis itaque facilius persuadebitur referenda esse illa Tertulliani verba ad Byzantinum, cuius ibidem meminit, exitium, quo ethnici ob iniquissimam in eosdem Christianos crudelitatem a Deo se mulctatos fuisse palam confessi sunt.



Minus autem a vero Rigaltius recessisse videtur, ubi in his Tertulliani verbis, *Proculum Euhodiae procuratorem* (Ibid.), emendationem comprobat Pithoei, qui *Evodi* legendum suspicatus est. At fusius de his sive Rigaltii sive aliorum observationibus infra disserendum.

## CAPUT VI.

Novae in Tertulliani Apologeticum, duos ad Nationes libros et unum ad Scapulam observationes, quibus primum ostenditur Christianam religionem fultam esse Sacris Veteris Testamenti Scripturis et quomodo hae Scripturae ad Christianos, Iudaeorum successores, pervenerint, ac quanta illarum auctoritas.

## ARTICULUS I.

Quomodo Tertullianus ostendat Christianam religionem Tiberio imperante in mundum intro ductam, sacris fulciri Iudaeorum Scripturis, ac Christianos, etsi ab iisdem Iudaeis nomine, quorundam ciborum usu, festis diebus et circumcissione discrepent, in eorum tamen, ex patrio solo ob sua scelera pulsorum, locum fuisse revera subrogatos.

Non aliud Tertulliani in iis, de quibus agimus, libris propositum fuit, nisi ut causam Christianorum agendo demonstraret veram esse illorum, falsam vero gentilium religionem, hosque omnium reipsa reos esse criminum, quorum eosdem Christianos falso accusabant. Sed quia haec ab illo non satis distincte et distribute tractantur ac plura obscura et difficilia occurrunt, ea pro virili nostra parte in meliorem ordinem redacta solito more nostro examinare et explicare conntemur.

Fatetur Tertullianus non vetustam admodum esse christianam religionem, utpote quae a Christo Domino sit fundata, regnante Tiberio Caesare, ante cuius tempus nunquam auditum fuerat Christianorum nomen. *Census enim, inquit ille, hoc est origo et initium, istius disciplinae, ut iam edidimus, a Tiberio est* (Tertullian. Apologet. cap. 7.). Prius vero dixerat: *Tiberius, cuius tempore nomen Christianum in saeculum introivit* (Ibid. cap. 5.). Ubi autem et quando illud primo introductum fuerit si quis scire aveat, ex Apostolorum Actibus discet Paulum et Barnabam in Antiochena Ecclesia docuisse turbam multam: *Ita ut cognominarentur primum Antiochiae discipuli Christiani* (Act. cap. XI. 25.). Quamobrem Tertullianus noster alio in libro: *Aetatis, inquit, nostrae nondum anni ducenti et quinquaginta*, ac postea: *Aetati nostrae nondum anni trecenti* (Tertull. lib. I. ad Nat. cap. 5. et cap. 9.). Quin etiam in Apologetico: *Hesterni, ait, sumus, id est, non a longo tempore, sed tanquam hesterna, si cum aliis comparemur, die nati*. Ibi autem monitos nos esse voluit non magno sine miraculo factum, ut Christiani, tametsi ab annis tam paucis exorti, omnia orbis terrarum, exceptis solis ethnicorum templis, loca impleverint (Idem Apolog. cap. 37.).

At quanquam christiana religio, fatentibus etiam eius sectatoribus, adeo, sicut ait Tertullianus, novella fuerit, *ut Tiberiani temporis ita ille loquitur* (Ibid. cap. 21.), hoc est, Tiberio Caesare, sicut mox diximus, imperante in hunc mundum introducta sit, certum tamen est ipsam antiquissimis, ut ille adhuc ait, *Iudaeorum instrumentis, id est,*

sacris Veteris Testamenti scripturis esse *suffultam*. Non iis autem tantum subnixta est, sed illae etiam non minus ad Christianos nunc pertinent, quam olim ad Iudaeos. Paulo enim superius Auctor noster scripserat: *Unius prophetae scrinium*, id est Moysis libri, aliorum omnium libros pluribus saeculis vincit, in quo videtur thesaurus collocatus totius Iudaici sacramenti, et inde etiam nostri (Ibid. cap. 19.); in nostris vero codicibus manuscriptis: *et inde iam et nostri*. Quibus sane verbis Tertullianus significat in hoc et aliis Veteris Testamenti libris divinum nostri, sicut olim Iudaeorum, sacramenti thesaurum revera collocari.

Contra tamen obiiciebant ethnici hanc futilem esse et absurdam praesumptionem iactationemque Christianorum, qui *sub umbraculo insignissimae religionis* (Idem cap. 21.) se volebant abscondere atque impium, quem homini crucifixo exhibebant, cultum tutari. Nam magna, inquebant, illos inter et Iudaeos erat, non solum nomine, sed ipsis etiam rebus discrepantia. Primo enim, sicut nemo nesciebat quanta fuerit Iudaeorum antiquitas, ita nullus plane ignorabat Christum esse hominem, quem ipsimet Iudaei non a longo, uti mox animadvertimus, tempore iudicaverunt ac crucis affecerunt supplicio. Deinde illi inter se dissidebant *victus exceptionibus*, hoc est quibusdam ciborum generibus, quibus hi abstinebant, illi vero utebantur. Tertio, secum discrepabant *solemnitatibus dierum*, quae apud utrosque erant prorsus diversae. Denique differebant *ipso signaculo*, sive, ut ait Minutius Felix, *notaculo corporis*, quod ab Apostolo, *signum circumcisionis et signaculum iustitiae fidei in praeputio* vocatur (Minut. Felix pag. 376. Paul. Epist. ad Rom. IV. cap. 4.). Atqui haec omnia Christianis et Iudaeis debebant esse communia, si eidem Deo manciparentur.

At nova non fuit haec non modo gentilium, sed etiam Iudaeorum adversus Christianos argumentatio. Nam Iustinus Martyr in sua ad Graecos cohortatione illam gentilium nomine sic urget: *Εἰ δέ τις φάσκει τῶν προχείρων ἀντιλέγειν εἰθισμένον, μὴ ἡμῖν τὰς βίβλους ταύτας, ἀλλὰ Ἰουδαίοις προσήκειν, διὰ τὸ ἔτι νῦν ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν σώζεσθαι, καὶ ματὴν ἡμᾶς ἐκ τούτων φάσκειν τὴν θεοσέβειαν μεμαθημένοι λέγει* (Iustin. Martyr. Cohort. ad Graec. pag. 14.): *At si quis eorum, qui temere contradicere consueverunt, nobis obiciat non nostros hos esse, sed Iudaeorum libros et per vanitatem nos iactare religionem ex eis hausisse dicat*. Alio autem in libro Iudaeum, eodem quo Tertullianus modo, Christianis haec obiectantem sic inducit: *Ἐκεῖνο δὲ ἀποροῦμεν μάλιστα, εἰ ὑμεῖς εἰσεβῆν λέγοντες, καὶ τῶν ἄλλων οἴομενοι διαφέρειν, καὶ οὐδὲν αὐτῶν ἀπολείπεσθε, οὐδὲ διαλλάσσετε ἀπὸ τῶν ἔθνῶν τὸν ὑμέτερον βίον, ἐν τῷ μήτε τὰς ἑορτὰς, μήτε τὰ σάββατα τηρεῖν, μήτε τὴν περιτομὴν ἔχειν, καὶ ἔτι ἐπ' ἀνθρώπων στανωθέντα τὰς ἐλπίδας ποιούμενοι* (Idem Dialog. cum Tryph. pag. 227.). *Illud certe quidem ambigendo maxime miramur vos, qui veram iactatis religionem et aliis hominibus praestare vultis, cum nihil ab eis varietis et vita degenda nihil a gentibus differatis, utpote qui neque festos dies neque sabbata servetis neque circumcisionem habeatis, atque insuper in homine crucifixo spem collocetis.*

Respondet itaque Tertullianus maximam olim Iudaeorum fuisse apud Deum gratiam, *ob insignem iustitiam et fidem originalium auctorum* (Tertullian. Apologet. cap. 21.), id est, primorum patriarcharum, ex quibus originem suam ducebant. Quamobrem tunc felices et generis, ut ille ait, magnitudine et regni sublimitate floruerunt. At eorum posterum *fiducia*, ita ipse prosequitur, *patrum inflati deviantes a disciplina in profanum modum* spreverunt Dei monita ac concultatis eius legibus in quaelibet ruerunt vitiorum genera. Sed quem Deum optimum contempserunt, hunc severum iudicem experti sunt. Quod quidem evidentissime probat exitus hodiernus ipsorum, quo *dispersi*, ait Auctor noster, *palabundi et caeli et soli sui extorres vagantur per orbem sine homine, sine Deo rege* (Ibid.). Totum autem hunc magistri sui locum Cyprianus decerpsit ac quaedam etiam ipsamet eius verba huncce in modum mutuatus est: *Iudaeis primum erat apud Deum gratia. Sic olim iusti erant, sic maiores eorum religionibus obediebant. Inde illis et regni sublimitas floruit et generis magnitudo provenit. Sed illi neglegentes, indisciplinati et superbi postmodum facti et fiducia patrum inflati, dum divina praecepta contemnunt, datam sibi gratiam perdidit. Quam vero fuerit illis profana vita, quae contracta sit violatae religionis offensa, ipsi quoque testantur, qui etsi voce tacent, exitu confitentur. Dispersi et palabundi vagantur, soli et caeli sui profugi per hospitia aliena iactantur* (Cyprian. de Idolor. Vanit. pag. 15.). Sed haec iam retulimus in dissertatione nostra de libro Minutii Felicis, qui inde Caecillii pervicaciam retundit (Dissertat. in Minut. cap. 6. art. 3.).

At non solum haec et illuc per totum terrarum orbem Iudaei errant ac vagantur, sed nec ipsis quoque, pergit Tertullianus, *advenarum iure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur* (Tertullian. loc. cit.). Ubi vero contra eosdem Iudaeos nominatim alio in libro disputat, palam adhuc asserit illud non modo eis non permissum, sed etiam vetitum, quemadmodum a sacro propheta, videlicet Isaia, praenuntiatum longe antea fuerat. Audi, quaeso, eius verba: *Animadvertimus nunc neminem de genere Israel in civitate Bethlehem remansisse et exinde quod interdictum est, ne in confinio ipsius regionis demoretur quisquam Iudaeorum, vel hoc quoque esset adimpletum per Prophetam: „Terra vestra deserta, civitates vestrae igni exustae,“ id est, quod belli tempore eis evenerit* (Isaiae cap. I. 7.); *„regionem vestram in conspectu vestro exteri comedent et deserta et subversa erit a populis alienis.“ Et alio loco sic per prophetam dicitur: „Regem cum claritate videbitis,“ id est, Christum facientem virtutes in gloria Dei Patris, „et oculi vestri videbunt terram de longinquo“* (Ibid. cap. XXXIII. 17.). *Quod vobis pro meritis vestris post expugnationem Ierusalem prohibitis ingredi in terram vestram, de longinquo eam oculis tantum videre permissum est* (Idem lib. adv. Iud. cap. 13.). Prior quoque ille Isaiae locus a Cypriano eandem ob causam citatur (Cypr. lib. I. adv. Iud. §. 6. p. 22.).

Ea porro praedictio ac subsequens patriae ingressu interdictum ab auctore Eusebiano Chronici hisce verbis confirmatur: *Bellum Iudaeicum, quod in Palaestina gerebatur, finem accepit, rebus Iudaeorum*



penitus oppressis: ex quo tempore etiam introeundi eis Ierosolyma licentia ablata, primum Dei nutu, sicut prophetae vaticinati sunt, deinde Romanis interdictionibus (Euseb. Chron. ad ann. Christ. CXXXV.).

Antea vero Iustinus Martyr citat eandem atque Tertullianus priorem Isaiae de eiiciendis ex patria sua Iudaeis vaticinationem (Justin. Cohort. ad gent. pag. 14.), alteraque adhuc in medium allata continenter adiecit: Ὅτι δὲ φυλάσσεται ὑφ' ὑμῶν, ὅπως μηδεὶς ἐν αὐτῇ γένηται, καὶ θάνατος κατὰ τοῦ καταλαβανομένου Ἰουδαίου εἰσιόντος ὄρισται. Cavere autem et servare vos, ne quis ibi sit et poenam capitalem constitutam esse adversus Iudaeum eo ingredientem probe scitis (Justin. Apolog. I. pro Christian. pag. 84.). Hieronymus vero: *Post extremam vastitatem etiam leges publicae pependerunt et prohibiti sunt Iudaei terram, de qua eieci fuerant, ingredi* (Hieronym. in cap. VI. Esai. v. 11. p. 65.). Et rursus alibi: *Nullus Iudaeorum terram quondam et urbem sanctam ingredi lege permittitur* (Idem in cap. XVIII. Ezechiel. v. 16. p. 617.).

Quo autem tempore et a quo imperatore lata sit ea lex, si roges, ex Eusebio discere poteris, qui narrat anno XII. Adriani imperatoris, post eversam urbem Berthera non procul Hierosolymis dissitam: *Τὸ πᾶν ἔθνος ἐξ ἐκείνου καὶ τῆς περὶ τὰ Ἱεροσόλυμα γῆς πάντων ἐπιβαίνειν εἴργεται νόμου δόγματι καὶ διατάξεσιν Ἀδριανοῦ, ὡς ἂν μὴ δ' ἐξ ἀπόπτου θειωροῖεν τὸ πατρῶον ἔδαφος ἐγκλεισαμένον, Ἀρίστων ὁ Πελλάτος ἰστορεῖ. Iudaeorum universa gens in regionem circum Hierosolyma sitam pedem inferre prohibita est, adeo ut ne prospicere quidem e longinquo patrium solum ipsi liceret, ut scribit Aristo Pellaeus* (Euseb. l. IV. Histor. Eccles. cap. 6. p. 118.). Verum Hilarii aetate nonnihil de huiusce legis severitate relaxatum est, quemadmodum his totidem verbis significat: *Quin etiam nunc ingressu civitatis eiusdem edicto Romani regis inhibentur. Et cum deserta sanctorum sancta et prophetias silere et placationum hostias deesse et dignitatem omnem deformatam ministerii levitici recordantur, conversi nunc et fame verbi Dei et cibi salutaris affecti ad solatium praesentium miseriarum circumire sunt soliti civitatem* (Hilar. Tract. in Psalm. LVIII. §. 7. p. 130.). Verum infelix ille populus hoc qualicumque miseriarum suarum solatio non gratis frui poterat, sed pretio redimere cogebatur. Audias velim testem huiusce rei locupletissimum Hieronymum: *Usque ad praesentem diem perfidi coloni . . . . . prohibentur ingredi Ierusalem, et ut ruinam suae eis flere liceat civitatis, pretio redimunt, ut qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lacrymas suas . . . . . adhuc fletus in genis et livida brachia et sparsi crines et miles mercedem postulat, ut illis flere plus liceat* (Hieronym. in cap. I. Soph. v. 15. pag. 1655.).

Atqui non haec tantum sacris, sicut dictum est, prophetarum vobis praedicta fuerant, sed eadem, ait Tertullianus, semper omnes ingerebant fore, uti sub extimis curriculis saeculi ex omni iam gente et populo et loco custodes sibi allegeret Deus multo fideliores, in quos gratiam transferret pleniorum quidem ob disciplinae auctoris capacitatem (Tertullian. Apologet. cap. 21.). In nostris codicibus manuscriptis legimus eadem pro eadem et auctoris pro auctoris, nec

omnino male. Cyprianus vero haec sicuti superiora, paulo ante a nobis memorata, pari modo delibavit: *Deus ante praedixerat fore ut vergente saeculo et mundi fine iam proximo ex omni gente et populo et loco cultores sibi allegeret multo fideiores et melioris obsequii, qui indulgentiam de divinis muneribus haurirent, quam acceptam Iudaei, contemptis religionibus, perdidissent* (Cyprian. lib. de Idolor. vanit. pag. 15.). At neuter ibi indicat quae illa fuerint sacrorum vatum oracula, sed Tertullianus quaedam alio in libro citavit et plura Cyprianus, atque etiam postea Lactantius, ut suo loco a nobis demonstratum est (Idem lib. adv. Iud. cap. 12. Cyprian. lib. I. adv. Iud. §. 11. pag. 23. Dissertat. in Lactant. cap. 10. art. 1.).

Christianis itaque tanquam in Iudaeorum olea, ut adhuc loquitur Tertullianus, *ex oleastro insitis*, atque in eorum locum suffectis, communis illis factus est cum iisdem Iudaeis sacrarum Veteris Testamenti Scripturarum thesaurus (Tertull. lib. de Testim. Anim. cap. 5.). Prius autem sanctus martyr Iustinus asseveranter affirmaverat doctrinam in sacris Veteris Testamenti Scripturis traditam pertinere ad Christianos, ad quos non sine divina providentia ab ipsismet Iudaeis transmissae sunt (Iustin. Cohort. ad Gent. pag. 14.).

Quamvis autem Iudaeis et Christianis communes hi libri facti sint, non inde tamen sequitur ab istis recipi debuisse omnes in hysce libris praescriptos ritus. Nam plures iure merito Christus abrogavit, quemadmodum sabbata, dies festos, circumcisionem et huiuscemodi quae carnalibus Iudaeis praescripta fuerunt. Nam haec omnia umbrae erant et figurae ac in signum data, quae, uti luculenter Tertullianus alio in libro demonstrat, veritatis, id est Christi, adventu debebant evanescere et antiquari (Tertull. lib. adv. Iud. capp. 3. et 4.).

Christiana itaque religio, etsi regnante Tiberio imperatore in mundum a Christo introducta, in Iudaicae tamen locum substituta divinas illius Scripturas haereditario quasi iure accepit et illis, sicuti diximus, fulta et subnixata est. Sed id clarius adhuc patebit, postquam more nostro expenderit, quid de iisdem sacris Iudaeorum seu Veteris Testamenti Scripturis a Tertulliano nostro statuatur.

## ARTICULUS II.

Quando et quomodo Sacrarum Scripturarum libri, hebraice primum conscripti, in linguam graecam a septuaginta duobus interpretibus conversi; an in diversis cellulis; ubi de Aristotela, Ptolemaeo Philadelpho, Pisistrato, horumque et Attallicorum Regum bibliothecis, ac de Demetrio Phalereo, grammaticorum probatissimo.

Observat Tertullianus Deum a primordio misisse viros iustitia et innocentia conspicuos, qui illum unicum esse et agnoverunt et praedicaverunt (Tertullian. Apologet. cap. 18.). Hi autem docebant ab hoc unico Deo creata omnia, de humo hominem formatum, dispositas temporum vices, edita divinae maiestatis suae signa, conditas morum vitaeque recte agendaee leges, ac producto aevo omnes homines ad vitam rursus excitandos et iudicandos, ut pro meritis aeterna aut poena aut felicitate afficiantur. At ibi in Tertulliani textu haec legimus verba: *Quas demerendo sibi disciplinas determinaverit, quae ignoratis aut deeritis; quas quidem Heraldus adeo obscura corruptaque visa sunt,*



ut nihil de his pronuntiare audeat. Sed non tanta fuit timiditas Rigaltii, qui contra apertam omnium manuscriptorum editorumque codicum fidem particulam *qui* pro *quas*, ac deinde *quas* pro *quae* scribi nulla tamen reddita ratione voluit. Lubenter tamen fatebimur non omnino infelicem videri hanc coniecturam, sed id ei deesse, quod nullius plane codicis auctoritate firmetur. At Heraldus, audacior postea factus, in verbi *producto* locum suspicatur substituendum *producto*, id est, consumpto et peracto. Suam vero emendationem probare conatur aliis Tertulliani locis, ubi eadem significatione *productum* legitur. Sed poterat insuper quintum Tertulliani nostri contra Marcionem librum citare, ubi eodem verbo similiter usus est. Verum quid facias contra codicum omnium reclamationem et ubi auctor barbara et impropria verba adhibet? Quicumque autem fuerit eius loquendi modus, eo aperte significat mundi finem et exitum (Idem lib. V. advers. Marcion. cap. 6.).

At appellati ab eo insignes pietate et iustitia viri non solum *praedicatores*, sicut ille ait, fuerunt, sed etiam *prophetae de officio praefandi*, sive futura annuntiandi, *vocantur* (Tertullian. Apoget. cap. 18.). Praeterea *virtutes*, sive miracula, ad fidem *divinitatis* stabiliendam ediderunt. Denique *Spiritu divino inundati*, ipsa adhuc illius verba sunt, hoc est ita pleni erant, ut extra ipsos efflueret et effunderetur.

Quae autem ab eis mirabilia et supra naturae ordinem facta ac divino afflante Spiritu praedicta sunt, haec omnia *in thesauris* inquit rursus Tertullianus, *litterarum manent* (Ibid.). Sed quarumnam, obsecro te, litterarum? Non aliarum proculdubio, quam hebraicarum. Nam ipse ibidem narrat Ptolemaeum Philadelphum a Iudaeis, qui olim Hebraei erant, accepisse earum *libros, proprias ac vernaculas litteras* (Ibid.), sive hebraea lingua conscriptas, quia, ut ille adhuc loquitur, ad ipsos semper prophetae peroraverant (Ibid.). Moysis itaque aliorumque sacrorum vatum libri hebraico sermone scripti remanserant apud Hebraeos et Iudaeos, qui eos summa certe cura integros atque incorruptos conservaverunt.

Sed ne tantus thesaurus apud eos solus semper lateret, celeberrima duorum supra septuaginta seniorum interpretatione cum Graecis primum, ac deinde cum aliis gentibus communicatus est. Quapropter Tertullianus: *Nec istae*, inquit, *sacrae litterae nunc latent* (Ibid.). Atque ita quidem in Rigaltii editione. At in antiquioribus editis et in nostris manuscriptis codicibus adverbium *nunc* abest. Nec iure quidem prorsus immerito. Tertullianus siquidem significat illas non a suo dumtaxat, sed ab ipso Graecorum, uti diximus, interpretum tempore non latuisse amplius.

Quando autem et quomodo haec graeca sacrorum librorum interpretatio ab iis adornata fuerit, hunc ille explicat in modum: Cum Ptolemaeus, cognomento Philadelphus, bibliothecam suam omni quorumcumque librorum suppellectile locupletare vellet, ab Iudaeis suggerente Demetrio Phalereo poposcit et impetravit sacros illorum codices, hebraice exaratos et viros septuaginta duos, qui illos in graecam linguam transtulerunt. Tum ibidem adiecit Auctor noster: *Quos Menedemus quoque philosophus providentiae vindex* (male in uno codice Vaticano

*provinciae iudex*) de sententiae communione suspexit (Ibid.). Sed quid his ultimis verbis, de sententiae communione suspexit, significetur, non minima est inter eruditos aetatis nostrae scriptores dissensio. Quidam enimvero opinantur iis significari communem fuisse Menedemi de divina providentia omnia gubernante sententiam. Verum Tertullianus, inquit alii, de hac Dei providentia ibi non disputat, sed de graeca tantummodo sacrarum Scripturarum interpretatione. Quorsum ergo hanc de illa Dei providentia mentionem interiecisset? Quamobrem hi arbitrantur hunc esse Tertulliani sensum: Menedemus absolutam sacrae Scripturae graecam interpretationem examinavit suspexitque illam communi interpretum consensione eodem plane modo factam. Vindex itaque et testis fuit divinae providentiae, cuius mirabili plane ductu hebraicum Scripturae textum eodem prorsus modo ab iisdem interpretibus graece redditum palam testificatus est.

At hoc, inquit, ita fieri nequivit, nisi interpretes separatim et in diversis cellulis positi hunc hebraicum textum in graecam singuli verterint. Atqui falsa est illa de diversis illis cellulis opinio. Sed quid inde, si Tertullianus praevios secutus sit scriptores, qui post Iustinum Martyrem, ut alibi ostendimus, hanc de illis interpretum cellulis opinionem constanter propugnauerunt (Tom. I. Appar. lib. II. Dissert. 2. cap. 7. §. 5. pag. 390 et seqq.)? Nonne enim hanc ob causam Menedemus ab illo appellatur *providentiae vindex*; quia hos interpretes de sententiae communione suspexit, utpote qui ab invicem seiuncti Sacras Scripturas uno eodemque modo graece verterant.

Verum nonne divina, arguet aliquis, providentia hoc satis resplendet, quod interpretes illi simul quidem, sed eodem modo eas in linguam graecam transtulerint? Quis nescit quantum intellectu sint difficiles, ac mirum profecto videri, quod illas graece vertendo una eademque fuerit tot interpretum sententia? Sed quis etiam diffitebitur longe mirabilius divinam providentiam reluxisse, si hi a se invicem separati interpretationem suam composuerint?

Instabis hasce seiunctas interpretum cellulas non obscuris tantum verbis denotari, sed testem quoque citari Aristaeam, qui nullum de illis habuit sermonem. Sed responderi poterit, Tertulliani verba satis clara fuisse aetatis suae hominibus unumque vadem ab eo datum, quia tunc communis et quasi minime dubia erat haec de distinctis illorum interpretum cellulis opinio. Quis etiam inficiabitur plura ab illo narrari, quam in Aristaeae narratione continentur? Utrum autem haec vera fuerit Tertulliani sententia, te pronuntiantem libenter audiemus. De Aristaeae porro historia diversisque eruditorum de illa opinionibus ac de Menedemo alibi disputavimus (Idem lib. I. Dissert. 2. cap. 1. pag. 223. ac seqq. et lib. III. Dissert. 2. cap. 3. art. 5. pag. 922.).

Philadelphus porro, qui graecam sacrae Scripturae interpretationem procuravit, a Tertulliano appellatur non solum *eruditissimus*, sed *omnis* etiam *litteraturae sagacissimus*, ubi certe subauditur substantivum nomen, quod huic adiectivo *sagacissimus* respondeat (Tertullian. Apologet. cap. 18.). At non aliud esse videtur, quam *indagator* vel *explorator*. Sagacitas enim ad inveniendum aut explorandum dicitur.

Ea porro Philadelphi sagacitas erat *omnis litteraturae*, id est librorum omnium quacunquē de materia scriptorum, diligentissima ubique inquisitio. Summo autem illos conservandi studio *bibliothecam*, ait Auctor noster et simili modo Eusebius in Chronico, *ex omni genere litteraturae comparaverat* (Chron. Euseb. ad ann. MDCCCXXXIV.). Quanto autem librorum numero instructa fuerit, in sequenti articulo ostendemus. Si quis vero postulet quis sit Pisiistratus, cuius hac in re studium aemulatus Philadelphus a Tertulliano asseritur, illud discere poterit ex his A. Gellii verbis: *Libros Athenis disciplinarum liberalium publice ad legendos posuisse dicitur Pisiistratus tyrannus*. Verum de Pisiistrati tyrannide, quam ter, ut narrat Herodotus, recuperavit, frequens apud varios scriptores, Laërtium, Pausaniam, Thucydidem, Aelianum, Valerium Maximum et alios mentio. Nos vero de hac Pisiistrati tyrannide in superiore Apparatus nostri tomo egimus. Scriptum praeterea a citato Pausania legimus dissipata olim fuisse Homeri carmina, atque ex illis a Pisiistrato, ut ait Aelianus, collectis confectam Iliadem et Odysseam. Sed praestat Ciceronem audire: *Quis doctior, inquit, iisdem temporibus aut cuius eloquentia litteris instructor, quam Pisiistrati? Qui primus Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse dicitur ut nunc habemus. Non fuit ille quidem civibus suis utilis, sed ita eloquentia floruit, ut litteris doctrinaque praestaret* (Gell. lib. VI. Noct. Att. cap. 17. p. 393. Herodot. lib. II. §. 59. et seqq. Laërt. in Vita Solon. §. 53 et seqq. 65 et seqq. Pausan. lib. I. p. 3. et 21. Thucyd. lib. VII. Hist. p. 446. Aelian. Var. Histor. lib. VIII. c. 13. Val. Max. lib. I. §. 2. lib. VIII. c. 9. Ext. §. 2. Tom. I. Appar. p. 1176. Pausan. lib. VII. p. 235. Aelian. Var. Histor. lib. XIII. cap. 14. Cicer. lib. III. de Orat. p. 194. lin. 37.).

Certo tamen Tertullianus pronuntiare non audet utrum Philadelphus huius in instruenda ditissima bibliotheca studium revera aemulatus fuerit, sed dixit tantum *opinor*, id est ut ipsi verisimilius videbatur. Vitruvio autem, qui Augusti Caesaris aetate floruit, si credas, Ptolemaeus Philadelphus hocce studio imitatus est reges Attalicos. Audias velim illius verba: *Reges Attalici magnis philologiae dulcedinibus inducti, cum egregiam bibliothecam Pergami ad communem delectationem instruxissent, tunc item Ptolemaeus infinito zelo cupiditatisque incitatus studio, non minoribus industriis ad eundem modum contenderat Alexandriae comparare* (Vitruv. prooem. lib. VII.). Sed in hoc ille erroris ab aliis arguitur. Nam Alexandrini, inquit, reges Attalicos antiquiores erant. At nihil inde concludi potest adversus Tertulliani nostri coniecturam. Pisiistratus enim et alii plures ab Athenaeo et Epiphonio laudati bibliothecas instruxerant, quos Philadelphus potuit imitari (Athen. lib. I. Deipnos. pag. 3. Epiph. de Pond. et Mensur. pag. 166.).

Ceterum, quamvis certa esset Tertulliani opinio, a Scaligero tamen eo vapulat, quod non alio Demetrium Phalereum titulo exornaverit, quam *grammaticorum probatissimi*. Enimvero, *parum*, inquit, *notae Tertulliano Demetrii dotes fuerunt* (Scalig. not. in Chron. Euseb. ad ann. MDCCCXXXIV. p. 133.). Cur igitur? Numquid quibusdam Demetrii dotibus memoratis alias negavit? Quis etiam iuranti Scaligero



fidem habiturus est? Nonne Suetonius nos alicubi admonuit grammaticis datum initio nomen litteratorum, quia aliquid acute scienterque poterant dicere aut probare (Sueton. de Illust. Grammat. §. 4. p. 821.)? At hoc potissimum nomine Tertullianus Demetrium laudavit, quoniam de bibliothecae praefectura ipsi a Philadelpho commissa disserebat. Cui autem melius demandari potuit, quam grammaticorum probatissimo, id est, viro varia eruditione praedito, qui libros omnes eorumque pretium apprime noverat?

## ARTICULUS III.

Qua in Philadelphi bibliotheca libri Sacrarum Scripturarum repositi, ubi ea bibliotheca constructa, quantum in illa librorum numerus, an tota incendio consumpta, quomodo sacri codices ad Christianos pervenerint ac de vetigali Iudaeorum ad eos publice lectu-  
tando libertate.

Postquam Tertullianus illam omnem codicum Sacrae Scripturae seu hebraica seu graeca lingua descriptae narrationem contexuit, tum continuo enarrat, ubi cuncti illi codices asservabantur: *Hodie, inquit, apud Serapeum Ptolemaei bibliothecae cum ipsis hebraicis litteris exhibentur* (Tertullian. Apologet. cap. 18.). Quibus sane verbis declarat, hos hebraicos graecosque Veteris Testamenti libros repositos fuisse in Serapeo, hoc est Serapidis templo, quod Alexandriae exstructum fuerat. Nam Chrysostomus diserte pronuntiat illos ab hoc Ptolemaeo Philadelpho collocatos fuisse *εἰς τὸ τοῦ Σεράπιδος ἱερόν, in Serapidis templum* (Chrysost. Orat. I. adv. Iud. Tom. I. p. 394. edit. Morell.). At in eo, quod magnificentia sua soli, sicuti Gellius et Ammianus Marcellinus perhibent, Capitolio cedebat, plura proculdubio erant separata a se invicem aedificia (Gell. lib. VI. Noct. Att. c. ult.). In eorum autem aliquo una aut duplex Philadelphi bibliotheca reposita fuit. Plurimum enimvero Auctor noster verbis proxime citatis meminit; quemadmodum Ammianus Marcellinus, qui post descriptam Serapei munificentiam sic prosequitur: *In quo bibliothecae fuerunt inaeestimabiles, et loquitur monumentorum veterum concinens fides, septingenta volumina millia, Ptolemaeis regibus vigiliis intentis composita, bello Alexandrino dum diripitur civitas, sub dictatore Caesare conflagrasse* (Ammian. Marcell. libr. XXII. cap. 16. p. 343.).

Unam autem tantum memorat Athenaeus, qui, postquam viros quosdam coacervandis libris nobiles recensuit: *Omnes, inquit, mercatus Ptolemaeus rex nostras, cognomine Philadelphus, cum eis quos Athenis et Rhodi emerat, εἰς τὴν καλὴν Ἀλεξάνδρεια μετήγαγε, in pulchram Alexandrinam bibliothecam transferri curavit* (Athen. lib. I. Deipnos. p. 3.). Similiter Eusebiani Chronici auctor: *Ptolemaeus, inquit, Philadelphus divinas Scripturas in graecam vocem ex hebraica lingua per LXX. interpretes transferre curavit, quas in Alexandrina bibliotheca habuit, quam sibi ex omni genere litteraturae comparaverat* (Euseb. Chron. ad ann. MDCCXXXIV.).

At Epiphanius, etsi duas designet bibliothecas, in hoc tamen a Tertulliano nostro et Ammiano Marcellino dissentit, quod Sacrae Scripturae libros in Bruchio, et Aquilae, Symmachi et Theodotionis interpretationes in minore Serapeo positos fuisse asserat. Suam etenim

de graeca illorum interpretatione narrationem his verbis absolvit: *Αἱ βιβλοὶ εἰς Ἑλληνίδα ἐκτεθείσαι ἀπετέθησαν ἐν τῇ πρώτῃ βιβλιοθήκῃ τῇ ἐν τῇ Βρουχίῳ οἰκοδομηθείσῃ· ἔτι δ' ὕστερον καὶ ἕτερα ἐγγένητο βιβλιοθήκῃ ἐν τῷ Σεραπίῳ, μικροτέρα τῆς πρώτης, ἣτις καὶ θυγατὴρ ὠνομάσται αὐτῆς, ἐν ἣ ἀπετέθησαν οἱ τοῦ Ἀκύλα καὶ Συμμάχου καὶ Θεοδοτίωνος καὶ τῶν λοιπῶν ἐρμηνεῖται, μετὰ διακοσιοστὸν καὶ πενηχοστὸν ἔτος. Libri illi in graecum translati in priore bibliotheca, quae in Bruchio fundata est, repositi sunt. Post haec alia rursus in Serapio bibliotheca constituta est, longe illa minor, quae huius filia dicebatur, in quam Aquilae, Symmachi, Theodotionis et aliorum editiones congestae sunt post annos CCL. (Epiph. libr. de Pond. et Mensur. §. 11. p. 168.). Vides sane illum in hoc cum aliis consentire, quod duplicem asserat fuisse Alexandrinam bibliothecam, in eo autem dissidere, quod unam in Bruchio, alteram minorem in Serapio conditam esse velit. Utrum vero haec illius solius opinio aliis praeferi debeat, tuum esto iudicium.*

Ab hac porro difficultate si te expedieris, in alteram longe maiorem festinam incidere. Nam Tertullianus de Veteris Testamenti graecis codicibus loquitur tanquam in illa Alexandrina bibliotheca suo adhuc tempore asservatis atque extantibus. Contra vero Ammianus Marcellinus, ut vidimus, diserte asserit hanc ipsammet bibliothecam bello Alexandrino sub dictatore Caesare conflagrasse (Marcell. libr. XXII. cap. 16. p. 344.). Aulus etiam Gellius testatum facit incensa tum fuisse ab auxiliariis militibus septingenta ferme voluminum millia (Gell. l. VI. Noct. Att. cap. 17. p. 394.). Utrique Dion suffragari videtur, qui ait Achillam recta venisse Alexandriam atque ab eo commissa cum Caesare dictatore varia praelia multaque facta incendia. *Τὰς δὲ ἀποθήκας καὶ τοῦ σίτου καὶ τῶν βιβλίων πλείστων δὴ καὶ ἀρίστων, ὡς φασὶ, γενομένων καὶ θῆναι: et apothecas sive cellas frumenti et librorum plurimorum et optimorum, ut fertur, conflagrasse* (Dion. lib. XLII. Rom. Hist. p. 228.).

Quin etiam Epiphanius memoriae prodidit bibliothecam, quae in ea Alexandriae urbis erat regione, quam Bruchium vocant, desertam suo tempore fuisse (Epiph. de Pond. et Mensur. §. 10. p. 166.) At in ea repositos, uti vidimus, dixerat Sacrae Scripturae codices. Atqui si haec bibliotheca deserta fuit, atque multo magis si Alexandrinae bibliothecae iam ipsa Caesaris aetate combustae sunt, qua, amabo te, ratione Tertullianus dicere potuit: *Hodie apud Serapeum, Ptolemaei bibliothecae cum ipsis hebraicis litteris exhibentur et Iudaei palam lectitant* (Tertullian. Apologet. cap. 18.)? Respondent aliqui duas saltem in eo fuisse bibliothecas. At una, inquiunt, incendi potuit et altera, in qua libri illi repositi erant, integra prorsus remanere. Verum ea responsio adversatur plane ipsimet Epiphanio, asserenti hanc bibliothecam, in qua hi libri reconditi fuerant, suo non exiitisse amplius tempore: quapropter alii respondent, etiamsi haec aliaque omnes bibliothecae Alexandrinae igne combustae fuerint, non crematos tamen omnes libros, atque ab hoc incendio ereptos Sacrae Scripturae hebraicos graecosque codices.

In huius autem opinionis confirmationem proferri potest Senecae

ic post ipsum Pauli Orosii testimonium, qui quadringenta dumtaxat librorum millia tum consumpta memorant (Senec. lib. de Tranquillitate anim. cap. 9. p. 663. Oros. lib. VII. cap. 15.). Atqui si Marcellinus et Gellio, a nobis antea citatis credimus, in illa bibliotheca septingentis millia librorum condita fuerant. Trecenta igitur millia flammis sublucta sunt. Ex horum itaque numero haud dubie erant haec, Deo ita providente, hebraica graecaque Scripturae Sacrae volumina.

Quid vero, quod Chrysostomus constanter asseverat graecam propheticonum librorum interpretationem ad suum usque tempus in Serapio, sive ut ipse loquitur, Serapidis templo conservatam. Haec autem sunt graeca illius verba: *Καὶ μέχρι νῦν ἐκεῖ τῶν προφητῶν αἰρημηνευθεῖσαι βιβλοὶ μένουσι* (Chrysost. Orat. I. adv. Iud. p. 394 Tom. I.)

Ceterum, quanquam aliquis contra hanc Chrysostomi aliorumque sententiam evidenter probaverit exustos fuisse hos codices, negare tamen non poterit ante illud incendium multiplicata fuisse illorum exemplaria ac plura hebraica a Iudaeis et graeca ab aliis descripta, quae diligenter conservata sunt. Nullus enimvero dubitandi locus est, qui nulla quidem ad Christianos pervenerint. Non pauca etenim graecae testimonia in Novi Testamenti libris citata reperiuntur.

Praeterea vero hebraica apographa diligentissime ab iisdem Iudaeis conservabantur. De iis namque, qui suo tempore vivebant, dixit Tertullianus proster: *Iudaei palam lectitant; vectigalis libertas; vulgo aditur sabbati omnibus*. Audisne quam luculenter ille asserat Iudaeos singulis quibusque sabbatis in synagogis suis congregatos palam et audientibus omnibus lectitasse hos sacros codices, vernacula sua lingua conscriptos? Atqui mos ille ante et post Christum Dominum atque ab antiquis temporibus inoleverat. De Paulo siquidem eiusque sociis in Actibus Apostolorum memoriae proditum est: *Illi vero pertranseuntes Pergevenerunt Antiochiam Pisidiae et ingressi synagogam die sabbatorum sederunt. Post lectionem autem Legis et Prophetarum Paulus Iudaeorum rogatu sermonem ad eos habuit* (Act. Apost. cap. XIII. 14 et seqq.). Post haec vero haec ibidem litteris mandata invenies: *Moses a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur* (Ibid. cap. XV. 21.). At id certe fieri non potuit, quin antea Iudaei habuerint hos codices et maximam in iis incorruptis atque integerrimis conservandis curam impenderint.

Quid vero sibi, inquires, vult Tertullianus, cum dixit Iudaeis vectigalem fuisse coetus suos singulis sabbatis agendi et libros suos ibi agendi libertatem? Quidam autem existimant his verbis designari facultatem eis a Philadelpho concessam, modo annum vectigal modicum solverent. Sed quo argumento probabitur illud vectigal exactum a Philadelpho, qui tanti faciebat sacros Veteris Testamenti libros, a quorum interpretes donis maximis cumulaverat? Longe itaque verisimilius aliis videtur a Tertulliano denotari tributum, quod Romani imperatores Iudaeis indixerant, ut eis more solito singulis sabbatis congregari liceret. Quidam vero putant de hoc tributo intelligenda esse istaec Suetonii de Domitiano imperatore agentis verba: *Praeter cetero*

*Iudaicus fiscus acerbissime actus est, ad quem deferebantur, qui veluti professi Iudaicam intra urbem viverent vitam, vel dissimulata origine imposita genti tributi non pependissent* (Sueton. lib. VIII. in Vita Domit. §. 12.). At ibi significat Iudaeis, ut liberam sectae suae professionem redimerent; solvendum quidem tributum, sed quod auctum tunc potius fuerat quam primo impositum. Nam in Dionis Epitome Xiphilinus narrat Titum imperatorum post captam Hierosolymam iussisse, ut Iudaei, qui patrias leges profitebantur, quotannis didragmam lovi Capitolino penderent (Xiphil. Epit. Dion. in Vit. Vespas. p. 318.). Visne graeca illius verba audire? En ipsa sunt: *Καὶ ἀπ' ἐκεῖνου ἰδραγμασὸν ἐτάχθη τοῖς τὰ πάτρια αὐτῶν ἔθνη περιστέλλοντας τῷ Καπιτωλίῳ Δεῖ κατ' ἕτος ἀποφέρειν.*

Ad illud porro tributum putant his Iuvenalem alluisse verbis:

*Nunc sacri fontis nemus et delubra locantur  
Iudaeis, quorum cophinus foenumque suppellex.  
Omnis enim populo mercedem pendere iussa est  
Arbor et eiectis mendicat silva camoenis.*

(Iuvenal. Satir. III. v. 13 et seq.)

Recte ergo haec a Tertulliano appellatur *vectigalis libertas*, quia non poterant nisi soluto prius tributo cogere suas synaxes et in synagogis suis ubique dispersis accuratissime conservatos sacros suos codices palam lectitare. Ab his itaque Iudaeis, infensissimis suis hostibus, Christiani acceperant illos Veteris Testamenti codices, de quorum veritate et integritate nemo sani capitis homo unquam dubitabit. Nam ut antiquus libri contra quinque haereses, olim Augustino adscripti, auctor recte adversus ethnicos argumentatur: *Codex in quo haec scripta leguntur, in armario Iudaei habent. Inimicus meus testis est meus. Ab ipso quaere, aperi, lege, crede* (Augustin. Append. Tom. VIII. libr. c. V. Haeres. c. 7. p. 9.). Tales ergo hos libros Christiani habuerunt, quales sibi a Iudaeis transmissi fuerant. Nihil enim in eorum textu quidquam immutare poterant, quin a Iudaeis, illorum inimicis et eos quotidie legentibus, falsi confestim convincerentur. Quae autem quantave sit illorum auctoritas, iam cum Tertulliano nostro investigemus.

#### ARTICULUS IV.

Quomodo Tertullianus sacrae Scripturae auctoritatem ex maxima eius antiquitate demonstrat, quae sint substantiae et materiae veterani styli, urbes insignes historiarum et casi memoriarum.

Summam sacrae Scripturae auctoritatem Tertullianus duplici argumento aperte vindicat. Primum autem petit ex maxima eius antiquitate, de qua nos saepius in superiori apparatus nostri tomo: secundum vero ex illius divinitate, sive ex divino Spiritu, cuius afflatu omnes eius libri litteris mandati fuerunt. Prius autem argumentum eo lubentius adversus ethnicos urget, quod illius vim et pondus agnoscentes inde religionem suam quantumvis falsam tueri ac confirmare conabantur. Eos enim omnes his ille compellat verbis: *Apud vos religio- nis est instar fidem de temporibus adserere* (Tertullian. Apologet. c. 19.).

d est, religionem vestram falsorumque deorum cultum eius antiquitatē propugnare contenditis.

Atqui si momenti alicuius sit haec ratio, non potestis Scripturā nostris derogare fidem. Nam *unius*, inquit Tertullianus, *prophetarum scripturam* (hoc est libri Moysis) *saeculis vincit omnes substantias materias . . . cuiusque veterani styli vestri* (Ibid.), seu omnes omnium commentationes vestras earumque argumenta. Quin etiam super *origines*, inquit, sive initia et causas, *ordines et venas*, sive meatus et canales, quibus ad vos usque pervenerunt.

Praeterea vetustate sua antecedunt gentes plerasque, quae postea ortae sunt *et urbes insignes historiarum et canas memoriarum*. In nostris codicibus manuscriptis et antiquioribus editionibus, nisi quod pro *canas* in eis scriptum est *causas*. Rigaltius vero, quem alii deinceps secuti sunt, retinuit quidem nomen *canas*, sed antecedens *historiarum* propria, uti videtur, delevit auctoritate. Nullam enim nec illi nec alii dederunt huius omissionis rationem. Sed in animum haud dubie induxerunt ibi gravissimum esse adversus grammaticae regulam *ἔμπροσθεν*, ubi substantivum nomen pro adiectivo et adiectivum pro substantivo ponitur. Sed nonne graecismus est non semel a meliorum auctoritate usurpatus? Nonne enim Horatius dixit: *Integritate scelerisque purus*. Sensus itaque Auctoris nostri est, Hebraeos esse vetustiores urbibus, quae insignes erant *historiarum* monumenta et canis memoriis, id est, commentariis, quae canitie sua et vetustate originem ceteris omnibus antiquiorem prae se ferebant. Sic etiam Theophilus Antiochenus dixerat eosdem Hebraeos antiquiores esse urbibus, quae erant apud Aegyptios famosissimae (Theoph. libr. III. a Autolyc. p. 130.). Non dissimulabimus tamen in alio Tertulliani libro scriptum: *Qui antiquitatum canos collegerunt* (Tertull. libr. II. ad Nat. cap. 12.). Sed huius libri unicus tantummodo superest codex manuscriptus, Apologetici vero quamplures. Quidquid autem statuas, idem semper erit sensus. Porro autem ab Auctore nostro nomen *memoriarum* usurpatur pro monumentorum, quemadmodum ex Augustini facile confirmari potest (August. lib. de Cur. pro Mort. Agend. c. 4. p. 519. tom. VI.). Eadem rursus significatione ipse Tertullianus libro mox citato dixit: *Saturnus in terris humanae qualitatis apud veterum memorias recensetur* (Tertull. libr. II. ad Nat. loc. cit.).

Tum deinde in Apologetico adiecit libros Moysis aetate adhuc superante *ipsas effigies litterarum indices custodesque rerum* (Idem Apologet. cap. 19.), hoc est, scriptos esse characteribus et litteris ceterarum omnium plane antiquissimis. Nam paulo ante scripserat eos esse scriptos iratos fuisse litteris hebraicis, quas quidem aliis quibuslibet vetustioribus esse pro certo habebat. Addit autem litteras esse *custodes rerum* atpote quae res ipsas earumque historiam ab interitu vindicant. Sed haec fusius explicantur a Iosepho, cuius verba paulo prolixiora quae hic referantur, in illius libro te legisse non pigeat (Ioseph. in lib. I. c. App. p. 1034 et seqq.).

Postremo subiunxit Tertullianus: *Et puto, adhuc minus dicimus ipsos, inquam, deos vestros, ipsa templa et oracula et sacra* (Tertull. loc. cit.), id est libros Moysis gentilium diis, templis, oraculis et sacris



esse longe vetustiores. Deorum enimvero originem, sicut infra dicemus, a Saturno repetendam esse opinatur. Non mirum itaque si hos deos libris Moysis posteriores esse affirmet. Verum his ille verbis, *adhuc minus dicimus*, ethnicis exprobare videtur quod deos suos eorumque cultum libris Moysis vetustiores esse tam imperite quam falso venditarent.

## ARTICULUS V.

Quam luculenter Tertullianus probaverit antiquitatem librorum Moysis ex eius aetate, qui coaevus fuit Inacho et pluribus saeculis Danao, Troianae cladis et Homero praevit, ubi de Manethone, Beroso, Iromo, seu Hieronymo et Iosepho.

Nemo certe diffitebitur librorum Moysis antiquitatem non posse clarius quam ex illius aetate probari. Quamobrem Tertullianus veterum gentilium scriptorum testimonio fretus, quo ille tempore et ante quos vixerit, hisce explicat verbis: *Argivo, inquit, Inacho pariter aetate est: quadringentis paene annis (nam et septem minus) Danaum et ipsum apud vos vetustissimum praevenit, mille circiter cladem Priami antecedit; possem etiam dicere quingentis amplius Homerum* (Tertull. Apologet. cap. 19.). Primum itaque docet Moysen Inacho fuisse coaevum. At in priore Apparatus nostri tomo ostendimus hanc communem fuisse veterum scriptorum ad Eusebium usque sententiam, quam nonnulli etiam hoc saeculo propugnare nisi sunt (Tom. I. Appar. p. 385. 531. 836. 909. et 1342.). Asseveranter vero Auctor noster adfirmat se opinionis suae plures habuisse sponsores et patronos. Ne quis autem putaret illud ab eo gratis adsertum, hos ipsos, ut paulo post videbimus, singillatim et nomine suo appellat.

Praeterea horum scriptorum auctoritate fultus asseverat Moysen CCCXIII. annis praevertisse Danaum. At animum, quaeso, adverte, utrum haec Tertullianus delibaverit ex Iosepho, qui ibidem ab ipso post alios scriptores citatur. Enimvero postea quam Iosephus editam a Manethone Aegyptiorum chronologiam recensuit, eam his absolvit verbis: *Οἱ καλούμενοι ποιμένες ἡμέτεροι πρόγονοι τρισὶ καὶ ἑννεήκοντα καὶ τριακοσίοις πρόσθεν ἔτεσιν ἐκ τῆς Αἰγύπτου ἀπαλλαγόντες τὴν χώραν ταύτην ἐπέκησαν, ἣ Δαναὸν εἰς Ἄργος ἀφίχονται, καίτοι τοῦτον ἀρχαιότατον Ἀργεῖοι νομίζουσι.* Qui vocabantur pastores, id est nostri progenitores, ex Aegypto liberati ante tres et nonaginta atque trecentos annos hanc provinciam inhabitavere quam Danaus ad Argos accederet, licet hunc antiquissimum Argivi confidant (Ioseph. lib. I. c. Appion. p. 1041.). In Theophili itaque Antiocheni, qui eundem citat Manethonem, textu describendo errasse proculdubio videtur librarius, qui scripsit egressos fuisse ex Aegypto Hebraeos, *πρὸ ἐτῶν τριακοσίων δεκατριῶν, ante trecentos et tredecim annos* (Theoph. lib. III. ad Antolyc. p. 131.), quam Danaus in Graeciam pervenerit. Etenim Theophilus, ut ex dictis patet, haud dubie scripserat, *τριακοσίοις καὶ ἑννεήκοντα τρισὶ, trecentis et nonaginta tribus.* Sed non satis perito scribae proclive fuit pro *ἑννεήκοντα* scribere *δέξα*. De hac nihilominus coniectura iudicium aliorum expectabimus. At certe ex his Theophili verbis facile agnosces, cur Tertullianus Danaum apud ethnicos vetustissimum dixerit.

Tum ille postea: *Moyses mille, inquit, circiter annis cladem Priam* id est Troianum excidium *antecedit* (Tertullian. *Apologet.* cap. 19.) Ibi autem rursus vestigia premit Iosephi, qui asseverat adeo antiquum esse Hebraeorum ex Aegypto egressum, *ὡς ἔγγυς πον προτέραν ἀπὴν τῶν Ἰλιακῶν ἔτεσι χιλίοις, ut annis paene mille Iliacum bellum praecedat* (Ioseph. lib. I. c. Appion. p. 1042.). Uterque vero adverbium adiecit *circiter*; nec immerito sane. Magna siquidem est de hoc temporis intervallo, ut alibi vidimus, sententiarum varietas. At, quaecunque a vero propius absit, certo certius est Moysen Iliacis temporibus longe esse antiquiorem (Tom. I. *Apparat.* p. 1345. 1347 et seq.)

Maiores adhuc est dissensio de Homeri aetate, quem annis post eandem cladem Iliacam quingentis et amplius, atque idecirco MD. a pluribus annis post Moysen floruisse Auctor noster pronuntiat. Diversas autem hasce scriptorum opiniones recenset Tatianus (Tatian. *Orat.* c. Graec. p. 166 et seq.), et qui verba eius retulit Eusebius (Euseb. lib. X. *Praepar. Evangel.* cap. 11. p. 492 et seqq.), nec non etiam Clemens Alexandrinus (Clem. Alex. lib. I. *Strom.* p. 326 et seqq.) alique et antiqui et recentiores, qui de veteribus scriptoribus, aut de chronologis et poetis, ac nominatim de eiusdem Homeri vita vel aetate disputationes sive data opera sive aliud agentes instituerunt. No quoque de his auctorum dissidiis alibi disseruimus (Tom. I. *Apparat.* p. 1278. 1347 et seqq.).

Ceterum, quoquo tempore floruerit Homerus, plane constat, ut Iosephus recte arguit, nullam apud Graecos esse conscriptionem, quae huius poetæ operibus sit vetustior (Ioseph. lib. I. c. Appion. p. 1034.) Quin etiam si eidem Iosepho credas, poemata illius non litteris consignata sunt, sed cantu recitata, quae ab aliis cum memoriter tantum collecta fuerint, multa in eis dissonantia comperiuntur. Ad haec vero ille paulo ante dixerat alias nationes gloriari se a Phoenicibus et Cadme ut alibi etiam adnotavimus, habuisse antiquissimum litterarum usum (Tom. I. *Apparat.* p. 385 et seqq.). At nullus tamen, pergit Iosephus demonstrare poterit aliquid scriptum, quod a prisco illo tempore ve in templis vel in publicis anathematibus servatum fuerit: Moysis ergo libri ceteros omnes longo temporis, immo et saeculorum intervallo antecesserunt.

Nilil autem, ait Auctor noster, probatu erat facilius (Tertullian. *Apologet.* cap. 19.). Sed quia hoc longius erat nec poterat sine maxima a proposito suo digressionem fieri, ideo censuit esse differendum. An vero his verbis aliam ea de re commentationem promittat, ac promissis steterit, quis certo asseverare audebit? Ne quis tamen illud ab eo temere prolatum diceret, palam omnibus ipse facit, unde et a quibus nominatim scriptoribus evidenter probetur. Primum enim vero citat antiquissima Aegyptiorum, Chaldaeorum, Phoenicum *archiva* sive *scrinia*, in quibus scripturae sive libri eorum reponerantur. Gentes autem istas ideo nominibus suis vocat, quia Graeci, teste Iosepho (Ioseph. *ibid.*), fatebantur antiquissimam rerum traditionem apud eos haberi. At, quia haec investigatio difficillima adhuc videri poterat: *advocandi sunt, inquit, municipes eorum, per quos notitia subministrata est* (Tertullian. *ibid.*). Municipales autem ii proprie appellati sunt, qui



in civitatem Romanam recepti muneribus Romanorum fruebantur: Sed ille eo nomine abusive significat eiusdem regionis incolas. Nam et gentes et scriptores nominatim vocat, ex Aegyptiis Manethonem, Berosum ex Chaldaeis, a Iosepho, ut paulo post notabimus, citatos, atque ex Phoenicibus Iromum Tyri regem, de quo postea fusius agendum. Si vero hi non sufficiebant, adiecit ipsorum sectatores Ptolemaeum Mendesium, qui sacerdos, inquit Clemens Alexandrinus (Clemens Alexandr. lib. I. Strom.), ac post ipsum Eusebius (Euseb. lib. X. Praepar. Evang. cap. 12. p. 497.), regum Aegypti res gestas tribus libris exposuit: item Menandrum Ephesium, a quo actus et historiam regum Tyri conscripta esse Iosephus (Ioseph. lib. I. c. Appion. p. 1042.) et Theophilus Antiochenus perhibent (Theoph. lib. III. ad Autolye. p. 132.). His adiungit Demetrium Phalereum, a Iosepho adhuc citatum, tresque alios, regem Iubam, Appionem et Thallum, de quibus nos in primo Apparatus nostri tomo et in superioribus dissertationibus disputavimus.

Denique: *Et qui istos, ait Tertullianus (Tertullian. loc. cit.), probat aut revincit, Iudaeus Iosephus, antiquitatum Iudaicarum vindex, in Antiquitatum videlicet Iudaicarum libris, qui etiamnum in omnium manibus versantur. Verumtamen ille non his tantum libris istos, ut loquitur Auctor noster, scriptores probat aut revincit (ibid.), sed in aliis etiam, contra Appionem libris quos iam citavimus (Ioseph. lib. I. c. Appion. p. 1039. et seqq. p. 1043. et seqq.). In his siquidem plura retulit ex libris Aegyptiacorum, scilicet Manethonis Aegyptii ac Berosi Chaldaei, ex quo prodierunt de astronomia et Chaldaeorum philosophia commentationes.*

Maior itaque difficultas est de tertio scriptore, qui a Tertulliano cognominatur *Iromus Phoenix Tyri rex*. Nam in nostris manuscriptis codicibus et antiquioribus Rigaltiana editionibus legitur: *Hieronymus Phoenix Tyri rex*. Sed quia nullum fuisse putabant Tyri regem nomine Hieronymum, in textu Tertulliani scribi maluerunt *Iromus*. Correctionis tamen huius nullam rationem dederunt, nisi quaedam verba ex fragmentis Menandri, a Scaligero editis, delibata. Sed longe potiori iure citare debebant Theophilum Antiochenum, a quo non solum eadem illa graeca verba citantur (Theophil. lib. III. ad Autolye. p. 131 et seqq.), sed vocatur etiam *Ἰέρωμος Τυρίων βασιλεύς, Hieromus Tyriorum rex*. Eum autem esse testatur, qui plures ad Salomonem et vicissim Salomon ad eum scripserat litteras, quae apud Tyrios servari ferebantur. Non inde tamen confici potest hunc regem aliquid de antiquitate Hebraeorum scripto tradidisse.

Nonne etiam in Tertulliani textu legendum esse Hieronymi nomen hinc colligi potest, quod Iosephus in primo Antiquitatum Iudaicarum libro, ubi de longa primorum patriarcharum vita disserit, ibi post memoratos a se, quemadmodum ab Auctore nostro, Manethonem et Berosum, haec scripsit: *Μῶχος καὶ Ἑστιαῖος, καὶ πρὸς αὐτοῖς ὁ Αἰγύπτιος Ἱερόνυμος, οἱ τὰ Φοινικὰ συνταξάμενοι, συμφωνοῦσι τοῖς ἐπ' ἐμοῦ λεγόμενοις. Mochus, Hestiaeus et Hieronymus Aegyptius, qui Phoenicum res prosecuti sunt, nobiscum consonant (Ioseph. lib. I. Antiquit. cap. 4. p. 11.).* Hunc autem Hieronymum in eorum numero

posuit qui de longiori Noë et superiorum patriarcharum vita scripta liquid reliquerant. In primo tamen adversus Appionem libro observat Hieronymum ex iis scriptoribus unum esse, qui historias scribens Iudaicae gentis non meminit (Idem lib. I. c. Appion. p. 1050.): *Ἱερόνυμος γὰρ οὐδαμοῦ κατὰ τὴν ἱστορίαν ἐμνημόνευσε καίτοι σχεδὸν ἐν τοῖς τόποις διατετριφώς.* Hieronymus enim nequaquam nostri historiae meminit, licet paene in ipsis locis nutritus esset. Fatetur tamen Hieronymum in hac lucubratione missas fecisse res Iudaeorum ametsi incognitae illi non fuerint. Sed ibi eum Hecataeo opponit, quo historiam de Iudaeis editam fuisse testificatur. Potuit igitur aliena historia aut commentatione, sicuti de longaevis, ita de vita illorum quandam intermiscere sermonem.

At quamvis Hieronymus aut pauca aut plura de Moyse et Iudaeis in libro tradiderit, qua ratione probari potest illum fuisse Tyrannum regem? Numquid ergo Tertullianus humani aliquid ibi passus est, et a librariis verba eius depravata sunt, aut de regis Tyrri ad Salomone epistolis quemadmodum Theophilus Antiochenus intelligendus est? Vide igitur quid tibi videatur probabilius aut melius invenire queas.

## ARTICULUS VI.

De aliorum post Moysen sacrorum vatum aetate et supputariis digitorum gesticulis et consuetudinibus conferendis.

De aliorum post Moysis mortem sacrorum vatum nostrorum aetate Tertullianus (Tertullian. Apologet. cap. 19.) sic adversus ethnicos pronuntiat: *Ceteri prophetae etsi Moysi posthumant, extremissimi tantorum non retrosumos deprehenduntur primoribus vestris sapientibus et legiferis et historicis.* At ibi plures sane adhibet improprios loquendi modos (Lib. de Resurr. Christ. c. 45. Lib. ad Valentin. c. 35. Primo siquidem dixit *posthumant*, id est, post Moysis mortem vixerunt; quo sensu alibi scripsit *postumat* et *postumatum*. Secundum qui hic *extremissimos*, alibi *postremissimos omnium*, tertio *retrosos*, id est, posteriores ac recentiores appellavit. Verum etiamsi loquens obsoletis ac barbaris vocibus utatur, apertus tamen est hic illius sensus: Ceteri prophetae nostri post Moysis quidem obitum vixerunt, sacrorum omnium ultimi non sunt posteriores Graecis sapientibus, legiferis et historicis.

Suam porro sententiam non alio probat argumento, nisi prolatum plurimum auctorum nominibus; vel quia gentiles publicae eorum auctoritati repugnare et resistere non poterant vel quia longius fuisset consuetudine illorum testimonia hoc in libro describere, in quo brevitati consultum esse volebat. Si quis tamen illud quibusdam saltem confirmari postulet, is audiat Theophilum (Theophil. Antioch. libr. III. ad Autoly. p. 132 et seqq.) Antiochenum sic argumentantem: Ultimus, inquit prophetarum Zacharias censetur, qui tempora Darii regis attigit. Non autem Atheniensis antiquissimus legislator tempore regum Cyri Darii vixisse perhibetur. Ceteri ergo prophetae aliis legislatoribus viciatioribus sunt et multo magis Moyses, qui ante Iovem Cretensem auctorem ipsum, ut diximus, Troianum bellum sortuit. Nec id dixisse sal-



Theophilo fuit, sed exhibita ibi brevissima chronologia demonstrare videtur.

Iosephus vero de historicorum aetate hunc loquitur in modum (Ioseph. lib. I. c. Appion. p. 1034.): *Οἱ μὲν τοι τὰς ἱστορίας ἐπιχειρήσαντες συγγράφειν παρ' αὐτοῖς, λέγω δὲ τοὺς περὶ Κάδμόν τε τὸν Μιλήσιον καὶ τὸν Ἀργεῖον Ἀκουσίλαον καὶ μετὰ τούτων εἰ τινες ἄλλοι λέγονται γενέσθαι, βραχὺ τῆς Περσῶν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα στρατείας τῷ χρόνῳ προέλαβον: Qui autem historias apud eos (Graecos) conscribere tentavere, id est Cadmus Milesius et Acusilaus Argivus et post hunc quicumque alii fuisse feruntur, paulum Persarum (Cyri et Darii) expeditionem praecessere (Tom. I. Apparat. p. 1165 et seqq. p. 1355 et seqq.). Nos vero de Graeciae sapientibus et eorum aetate in primo Apparatus nostri tomo disputavimus. De Moysis porro et aliorum prophetarum tempore egimus non solum in eodem citati Apparatus nostri loco, sed in superiori etiam de Lactantii operibus dissertatione (Dissertat. in Lactant. cap. II. art. 1. et 2.).*

Denique Tertullianus certiores nos facit ad recte designanda illorum omnium et prophetarum et ethnicorum scriptorum tempora (Tertullian. Apologet. cap. 19.), *multis instrumentis, hoc est libris et chronologiis, cum digitorum supputariis gesticulis assidendum esse. Sed quae sunt, rogabit aliquis et quorsum spectant illa supputaria digitorum gesticula? Respondebimus itaque ea nihil aliud esse nisi digitorum gestus ac motus, quibus antiqui solebant annos resve alias numerare. De longaevis siquidem Nestoris annis cecinit Iuvenalis (Iuvenal. Satyr. X. v. 240.):*

*Felix nimirum, qui per tot saecula mortem  
Distulit, atque suos iam dextra computat annos.*

Plinius vero narrat simulacrum Iani factum fuisse digitis eo modo figuratis, quo CCCLXV. dierum numerus indicabatur (Plin. lib. XXXIV. Hist. Natur. cap. 7. p. 182.). Scriptum quoque ab Hieronymo legimus (Hieronym. lib. I. adv. Iovin. p. 146.): *Centesimus numerus de sinistra transfertur ad dexteram et iisdem quidem digitis, sed non eadem manu, quibus in laeva nuptae significantur et viduae, circulum faciens exprimit virginitatis coronam. At longe antea Apuleius, ubi de Pudentillae aetate disputat (Apul. Apologet. II. post. med. p. 375.): Si triginta annos, inquit, pro decem dixisses, posses videri pro computationis gestu errasse, quos circulare debueris digitos aperuisse. Cum vero quadraginta quae facilius ceteris porrecta palma significantur, ea quadraginta tu dimidio auges, non potes digitorum gestu errasse, nisi forte triginta annorum Pudentillam ratus binos cuiusque anni consules numerasti. Tertullianus itaque significat opus esse maiori otio et longiori ab instituto suo digressionem, ut illis digitorum gestibus aetas tot scriptorum ac prophetarum computetur.*

At praeter hanc aliasque annos dinumerandi difficultates (Tertullian. Apologet. cap. 19.), *Graecorum etiam, ait ille, censuales conferrandi. Nemo sane non videt ibi nomen libri vel codices subaudiri. Censuales autem eos vocat libros, in quibus acta et rerum gestarum annales a scribis et notariis publicis vel aliis descripta erant. Nos*

vero hos libros diaria et magis vulgari nomine publica scribarum registra nuncupamus.

Ceterum tametsi Tertullianus tot ad probandam sacrae Scripturae antiquitatem argumenta breviter exposuerit, quisquis tamen illorum pondus et robur se intelligere negat, is se ipsum occaecare voluisse videtur. Quapropter totam hanc disputationem melius absolvere non possumus, quam his ipsius ad gentiles alio in libro verbis (Tertull. lib. de Testim. Anim. cap. 5.): *At enim cum divinae scripturae, quae penes nos vel Iudaeos sunt, in quorum olea et oleastro insiti sumus, multo saecularibus litteris non modica tantum aetate aliqua antecedant, ut loco suo edocuinus ad fidem earum demonstrandam, etsi haec eloquia de litteris usurpavit anima, utique de nostris credendum erit, non de vestris, quia potiora sunt ad instruendam animam priora, quam postera, quae et ipsa a prioribus instrui sustinebant, cum, etsi de vestris instructam concedamus, ad originem tamen principalem traditio pertineat nostrumque omnino sit quodcumque de nostris sumpsisse et tradidisse contigit vobis.* Demum in Apologetico eosdem adhuc ethnicos sic alloquitur (Idem Apolog. cap. 45. p. 499.): *Sciatis ipsas quoque leges vestras, quae videntur ad innocentiam pergere, de divina lege, ut antiquiore, formam mutatas.* Et certe in aliis nostris dissertationibus abunde ostendimus scriptores ethnicos ex sacris nostris libris plura delibasse, quae illi pravis erroribus suis plane corruerunt. At nemo est qui ex dictis non facile intelligat quam recte a Tertulliano nostro probata sit illorum antiquitas. Ad eorum vero auctoritatem explicandam nunc veniamus.

#### ARTICULUS VII.

Quomodo Tertullianus demonstret divinam esse sacrae Scripturae auctoritatem, nec illius ignorantiam ab ethnicis posse obici.

Non ex sola antiquitate Tertullianus summam Scripturae sacrae auctoritatem repetit, sed eo maxime quod divina sit seu litteris tradita ab illis utique viris qui erant divino Spiritu afflati, ac futura certo praedixerunt (Ibid. cap. 20.): *Idoneum quippe testimonium divinitatis, ait ille, est veritas divinationis.* Neque id ullus negare poterat, nec ipsi quidem gentiles, qui veros esse deos suos inde conficere conabantur, quia res futuras ab iis praenuntiatas esse autumabant. Christiani vero vim huius argumenti, sic ab gentilibus usurpati, non aliam ob causam infirmabant, nisi quia aut falsae erant huiusmodi factio-rum deorum praedictiones aut daemonum artibus et praestigiiis excogitatae. Solus namque verus Deus aut prophetae spiritu illius repleti possunt futura certo praenuntiare. Atqui plurima, inquit Auctor noster, eodem modo iam facta cernimus, quo a sacris vatibus nostris praemonstrata fuerant.

Brevi autem harumce praedictionum enumeratione illud comprobat (Ibid.). Nunc enim, ut ille ait, *terrae*, quemadmodum a sacris prophetis praedictum est, *vorant urbes*, id est repentinis terrarum motibus et hiatibus urbes absorptae ac voratae sunt (Ibid.). Deinde: *insulas maria fraudant*, quas videlicet maris fluctibus ac tempestatibus

exhaustas videmus (Ibid.). Ad haec vero: *externa atque interna bella dilaniant, regnis-regna compulsant*, hoc est, bella in diversas partes scindunt non solum regna, provincias et urbes, sed cives etiam atque affines et sanguine coniunctos (Ibid.). Praeterea: *sanies et lues et locales quaeque clades et frequentiae pleraque montium vastant. Melius in exemplaribus nostris et antiquis editionibus, plerumque mortium vastant* (Ibid.). Frustra enim aliqui ad vocem *montium* confirmandam contendunt ea significari leones, ursos aliasque id genus belluas, quibus montes frequentantur vastanturque campi. Nam de hominum Auctor noster loquitur mortibus, quae lue, fame aliisque huiuscemodi cladibus frequentissime accidunt.

Pergit autem ille: *Officia temporum et elementorum munia exorbitant* (Ibid.), id est, solitus quatuor anni tempestatum ac status elementorum ordo confunditur, quod improprio dixit verbo *exorbitant*. Quin etiam *monstris et portentis naturalium forma turbatur*. Quidam autem ibi monstra a portentis sic distingui volunt, ut monstra in hominibus animalibusque sint, portenta vero in rebus inanimatis. Sed *ii* non satis proculdubio attenderunt, quod scripsit Cicero informatas deorum nationes *praeter naturam hominum pecudumque portentis* (Cicer. lib. II. de Natur. Deor. pag. 215. lin. 45.). Et alibi: *An vero illa nos terrent, si quando aliqua portentosa aut a pecude aut ex homine nata dicuntur* (Lib. II. de Divinat. p. 217. lin. 16.)? Portentum igitur non magis de inanimatis rebus dicitur, quam de hominibus et pecudibus, in quibus membrum aliquod praeter naturam plane deformatur aut redundat aut deficit. Portentum tamen a monstro si quando Tertulliani verbis revera secerni nobis probetur, protinus cedemus.

Quid plura? *Humiles, ait ille, sublimitate, sublimes humilitate mutantur* (Tertullian. Apologet. cap. 20.), sive hominum status et conditio ita commutatur, ut a sublimi ac summa ad humilem et infimam atque versa vice aut decidant aut conscendant. Denique: *iustitia rarescit et iniquitas crebrescit, bonarum omnium disciplinarum cura torpescit*, apud ethnicos videlicet, qui christianam religionem odebant vel aspernabantur. Nam postea manifestum ipse, ut suo loco videbimus, cuilibet fecit a Christianis exultam disseminatamque fuisse iustitiam, pietatem, sanctitatem curamque bonarum omnium disciplinarum. Porro autem clades, calamitates, rerumque perturbationes, quas Auctor noster recenset, a sacris nostris vatibus vere praenuntiatas fuisse nemo negare potest, nisi qui horum aliorumque sive historicorum aut chronologistarum libros nec percurrendo quidem legerit. At quemadmodum Augustinus adversus Faustum Manichaeum disputat: *Ostendimus fidem prophetarum ex his, quae ventura ceciderunt et venisse cernuntur* (August. lib. XVII. c. Faust. Manich. cap. 7. pag. 255. Tom. VIII.). Sed illum plura de his ibi disputantem adire poteris. De mundi vero cladibus, quas Tertullianus a sacris nostris vatibus praedictas esse dixit, inferius cum eo agendum.

Dissimulare tamen non possumus aliis longe clarioribus sacrae Scripturae verbis futura praenuntiari. Tales enimvero sunt plures de venturo Christo eiusque vita, miraculis, morte et ad vitam regressu



praedictiones, quae ab Auctore nostro et Lactantio, ut in superiori dissertatione ostendimus, accurate referuntur (Infra. cap. 9. art. 2. Dissertat. in Lactant. cap. 8. art. 1. et 2.). Verum ipse Tertullianus noster arbitratus est, nec iure quidem immerito, ea quae nunc memorat, ad probandam sacrae Scripturae divinitatem sic sufficere, ut alii opus non esset nec exemplis nec probationibus.

Neque obiici poterat illas a Christianis occultatas, nec ethnicos habuisse easdem legendi et examinandi facultatem. Quamvis enim summae Christiani religioni fuerit sacra sua mysteria alios omnes, e ipsos etiam catechumenos celare, divinae tamen Scripturae libros ne abscondebant nec abscondere poterant. Quamobrem Tertullianus ethnicum hominem sic compellat: *Inspice Dei voces, litteras nostras, quae neque ipsi supprimimus, et plerique casus ad extraneos transferunt* (Tertullian. Apolog. cap. 31.). Nonne autem his verbis *litteras nostras* omnes generatim designat libros non solum prisci, sed novi etiam Testamenti, quod alicubi *supplementum veteris instrumenti* appellavi (Tertull. lib. adv. Hermog. cap. 20.). Christiani itaque non suppresserant hasce sacras litteras, et quamvis illas occultare voluissent, a *extraneos* tamen, hoc est ethnicos, variis casibus transferebantur.

Praeterea libri veteris Testamenti ab ipso Philadelphi tempore ebraica in graecam linguam, uti diximus, conversi in eorundem ethnicorum venerant manus poterantque eas legere et agnoscere, utrum omnium illorum viderent effectum, quae in eis praenuntiata fuerant. At tametsi gentiles aut incuria aut pervicacia hos sacros libros non legissent, nihilominus Christiani manifestissime demonstrabant vera fuisse vaticinationes, quas in eis longo antea tempore praedictas videmus. Denique prophetae, quorum voces hisce in libris descriptae sunt mirandis virtutibus et miraculis, uti supra observatum est, sua et verba et documenta invictissime stabiliverunt confirmaveruntque. Tertullianus itaque ex his, quae in hoc et superiori articulis dicta sunt, recte concludit divinam esse sacrarum nostrarum Scripturarum auctoritatem quas idcirco divinas litteras ac sanctas voces appellat (Apologet. cap. 39.), et asserit *ex fide et antiquitate harum divinarum litterarum veritatem* nostrae religionis eiusque documentorum certissime demonstrari (Ibid. cap. 46.). Quae autem ab illo in his, quos prae manibus habemus libris tradita et asserta sint, nunc diligenter investigare ac perscrutari conemur.

## CAPUT VII.

De Deo divinisque eius perfectionibus et attributis, ac quot qualesve gentilium philosophorum de illo dissensiones et errores.

### ARTICULUS I.

Examinatur sextuplex argumentum, quo Tertullianus Deum existere demonstrat, videlicet sacrarum Scripturarum auctoritate, gentilium philosophorum consensu, ipsiusmet Dei operibus intimo mentis humanae sensu et conscientia, infinitis Dei perfectionibus ac publica et saepius repetita daemonum a Christianis adiuratorum confessione.

Ea est christianae religionis perfectio, ut ad illius veritatem et aliarum quarumcunque falsitatem demonstrandam sola, simplex nudaque.



ut recte ait Tertullianus, sufficiat doctrinae eius expositio. Nihil enim in ea occurrit, quod naturali omnium hominum lumini ac rectae rationi plane non congruat. Praecipua autem eius capita Auctor noster exposuit atque ab eo orditur, quod caeterorum omnium fundamentum est, videlicet ab ipso Deo, qui a Christianis colitur et adoratur.

Variis itaque argumentis illum existere et unicum esse plane ostendit. Primum enim is, inquit, ipse est, quem singulae fere omnes sacrarum nostrarum Scripturarum paginae unicum et nullum prorsus alium esse Deum apertissime asserunt ac renunciant (Tertull. Apologet. cap. 17. et seqq.). Atqui iam probavimus divinam esse eiusdem sacrae Scripturae auctoritatem. Quod ergo de unico Deo, reipsa existente, iam saepe quam perspicue praedicat, hoc certe verissimum est. Scriptores siquidem divino, uti vidimus, Spiritu afflati nec mentiri possunt nec in ullum unquam nos inducere errorem.

Si quis autem ethnicus aliquos sacrae Scripturae libros vel breviter percurrere laborem recuset, is saltem eorum initium ac prima Geneseos verba legat atque iis disertissime proditum comperiet, quod dixit Tertullianus, unicum omnino esse Deum: *Qui totam molem istam, cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo iussit, ratione qua composuit, virtute qua potuit, id est, qua ad mundum creandum revera pollebat, de nihilo expressit* (Ibid.). Minutius autem Felix, uti in alia dissertatione animadvertimus, quaedam ex his verbis mutuatus est, sed haec praetermisit, quae videntur obscuriora: *cum omni instrumento elementorum, corporum et spirituum* (Dissertat. in Minut. cap. 21. art. 5.). At nihil aliud haec significant, nisi totum mundum et ea omnia quibus componitur, nimirum elementa, corpora, et spiritus creata fuisse ab omnipotente Deo, quem idcirco existere necesse penitus est.

Porro autem Tertullianus hisce verbis non ad ea tantum alludit quae initio Geneseos, sicuti dicebamus, scripta sunt, sed alia etiam sacrae Scripturae loca, quibus vates divini caelos verbo Dei firmatos et mundum omnem ipsius sapientia ac potestate *ex nihilo* factum esse praedicant. At quia Hermogenes et alii nonnulli haeretici et gentiles somniaverunt mundum non ex nihilo, sed ex materia praeexistente ipsique Deo coaeterna conditum, hinc Tertullianus falsam hanc opinionem peculiari in libro, adversus eundem Hermogenem composito, invictis rationum momentis radicitus evellit. Sed iam plura, quibus hic error a Lactantio destruitur, argumenta a nobis alibi explicata sunt. Recte ergo inde Tertullianus noster sic disputat: *Dubitabitur, credo, de Dei viribus, qui tantum hoc corpus mundi de eo quod non fuerat non minus quam de morte vacationis et inanitatis imposuit animatum spiritu omnium animarum animatore* (Tertull. lib. adv. Hermog. cap. 8. et seqq. Dissert. in Lactant. cap. 21. art. 1. Tertull. Apologet. cap. 48.).

Audis sane hanc eius esse argumentationem: Deus non ex praeexistente aut coaeterna sibi materia, sed ex nihilo creavit mundum. At summae et infinitae est potestatis aliquid, ac quod longe maius est, totum mundum ex nihilo creare. Deus igitur omnipotens mundi creator existit. Atque haec prima est Tertulliani argumentatio, qua ex sacrae

Scripturae auctoritate, cui nemo, uti diximus, ne gentilis quidem homo refragari potest, recte demonstrat Deum reipsa existere.

Antequam vero ad alia progrediamur, observare iuvat in citato eiusdem Tertulliani textu pro libito sublatum a Rigaltio nomen *animarum* tanquam supervacaneum, ac pro *imposuit* scriptum *composui*. Nam huic correctioni, cuius nullam reddidit rationem, omnes manus scripti et antiquiores editi codices plane adversantur. Deinde verum nonne Auctor noster poterat verbo *imposuit* abuti, quo significantius exprimeret, quod antea dixerat, mundum a Deo creatum *ex nihilo*, tanquam supra mortem *vacationis et inanitatis* impositum? Potuit etiam per quandam emphasin adicere nomen *animarum*, ut luculentius significaret Deum non modo corporum, sed etiam animarum esse revelatorem et creatorem.

Secundum Tertulliani argumentum desumitur ex communi omnium paene gentilium philosophorum consensu, qui, licet in definienda Dei natura non parum a se invicem, ut paulo post ostendemus, dissentiant eum tamen revera existere volentes nolentes confessi sunt (Idem cap. 4. Infr. hoc cap. Art. 4. Dissertat. in Minut. cap. 4. Art. 1. et in Lactant. cap. 12. Art. 1.). Sed de hac illorum sententia alibi fuse disputavimus nec ea quae ibi diximus nunc repetenda sunt.

Tertium unius Dei existentis argumentum petit Tertullianus ex eius operibus, quae sicut nullus, nisi plane desipiat, non potest non agnoscere, ita nec diffiteri unum Deum esse illorum auctorem. Nam mundus, uti recte ait Tertullianus, ab illo factus est *in ornamentis maiestatis suae* (Tertullian. Apologet. cap. 17.). Quid vero illud est *in divinae maiestatis ornamentum*, nisi in illius probationem et argumentum, quo ex mundi creatione divina eius maiestas et omnipotentia omnibus sane, etiam hebetioribus, sit manifesta et cognoscitur? Quam obrem Lactantius diserte postea dixit: *Qui solem rebus humanis clarissimum ac singulare lumen in argumentum suae unice maiestatis accendit* (Lactant., lib. II. Divin. Instit. cap. 5. pag. 161.). Et ceres sol non casu aliquo vel a se ipso, ratione penitus orbato, creatus est. Suo igitur lumine et splendore omnipotentem Deum auctorem suum demonstrat. De hac autem argumentatione in nostra de eisdem Lactantii libris dissertatione egimus (Dissertat. in Lactant. cap. 12. Art. 1.).

Neque hoc tantum clarissimo solis lumine perstricti obtusioris mentis humanae oculi Deum agnoscere coguntur, sed ex aliis quoque eius operibus: *Tot ac tantis, inquit Tertullianus, quibus continemur quibus sustinemur, quibus oblectamur, quibus exterremur* (Tertullian. Apologet. cap. 17.). Quid enim tot tantaque opera aliud clamant, nisi ab uno Deo esse edita, qui homines aut beneficiis aut terrore ad suam cognitionem adducit? Atque inde profecto paulo post adiecit edita *in illo maiestatis suae signa per imbres*, haud dubie generalis diluvii, per ignes, ac eos potissimum quibus urbes Sodoma et Gomorrha consumptae fuerunt. A quo enim, obsecro te, haec fieri potuere, nisi a Deo iudice aequissimo, qui ab impiis et consceleratissimis hominibus delicta criminibus poenas repetebat?

Alia vero sunt adhuc, quibus, ut ait Tertullianus, *exterremur*, nisi miram fulgura, fulmina, tonitrua, publicae clades et tempestates alii

que his similia. Consulto autem haec adieciſſe videtur, ut variis atheo-  
rum argutiis occurreret, qui obiiciunt fulmina quae supra montes, verbi  
gratia, cadunt, et alia huiusmodi eſſe prorsus inutilia nullamque pro-  
ferri poſſe cauſam, propter quam accidant. Garrulis enimvero et impiis  
hiſce hominibus, qui ſpeta aut compreſſa animi conſcientia pravis  
libidinibus ſervire volunt, reſpondet ideo haec fieri, ut *exterreamur*,  
hoc eſt, Deum verum illorum auctorem timeamus atque eo timore,  
quem homini innatum eſſe alibi demonſtrat, agnoſcamus illum reape  
exiſtere, qui eodem impios alioſque ſcleratos pro merito caſtigare  
poſteſt (Idem lib. de Teſtimon. Anim. cap. 2.).

Porro autem alibi oſtendimus, etiamſi infirmae ac caecutienti ho-  
minum menti non omnino comperta ſit infinita Dei magnitudo, quorum-  
damque eius operum cauſa ex ipſius tamen effectibus nemini in-  
cognitis manifeſtiſſime demonſtrari illum exiſtere, et quem ob finem  
omnia fecerit. Iam vero non quaerimus cur aut quomodo omnia ab  
illo fiant aut facta ſint, ſed utrum ipſe exiſtat atque id ex eius ope-  
ribus agnoſcatur. In aliis autem noſtris diſſertationibus plane oſten-  
dimus quam certo et evidenter Deum exiſtere inde demonſtretur, et  
quam imbecilla ſit ethnicorum argumentatio, qui illud ideo negabant,  
quia ipſe Deus videri non poſteſt (Diſſert. in Minut. cap. 5. Art. 1. et  
cap. 6. Art. 1.).

Quarta Dei revera exiſtentis demonſtratio a Tertulliano ducitur ex  
intimo animae humanae ſenſu ſive eius teſtimonio ipſaque hominis  
conſcientia. *Viſne*, ait ille, *ex animae ipſius teſtimonio comprobemus:*  
*quae, licet carcere corporis preſſa, licet institutionibus pravis cir-*  
*cumſcripta, licet libidinibus et concupiſcentiis evigorata, licet falſis*  
*dīs exancillata, cum tamen reſipicit, ut ex crapula, ut ex ſomno,*  
*ut ex aliqua valetudine, et ſanitatē ſuam patitur, Deum nominat,*  
*hoc ſolo, quia proprie verus hic unus Deus, bonus et magnus; et:*  
*Quod Deus dederit, omnium vox eſt iudicem quoque conteſtatur il-*  
*lum: Deus videt, et Deo commendo, et Deus mihi reddet* (Tertull.  
Apolog. cap. 17.). In hoc autem Auctoris noſtri textu quaedam Ri-  
galtius more ſuo immutavit et addidit. Primum enim ex ſola, ſed  
forſitan non prorsus infelici, Latini coniectura, pro verbo *patitur*,  
emendatum ſcriptumque voluit *potitur*, hoc eſt, inquit, dum eſt com-  
poſ ſanae mentis. Et certe nomen *sanitas* accipitur aliquando pro  
bono ſtatu mentis atque apud bonos auctores legimus *potiri gaudia*.  
In duobus autem recentioribus codicibus ſcriptum eſt *paſcitur*. Quid  
vero, ſi Tertullianus minus latine loquendo dixerit *patitur* ſanitatē,  
videlicet nondum integram?

Quidquid ſit, videtur Rigaltius privata auctoritate hiſ verbis: *Hoc*  
*ſolo, quia proprie hic unus Deus, bonus et magnus*, iſthacc ſubrogasse:  
*Hoc ſolo, quia proprio Dei veri. Deus magnus, Deus bonus*. Sed  
nonne ſatis perſpicua erant manuſcriptorum codicum verba nec hiſ  
minus clara? Sed fac obſcuriora eſſe, numquid idcirco manus infe-  
renda veteris ſcriptoris textui, ut pro libito corrigatur nec amplius  
illius ſit?

Non hoc autem tantum in libro Tertullianus noſter hac adverſus  
ethnicos argumentatione utitur, ſed eam quoque fuſius acriusque urget



toto in libro de Testimonio Animae adversus gentes, ubi docet hoc ipsum eius testimonium esse *omni litteratura notius, doctrina agitatus, omni editione vulgatus, toto homine maius, id est, totum quod est hominis* (Idem lib. de Testim. Anim. cap. 1.). Alia autem eius verba alibi citavimus palamque fecimus idem argumentum adhiberi a Minutio Felice, Cypriano, Arnobio et Lactantio, qui Auctoris nostri vestigiis inhaerentes huius argumenti vi ac pondere omnes falsorum deorum cultores atheosque obruerunt (Dissertat. in Minut. cap. 2. Art. 5. et cap. 3. Art. 3. Dissertat. in Arnob. cap. 5. Art. 1. et Dissertat. in Lactant. cap. 12. Art. 1.).

Quapropter illa hic non repetenda censemus, sed illud dumtaxat examinandum, cur dixerit hanc naturalem Dei invocationem esse *testimonium animae naturaliter christianae*. Numquid enim anima naturaliter christiana est? Nonne paulo post ille dixit: *Fiunt, non nascuntur Christiani* (Tertullian. Apologet. cap. 17. et 18.)? Alibi vero ipsam animam sic alloquitur: *Non es, quod sciam, christiana; feri enim, non nasci soles christiana* (Idem lib. de Testim. Anim. cap. 1.). At si homo non nascitur, sed fit Christianus, ergo eius anima naturaliter christiana non est. Verum Tertullianus, qui paucas inter lineas sibi proculdubio non contradixit, prioribus verbis nihil aliud significat, nisi animae humanae naturaliter insitam esse veri Dei notionem, quae totius christianae religionis est fundamentum. Alia autem omnia illius mysteria et documenta non cognoscit, quin prius ab aliis doceatur. Atque ita quidem Christiani fiunt, non autem nascuntur, quamvis naturaliter unum Deum agnoscant et invocent.

Visne illud tibi ex ipsomet Tertulliano probari? Ad Nationes ille scribit Liberum Patrem cum suo sacro ab urbe Roma totaque Italia auctoritate senatus eiectum eversasque Serapidis, Isidis et Harpocratis statuas. At hanc inde elicit conclusionem: *Habetis igitur in maioribus vestris, etsi non nomen, attamen sectam christianam, quae deos negligit* (Tertull. lib. I. ad Nation. cap. 10.). Videsne ob hoc solum factum quosdam gentiles sectae christianae nomine ab eo appellari? Eadem itaque ratione anima naturaliter christiana dici potuit, quae conscientiae suae testimonio naturalique lumine ac motu verum unicumque Deum agnoscit. Sed a nobis iam observatum est his plane similia a Minutio Felice proferri (Dissert. in Minut. cap. 13. Art. 4.).

Iure igitur merito Tertullianus inde et ex iis omnibus quae hactenus probaverat sic concludit: *Haec est summa delicti nolentium recognoscere quem ignorare non possunt* (Apol. c. 7.). Eadem plane est Cypriani, eius discipuli et sequacis, conclusio: *Atque haec est summa delicti nolle agnoscere quem ignorare non possit* (Cyprian. lib. de Idolor. Vanit. pag. 15.). Nemo quippe potest ignorantiam excusare Dei, quem tot argumentis et intimo cordis animaeque sensu agnoscere compellitur. Maximum igitur delictum, imo vero summa omnium delictorum est nolle Deum recognoscere, qui a nemine, nisi penitus excors et amens sit, potest ignorari.

Quinta divinae, ut aiunt, existentiae demonstratio his includitur verbis, quibus Auctor noster illam ex infinitis Dei perfectionibus elicit conclusionem: *Ideo, inquit, Deus verus et tantus est* (Ibid.). Nonne

enim hunc argumentatur in modum? Veri Dei nomine is intelligitur, cuius infinitae sunt perfectiones, et quo nihil maius aut perfectius excogitari potest; non enim esset verus Deus, si tantus non esset: at is, qui infinitas perfectiones in se complectitur, a se profecto habet, et quod existat et quod aliis tribuat ut sint et existant. Cum enim ea sit rerum omnium creaturarum series, ut posteriores ab antiquioribus originem, qua existunt, acceperint, debuit ante omne tempus esse aliquis, qui a nullo, sed potius a se ipso habuerit quod existat, et rebus quibusque creatis eas omnes quibus praeditae sunt perfectiones largiatur: at ille *ideo est verus, quia tantus est*. In suo autem adversus Marcionem libro ex summa Dei perfectione concludit illum esse unicum, ita ut non existeret, si non esset unus. Audias velim quae sit eius argumentatio: *Deus cum summum magnum sit, recte veritas nostra pronuntiavit: Deus, si non unus est, non est. Non quasi dubitemus esse Deum, dicendo: Si non unus, non est: sed quia quem confidimus esse, id eum definiamus esse, quod si non est, Deus non est, summum scilicet magnum. Porro summum magnum unicum sit necesse est: ergo et Deus unicus erit, non aliter Deus, nisi summum magnum, nec aliter summum magnum, nisi parem non habeat, nec aliter parem non habens, nisi unicus fuerit* (Idem lib. I. advers. Marcion. cap. 3.).

Sextam et ultimam qua Deus existere probatur demonstrationem Tertulliano suppeditavit summa ac mira Christianorum ad daemones expellendos potestas, contra quam quilibet quantumvis pertinax gentilis ne mutire quidem poterat. Tum enim saepe saepius daemones a Christianis Christi nomine adiurati non solum eiiciebantur ex his quos obsidebant hominibus, sed cogebantur etiam palam et publice confiteri, nec se nec alios quos gentiles colebant esse deos, sed unum dumtaxat existere, quem discipuli Christi venerabantur. Atqui *omnis ista, ait Tertullianus, confessio illorum, qua se deos negant esse, quaque non alium Deum respondent praeter unum, cui nos mancipamur, satis idonea est ad depellendum crimen laesae maxime romanae religionis, quae non verum et unicum, sed falsos utique deos venerabatur* (Tertullian. Apologet. cap. 24.). Nam omnes profecto ethnici daemonibus, verum contra semetipsos confitentibus, debebant credere, qui mentientibus credebant. Nemo siquidem, ut recte ille arguit, *ad suum dedecus mentitur, quin potius ad honorem. Magis fides proxima est adversus semetipsos confitentes, quam pro se ipsis negantes* (Ibid. caq. 23.). Tam publicum enim vero testimonium nemini plane dubium suspectumque esse poterat. Quamobrem illud, pergunt Auctor noster, solebat ex ethnicis facere Christianos (Ibid.). Ecquis enim homo poterat tam certam clarumque testificationem respuere, nisi cui falsa praeiudicia aut privatae utilitates rationis lumen penitus eripuerant? Iure igitur merito Auctor noster summam redarguit iniquitatem gentilium, qui Christianos accusabant laesae romanae religionis, eosque contra conscientiam totaque ac tanti ponderis demonstrationes ad falsos deos colendos negandumque verum Deum quibuslibet suppliciiis adigere nitebantur.

## ARTICULUS II.

De perfectionibus sive attributis Dei, ac quo sensu a Tertulliano dicatur hominibus cognitae, quamvis sit invisibilis, incomprehensibilis, inaestimabilis; quae huius veri Dei et vivi scientia, sapientia et aeternitas.

Deum esse perfectissimum inde Tertullianus recte colligit, quod mundum et omnia quae in eo sunt, sicut in superiore articulo vidimus, ab illo creata fuerint (Tertullian. Apologet. cap. 11.). Etenim *imperfectum*, inquit ille, *non potuit esse, quod perfecit omnia*, id est, quia Deus a se ipso est et cetera omnia fecit, nihil prorsus imperfecti, sed omnes omnino perfectiones habeat necesse est.

Tantae autem illae sunt humanique ingenii imbecillitatem adeo superant, ut *invisibilis sit* (Ibid. cap. 17.), ait Auctor noster, id est, humanis oculis videri non possit. Nam ut ipse in Exodo loquitur (Exod. cap. XXXIII, 20.): *Non enim videbit me homo et vivet*. Addit vero Tertullianus, *etsi videatur*, hoc est, tametsi homines allatis supra argumentis ac (Art. super.) demonstrationibus illum revera existere mente videant et cognoscant.

*Incomprehensibilis* quoque est, pergit Tertullianus (Tertull. ibid.). Nam ut fatetur Clemens Alexandrinus (Clem. Alexandr. lib. V. Strom. pag. 548): *Ἀἴτιον μηδένα ποτέ δύνασθαι παρὰ τὸν τῆς ζωῆς χρόνον τὸν Θεὸν ἐναργῶς καταλαβέσθαι*. *Neminem unquam posse per hoc vitae tempus Deum perspicue comprehendere*. Quibus uterque verbis significat infinitas Dei perfectiones ab hominibus, vitam hanc mortalem viventibus, non posse clara distinctaque idea et notione plane penitusque comprehendere. Subiungit tamen Tertullianus: *Etsi per gratiam repraesentetur*. Sed quanam est ista gratia, nisi Salvatoris nostri Christi, qui homo factus docuit homines quomodo ipsum et divinum eius Patrem unicum verumque Deum esse intelligant? Nemo quippe, quemadmodum scribit auctor epistolae ad Diognetum, Deum vidit, aut perfecte cognovit (Epist. ad Diognet. pag. 499. edit. Justin. Martyr.): *Αὐτὸς δὲ ἑαυτὸν ἐπέδειξεν· ἐπέδειξε δὲ διὰ πίστεως, ἣ μόνῃ Θεὸν ἰδαῖν συγχεῖται*. *Sed ipse se ipsum ostendit: ostendit autem per fidem, qua sola Deum videre concessum est*. Nonne vero uterque ad haec collineavit Matthaei verba (Matth. XI, 27): *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare*. Aut ad illa Ioannis (Ioann. I, 18.): *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*.

Pergit Auctor noster: *inaestimabilis, etsi humanis sensibus aestimetur*, id est, in hoc recte ab hominibus *aestimetur*, quod sciunt eum esse *inaestimabilem* (Tertullian. Apologet. cap. 17.). Ipse enim mox addidit: *Hoc est quod Deum aestimari facit, dum aestimari non capit*, perinde ac si dixisset: Tunc Deum recte aestimamus, cum fatemur nec a nobis nec ab ullo homine posse pro merito aestimari.

Horum omnium rationem si ab illo postules, hanc ille ibidem reddet: *Quod videri communiter, quod comprehendere, quod aestimari potest, minus est oculis quibus occupatur, et manibus quibus contaminatur, et sensibus quibus invenitur, hoc est, quidquid oculis cor-*

poreis communiter cernitur, manibus tangitur, aut sub alios sensus cadit, illud his omnibus sensibus minus est inferiorisque quam Deus ordinis (Ibid.). Nam *quod immensum est*, quemadmodum Deus, *soli sibi notum est* (Ibid.). Immensi autem nomine illud Tertullianus praecise non intelligit, quod ubique et in omni loco existit, sed quod est infinitum. Eo quippe sensu a bonis auctoribus dicitur immensus labor et dolor immensus vel immensa cupiditas. Deus itaque utpote infinitus, a se solo quantus est cognoscitur (Ibid.). Atque ita illum, ut rursus ait Auctor noster, *vis magnitudinis et notum hominibus obicit et ignotum* (Dissertat. in Minut. Octav. Cap. 5. Art. 1. Dissert. in Lactant. Cap. 13. Art. 1.). Tanta enimvero est eius magnitudo et divinae illius naturae excellentia, ut etsi homines certio certius noverrint illum existere, capere tamen non possint quantae qualesque sint omnes eius perfectiones. Sed de his omnibus iam disputatum est in superioribus nostris dissertationibus.

Neque porro haec tantum negativa, ut aiunt, Dei attributa a Tertulliano asserta animadvertimus, sed plura quoque alia quae affirmantia vocantur (Tertullian. Apologet. cap. 30.). Deum etenim verum et vivum appellat atque ita illum gentilium diis falsis et mortuis opponit.

Deinde vero docet ipsum esse *omnium speculatorem*, cuius infinita est scientiae plenitudo et cui nihil prorsus ulla latebrarum difficultate latere unquam potest (Ibid. cap. 45.). Non in solo autem Apologetico, sed alio quoque in libro divinam hanc scientiam praedicat. Ab illo enim haec alibi scriptis tradita legimus (Idem lib. de Poenit. cap. 3.): *Neque si mediocritas humana facti solum iudicat, quia voluntatis latebris par non est, idcirco crimina eius etiam sub Deo neglegamus. Deus in omnia sufficit. Nihil a conspectu eius remotum, unde omnino delinquitur.* Omnes igitur humani cordis intimos et occultiores recessus penetrat atque cetera proinde omnia, quaecunque sint, perfecte cognoscit.

Nec minus asseveranter pronuntiat eum ab aeterno esse rationalem, qui Verbum, ut infra fusius ostendetur, Sermonem, Sophiam, Sapientiam protulit: ac mundum verbo, ratione et sapientia molitus, creavit ex nihilo atque idcirco omne tempus antecessit et aeternus est (Idem Apologet. cap. 17. cap. 11.).

At hoc quidem alibi hisce verbis confirmat (Ibid. cap. 26.): *Qui ante tempus fuit et saeculum corpus temporum fecit.* Nomen autem corpus ibi sumitur pro plurium collectione rerum ac congregata multitudine. Sic corpus civitatis aut reipublicae dicitur. De Christianis vero ipse Auctor noster: *Corpus*, inquit, *sumus.* Sensus itaque illius est (Ibid. cap. 39.): *Deus saeculum corpus temporum fecit*, seu fecit ut mundus ex tota temporum collectione constet (Ibid. cap. 18.). Quapropter ille antea dixerat: *Deus saeculum certis temporum dispositionibus et exitibus ordinavit.* At id facere non poterat, nisi ante omne, ut ipse loquitur, tempus atque idcirco aeternus fuerit. Neque dubites hanc esse illius mentem, qui alibi Christianorum nomine scripsit (Ibid. cap. 30.): *Nos Deum invocamus aeternum.* At ibi illum non modo aeternum praedicat, verum etiam omnipotentem, in cuius potestate sita sunt omnia.

## ARTICULUS III.

Ostenditur Tertullianum revera credidisse Deum esse spiritum nihilque habere corporei, et contraria argumenta solvuntur.

Quae de tot tantisque Dei perfectionibus et attributis hactenus exposita sunt, haec manifeste demonstrant illas esse summas ac Deum a se ipso solo et a nullo alio habere quidquid ipse est. Atqui si nihil ei ex alio accidat et perfectiones eius sint infinitae nec ab ullo unquam circumscribi potuerint, simplicissima proculdubio est illius natura ac proinde spiritualis et omnis corporeae concretionis experta. Nullum ergo habet corpus, quod utique partibus componitur atque idcirco potest dissolvi et imperfectum est. Sed quid necesse est aliqua argumentatione hanc probare Auctoris nostri doctrinam? Nonne id apertissime his praedicavit verbis (Tertullian. Apologet. cap. 21.): *Deum ediximus, propriam substantiam spiritum inscribimus?* Et paulo post: *Nam et Deus spiritus.*

Neque respondeas velim ibi spiritus nomine corpus aliquod, sed ceteris longe subtilius ab eo intelligi. Nam ibidem Verbum, Sermo et Filius Dei ab ipso dicitur ex sinu Patris sui aeterni produsse, *de spiritu spiritus et de Deo Deus* (Ibid.). At certe illa aeterna et ante omne corpus creatum Dei prolatio nihil plane corporei admittere potest. Ipsa siquidem est Dei cogitatio et intelligentia, quae penitus incorporea et mere spiritualis esse debet. Vere ergo Tertullianus credidit, Deum Patrem Filiumque eius esse spiritum, qui nihil prorsus corporis et materiae quantumlibet subtilis habeat.

Contra tamen nonnulli reclamant nobisque obiiciunt Tertullianum docuisse, quidquid est, aut corpus esse aut nihil nec posse omnino aliquid inter utrumque medium assignare. Nam haec sunt ipsissima eius verba: *Omne quod est, corpus est sui generis. Nihil est incorporale, nisi quod non est* (Idem lib. de Carne Christi cap. 11.). Generalis procul dubio est haec eius propositio ac proinde ab eo diserte definitur quidquid sit, sive Deus sive quid aliud, eo ipso quod est, illud esse corpus. Cum tot igitur, uti vidimus, argumentis probaverit Deum unum et verum existere, eum utique revera corporeum esse credidit.

Sed quid hac, inquit alii, aliave argumentatione opus est? Nonne de ipsomet Deo hunc loquitur in modum? *Quis negabit Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie. Sed et invisibilia illa, quaecumque sunt, habent apud Deum et suum corpus et suam formam, per quae soli Deo visibilia sunt* (Idem lib. adv. Prax. cap. 7.).

Verum quantumvis generalis sit prima eius propositio, mediam nihilominus aliquam inter corpus et nihil substantiam discernit, quae spiritualis, ac spiritus a corpore distinctus est. Enimvero in hoc, de quo agimus, Apologetico libro dixit creatam a Deo istam mundi molem, *cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum* (Idem Apologet. cap. 17.). Quid autem necesse erat ibi adiciere *spirituum*, si corpus et spiritum unum idemque esse credidisset? Numquid respondebis *corporum* nomine significari corpora densa et crassiora, *spiri-*



*tuum* autem vocabulo corpora subtiliora et tenuissima? Sed haec tantum diversae sunt corporum qualitates, quae poterant solo corporum nomine satis designari. At *spirituum* nomine non corporum qualitates, sed aliquid ab omni corpore discretum significare proculdubio videtur.

Quid vero, quo ille alio in libro rem spiritualem a corporali plane penitusque distinguit? Ubi enim de hominis, qui corpore, uti ille ait, et spiritu constat, peccatis delictisque disserit, aperte pronuntiat: *Delictorum quaedam esse carnalia, id est corporalia, quaedam vero spiritalia* (Idem lib. de Poenit. cap. 3.). Tum vero paulo post: *Exinde spiritalia et corporalia nominantur, quod delictum omne aut agitur aut cogitatur. Ut corporale sit, in facto est, quia factum, ut corpus, et videri et contingi habet. Spiritale vero, quod in animo est, quia spiritus neque videtur neque tangitur. Per quod intelligitur non facti solum, verum et voluntatis delicta vitanda.* Fatetur itaque duplicis generis esse peccata, nimirum corporalia, quae a corpore, non repugnante animo et voluntate, perpetrantur. Alia vero solius spiritus, quae sola admittuntur cogitatione et voluntate ac sine ullo corporis ministerio. Quin etiam alios adhuc esse docet proprios animae nostrae actus, ab eius corpore nequaquam dependentes, quibus non solum poena, sed praemium quoque debetur (Idem lib. de Anima cap. 58.). Atqui hos solius animae aut bonos aut malos actus, praemio aut poena dignos, nec corpus nec nihil, sed aliquid intermedium esse arbitratur. Ergo quaedam esse putavit, quae tantum spiritalia nec plane corporalia sunt.

Ad secundam vero illius de Deo propositionem quod spectat, nonne, uti diximus, diserte affirmat eius Filium esse ipsiusmet sapientiam, internum verbum et sermonem sive intelligentiam, quae penitus incorporea planeque spiritalis est? Qui ergo id fieri potest, nisi Deus sit plane incorporeus ac spiritus? Ad haec vero, plane sufficit aliquam ab eo admitti substantiam spiritualem, inter corpus et nihil mediam. Nam si quae sit, hanc potissimum Deum esse quis diffitebitur?

Instabis tamen ab illo nihil tertium inter corporale et incorporeale agnosci. Etenim adversus Hermogenem ita argumentatur: *Nisi fallor, omnis res aut corporalis aut incorporealis sit necesse est (ut concedam interim esse aliquid incorporeale de substantiis dumtaxat, cum ipsa substantia corpus sit rei cuiusque): certe post corporale et incorporeale nihil tertium* (Idem adv. Hermog. cap. 35.). Verum ibi incorporealia admittere potius, quam negare proculdubio videtur. Nam ibi ipsum, ut dictum est, refellit Hermogenem, qui materiam etsi revera existentem et corpoream et incorpoream esse effutiebatur. Tertullianus vero, ut hoc vanae opinionis commentum funditus evertat, rem omnem dividit in corpoream et incorpoream. Itaque aliquam fatetur esse incorporealem. At si quae sit, prae ceteris certe omnibus Deus est.

Urgebis fortasse hanc divisionem ipsi omnino perfectam non videri. Non absolute siquidem id pronuntiat, sed adversario suo interim et gratis nihilque adserendo concedit aliquam substantiam esse incor-

poream, quae tamen rei ipsius corpus est. Nihil ergo, nisi corpoream esse opinabatur. Sed animadvertas velim, illum haerere dumtaxat in huius nominis, *corpus*, significatu. Non obscure tamen ibidem explicat quid hoc nomine intellexerit: *Ipsa*, inquit, *substantia corpus est rei cuiusque*. Corporis itaque nomine significari putat cuiusque rei substantiam. At nemo est, qui non fateatur nullum prorsus esse medium aut tertium inter substantiam et ipsum nihil. Quid autem mirum, si corporis nomine ipsam rei cuiusque substantiam intelligendam esse existimaverit, cum Paulus apostolus hoc ipsum nomen *corpus* umbris et figuris opponat ac illud esse dixerit quod res ipsa et veritas est? De veteris quippe Testamenti figuris hunc scribit in modum (Paul. ad Coloss. II. 17.): *Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi*, id est: Hae caeremoniae nihil aliud sunt quam umbrae, illarum autem corpus sive res ipsa et veritas est Christus, in quo adimplentur.

Quamobrem in iis, quae nobis obiecta sunt, Tertulliani nostri locis, ubi dixit omnem substantiam esse corpus aut quidquid est hoc esse corpus, haud inconsulte ibi addidit *sui generis*, id est substantiam esse sui generis, vel corporei vel spiritalis.

Verum instabit aliquis, etiamsi hoc evidentissime probaretur, in dubiam tamen vocari posse utrum Tertullianus aliquando existimaverit Deum esse corpus, ac postea animum mutaverit et sententiam. De illo namque Augustinus hunc loquitur in modum (August. lib. de Genes. ad Litter. cap. 25. pag. 273.): *Tertullianus quia corpus esse animam credidit, non ob aliud quod eam incorpoream cogitare non potuit, et ideo timuit ne nihil esset, si corpus non esset, nec de Deo voluit aliter sapere, qui sane, quoniam acutus est, interdum contra opinionem suam visa veritate superatur. Quid enim verius dicere potuit, quam id quod ait quodam loco: Omne corporale passibile est* (Tertull. lib. de Anima cap. 7.)? *Debit ergo mutare sententiam qua paulo superius dixerat etiam Deum corpus esse. Neque enim arbitror eum ita desipuisse, ut etiam Dei naturam passibilem crederet, ut iam Christus non in carne tantum, sed in ipso Verbo, per quod facta sunt omnia, passibilis et commutabilis esse credatur, quod absit a corde christiano.*

Verum Petavius ab Augustino dissentit nec censet Tertullianum secum pugnare aut suam de Deo corporeo mutasse sententiam, tametsi omne corpus *passibile*, naturam vero Dei minime passibilem esse crediderit (Petav. Tom. I. Theolog. Dogmat. cap. 1. §. 5 et seqq.). Nam alias, inquit, rei corporeae, quam Deo tribuit passiones, sive alios motus et affectus. Marcioni siquidem irae motum in Deo esse neganti atque obiiicienti illum, si aliquando irasceretur, corruptioni et morti fore obnoxium, respondet ipse Tertullianus passiones sive motus et sensus animi in Deo et homine iisdem revera nominibus appellari, sed tantum in utroque esse diversos quantum substantia et corpus a se invicem discrepant. Marcionem quippe his compellat verbis: *Discerne substantias et suos eis distribue sensus, tam diversos, quam substantiae exigunt, licet vocabulis communicare videantur* (Idem lib. II. advers. Marcion. cap. 16.) . . . *Quanta erit diversitas divini corporis et humani sub iisdem nominibus membrorum, tanta*

*erit et animi divini et humani differentia sub iisdem licet nominibus membrorum, quos tam corruptorios efficit in homine corruptibilitas substantiae humanae, quam incorruptorios in Deo efficit incorruptibilitas substantiae divinae.*

Petavius itaque inde colligit Tertullianum existimavisse tam in Deo, quam in homine esse corpus, quemadmodum passiones sive sensus, motus et affectus, sed eo discrimine, quod in homine *corruptorii*, in Deo autem *incurruptorii* sint. Nihil ergo repugnat, inquit ille, quominus stante Tertulliani opinione Deus habeat corpus, quod non *passibile* quidem, sed *incurruptorium* esse putaverit. At expendas velim, utrum Petavius perspectum omnino habuerit quo sensu Tertullianus acceperit illud *passibilis* nomen, quod a Deo excludit. Non enim aliud eo significare videtur, nisi quod aliquid imperfecti et commutabilis secum importat. Nonne ergo Augustinus recte dixit Tertullianum aut secum pugnare aut mutasse sententiam, cum asseruit Deum esse corpus et omne corpus esse *passibile*? Nam Deus perfectissimus ac simplicitate omnique perfectionum genere cumulativissimus est. Nihil igitur prorsus imperfecti habere potest. Ergo summa perfectio Dei et corpus secum pugnant et in Deo esse non possunt.

Ceterum quamvis Petavius probavisset Tertullianum non incidisse in vitium aliquod contradictionis, fatetur tamen vir ille eruditissimus maioris illud esse momenti, quod Augustinus alio in libro ad excusandum Tertullianum haec in verba retulit: (August. lib. de Haeresib. cap. 86. pag. 25.): *Tertullianus possēt quoquo modo putari ipsam naturam substantiamque divinam corpus vocare, non tale corpus, cuius partes aliae maiores, aliae minores valeant vel debeant cogitari, quia sunt omnia, quae proprie dicimus corpora . . . sed potuit, ut dixi, propterea putari corpus eum dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animae qualitas, sed ubique totus et per locorum spatia nulla partitus in sua tamen natura atque substantia immutabiliter permanet.*

Mirum tamen nonnullis, quibus satis nota non sit Augustini modestia, fortasse videbitur, cur ille penitus affirmare non audeat hanc ipsam revera, sed *quoquo modo* posse putari Tertulliani fuisse sententiam. Iam enim ostendimus eum haud obscure declaravisse corporis nomine a se intelligi substantiam, quae quovis modo existit et nihilo opponitur. Praeterea animadvertimus substantiam ab eo dividi in corpoream et incorpoream, id est omnis omnino corporis expertem et quae sit mere spiritalis. Atqui, si vel unam huiusmodi unquam esse arbitratus est, persuasum utique habuit Deum esse spiritum et ceteris sane omnibus longe praestantiorem. Et certe summae illius perfectiones atque infinita rerum omnium cognitio et scientia a Tertulliano, sicut paulo supra observavimus, tam luculenter vindicatae nihil omnino corporei habere possunt. Nullum siquidem corpus, quantumvis tenue, nulla materia quolibet motu agitata, nullae atomi, quovis concursu inter se cohaerentes, possunt rei alicuius, multo minus rerum omnium efficere cognitionem. Non potuit ergo Tertullianus Deo corpus vel corporei aliquid tribuere, nisi hoc nomine, sicut vidimus, substantiam *sui generis*, id est divini et spiritalis intellexerit. Sed



his lucem adhuc ea afferent, quae capite sequente de Christi divinitate ac postea de angelis ac daemonibus atque anima humana dicentur.

## ARTICULUS IV.

Quot qualesve fuerint gentilium philosophorum de Deo dissensiones, Thaletis seu Simonidis, qui de illo interrogatus, nihil respondere potuit; Platoniorum, qui omnia, Epicureorum, qui nihil curantem, Platoniorum, qui eum intra mundum, Stoicorum, qui extra positum, Platonis, qui mundi creatorem, Pythagorae, qui mundum increatum esse docuerunt; et utrum Tertullianus recte illorum opiniones explicaverit.

Quanquam philosophi gentiles vel ratione naturali vel ex Sacris, ut ait Tertullianus, Scripturis agnoverint vel agnoscere haud difficiliter potuerint unum dumtaxat esse Deum (Tertullian. Apologet. cap. 47.), inter se tamen, vel inanis gloriae vitio vel disputandi libidine, de ipsa Dei natura, qualitate ac sede nunquam non digladiabantur. *Quid enim Thales, ille princeps physicorum*, Auctoris nostri verba sunt, *sciscitanti Croeso de divinitate certum renuntiavit?* Nihil plane, sed *commeatus deliberandi saepe frustratus est* (Ibid. cap. 46. et lib. II. ad Nation. cap. 2.). At Cicero et qui eum, ut alibi vidimus, sequitur, Minutius Felix, hoc Simonidi et Hieroni tyranno adscripserunt (Dissertat. in Minut. Cap. 3. Art. 2.). Neque respondeas subesse in Tertulliani textu mendam aliquod. Nam Thales ab eo appellatur *physicorum princeps* (Ibid. Cap. 4. Art. 1. Tom. I. Appar. pag. 1119 et seqq.), id est eorum primus, qui de rebus physicis, ut etiam ostendimus, instituerunt disputationes. Utrum autem verior sit Tertulliani, quam Ciceronis et Minutii opinio, ut percipiatur, inquirenda est Thaletis, Simonidis et Croesi aetas. At iuxta Eusebianum Chronicum anno MCCLXVI. *Thales Milesius physicus philosophus agnoscitur*. Ad annum autem MCCCCLXV. *ea quae de Croeso memorantur, quomodo tentaret oracula, his fuere temporibus*. Et duos post annos *Thales moritur*. Duo itaque, ut notat Scaliger, Thales memorantur, quorum prior physicus philosophus Lycurgi et Orphei aetate, posterior post ducentos paene annos Croesi tempore floruisse perhibentur (Scalig. not. in Chron. Euseb. pag. 74.). Atqui Tertullianus de Thalete physicorum principe loquitur, qui duobus saeculis Croeso antiquior cum eo vivere ac proinde illi respondere non potuerat.

Simonides autem in eodem Eusebiano Chronico vixisse traditur anno MDXXXI. Ibi enim legimus: *Pindarus et Simonides lyrici poetarum insignes habentur*. Postea vero ad annum MDXLII. *Hieron, cuius Minutius Felix meminit, post Gelonem Syracusis tyrannidem exercebat*. Quantum ergo prior Thales a Croeso distat aetate, tantum Simonides eidem Hieroni proximus esse dicitur. Huic igitur Simonidi magis quam Thaleti physicorum principi conveniunt citatae de divinitate interrogatio et responsio. Ad haec vero Minutii opinio eo adhuc videtur probabilior, quod Ciceronis auctoritate stabilietur.

Neque dixeris plurimos in Eusebiano Chronico esse in assignanda illustrium virorum aetate errores; nam quicumque illi sint, nemo sane negabit Thaletis physici Croesique tempora magis a se invicem se iungi, quam ut simul vixisse dicantur. Nec est quod urgeas memoratam responsionem Thaleti philosopho et physicorum principi recte

congruere, minime vero Simonidi, qui poëticae, ut alibi vidimus, operam dabat (Dissertat. in Minuc. Octav. Cap. 3. Art. 2. et Tom. I. Appart. p. 1284.). Nam poëtae apud ethnicos in theologorum habebantur numero.

Denique Minutius, Ciceronis testimonio fretus, potuit Tertulliani, tametsi plura, sicut observavimus, ex eius libris excerpterit, hanc corrigere de primo Thalete et Croeso opinionem. Et certe quomodo hic Thales de divinitate interrogatus nihil respondere ausus fuisset, qui, sicut alibi post eundem Ciceronem annotavimus, tam certo quam falso docuit aquam esse rerum omnium initium ac Deum mentem esse, quae ex aqua omnia formavit (Cicer. lib. I. de Nat. Deor. p. 199. Dissertat. in Minut. Cap. 4. Art. 1. et in Lactant. Cap. 12. Art. 1.). Nemo autem nobis probavit illum de hac sententia aut aliquando dubitasse aut eam unquam mutasse. Si quis porro illud de Deo responsum Thaleti secundo tribuendum esse probaverit, delenda esse ostendet ex Tertulliani textu haec verba: *physicorum princeps*. Ceterum cuiuscunque philosophi fuerit illa responsio, quis eam ab illo adsertam esse in dubium vocabit? Palam igitur confessus est ignotam sibi fuisse divinitatem.

In secundo autem ad Nationes libro Tertullianus Thaleti praemisit Diogenem, qui *consultus quid in caelis agatur* (ipsamet sunt illius verba): *Nunquam, inquit, in caelum adscendi* (Tertull. lib. II. ad Nat. cap. 2.). Item, *an dii essent*: *Nescio, respondit, nisi ut sint expedire, hoc est, nescio, sed cunctis utile est et expedit deos esse*. Non multum quidem a priore responso illud abest, quod a Diogene Cynico homini de caelestibus disserendi datum Laertius sic retulit: *Ποσράτος πάρε ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ*; *Quandonam de caelo venisti* (Laert. I. VI. de Vit. Diog. §. 39.)? At vide, quaeso, utrum a secunda longius absit haec eiusdem Diogenis sciscitanti Lysiae pharmacopolae, an deos esse crederet, responsio: *Πῶς οὐ νομίζω, ὅπου καὶ σε θεοῖς ἐχθρὸν ἐπολαυβάνω*; *Quomodo non credo, qui te diis inimicum puto* (Ibid. §. 42.)? Nos tamen Laertius ibidem admonet hanc sententiam tribui Theodoro, qui haud dubie atheus, ut a nobis haud semel observatum, cognominatus est. Si ea tamen quae Tertullianus noster Diogeni adscribit, ab alio eiusdem nominis, sed atheo, scripta fuisse contendas, habemus quidem Aelianum, qui, ut quidam aiunt, flagitiosorum horumce hominum gregi adnumeravit Diogenem Phrygem (Aelian. lib. II. Var. Hist. §. 31.). Verum praeterquam quod in nostra librorum Aeliani editione legitur Dionysius Phryx, nullus nobis indicavit ubi Diogenes iste sive Dionysius citata ab Auctore nostro verba pronuntiaverit.

Aliorum vero philosophorum maxima fuit de Deo opinionum varietas et dissensio. *Alii enim, inquit Tertullianus, nimirum Platonici, incorporalem Deum asseverant* (Apologet. cap. 47.). Visne aliquem tibi testem proferri? En adest Cicero, qui Velleium sic de Platone loquentem induxit: *Quod vero sine corpore ullo Deum vult esse, ut Graeci dicunt ἀσώματον, id quale esse possit, intelligi non potest* (Cicer. I. de Nat. Deor. p. 200.). Eadem de hoc philosophorum principe narrat Laertius: *Opinatur, inquit, animam, sicut Deum, esse incorporalem, ἀσώματον εἶναι* (Laert. lib. III. in Vita Platon. §. 77.).

Laertio autem Plutarchus, Eusebius, Apuleius et alii suffragantur (Plutarch. lib. I. de Placit. Philosoph. cap. 7. p. 881. Euseb. Orat. ad Constant. p. 200. Platon. Tom. III. p. 27. et 28. et alibi Apul. de Deo.).

Quantumlibet autem vera sit haec opinio, ab aliis tamen gentilibus philosophis reiecta est. Nam Velleius apud Ciceronem, uti mox dicebamus, contendebat intelligi non posse quid qualeve sit quod incorporeum vocatur (Socrat. Cicer. loc. cit.). Neque alii etiam philosophi explicare potuerunt quae sit vera rei incorporeae idea et notio.

Stoici vero, pergit Auctor noster, Deum corporealem esse praedicarunt (Tertullian. Apologet. cap. 47. Tom. I. Appar. lib. III. Dissertat. 1. Cap. 11. Art. 2. Dissertat. in Minut. Cap. 4. Art. 10.). De hac autem Stoicorum opinione, quae suis propter illorum repugnantias difficultatibus non caret, nos alibi disputavimus. Plures autem citavimus, qui illos in hunc errorem revera lapsos fuisse testificantur.

Prosequitur Tertullianus: *Alii*, nimirum Epicurus eiusque sectatores, *ex atomis, alii ex numeris*, quemadmodum Pythagoras, *alii ex igne*, sicuti Heraclitus, Deum constare garriebant (Tertullian. loc. cit. Tom. I. Appar. p. 435. Dissertat. in Minut. loc. cit. Dissertat. in Lactant. Cap. 12. Art. 1.). Hi autem omnes opinabantur ea esse prima rerum omnium principia nec alios esse deos, ut alibi, nec semel quidem, animadvertimus.

Neque minus manifeste probavimus varias et sibi invicem oppositas fuisse philosophorum de divina, sicut ait Tertullianus, providentia opinioniones: *Platonici* enim, inquit ille, *curantem rerum; contra Epicurei otiosum et inexercitum et, ut ita dixerim, neminem humanis rebus esse praedicabant* (Tertullian. Apologet. cap. 47. et lib. II. ad Nation. cap. 2.). De Platone si plura velis, adi Laertium, et dicentem audies: *οἰεται καὶ θεοὺς ἐπορᾶν τὰ ἀνθρώπινα. Arbitratur et deos humana cernere et curare* (Laert. lib. III. in Vita Platon. §. 78.). Nec alii plures citandi, quandoquidem hoc et ipsemet Plato saepius asseruit (Plat. Phaed. Tom. I. p. 62. post med.). Alicubi enim ait Deum nostri curam gerere non secus ac rei suae et possessionis: *τὸν θεὸν τε εἶναι τὸν ἐπιμελούμενον ἡμῶν καὶ ἡμᾶς ἐκείνου κτήματα εἶναι* (Idem lib. X. de Legg. p. 285.). Alibi vero haud dubitanter asseverat primam insaniam esse deos negare, secundam autem asserere eos curam non habere hominum: *τὸ δεύτερον ὄντας οὐ φροντίζειν ἀνθρώπων* (Ibid. p. 899 et seqq.). Sed hoc ille postea fusius prosequitur et insanum illum errorem profligat et evertit (Dissertat. in Lactant. Cap. 14. Art. 1.). At absurdissimus ille error est Epicuri sectatorumque eius, sicut a nobis demonstratum est.

Quamobrem Auctor noster paulo post adiecit Platoniorum de sede Dei opinionem fuisse, illum residere *intra mundum, qui gubernatoris exemplo intra illud maneat quod regat* (Tertullian. Apologet. cap. 47. et lib. II. ad Nation. cap. 2.). Et sane Plato decernit probatque mirabili quadam mente et sapientia, quae Deus ipse est, hunc mundum certo constitutoque ordine constanter gubernari (Plat. Phil. Tom. I. p. 28 et seqq.). Alio autem in libro scriptum ab eo legimus Deum, universi gubernatorem, post mundum resque omnes creatas dimisisse illius regendi habenas et in suam rediisse quasi specu-



lam (Idem Polit. p. 272 et seqq.). Postea vero, ne mundus, variis tempestatibus et malis quassatus penitus dissolveretur, resumpsit eius gubernaculum illique sollicite insidens eiusdem mundi partes ornavit et moderatur.

At Stoici contra hanc Platoniorum opinionem praedicabant, uti ait Tertullianus, Deum esse *positum extra mundum, qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc* (Tertullian. Apologet. cap. 47. et lib. II. ad Nation. cap. 2.). Sed non minimus dubitandi locus est utrum haec ipsa fuerit Stoicorum sententia. Nam Zenon illorum antesignanus eiusque asseciae, uti ex Laertio et Plutarcho discere est, arbitrabantur Deum esse mentem, quae omnia pertingat ac penetret (Laert. lib. VII. in Vit. Zenon. §. 138. et 147. Plutarch. lib. I. de Placit. Philosoph. cap. 7. p. 882.). Nos etiam alibi observavimus hanc revera fuisse illorum opinionem. Qua ergo ratione Auctor noster tam asseveranter adfirmare potuit Stoicos docuisse Deum positum esse instar figuli extra fabricatam a se totam mundi molem (Tom. I. Appar. p. 780. Lips. lib. I. Psycholog. Stoic. Dissertat. 31. p. 565. Tom. IV.)?

Difficultatis huius nodum secat potius quam solvit Lipsius. Haud dubitanter etenim Tertullianum ibi arguit erroris, quo Stoicis illud tribuit, quod ab iis nec dictum nec cogitatum quidem fuerat. Itane vero erravit Tertullianus? Numquid ignorabat, aut ex mente illius exciderat, quod Stoici de mente divina mundum universum pervadente tradiderant? Minime quidem. Nam alio in libro haec scriptis mandavit: *Stoici volunt Deum sic per materiam decurrisse, quomodo mel per favos* (Tertullian. lib. adv. Hermogen. cap. 44.). Contradictionis itaque potius, quam oblivionis aut ignorantiae insimulari debuit. Sed maiores proculdubio erant Stoicorum quam Tertulliani repugnantiae, quas Plutarchus integris in libris patefecit nosque alicubi notavimus (Dissertat. in Lactant. Cap. 21. Art. 2.). Nonne ergo illorum potius quam huius repugnantiae id adscribi poterat?

Quid verò, si Seneca et ipse Stoicus hanc contradictionem tollendi nobis rationem suggerit? De Deo siquidem hunc ille disserit in modum: *Quid est Deus? Mens universi. Quid est Deus? Quod vides totum et quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, qua nihil maius excogitari potest, si solus est. Omnia opus suum et intra et extra tenet* (Senec. praefat. lib. I. Natural. Quaest. p. 793.). Nonne enim his verbis significat Deum et intra et extra mundum esse, quia omni opere suo maior est? At si illa fuit Stoicorum opinio, quae fuerunt eiusdem opinionis partes. Quid ergo, si Tertullianus unius tantum partis meminerit, ut Stoicos Platoniciis opponeret?

Obiici tamen potest hanc eandem opinionem ab ipso Seneca tribui Epicureis, quos idcirco acriter corripit et exagitat: *Tu, Epicure, inquebat, Deum inermem facis . . . . proiecisti eum extra metum* (alii legi *volunt extra metam*). *Hunc igitur septum ingenti quodam et inexplorabili muro divisumque de contactu et conspectu mortalium non habes quare verearis. Nulla illi nec tribuendi nec nocendi materia est. In medio intervallo huius et alterius caeli desertus, sine animali, sine homine, sine re, ruinas mundorum supra se circaque*

*se calentium evitat, non exaudiens vota nec nostri curiosus* (Idem lib. IV. de Benefic. cap. 19. p. 79.). In quadam quoque epistola eun dem illorum errorem sic reprobat ac proscribit: *Non de ea philosophia loquor, quae civem extra patriam posuit, extra mundum deo: quae virtutem voluptati dedit* (Idem lib. Epistol. 90. p. 71.), philosophi videlicet epicurea. Non Stoicorum ergo, sed Epicureorum hanc falsam opinionem fuisse testificatur.

Nonne autem ex hoc, inquiet aliquis, Senecae testimonio concludi potest, emendandum esse Tertulliani textum atque in eo scribendum *Epicurei pro Stoici?* Recte quidem, si illud ratione aliqua satis uti que valida probetur. At certe non una fuit Stoicorum de Deo sententia sed maxima, uti diximus, opinionum varietas. Si qui autem ex illis uti praefatus Seneca, Deum aliquo modo extra mundi fines positum somniaverunt, illud Tertulliano satis fuisse quis unquam inficiabitur? Potuit enim Epicureis, quos ethnici aspernabantur, omissis Stoicorum facere mentionem. Verumtamen, quaecumque genuina sit Tertullianae lectio, idem erit argumentationis eius pondus ac robur. Nam ex e et his omnibus quae hactenus disputata sunt, cuius liquido patebit quam merito iure ille asseveret tam difficile fuisse philosophis omnibus naturam, qualitatem et sedem Dei designare, quam id vel infima sortis Christiano promptum facileque fuit.

Verum illud adhuc auctoritate confirmatur Platonis, illorum omnium facile principis, qui, sicut ipse Tertullianus memorat nosque haud semel animadvertimus, palam professus est, *facilitatorem universitati neque inveniri facilem et inventum enarrari in omnes difficilem* (Tertullian. Apologet. cap. 46. Plat. Tim. p. 28.). Quamobrem sectatore eius, uti alio in libro ait Auctor noster, illum, *quem non penitus admiserant neque nosse potuerunt neque timere nec inde sapere, ex orbitantes scilicet ab initio sapientiae, id est metu in Deum* (Tom. I. Appar. p. 948. Dissertat. in Minut. Octav. Cap. 4. Art. 2.). Quilibet vero Christianus illum invenit et quod in Deo quaeritur, re quoque adsignat (Tertullian. lib. II. ad Nation. cap. 2.), ipsum videlicet esse unum, omnipotentem, infinitum, mundi creatorem et quo nihil maius meliusque excogitari potest. Quapropter cum timet et longe magis sapit, quam hi ceteris philosophis sapientiores.

Denique non minimam adhuc ea Tertulliani verba habent difficultatem, quibus aliud philosophorum de Deo mundi creatore dissidium notavit: *Totum, inquit, hoc mundi corpus, sive innatum et infectum secundum Pythagoram, sive natum et factum secundum Platonem* (Tertullian. Apologet. cap. 11.). Quam enim certum est hanc de mundi creato fuisse, ut alibi ostendimus, Platonis opinionem, tam falsum videtur Pythagoram docuisse illum innatum et infectum fuisse. Nam ibidem observavimus a Lactantio adfirmate pronuntiarum omnes ad Epicurum philosophos ac nominatim Pythagoricos constanter adseruisse mundum esse factum et creatum (Dissertat. in Lactant. Cap. 21. Art. 2.) Quin etiam Plutarchus disertissime declarat eandem fuisse Pythagorae atque Platonis ea de re sententiam. En graeca eius verba: *Πυθαγόρας καὶ Πλάτων γενητὸν ὑπὸ Θεοῦ τὸν κόσμον. Pythagoras et Plato mundum a Deo factum arbitrati sunt* (Plutarch. lib. II. de Placit



Philosoph. cap. 4. p. 886.). Quid ergo? Erravitne adhuc Tertullianus ac nomen Pythagorae pro alio ibi ipse vel librarius scripsisse dicendus est? Numquid potius, quia celebris hic philosophus ab eodem Plutarcho, Laertio, Theodoro et aliis docuisse perhibetur unitatem esse rerum omnium principium atque ex numeris omnia fieri, inde Auctor noster confici posse putavit mundum, sicut unitatem et numeros, nec ortum fuisse nec factum (Idem ibid. lib. II. cap. 3. Laert. lib. VIII. §. 25. Theodoret. Serm. II. de Principio. p. 489.)? Sed si ita res se habeat, citati a nobis auctores erroris proculdubio convincentur. Numquid igitur probabilius dici potest Pythagoram errantium more in eadem non permansisse sententia? Haec velim expendas et pronunties.

Multo itaque verius certiusque illud est, quod Auctor noster tradidit, mundum ex nihilo a Deo creatum, *verbo quo iussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit* (Tertullian. Apologet. cap. 17. et cap. 21.). Quod quidem ab eo repetitum et a Minutio Felice, ut alibi animadvertimus, transcriptum est (Dissertat. in Minut. Octav. Cap. 2. Art. 5.). Sed quod de hoc Dei verbo Tertullianus docet, iam, si placet, diligenter expendamus.

## CAPUT VIII.

### De Christi divinitate.

#### ARTICULUS I.

De variis Filii Dei nominibus, ac quam luculenter Tertullianus doceat veri summiq; Dei attributa illi convenire eumque unum et aeternum cum Patre suo esse Deum.

Quid sit Verbum, Ratio, Sermo et Filius Dei, ut Tertullianus omnibus patefaciat, duobus modis et Deum et Verbum Dei Filium considerari posse docet. Ambo enim spectari possunt antequam ipse Deus mundum vel creaturam ullam condiderit vel quando mundus ab eo creatus est. De utroque autem ante creationem mundi hoc tanquam certissimum constituit: *Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi mundus et locus et omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus praeter illum. Ceterum ne tunc quidem solus; habebat enim secum quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet. Rationalis et ratio in ipso prius et ita ab ipso omnia. Quae ratio sensus ipsius est. Hanc Graeci λόγος dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus. Ideoque iam in usu est nostrorum per simplicitatem interpretationis sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse, cum magis rationem competat antiquiorem haberi, quia non sermonalis a principio, sed rationalis Deus etiam ante principium, et quia ipse quoque sermo ratione consistens priorem eam ut substantiam suam ostendat. Tamen et sic nihil interest. Nam et si Deus nondum sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa et in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitando et disponendo secum quae per sermonem mox erat dicturus. Cum ratione enim sua cogitans atque disponens sermonem eam efficiebat, quam sermone tractabat* (Tertullian. lib. adv.

Prax. cap. 5.). Haec autem etsi paulo longiora idcirco integra retulimus, quia omnia singulari attentione et examine digna sunt.

Primo itaque declarat Deum ante principium, id est ab omni aeternitate ac proinde antequam mundus crearetur, fuisse et solum et non solum. Ante mundi quippe creationem solus erat *ipse sibi mundus, locus et omnia*; quia nihil praeter se extrinsecus habebat. Tum tamen non erat solus, quia suam habebat rationem. Ante principium enimvero seu a tota aeternitate rationalis fuit; quandoquidem Deus esse non potest, nisi sit sensu et ratione praeditus.

Secundo, divinam illam aeternamque Dei rationem *Graeci*, inquit, *λόγον dicunt*, haud dubie quia Ioannes Evangelii sui initio scripsit: *Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος* (Ioann. I. 1.). Nam ipse Tertullianus haec latine ita citavit: *In principio erat sermo . . . et sermo erat apud Deum et Deus erat sermo* (Tertullian. adv. Hermog. cap. 20.). Eius autem tempore mos invaluerat, ut Filius Dei a Latinis diceretur sermo, cum melius graecum illud nomen *λόγος* ab illis ratio dici debuisset. Qua quidem de interpretatione egimus, ubi ostendimus transcriptum fuisse a Lactantio hunc Tertulliani locum (Dissertat. in Lactant. Cap. 16. Art. 2.).

Tertio nos ille monitos facit cur graecum nomen *λόγος* latine *ratio* potius quam *sermo* verti debeat. Deus, inquit, ante principium *rationalis* fuit, nondum tamen *sermonalis*, quia habebat intra se rationem, sed nondum sermonem extra se ipsum emiserat. At quoniam ab aeterno sicut rationem, ita et sermonem intra se habuit, licentiam Tertullianus unicuique dedit utroque rationis et sermonis nomine pro libito utendi. Ab illo autem Filius Dei non tantum sermo, ratio et verbum, sed *sophia* etiam seu *sapientia* vocatur (Tertullian. lib. de Carne Christi cap. 18. lib. adv. Hermog. cap. 18.).

Praeterea ille in suo Apologetico ac postea Lactantius, ut suo loco vidimus, certiores nos fecerunt hunc *λόγον* a Zenone ethnico philosopho agnitum, quem *universitatis* facitorem esse praedicabat (Idem Apologet. cap. 21. Dissertat. in Lactant. Cap. 16. Art. 1.). Addit Auctor noster: *Cleanthes in spiritum congerit, quem permeatorem universitatis adfirmat* (Tertullian. loc. cit. Tom. I. Appar. p. 782. Dissertat. in Minuc. Oct. Cap. 4. Art. 1.). At hic Cleanthes Zenonis discipulus fuit, quemadmodum alibi annotavimus, ubi etiam exposuimus quae illius fuerit de Deo sententia, ex qua id, quod narrat Tertullianus, desumptum videtur.

Iam vero ex his, quae ille de Dei Verbo, sermone et ratione dixit, ita explicatis colligi utique potest persuasum omnino ipsi fuisse illud interius Dei Verbum tam aeternum esse quam ipsummet eius Patrem, qui illum ab aeterno quidem, sed intra semetipsum dumtaxat, protulit. De hac autem Verbi divini aeternitate infra fusius agendum (Inf. Art. 8 et seqq.). Prius enim vera ac sincera Auctoris nostri de suprema illius divinitate sententia accuratissime a nobis enucleanda exponendaque est.

Primum itaque docet huic divino Verbo et Dei Filio omnia Patris sui aeterni nomina et attributa convenire: *Nomina*, inquit, *Patris: Deus omnipotens, altissimus, Dominus virtutum, rex Israelis, Qui*

est. Quatenus ita Scripturae docent, haec dicimus et in Filium competisse et in his Filium venisse et in his semper egisse et sic ea in se hominibus manifestasse. *Omnina, inquit, Patris mea sunt. Cur non et nomina? Cum ergo legis Deum omnipotentem et altissimum et Deum virtutum et Regem Israelis et Qui est, vide ne per haec Filius etiam demonstratur, suo iure omnipotens, qua sermo Dei omnipotentis quaque omnium accepit potestatem: Altissimus, qua dextera Dei exaltatus, sicut Petrus in Actis concionatur: Dominus virtutum, quia omnia subiecta sunt illi a Patre: Rex Israelis, quia illi proprie excidit sors gentis istius. Item Qui est, quoniam multi dicuntur Filii, qui non sunt (Tertullian. lib. adv. Prax. cap. 17.).*

At quibus, obsecro te, verbis clarius declarari et asseri potest suprema Christi Filii Dei divinitas? Quis ea omnia veri summique Dei attributa possidere potest, nisi summus et unus cum aeterno Patre Deus? Quid vero, quod Tertullianus haec omnia et singula Sermoni Filioque Dei convenire non solum affirmat, sed probat etiam variisque rationibus confirmare nititur? Persuasum ergo habuit Filium Dei unum eundemque cum suo Patre esse Deum.

Neque insurgat necio quis aut Arianus aut Socinianus et nobis obiiciat ab eo non recte probari quomodo divina illa attributa Filio Dei conveniant. Nunc enim non inquirimus quam valida, quod probatu tamen facillimum est, ac firma sint eius argumenta, sed quae sit eius sententia, quam probare voluit. Atqui ex ipsius verbis evidentissime conficitur illum aliosque omnes orthodoxos eius aetatis Christianos pro certo penitus habuisse Verbum et Filium Dei verum esse Deum eosque, sicuti Praxeian, contra quem ibi ille disputat et alios omnino errasse, qui secus sentiebant.

Quapropter alibi hunc Dei sermonem et Filium Patri suo parem et aequalem, alibi ipso non minorem esse disertissime profitetur. Nam cum Patrem, inquit, *parem sibi faciens, de quo procedendo Filius factus est* (Ibid. cap. 7.). Postea vero: *Idem Dei Filius, Unum sumus, dicens, ego et Pater, ostendit duos esse, quos aequat et iungit* (Ibid. cap. 22.). Rursus autem alio in libro: *Et Sermo, inquit, Deus, qui in effigie Dei constitutus non rapinam existimavit pariari Deo* (Idem lib. de Resurr. Carn. cap. 6.). Audivisti sane quam perspicue Filium Dei Patri suo parem aequalemque adserat; iam audi quomodo illum non minorem esse praedicet: *Omnia sibi tradita dicit a Patre. Crederas, si creatoris est Christus, cuius omnia, quia non minori se tradidit omnia Filio creator, quae per eum condidit, per sermonem suum scilicet* (Idem lib. IV. advers. Marcion. cap. 25.). Atqui si non minor, sed par et aequalis Patri suo sit Dei Filius, verus proculdubio est cum eo Deus. Etenim ab eodem Tertulliano, sicut mox vidimus, altissimus et omnipotens dicitur. At nec duo altissimi et omnipotentes, sicut nec duo dii esse possunt. Nam alibi, uti animadvertimus, dixerat Deum ideo esse unum, quia est summus atque idcirco, *Deus, inquit, si non unus est, non est* (Cap. super. Art. I.).

Plura autem si quis desideret, is ipsum, de quo agimus, Apologeticum eius librum adeat, ubi ille, post brevem christianae de Filio Dei, Christo Domino, doctrinae expositionem ethnicos haec alloquitur

in verba: *Quaerite ergo, si vera est ista divinitas Christi. Si ea est qua cognita ad bonum quis reformatur, sequitur ut falsa sit qua vis alia comperta, in primis illa, quae (manuscripti nostri codices editi addunt omni ratione, quae Rigaltius sustulit) delitescens sub nominibus et imaginibus mortuorum quibusdam signis et miraculis oraculis fidem divinitatis operatur* (Idem Apologet. cap. 21.). Quae autem modo vera et suprema Christi divinitas potuit unquam magis aperte et asseveranter asserti ac praedicari? Tertullianus quippe palam asseverat eam tam esse veram, quam falsa est quaelibet alia divinitas a gentilibus agnita et introducta. Imo vero clamat ita vera esse Christi divinitatem ut inde sequatur falsam esse aliorum omnium atque etiam daemonum divinitatem, qui sub mortuorum nominibus et imaginibus delitescunt, signis, miraculis, oraculis fidem divinitatis operabantur, id est omnibus persuadere conabantur haec signa, miracula et oracula fieri divina sua potestate ac veros se esse deos. Quae ergo non videat hac utriusque verae et fictitiae divinitatis oppositio veram ac summam a Tertulliano declarari Christi divinitatem?

Neque satis adhuc esse putavit hoc ibi dixisse, sed paulo post eosdem ethnicos his adhuc compellat verbis: *Dicere non potestis Christum esse communis conditionis hominem* (Ibid. cap. 23.). *Venturum siquidem est in fine mundi, ut Dei virtus et Dei spiritus et sermo et sapientia et ratio et Dei Filius.* Palam igitur atque in oculis infensissimorum Christiani nominis hostium audacter pronuntiat et contestatur Christum esse aeterni Patris sui Sermonem, Sapientiam et Rationem, qua ab aeterno Filius eius est. Quapropter diserte ac firmat in Christo duas esse Dei et hominis naturas illumque tam verum esse Deum quam verum hominem.

## ARTICULUS II.

Quam diserte Tertullianus asseverat unam et eandem esse Patris aeterni eiusque Filii substantiam ac naturam, licet distincta sit utriusque persona.

Quam diserte ac constanter Tertullianus docuit Filium Dei unum et eundem esse cum Patre suo Deum, ita sane unam et eandem utriusque substantiam ac naturam, sed distinctas personas esse asseruit. Non semel quippe id dixit, sed saepius ac praesertim in suo Apologetico, ubi de Verbi sive Filii Dei generatione sic disputat: *Huius inquit, λόγον ex Deo prolatum didicimus, et prolatione generatum, idcirco Filium Dei et Deum dictum ex unitate substantiae. Nam Deus spiritus: et cum radius ex sole porrigitur, portio ex summo sed sol erit in radio, quia solus est radius nec separatur substantia sed extenditur: ita et de Spiritu Spiritus et de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum. Manet integra et indefecta materiae matrix: etsi plures inde traduces qualitatum mutueris: ita quod de Deo prolatum est, Deus est et Dei Filius et unus ambo: ita de spiritu spiritus et de Deo Deus modulo alternum numerum gradu, non statim fecit et a matrice excessit, non recessit* (Ibid. cap. 21.). Ita sane ille gentilibus simpliciter ac sincere declarat quid Christiani de divini Verbi ac proinde Filii Dei natura ac generatione sentirent. Quam sincere



autem sit haec explicatio, inde liquet, quod si celare aut dissimulare aliquid potuisset, illud certe non erat dicturus in libro publico, quem ethnicis omnibus ac Romani etiam imperii antistitibus offerebat. At quo magis vera certaue est ista expositio, eo magis studiose a nobis examinari debet.

Dicit itaque primo: *Hunc ex Deo prolatum didicimus*. Sed unde, quaeso, ille aliique Christiani id didicerant? Non aliunde profecto, nisi ex Sacris Scripturis ac certa constantique ab Apostolis ad suum usque tempus traditione. Plura autem alibi citat hanc in rem eiusdem Sacrae Scripturae loca atque imprimis in libro adversus Praxean, haereseos Patripassionum fautorem. At ibi quoque praeclare docet hanc esse fidei nostrae regulam, quae ab evangelii initio decurrit et quibuslibet haereticis est antiquior: *Constat autem id, inquit, verum esse quodcunque primum, id esse falsum quodcunque posterius* (Tertull. lib. adv. Prax. cap. 2.). Perperam igitur quidam insulsissimi homines venditarunt illud *λόγον* et de Filio Dei dogma Apostolis primisque eorum discipulis fuisse incognitum ac secundo dumtaxat Ecclesiae saeculo haustum ex philosophorum opinionibus et a Christianis receptum. Si quae enim in praecipuo fidei christianae capite facta fuisset immutatio, haec omnium ac praecipue Tertulliani animum percellere debebat. Non mediocriter enim eruditus ille vir sub secundi saeculi et tertii initium floruit nec proinde potuit ignorare quam certo haec communis omnium doctrina ab Apostolis ad suum usque tempus transmissa sit.

Secundo ille docet Verbum divinum esse *de Spiritu Spiritum*, quia Dei est Verbum, Ratio et Sermo (Idem Apologet. cap. 21.). Nam sicut alibi ait: *Spiritum intellegimus in nomine sermonis, ita et sermonem quoque agnoscimus in nomine spiritus. Nam et spiritus substantia est sermonis et sermo operatio spiritus et duo unum sunt* (Idem lib. adv. Prax. cap. 26.). Existimavit itaque Sermonem seu Verbum et Filium Dei esse spiritum remque plane spirituale, a quacunque materia et omni re corporea discretam. Quae quidem illius sententia inde confirmatur, quod ipse ibidem pronuntiat illum esse *spiritum de spiritu*, id est spiritu ac cogitatione aeterni Patris sui prolatum ac genitum (Idem Apologet. cap. 21.). Divinae siquidem cogitationis prolatio non solum nihil corporei admittit, sed unus cum suo Patre, a quo profertur, Deus est. At quid opus est id a nobis probari, quod ab illo disertissime hisque ipsismet verbis asseritur: *Quod de Deo profectum est, Deus est et Dei Filius et unus ambo, et de Deo Deus* (Ibidem).

Tertio Tertullianus affirmat illum cum Deo Patre unum esse Deum *ex unitate substantiae*, ac proinde unam et eandem esse utriusque substantiam (Ibid.). A Patre enim suo *non separatur*, inquit, *substantia, sed extenditur*, quoniam *hunc ex Deo*, uti adhuc ille loquitur, *prolatum didicimus et prolatione generatum* (Ibid.). Quia vero ab illo ita prodiit et genitus est, idcirco, quemadmodum a Patre suo non separatur substantia, sic ab illo persona distinguitur. Non enim eadem esse potest Patris et Filii Dei persona. At eadem tamen est utriusque substantia; quandoquidem unus est cum Patre Deus *ex unitate*

*substantiae, a qua non separatur, sed extenditur (Ibid.). Ex hac enim substantia, tamquam matrice non recessit, sed excessit; atque ita quidem ambo unus idemque Deus sunt.*

Neque ibi tantum, sed in suo adhuc adversus Praxean libro illud his confirmat verbis: *Rationem reddidimus, qua Dii non duo dicantur nec Domini, sed qua Pater et Filius duo, et hoc non ex separatione substantiae, sed ex dispositione, cum individuum et inseparatum Filium a Patre pronuntiamus, nec statu, sed gradu alium, qui, etsi Deus dicatur, quando nominatur singularis, non ideo duos Deos faciat, sed unum, hoc ipso, quod et Deus ex unitate Patris vocari habeat (Tertull. lib. adv. Prax. cap. 19.).* Vides sane quam diserte ibi ille, sicut alibi, asseveret Filium Dei alium esse a Patre suo non statu, sed gradu, id est non natura, sed persona, quae ordine secunda distinguitur, atque hac distinctione esse quidem duos sive duas personas a se invicem distinctas, sed duos Deos dici non posse, quia eadem est utriusque substantia et idcirco ambo unus Deus (Ibid. cap. 2.).

Neque dixeris ibi taceri personae nomen. Nam illud hac Patris et Filii distinctione satis subintelligitur. Quia enim unam dixit esse utriusque naturam, sola dumtaxat persona distingui et duo esse possunt. Deinde nomen personae, hoc ipso quo nunc utimur significatu, in eodem adversus Praxean libro sumitur, sicut ex locis infra citandis evidentissime patebit.

At non solum adversus Praxean, sed etiam adversus Valentinum alium haeticum hanc de distincta Filii Patrisque persona, sed una utriusque substantia doctrinam tutatur ac propugnat. Duo enimvero erant Valentini errores, quos ille his descripsit verbis: *Valentinus probolas suas, id est divinas prolationes, discernit et separat et ita longe ponit, ut Aeon Patrem nesciat (Ibid. cap. 8.).* Secundum autem hunc errorem, de Aeone Patrem nesciente, refellit Ioannis Evangelistae auctoritate: *Apud nos, inquit, solus Filius Patrem novit et sinum Patris ipse exposuit.* Tum deinde primum Valentini de separatis divinis prolationibus errorem his, quae ad propositum nostrum magis faciunt, verbis evertit: *Sermo et in Patre semper, sicut dixit: Ego in Patre et apud Deum semper, sicut scriptum est: Et Sermo erat apud Deum. Et nunquam separatus a Patre aut alius a Patre, quia Ego et Pater unum sumus.* Inde vero concludit hunc sermonem Filiumque Dei a Patre suo esse distinctum, quia ab eo prodivit ac prolatus est, sed ab eo non separari, quandoquidem una utriusque est natura. Quin etiam paulo post adiecit: *Non diversitate alium esse Filium a Patre, sed distributione, nec divisione alium, sed distinctione; quia non sit idem Pater et Filius, vel modulo alius ab alio (Ibid.).* At nunc animadvertas velim Filium Dei ab eo dici alium a Patre et non alium, videlicet alium a Patre persona et substantia non alium, quia haec substantia in utroque plane eadem est.

Cum igitur Filius a Patre suo sit distinctus, quia duae sunt in una eademque substantia personae, recte quidem de eodem Filio Dei in Apologetico scripsit: *Modulo, quemadmodum adversus Valentinum dixit, alterum numerum, gradu, non statu fecit.* Sed Rigaltius contra manuscriptorum nostrorum et omnium antea editorum codicum

fidem ibi priora verba sic corrigi voluit: *Modulo alterum, non numero* (Idem Apologet. cap. 21.). Nullam nihilominus huiusce emendationis reddidit rationem. Numquid ergo putavit, sicuti videtur, sic immutatis auctoris verbis illius accuratius servari antitheses? Sed nefas proculdubio est veteris auctoris textum levissima coniectura immutare, multo minus praepostera immutatione sensum eius in alium detorquere plane oppositum et in eum quem impugnat errorem. Nam Tertullianus, uti affatim probatum est, apertissime docet Filium Dei *modulo* et *gradu* sive persona alium esse a Patre suo, sed unum et eundem substantia et idcirco duas esse personas distinctas, unum tamen Deum. Utriusque ergo personae a se invicem distinctae numerum *alternum* faciunt.

Praeterea ille palam, quemadmodum in sequenti articulo videbimus, cum tota Ecclesia catholica declarat tres esse in sanctissima Trinitate personas. Iure igitur merito dixit Filium Dei *modulo alternum* cum Patre suo *numerum* facere. Iam enim eum dicentem audivimus: *Non est idem Pater et Filius modulo*, id est eo prolationis modo, quo Filius a Patre prodivit (Idem lib. adv. Prax. cap. 8.). Filius ergo cum Patre numerum facit *alternum*, id est uterque Pater et Filius alternatim vicissimque duarum personarum numerum faciunt. Tertulliani autem hunc esse sensum colligi haud inepte potest his eius in eodem libro verbis: *Pater Filium facit et Patrem Filius. Et qui ex alterutro fiunt, a semetipsis sibi fieri nullo modo possunt, ut Pater se sibi Filium faciat et Filius se sibi Patrem . . . . . Habeat necesse est Pater Filium, ut Pater sit, et Filius Patrem, ut Filius sit* (Ibid. cap. 10.). Audisne quam luculenter ille doceat Patrem et Filium sic inter se componi, ut Pater cum Filio ac vicissim Filius cum Patre numerum alternum faciant?

Verum quia infinitum est inter homines et Deum discrimen, hinc minime dubitanter asseverat Filium Dei alium esse a Patre *gradu* quidem, *sed non statu*, hoc est illum sua generatione esse olium *gradu*, seu ordine secundum (Ibid. cap. 2.), utpote genitum a Patre, sed *non statu*, id est non substantia ac natura, quae una eademque in illo et Patre suo est. Sed his illius dictis novam certe lucem ea dabunt, quae de eiusdem Filii et Spiritus Sancti divinitate ac sacro Trinitatis mysterio ille tradidit et a nobis iam enodanda explanandaque sunt.

### ARTICULUS III.

Quam diserte Tertullianus orthodoxam adhuc de Filii Dei nec non Spiritus Sancti divinitate ac sacro Trinitatis mysterio doctrinam explicet ac vindicet,

Tertullianus non iis tantum quae retulimus, sed aliis adhuc pluribus in locis catholicam de suprema Filii Dei Christique Domini divinitate sententiam tam asseveranter quam perspicue tuetur ac vindicat. Sed quia in iis catholicum quoque de Spiritus Sancti divinitate ac sanctissimae Trinitatis mysterio dogma non minus diserte asserit et praedicat, illud separatim in hoc articulo exponendum esse duximus. Primum itaque contra Praxean Patripassianum, qui eundem Patrem et Filium Dei esse effutiebat, haec de Trinitatis mysterio, tribus videlicet



divinis personis et una eademque earum natura, firmiter credenda esse declarat: *Custodiatur, inquit, oeconomiae sacramentum, quae unitatem in Trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem et Filium et Spiritum sanctum: tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie; unius autem substantiae et unius status et unius potestatis; quia unus Deus, ex quo et gradus isti et formae et species in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti deputantur* (Tertull. lib. adv. Prax. cap. 2.). Nemo est autem qui non intelligat, nomine *status*, sicut in superiore articulo monuimus, idem significari ac substantiam et naturam Dei, *gradus* autem, formae et speciei nominibus, divinas personas atque eorum ordinem et existendi modum. Manifeste igitur docet tres esse sanctissimae Trinitatis personas, quae *numerum sine divisione patiuntur*, sed unam eademque esse earum substantiam.

Postea vero hanc catholicae Ecclesiae doctrinam atque, ut ipse ait, regulam fusius huncque in modum exponit ac confirmat: *Trinitas per consertos et connexos gradus a Patre decurrens et monarchiae nihil obstreperit et oeconomiae statum protegit. Hanc me regulam professum, quia inseparatos ab alterutro Patrem et Filium et Spiritum sanctum testor, tene ubique, et ita et quomodo dicatur agnosces. Ecce enim dico alium esse Patrem, et alium Filium, et alium Spiritum sanctum. Male accipit idiotae quisque aut perversus hoc dictum, quasi diversitatem sonet et ex diversitate separationem protendat Patris et Filii et Spiritus. Necessitate autem hoc dico, cum eundem Patrem et Filium et Spiritum contendunt adversus oeconomiam monarchiae adulantes, non tantum diversitate alium Filium a Patre, nec divisione alium, sed distinctione; quia non sit idem Pater et Filius, vel modulo alius ab alio* (Ibid. cap. 9.). Numquid clarius meliusve explicari potest vera et catholica de sacro Trinitatis mysterio doctrina? Palam enim et contra haeticorum errores Auctor noster profitetur Patrem et Filium et Spiritum sanctum tres esse personas, a se invicem distinctas, sed sine diversitate, divisione et separatione, quia una est illarum substantia. At hanc esse asseverat orthodoxae fidei regulam, quae in Sacris Scripturis tradita atque a maioribus accepta ab omnibus tenenda est.

Quapropter id non semel bisque dixisse contentus postea adhuc repetit et corroborat: *Nos, inquit, qui et tempora et causas Scripturarum per Dei gratiam inspiciamus, maxime Paraclleti, non hominum discipuli, duos quidem definimus Patrem et Filium, et iam tres cum Spiritu sancto secundum rationem oeconomiae, quae facit numerum, ne, ut vestra perversitas infert, Pater ipse credatur natus et passus, quod non licet credi, quoniam non ita traditum est* (Ibid. cap. 13.). Cum autem ille haec scriberet, iam defecerat ab Ecclesia catholica ad Montanistarum errores et absurdum falsi Paraclleti commentum imbiberat. Sanam tamen et orthodoxam de Trinitatis mysterio fidem diserte asserit ac tuetur. Quis ergo negabit verum esse hoc praecipuum christianae religionis documentum, quod ille quocumque in statu ac per totam vitam tam constanter propugnavit et a solis plane errantibus impugnatum fuisse testificatur.



Prius enimvero illud ab eo scriptum legimus: *Quale est ut Deus divisionem et dispersionem pati videatur in Filio et Spiritu sancto, secundum et tertium sortitis locum, tam consortibus substantiae Patris, quas non patitur in tot angelorum numero et quidem tam a substantia alienis (Ibid. cap. 3.)?* Intelligis profecto quanta perspicuitate adhuc pronuntiet Patrem a Filio et Spiritu sancto sic persona distingui, ut Filius et Spiritus sanctus secundum et tertium locum habeant. Plane tamen prorsusque contendit et adfirmat nullam inter eos esse divisionem aut dispersionem, sed eiusdem consortes substantiae, quae in eis tam una, quam in angelis, quantumlibet perfectis, divisa et separata est.

Verum nulla proculdubio explicatione illud indiget, quod ab illo non solum apertissime renuntiatur, sed ipsa etiam probatur Sacrae Scripturae auctoritate ac his potissimum Ioannis Evangelistae verbis: *Ego et Pater unum sumus*. Postquam enim haec citavit, sic prosequitur (Ibid. cap. 22.): *Hic ergo iam gradum volunt figere stulti, imo caeci, qui non videant: primo Ego et Pater duorum esse significationem, dehinc in novissimo sumus non ex unius esse persona, quod pluraliter dictum est, tum quod unum sumus, non unus sumus. Si enim dixisset Unus sumus, potuisset adiuvere sententiam illorum. Unus enim singularis numeri significatio videtur: adhuc cum duo, masculini generis. Unum dicit neutrali verbo, quod non pertinet ad singularitatem, sed ad unitatem, ad similitudinem, ad coniunctionem, ad dilectionem Patris . . . Unum sumus dicens, Ego et Pater, ostendit duos esse, quos aequat et iungit. Postea vero haec brevius quidem, sed non minus clare ac perspicue explicat: *Connexus Patris in Filio et Filii in Paracletto tres efficit cohaerentes, alterum ex altero, qui tres unum sint, non unus, quomodo dictum est: Ego et Pater unum sumus, ad substantiae unitatem, non ad numeri singularitatem (Ibid. cap. 25.)*.*

Quamvis autem ibi nomen *personae* non adhibeat, superiori tamen loco illum eo usum fuisse animadvertere potuisti. Sed distinctius adhuc prolatus videbis, ubi rursus variis Sacrae Scripturae testimoniis demonstrat tres in sanctissima Trinitate esse personas unamque dumtaxat naturam. Etenim id ille probat his Geneseos verbis: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (Genes. I. 26.)*. Et aliis: *Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis (Ibid. III. 22.)*. Nam inde ille sic argumentatur: *Quia iam adhaerebat illi Filius, secunda persona, Sermo ipsius, et tertia Spiritus in Sermone, ideo pluraliter pronuntiavit: Faciamus, et nostram, et nobis. Tum paulo post: Denique sequens Scriptura distinguit inter personas: Et fecit Deus hominem: ad imaginem Dei fecit illum. Cur non suam, si unus qui faciebat et non erat ad cuius faciebat? Erat autem, ad cuius imaginem faciebat, ad Filii scilicet, qui homo futurus certior et verior imaginem suam fecerat dici hominem, qui tunc de limo formari habebat, imago veri et similitudo. Nec longe postea: Alium, inquit, a Patre Filium, quomodo accipere debeas iam professus sum, personae, non substantiae nomine, ad distinctionem, non ad divisionem. Ceterum etsi ubique teneo unam substantiam in tribus cohae-*

rentibus, tamen alium dicam oportet ex necessitate sensus eum qui iubet et eum qui facit (Tertull. lib. adv. Prax. cap. 22.).

Præius vero, ubi adversus eundem Praxean disputando manifeste ostendit Filium Dei, qui illius Sophia et Sermo est, alium esse a Patre suo, ibi sic arguentem Praxean inducit: *Ergo, inquis, das aliquam substantiam esse sermonem, spiritu et sophiæ traditione constructam* (Ibid. cap. 7.)? Cui ille uno verbo respondet: *Plane*, atque ita illud verum esse ultro confitetur. Cuius hanc continenter reddit rationem: *Non vis enim eum substantivum habere in re per substantiæ proprietatem, ut res et persona quaedam videri possit et ita capiat secundus a Deo constitutus, duos efficere, Patrem et Filium, Deum et Sermonem.*

Finem certe dicendi non faceremus, si omnia et singula illius, sacrum Trinitatis mysterium adversus Praxean tam recte quam diserte asserentis, verba vellemus transcribere et enucleare. Quamobrem ne simus longiores, ea dumtaxat adiiciemus, quibus adhuc ostendit tres unius divinitatis in sanctissima Trinitate esse personas: *Christus*, inquit, *novissime mandans, ut tinguerent in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, non in uno nec semel, sed ter ad singula nomina personas singulas* (Ibid. cap. 27.). Unam vero esse trium illarum personarum substantiam et divinitatem disertissime non solum in locis iam citatis, sed in alio adhuc edixit libro, quem ab eo, cum etiam hæresin Montanistarum sequeretur, compositum fuisse nullus dubitat. Ibi enim hæc ille scripsit: *Ecclesia proprie ipse est Spiritus, in quo est Trinitas, sive tres personae unius divinitatis, Pater et Filius et Spiritus sanctus* (Idem lib. de Pudicit. cap. 21.).

Porro autem ex his omnibus, quæ hactenus in hoc et superiori articulo disputata sunt, satis, uti putamus, evidenter colligitur sanam omnino planeque orthodoxam fuisse Tertulliani, sive catholici sive Montanistæ, id est per totum vitæ suæ tempus, de suprema Filii Dei Spiritusque sancti divinitate et eadem ipsorum cum æterno Deo Patre substantia ac distinctis tribus illorum personis sententiam. Nec minus evidenter patet ipsi persuasum omnino fuisse hoc præcipuum totius Ecclesiæ catholici dogma fundari Sacræ Scripturæ auctoritate illudque ab Apostolis eorumque successoribus ad suam usque ætatem certa ac perpetua traditione transmissum. Denique ex dictis liquet hoc documentum ab eo audacter propugnari, non solum adversus hæreticos illud negantes, sed ethnicos etiam, infestissimos Christianorum hostes, qui illos hanc ob doctrinam crudelissime vexabant et interimebant. At certe hæreticos ad suas facilius partes illexisset, si fateri potuisset unam tantum nec plures nisi nomine tenus esse in sanctissima Trinitate personas. Sibi quoque ethnicos conciliare eorumque adversus Christianos furorem placare poterat, si dixisset tres esse Deos, aut certe unum maiorem minoresque alios. Neque id a nobis gratis fictum putaveris, quod ipsemet Tertullianus palam aperteque profitetur: *Ceterum si conscientia nostra, ita ille loquitur, qua scimus Dei nomen Domini et Patri et Filio et Spiritui sancto convenire, Deos et Dominos nominaremus, extinxissemus faces nostras, etiam ad martyria timidiores, quibus evadendi quoque pateret occasio, iurantibus*



*statim per deos et dominos, ut quidam haeretici, quorum dii plures* (Ibid. cap. 13.). Tertullianus itaque, quemadmodum alii veri Christiani quaelibet tormentorum genera experiri et necari maluerunt, quam hanc traditam sibi a Christo eiusque discipulis de eiusdem Christi divinitate et sanctissimae Trinitatis mysterio doctrinam ullo modo infirmare aut dissimulare. Nullus ergo dubitandi locus est, quin vera sit haec eiusdem Tertulliani et catholicae Ecclesiae doctrina, quae hunc in modum a sacris scriptoribus adserta constanterque ac perpetuo servata propugnataque fuit.

## ARTICULUS IV.

Quibus rationibus Tertullianus explicare conatus sit divinam aeternamque Filii Dei generationem et cur ille, non vero Spiritus sanctus, Filius Dei dicatur.

Satis Tertulliano non fuit suam et totius catholicae Ecclesiae de suprema Filii Dei et Spiritus Sancti divinitate sententiam eo, quo vidimus (Art. super.), modo expositam tueri ac vindicare, sed explicare etiam conatus est, cur Verbum et Ratio Dei verus eius Filii sit et dici debeat. Palam itaque omnibus declarat Deum, eo ipso quod Deus est, semper atque ab omni aeternitate fuisse rationalem (Ibid.). Cum ergo sine ratione esse non possit, ab eadem aeternitate protulit Sermonem, qui quidem Sermo melius latine, quemadmodum annotavimus, Ratio appellari debuerat. Divinus autem ille Sermo non est quaedam articulata, sicuti hominis, vox, vel quidam sonus oris aëre percussus atque ita nescio quid vacuum et inane, sed habet, inquit, *propriam substantiam spiritum* (Tertull. Apologet. cap. 21.). Quia vero id ab haeretico Praxeas negabatur, contra eum sic disputat probatque hunc Dei Sermonem esse veram substantiam: *Quid est enim, dices, sermo, nisi vox et sonus oris et, sicut grammatici tradunt, aër offensus, intelligibilis auditu, ceterum vacuum nescio quid et inane et incorporale. At ego nihil dico de Deo inane et vacuum prodire potuisse, ut non de inani et vacuo prolatum, nec carere substantia quod de tanta substantia processit et tantas substantias fecit. Fecit enim et ipse quae facta sunt per illum. Quale est ut nihil sit sine quo nihil factum est, ut inanis solida et vacuus plena et incorporalis corporalia sit operatus? Nam etsi potest aliquando quid fieri diversum eius per quod fit, nihil tamen potest fieri per id quod vacuum et inane est. Vacua et inanis res est Sermo Dei, qui Filius dictus est, qui ipse Deus cognominatus est? Et Sermo erat apud Deum et Deus erat Sermo (Idem lib. adv. Prax. cap. 7.)? Ea ergo argumentatione ostendit Verbum sive Sermonem ac Rationem Dei non esse aliquid inane et vacuum, sed veram substantiam.*

Atqui ideo hic sermo divinus vera est substantia, qui a Deo prolatus est. Nam eum, inquit ille, *prolatione generatum et idcirco Filium Dei dicimus*. Prolatus autem a divino Patre suo ex ipsius intellectu tanquam *ex matrice* prodiit atque ideo generatus et verus Dei Filius est. Etenim hac ipsa generatione non solum similis Patri, sed eadem quoque est utriusque substantia. Non enim ille, inquit, *Filius Dei a Patris matrice recessit, sed excessit*. Quoniam vero non

*recessit*, eandem ac ille habet substantiam, et quia ab eo prodivit, illius est Filius (Idem Apologet. cap. 21.).

Sed rursus Tertullianum audiamus, qui id alibi (Idem lib. advers. Prax. cap. 8.) pluribus Sacrae Scripturae testimoniis asserit ac confirmat: *De quo*, inquit, *procedendo Filius factus est, primogenitus, ut ante omnia genitus et unigenitus, ut solus ex Deo genitus, proprie de vulva cordis*, id est intellectus, *ipsius, secundum quod et Pater eius testatur: Eructavit cor meum Sermonem optimum* (Psalm. XLIV. 2.): *Ad quem deinceps gaudens in persona illius: Filius meus es tu, ego hodie genui te* (Psalm. II. 7.) *et, ante luciferum genui te* (Ibid. CIX. 5.). *Sic et Filius ex sua persona profitetur Patrem in nomine Sophiae: Dominus condidit me initium viarum in opera sua* (Ad Hebr. cap. I.). *Ante omnes autem colles generavit me* (Proverb. cap. VIII. 22.). Atque haec ipsa ratio est, cur Verbum seu sermo Dei, non vero Spiritus sanctus sit dicaturque Filius Dei: atque, ut ipse Tertullianus ait, *Qui etiam proprie nomen Filii accepit*, tum quia nomen illud ipsi in Sacris Scripturis datur, tum etiam quia prior a solo Patre suo in naturae similitudinem est genitus et Spiritus sanctus ab utroque processit, quemadmodum ex mox citandis eiusdem Tertulliani nostri verbis manifestum unicuique fiet (Tertull. lib. adv. Prax. cap. 8.).

Sed quamvis Sermo Dei a Patre suo aeterno prodeat vel sicuti ait ipse Tertullianus: *Non aliunde, sed de substantia Patris* deducatur (Ibid. cap. 4.), hoc est, oriatur ex eius cogitatione et intelligentia, non idcirco tamen ab illo separatus est. Nam dividi non potest simplicissima Dei substantia, sicut nec plures dii esse possunt. Quamobrem ille iterum dicit: *Omne quod prodit ex aliquo, secundum sit eius necesse est de quo prodit, non ideo tamen separatum. Secundus autem ubi est, duo sunt, et tertius ubi est, tres sunt. Tertius enim est Spiritus a Deo, videlicet Patre et Filio, sicut tertius a radice fructus ex frutice* (Ibid. cap. 8.). Duo autem ibi docet quae attento certe animo observanda sunt. Dicit enim primo Filium Dei alium et ordine secundum esse a Patre suo, quia eius est aeternus Sermo, qui ex illius intellectu et cogitatione prodivit atque idcirco Filius eius est. Secundo ait Spiritum sanctum esse tertium, quia ab utroque Patre et Filio procedit, tanquam tertius fructus ex radice et frutice oritur. At cum ibi non suam tantum, sed totius Ecclesiae catholicae sententiam contra Praxean haeticum explicet ac tueatur, inde profecto colligitur illam a Christianis omnibus orthodoxis atque aliis etiam non eodem aut simili ac Praxeas errore infectis assertam ac propugnatam.

Verum quidam obiiciunt ibi Tertullianum non agere de Spiritus sancti origine, sed de personarum SS. Trinitatis ordine, in quo ille tertius post Patrem constituitur. At cur, quaeso, ab iis, qui sic arguunt, omissa fuere haec subsequencia Auctoris nostri verba: *Sicut tertius a radice fructus et frutice et tertius a fonte rivus ex flumine et tertius a sole apex ex radio, nihil tamen a matrice alienatur, quae proprietates suas ducit?* Nonne autem haec satis ostendunt illum non de solo Spiritus sancti ordine, sed eius etiam origine fecisse sermonem? Ibi siquidem his comparisonibus adversus Praxean demonstrat Filium Dei, etiamsi a Patre suo non sit separatus, ab eo tamen

ideo distingui, quia suam ipso originem ducit. Tum inde ad Spiritus sancti ortum delapsus eodem, uti vides, plane modo argumentatur. Tam igitur de Spiritus sancti quam Filii origine disputat.

Urgent nihilominus a Tertulliano antea apertissime pronuntiari: *Ortum Spiritum non aliunde puto, quam a Patre per Filium* (Idem cap. 4.). Sed attende, quaeso, quam parum considerate haec obiiciantur. Nam Hilarius, ut illi fatentur, diserte docuit Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere, cum scripsit: *Quodsi differre crederetur inter accipere Filio et a Patre procedere, certe id ipsum atque unum esse existimabitur a Filio accipere quod sit accipere a Patre* (Hilar. l. VIII. de Trin. §. 20.). Atqui scriptum ab eodem Hilario legimus: *Ex te (nimirum Patre) per eum (Filium) sanctus Spiritus tuus est.* Paulo post vero sic Patrem precatur: *Dona mihi ut Patrem te scilicet nostrum, Filium tuum una tecum adorem; sanctum Spiritum tuum, qui ex te per unigenitum tuum est, promerear* (Ibid. lib. XII. §. 56. et 57.).

At si is eodem catholico sensu dixit Spiritum a Patre et Filio, atque Spiritum sanctum a Patre procedere per Filium, cur non etiam Tertullianus? Numquid item loquendi modus in uno probari potest et in altero reprobari? Uterque igitur, sicut recte Spiritum sanctum a Patre et Filio, ita a Patre per Filium procedere dixerunt. Nam Filius, tanquam medius inter Patrem et Spiritum sanctum, ab eodem Patre solo principium accepit atque ab illo et patre Spiritus sanctus suam ducit originem. Itaque Spiritus sanctus dicitur a Patre procedere per Filium, qui origine sua inter utrumque tanquam medius a Patre accepit, ut Spiritus sanctus ab ipso procedat. Quamobrem haec ipsa processio uno eodemque modo tam a Patre quam a Filio derivatur ac deducitur.

Quia igitur Filius Verbum illius et Sermo est, qui ex Patris intellectu seu cogitatione, sicuti ex quadam matrice et vulva prodivit, hinc recte Filius eius et unigenitus *proprie*, ut alibi dixit, *nomen Filii accepit* (Tertull. lib. adv. Prax. cap. 8.). Spiritus vero sanctus, quoniam ab utroque procedit, nec unius ex illis nec amborum Filius unquam est appellatus nec appellari debuit.

#### ARTICULUS V.

Exponuntur et examinantur quaedam exempla, quibus Tertullianus divinam Filii Dei generationem explicare conatus est.

Cum divina Filii Dei generatio captum hominis longe superet nec possit facile ab eo intelligi, hinc Tertullianus noster illam quibusdam comparisonibus explanare et illustrare conatus est. Veram quia difficultatibus non carent, a nobis sunt examinandae. Primum itaque eas in Apologetico sic proponit: *Cum radius a sole porrigitur, portio ex summa, sed sol erit in radio, quia solis est radius; nec separatur substantia, sed extenditur: ita de Spiritu Spiritus et de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum. Manet integra et indefecta materiae matris, etsi plures inde traduces qualitatum mutueris: ita et quod de Deo profectum est, Deus est et Dei Filius et unus (supple Deus) ambo* (Tertull. Apologetic. cap. 21.). Sed haec ille fusius alibi iisdem aliisque exemplis enucleare adhuc conatur. Audiamus eum, si



lubet: *Protulit Deus Sermonem, quemadmodum etiam Paracletus docet, sicut radix fruticem et fons fluvium et sol radium. Nam et istae species probolae, id est, uti paulo ante dixerat, prolaciones sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt. Nec dubitaverim Filium dicere et radicis fruticem et fontis fluvium et solis radium, quia omnis origo parens est, et omne quod ex origine profertur, progenies est, multo magis Sermo Dei, qui etiam proprie nomen Filii accepit. Nec frutex tamen a radice nec fluvius a fonte nec radius a sole discernitur, sicut nec a Deo Sermo. Igitur secundum eorum formam profiteor me duos dicere, Deum et Sermonem eius, Patrem et Filium ipsius. Nam et radix et frutex duae res sunt, sed coniunctae. Et fons et fluvius duae species sunt, sed indivisae. Et sol et radius duae formae sunt, sed cohaerentes (Idem lib. adv. Prax. cap. 8.).*

At sedulo observandum est has comparationes ab Auctore nostro proferri, non tanquam omnino perfectas ac quasi divinae Filii generationi plane omnibusque modis similes sint. Nam et ipse dixit: *Multo magis Sermo Dei*, quibus verbis significat has omnes comparationes esse imperfectas. Et vero quis nesciat illas tantum inter se differre, quantum a creatore distat creatura? Non putavit igitur iis posse omnino explicari Filii Dei generationem, sed ut qualicumque modo ac secundum infirmas ingenii nostri vires eam intelligamus.

Deinde vero haec exempla ab illo non adhibentur in omnibus, sed in aliquibus tantum rebus, quae ad divinam spectant Filii generationem. Omnia enimvero illa eo dumtaxat tendunt, ut ostendat Filium Dei, etsi a Patre suo prodeat, ab illo tamen non esse separatum nec divisum. Propterea enim quod frutex, uti ille ait, a radice, fluvius ex fonte, radius ex sole prodeunt, nec a se invicem separantur aut dividuntur, sed ibi coniunguntur et sine ulla divisione cohaerent, hinc hominis intellectus eo adduci potest, ut pro infirmis plane viribus cognoscat Dei Filium, quamvis a Patre prodeat, ab eo non separari, sed infinite perfectiori modo, quam res illas corporeas, ipsi esse coniunctum atque ab eo penitus indivisum.

Sic etiam postea ille, ut confirmet Filium Dei a Patre non separari, tametsi ab illo divina generatione exierit, ipsum ita loquentem introducit: *Exivi a Patre, ut radius ex sole, ut rivus ex fonte, ut frutex ex semine (Ibid. cap. 22.).* Alibi vero eadem solis et radii comparatione ideo tantum ulitur, ut demonstret Dei nomen non creaturis tribuendum, sed Patri aeterno eiusque Filio, quorum una omnino est substantia. Praestat autem ipsum haec enarrantem audire: *Deos, inquit, omnino non dicam, nec dominos, sed Apostolum sequar, ut si pariter nominandi fuerint Pater et Filius, Deum Patrem appellem et Iesum Christum Dominum nominem. Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus: Ex quibus Christus, qui est, inquit, Deus super omnia benedictus in aevum omne. Nam et radium solis seorsum solem vocabo, solem autem nominans, cuius est radius, non statim et radium solem appellabo. Nam etsi soles duos non feciam, tamen et solem et radium eius tam duas res et duas species unius indivisae substantiae numerabo, quam Deum et Sermonem eius, quam Patrem et Filium (Ibid. cap. 13.).*

Neque ibi ille stetit, sed ad illam aeternam Verbi divini generationem rursus explicandam alia usus est comparatione; quae quidem licet superioribus longe perfectior sit, eam tamen adhuc imperfectam esse palam profitetur. Ab illo autem desumitur ex interiore hominis sermone ac verbo atque ita argumentatur: *Vide cum tacitus tecum ipse congredieris, ratione hoc ipsum agi intra te, occurrente ea tibi cum sermone ad omnem cogitatus tui motum et ad omnem sensus tui pulsus. Quodcumque cogitaveris, sermo est; quodcumque senseris, ratio est. Loquaris illud in animo necesse est, et dum loqueris, conlocutorem pateris sermonem, in quo inest haec ipsa ratio, quam cum eo cogitans loquaris, per quem loquens cogitas. Ita secundus quodammodo in te est sermo, per quem loqueris cogitando et per quem cogitas loquendo; ipse sermo alius est. Quanto ergo plenius hoc agitur in Deo, cuius tu quoque imago et similitudo censeris, quod habeat in se tacendo Rationem et in Ratione Sermonem (Ibid. cap. 5.). Ibi autem ille ostendit Deum, qui natura sua rationalis est, ab aeterno Rationem et Sermonem intra se habuisse, quem profert dum cogitat, atque idcirco alius ab ipso est, quamvis utriusque eadem sit substantia et natura. Quis autem facile non concedet illud aptius ac luculentius non potuisse probari, quam hac interioris hominum verbi ac sermonis comparatione? In hoc enim, uti ille ait, homo est Dei imago et similitudo. Verumtamen fatetur hanc ipsam comparationem esse plane imperfectam ac longe pleniori perfectiorique modo Verbum Dei a Deo Patre quam hominis verbum ab homine proferri.*

Porro autem ex hactenus dictis manifestum omnibus esse debet a Tertulliano, sive catholico sive Montaristarum fautore, constantissime assertam supremam Filii Dei et Verbi divinitatem. Aperte siquidem, uti vidimus, docet illum divina Patris sui cogitatione generatum haecque generatione alium quidem esse a Patre, hoc est persona distinctum, sed minime divisum ac separatum; quandoquidem una et eadem omnino est utriusque substantia et natura. Deus quippe Pater, ab aeterno rationalis, sine cogitatione esse nunquam potuit atque idcirco eius Verbum, quod idem ac ipsius cogitatio est, debet illi esse consubstantiali ac coaeternum. Nonne ergo haec ipsa plane eadem est ac concilii Nicaeni sententia? In huius quippe symbolo statuitur credendum esse *in unum Dominum Iesum Christum, natum de Patre, unigenitum, hoc est ex substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine (vel, sicut ait Tertullianus Apologet. c. 21: ut lumen de lumine accensum), Deum verum ex Deo vero genitum, non factum, consubstantialem Patri.*

## ARTICULUS VI.

Expenduntur solvanturque argumenta, quibus nonnulli probare nituntur labefactam fuisse a Tertulliano orthodoxam de suprema Filii Dei divinitate doctrinam, quia dixit illum divinae substantiae esse portionem, quae in Patre tota est.

Ququam orthodoxa omnino, sicuti explicatum est, fuerit Tertulliani de suprema Verbi et Filii Dei divinitate aeternaque generatione sententia, quidam nihilominus, etiam catholici huius dogmatis assertores, illum non minimi quidem, sed gravissimi erroris audacter accu-



sant. Si enim Petavio credas, *Arianam haeresim impietate et absurditate superat* (Petav. Tom. II. Theolog. Dogmat. lib. II. cap. 5. pag. 27.). Sed doctus ille vir semetipsum corrigere tandem coactus est. Alibi siquidem fatetur non pauca occurrere eiusdem Tertulliani loca, in quibus apparet vis sententiae dogmatisque communis, cuius traditio animos Christianorum pervaserat (Idem Praefat. in Tom. cit. cap. 5.). Verumtamen ibidem adiecit orthodoxam Trinitatis fidem in eiusdem scriptis adspergi identidem quibusdam maculis, quae contagione foedae, ad quam deficit, Montanistarum haereseos illini potuerunt. At quamvis ibi iudicii sui severitatem potius mitigare quam emendare videatur, sibi tamen satis non constat. Nam non solum in libris, qui a Tertulliano haeretico, sed in aliis etiam, qui ab illo adhuc catholico compositi sunt, labefactatum Trinitatis dogma contendit. Nos vero satis ostendimus illud ab eodem Tertulliano sive catholico sive Montanista recte assertum ac contra alios, qui id negabant, egregie propugnatum.

Bullus tamen eidem Tertulliano nostro, etiam ubi contra Praxean disputat, aliam censoriae severitatis notam inussit (Bull. Defens. Nicaen. Sect. 3. Cap. 10. num. 5. et 11. pag. 403. et 416.). Quamvis enim concedat illum recte sentire de suprema Filii Dei ac Verbi divinitate, aeternitate, *consubstantialitate*, sive eadem illius ac Patris substantia, ipsi nihilominus videtur catholicae traditionis venis quasi aureis scoriā aliquam intermiscuisse, absurde satis loqui et in augustissimo Trinitatis mysterio ludere nugasque sectari. Sed quis sibi facile persuadebit Tertullianum, tantae gravitatis hominem, de hoc Trinitatis mysterio in eo ludere et nugari, ubi praecipuum ac maximum illum Christianae fidei articulum, eodem Bullo fatente, totis animi viribus contra Praxearum aliorumque haeticorum errores asserit ac tueri (Ibid. §. 2. cap. 7. num. 1. pag. 150.)? Et certe a nobis iam probatum est orthodoxam sententiam ab illo non solum contra Praxean aliosque haeticos, sed etiam adversus gentiles, quos ea dissimulata sibi facile, sicuti vidimus, conciliare poterat, perspicue doceri et explicari.

Sed ne quid intactum relinquamus, ea omnia expendenda sunt argumenta, quae nobis a Petavio, Bullo aliisque obiciuntur. Primum itaque Petavio illud urgendum non censet, quod ab Auctore nostro scriptum legimus Filium sermonemque Dei a Patre suo prolatum ac veluti incorporatum. Ecquid enim id urget? Nonne satis perspicue ostendimus corporis nomine nihil aliud ab eo intelligi, nisi sui generis substantiam, personam atque hypostasin? Nec minus evidenter patefecimus atque ex dicendis adhuc patebit, ipsum disertissime asseruisse Filium Dei merum esse spiritum, qui ex aeterni Patris sui intellecta et cogitatione procedit ac nihil proinde corporei vel mimine admixtum habere potest.

Momenti igitur longe gravioris Petavio aliique ea esse putant, quibus idem Auctor noster negasse ipsis videtur eandem esse Patris aeterni eiusque Filii substantiam. Etenim aperte, inquit, docet totam Dei substantiam esse in Patre et illius quandam tantum in Filio portionem. Quid enim his, aiunt, verbis clarius et expressius? *Pater*

*tota substantia est, Filius vero derivatio totius et portio, sicut ipse profitetur: Quia Pater maior me est* (Ioan. XIV. 28.). Totam igitur divinitatis, inquit, substantiam Tertullianus in Patre utpote maiore et in Filio utpote minore partem tantum ac portionem esse arbitratus est (Tertull. lib. adv. Prax. cap. 9.).

Urgent id adhuc ab illo asseri, ubi absurdum Marcionis, qui Patrem ex virgine natum et passum esse garriebat, errorem refellit: *Non negans, inquit, Filium et Spiritum et substantiam creatoris esse Christum eius, concedas necesse est eos, qui Patrem non cognoverint, nec Filium agnoscere potuisse per eiusdem substantiae conditionem, cuius plenitudo intellecta non est; multo magis portio, certe qua plenitudinis consors* (Tertull. lib. III. advers. Marcion. cap. 6.).

Denique, ubi generationem Filii Dei cum sole eiusque radio componit, sic adhuc loquitur: *Nam et Deus spiritus; et cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa: sed sol erit in radio, quia solis est radius, nec separatur substantia, sed extenditur* (Idem Apologet. cap. 21.). Petavius itaque ex his omnibus concludit Filium Dei iuxta Tertulliani mentem, non totam substantiam divinam possidere, sed eius dumtaxat portionem, ac proinde non eandem esse Patris aeterni ac Filii eius substantiam et naturam.

Verum si res ita se habeat, certe Tertullianus sibi ineptissime contradixit. Vidimus enim in superioribus articulis, quam saepe, quam constanter, quam disserte asseveret unam plane, indivisam et eandem esse in Patre et Filio substantiam. At si Filius portionem sive partem tantum illius habeat, et utique non eadem in illo atque in Patre, sed sicuti pars a toto divisa est (Supr. hoc Cap. Art. 1.). Contra vero Tertullianus, uti vidimus, in alio adversus Marcionem libro haec litteris de illo mandavit: *Non minori se tradidit omnia creator* (Idem lib. IV. advers. Marcion. cap. 25.). Atqui si Filius unam dumtaxat divinae substantiae portionem a Patre accepit, alia, qua privatur, proculdubio minor est. Numquid ergo Tertullianus Filium Dei Patre suo minorem esse asseruit et negavit? Quis hoc credat?

Quid vero, quod in illo qui nobis obiicitur adversus Marcionem loco Filius dicitur quidem substantiae divinae *portio*, sed ibi continuo adicitur, *certe qua plenitudinis consors*? Atqui si ille substantiae divinae, quae simplicissima est, atque in eo et Patre, ut dictum ab eodem Tertulliano saepius animadvertimus, non separatur, *consors*, socius, et particeps est, eam utique totam possidet.

Practerea si divinae substantiae portio sive pars tantum aliqua sit in Filio, ipse Pater eam integram non habet. Pars enim illius erit in Filio et a Patre distracta. In his ergo verbis: *Pater tota substantia est, Filius vero portio*, evidens plane repugnantia deprehenditur. Unius quippe rei ac potissimum simplicissimae totum in uno et pars in altro esse nequeunt. Cum nullus itaque tam absurdae contradictionis Tertullianum convincere possit, quid restat, nisi ut dicamus illum *portionis* nomine non intellexisse partem aliquam divinae substantiae, quam ille nec dividi nec separari posse constantissime asseveravit.

Quo ergo, inquiet aliquis, sensu nomen *portio* ab eo sumitur?

Nobis quidem haud reluctantibus probabitur eodem significato accipi, atque partitio seu participatio et communicatio divinae substantiae, quam Pater in Filium derivavit. Nam Filius hoc ipso, qui nobis obicitur, adversus Praxean loco dicitur *derivatio totius et portio*, quae quidem verba ibi synonyma videntur. Ea autem derivatio vocatur portio seu partitio, quia Pater totam suam substantiam cum Filio ita communicavit, ut ab illo tamen persona sua sit distinctus. Cum enim Filii Patrisque personae a se invicem distinguantur suamque Filius a Patre cum tota eadem substantia divina acceperit, hinc portio seu derivatio illius appellatur.

At hunc esse verum Tertulliani sensum colligi potest ex alia eius adversus eundem Praxean argumentatione. Iste siquidem haereticus et alii, qui stulte opinati sunt eundem esse Patrem et Filium, contendebant his Lucae Evangelistae verbis: *Spiritus Dei superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit te*, idem omnino significari ac si dixisset: *Filius Dei Deus est et virtus Altissimi altissimus est* (Luc. I, 25.). Tertullianus vero hanc haereticam interpretationem sic impugnat: Si hic, inquit, esset Evangelistae sensus, scripsisset utique: *Deus superveniet et Altissimus obumbrabit te* (Tertull. lib. adv. Prax. cap. 26.). Atqui non ita scripsit, sed *virtus Dei, non directo*, id est nominativo casu, *Deum nominans portionem totius intelligi voluit, quae cessura erat in Filii nomen*. Dixit itaque his verbis *spiritus et virtus Dei*, intelligi portionem, quia nomen Dei non nominativo, sed genitivo casu acceptum significat *portionem* sive generationem et derivationem Filii a Patre suo. Nam ea derivatione seu generatione etsi omnem divinam substantiam acceperit, non eadem nihilominus est illius ac Patris persona. Quamobrem inceptum sermonem sic Auctor noster prosequitur: *Sicut ergo sermo Dei non est ipse cuius est, videlicet Patris, ita nec Spiritus, etsi Deus dictus est, non tamen ipse est, cuius dictus. . . Et ideo spiritus Dei Deus et Sermo Dei Deus, quia ex Deo, non tamen ipse, ex quo est. Quod si Deus Dei tanquam substantiva res, non erit ipse Deus, sed hactenus Deus, quia ex ipsius Dei substantia, qua et substantiva res est et ut portio aliqua totius.*

Audisne quomodo Dei Filius et sermo ibi aperte negetur esse Deus Dei, sed verus dicatur, sicut eius Pater, Deus? Quamvis autem verus sit Deus et eadem illius ac Patris substantia, quia tamen ex illius cogitatione et intellectione prodiit et genitus est, ab illo persona distinguitur. Hac autem generatione dicitur totius derivatio et portio, sive partitio et communicatio, sed qua, ut ille ait, *plenitudinis consors* est, id est totam et eandem habet Patris, a quo ortus est, substantiam et divinitatem.

Neque eos audiendos censemus, qui urgebunt: Is si sit Tertulliani sensus, ab eo nomen *portio* accipi impropria omnino ac plane inusitata locutione. Suos enim Tertullianus libros barbaris, impropriis et inusitatis, uti nemo nescit et saepius observavimus, verbis ac nominibus aspersit. Nam ut plurima, in omnibus eius libris passim obvia, nunc praetermittantur, nonne in hoc ipso, de quo disputamus, Apologetico, quem ad ethnicos antistites direxit, magis quam in aliis latine, polito et emendate loqui debebat? At plures tamen in eo iam notavi-



mus et adhuc notabimus barbarismos modosque loquendi improprios et insuetos. Nomen autem *portio* eo quo notavimus sensu ideo adhibuit, ut Praxeas efficacius refelleret, qui effutiebatur Filium persona nequaquam a Patre distingui.

## ARTICULUS VII.

Solvuntur alia argumenta, quibus obicitur Tertullianum negasse Filii Dei divinitatem, quia dixit illum minorem Patre, huncque visibilem et illum invisibilem.

Aliud denegatae a Tertulliano aut labefactatae supremæ Filii Dei divinitatis argumentum peti posse putant ex his illius verbis: *Pater tota substantia est, Filius vero derivatio totius et portio, sicut ipse profitetur: Pater maior me est. A quo et minoratus canitur in psalmo, modicum quid citra angelos. Sic Pater alius a Filio, dum Filio maior* (Tertull. lib. adv. Prax. cap. 9.). Nonne ergo, inquiunt, ille ibi aperte significat in Patre maiore Filio totam esse divinitatis substantiam, et aliquam tantum portionem in Filio, qui idcirco illo minor est? Itane vero ille dixit Filium esse minorem Patre, quem, ut antea ostendimus, asseruit Patri esse parem, ei *pariari*, aequari, iungi nec illo esse minorem, quia ipse dixerat: *Ego et Pater unum sumus?* (supr. hoc cap. Art. 1.). Nonne ante obiecta nobis verba ab eo dictum legimus: *Et nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre, quia: Ego et Pater unum sumus. Haec erit probola veritatis, custos veritatis, qua prolatus dicimus Filium a Patre, sed non separatum?* (Libr. cit. cap. 8.). Numquid ergo putidae et nulli unquam condonandae contradictionis condemnandus est? Numquid a sensu animus eius adeo unquam alienatus est, ut Filium dixerit Patre suo minorem et non minorem, parem et non parem, unum cum illo et non unum, nisi sub diversa ratione? Et certe satis a nobis probatum est quam diserte ille docuerit unam esse in Patre et Filio simplicissimam naturam ac substantiam, quae nec separari nec dividi potest. Sed quia Praxeas inde inferre conabatur eandem quoque esse illorum personam, hinc Auctor noster ostendit eos non natura quidem, sed persona distingui, quia Filius a Patre suo prolatus ac genitus est. Quamobrem post illa ipsa, quae nobis obiiciuntur, verba continenter adiecit: *Sic et Pater alius a Filio, dum Filio maior, dum alius qui generat, alius qui generatur, dum alius qui mittit, alius qui mittitur, dum alius qui facit, alius per quem fit. Bene quod et Dominus usus hoc verbo in persona Paraclæti non divisionem significavit, sed dispositionem: Rogabo enim, inquit, Patrem, et alium advocatum mittet vobis, Spiritum veritatis. Sic alium a se Paraclætum, quomodo et nos a Patre alium Filium, ut tertium gradum ostenderet in Paraclæto, sicut nos secundum in Filio, propter oeconomiae observationem* (Ibid. cap. 9.).

Duas autem ibi reddit rationes, cur Pater maior et Filius minor dicatur. Prima est, quia Pater Filium misit, ut Filius mittitur a Patre. At id spectare videtur humanam Filii naturam, qua illum Patre suo minorem esse nemo diffitetur. Secunda est, quia Filius a Patre suo generatur et divinitatem suam naturam accepit. Atqui hac generatione secundum a Patre habet gradum et ordinem, quo quidem dici potest illo

minor, sed tantum, uti ait Tertullianus, *propter oeconomiae observationem*, ita ut non divisio, sed dispositio significetur. Atque ita duplici illa ratione Filius ab eo dici potuit minor Patre et alius a illo, utpote qui ab ipso genitus fuit.

Neque nobis, quaeso, reponas hanc explicationem non esse orthodoxam. Antiqui enim Patres Ecclesiae hoc ipso sensu, etiam post concilium Nicaenum, illa Christi verba: *Pater maior me est*, interpretati sunt. Hilarius siquidem acerrimus, si quis unquam, catholicae doctrinae defensor, haec minime haesitans scripsit: *Est Pater maior Filio, sed ut Pater Filio, generatione non genere. Filius enim et ex eo exivit* (Hilar. Tract. in Psalm. 118. §. 17.). Scimus quidem eadem Ioannis verba ab illo alibi (Idem. lib. IX. de Trin. §. 51.), ab aliis quoque de assumpta ab ipso Dei Filio humana natura explicari. Sed nobis sufficit ea etiam ab Hilario pluribusque aliis Nicaeni synodo posterioribus, ut alibi annotavimus, de divina intelligi ipsiusm Filii Dei generatione, qua ordine secundus a Patre suo est (Not. in lib. II. Ambros. de Fide p. 483. sqq.). Constat quippe nihil inde in ferri posse contra Tertullianum nostrum, qui quidem, cum sibi ipse non contradixerit, illa evangelistae verba hoc catholico sensu accepit: haud immerito videtur. Et certe eo magis illa sic interpretari potuit quo insulas Arianorum cavillationes minus praevidere poterat et efficacius insulsum refellebat Praxeae errorem.

Contra tamen nobis rursus obiiciunt Tertullianum in suis adversus Marcionem libris negasse eandem esse Patris aeterni et Filii substantiam (Petav. tom. II. Theolog. Dogmat. lib. I. cap. 5.). Ibi siquidem docet Filium esse factum ac visibilem, Patrem vero nec visibilem nec factum. Diversam igitur illorum substantiam esse putavit. Ad autem probandum haec nobis obiectant illius verba: *Profitemur Christum semper egisse in Dei Patris nomine, ipsum ab initio conversum, ipsum congressum cum patriarchis et prophetis, Filium creaturam, Sermonem eius, quem ex semetipso proferendo Filium fecit exinde omni dispositioni suae voluntatique praefecit, diminuens illum modico citra angelos, sicut apud David scriptum est; qua diminutione in haec quoque dispositus est a Patre, quae ut humana reprehenditur ediscens iam inde a primordio, iam inde hominem, quod erat futurum in fine. Ille est, qui descendit, ille est, qui interrogat, ille est, qui iurat. Ceterum Patrem nemini visum etiam commune testabitur Evangelium . . . Patrem invisibilem determinans, in cuius auctoritate nomine ipse erat Deus, qui videbatur Filius Dei* (Tertull. lib. II. advers. Marcion. cap. 27.).

Sed animadvertendum est Tertullianum ibi disputare contra Marcionem, qui, ut ille ibidem ait, perperam praedicabat creatorem non esse Deum bonum, quandoquidem plura de illo pusilla, imbecilla Deo indigna praedicabantur (Ibid.). At Tertullianus huic haeretico respondet has *pusillitates* in Christo quidem esse, sed non quatenus Deus, sed quatenus homo est. Eum autem revera Deum esse probat quia semper egit in Patris nomine, quia cum patriarchis et prophetis loquebatur, quia Dei est Sermo et creatoris Filius. Atqui is ipse Tertullianus constantissime asseruit Filium et Sermonem Dei verum esse

Deum ac Patris sui Rationem, qua ab aeterno est rationalis. Eandem ergo credidit esse Filii et Patris aeternitatem eandemque substantiam.

At ille, inquires, ibidem haud obscure scripsit: quem *ex semetipso proferendo Filium fecit et exinde dispositioni suae voluntatique praefecit* (Ibid.). Bene quidem. Sed numquid ibi Filius dicitur quodam tempore factus vel ab aeterno genitus negatur? Minime profecto. Duos enim fassus fuisset esse Deos, Patrem aeternum et Filium non aeternum, atque ita in eum, quem impugnabat, Marcionis incidisset errorem. Cum ergo dicit Filium Dei a Patre suo tunc factum, quando illum *ex semetipso* protulit, is plane videtur illius sensus: Pater fecit Filium suum, quando illum protulit *ex semetipso*, id est *ex matrice*, uti loquitur, et vulva sui cordis et intellectus, seu ratione, intelligentia ac cogitatione aeterna: postea vero cum omnia creare voluit *dispositioni voluntatique suae eum praefecit*. Si quis vero contendat his verbis *ex semetipso* idem significari atque extra se ipsum emittendo, sensus illius erit: Pater mundi initio extra se protulit ac fecit Filium, dum illum creaturis manifestum fecit. Ad primam enim usque mundi creationem divina illius generatio, ut paulo antea explicuimus, in aeterno Patris sinu latuit, et mundi initia coepit a creaturis rationis compotibus agnoscere, tuncque haec, sicuti Auctor noster loquitur et infra fusius explicabimus, perfecta fuit eius nativitas, quae externum aliquod accepit complementum.

Neque urgeas Patrem ab eo invisibilem dici, Filium vero visibilem atque hunc idcirco Patre minorem esse nec Deum proprie dictum. Nihil etenim hac argumentatione levius et infirmius. In suo quippe idem Tertullianus adversus Praxean libro aperte pronuntiat: *Invisibilem Patrem pro plenitudine maiestatis, visibilem vero Filium pro modulo derivationis* (Ibid. cap. 14.). Paulo post vero: *Dicimus et Filium suo nomine eatenus invisibilem, qua sermo et spiritus Dei, ex substantiae conditione iam nunc, et qua Deus et sermo et spiritus visibilem vero ante carnem* (Ibid.). Quomodo autem ante assumptam carnem se aspectabilem praebuerit, hunc ille ibidem explicat in modum: *Apparet retro semper in speculo et aenigmate et visione et somnio Deum, id est Filium Dei, visum tam patriarchis et prophetis, quam et ipsi adhuc Moysi. Et ipse quidem Dominus, si forte, coram ad faciem loquebatur, non tamen, ut est, homo faciem eius videret, nisi forte in speculo et in aenigmate . . . . . Aut numquid Filius quidem videbatur et sic facies? sed ipsum hoc in visione et somnio et speculo et aenigmate, quia sermo et spiritus nisi imaginaria forma videri non potest* (Ibid.).

Quis autem his auditis Tertulliani verbis palam non fateatur tantum abesse, ut ille eo, quod Pater invisibilis et Filius visibilis dicatur, huius negaverit divinitatem, quin potius inde adversus Praxean plane conficiat eundem Filium Dei verum esse Deum, qui solo *modulo derivationis*, id est persona sua a Patre suo distinguitur? Quin etiam affirmate pronuntiat eundem Filium Dei, quatenus sermo et spiritus est, eodem prorsus quo Pater modo fuisse invisibilem. Non diffitetur tamen illum, antequam carnem assumpserit, sese patriarchis praebuisse



videndum; sed qua, amabo te, ratione? In visione tantum, ait ille, in somnio, in speculo, in aenigmate *et forma*, ut ipse loquitur, *imaginaria*.

Non deerunt fortasse qui mirentur haec a Petavio, viro utique eruditissimo, contra veram Tertulliani nostri de Filii Dei divinitate sententiam nobis obiici (Petav. tom. II. Theolog. Dogm. lib. I. cap. 4.). Nam ipse non solum ultro confitetur, sed plurimis et ante et post synodum Nicaenam Ecclesiae Patrum testimoniis ostendit illos apertissime declaravisse Filium Dei, tametsi divina eius, sicut Patris, natura videri nequeat, ab patriarchis nihilominus et prophetis, ante quam homo fieret, aliena aspectabilique specie visum atque conspectum (Idem ibid. lib. III. cap. 2. §. 10. et seqq.). Quid vero? quod ipsi Petavio certum esse videtur non modo Filium, sed Patrem etiam ac Spiritum sanctum apparuisse hominibus specie extrinsecus assumpta. Atque ex iis rite probatis concludit levissima esse ducta inde ab Arianis contra Filii divinitatem argumenta, quem nemo non contemnet. Nos vero in superioribus nostris dissertationibus ostendimus has visiones supremæ Filii Dei divinitati nequaquam officere ac cur hic potius quam eius Pater sese hominibus videndum præbere debuerit (tom. I. Appar. p. 404. 593. et 689. et seqq.).

#### ARTICULUS VIII.

Rursus ostenditur quam perspicue Tertullianus aeternitatem Filii Dei asserat, et contraria argumenta diluuntur, quibus confici posse putant Tertullianum docuisse ante mundum conditum nullam fuisse Filii Dei substantiam, et perfectam fuisse eius nativitatem cum Deus mundum creare molitus est.

Expositis et aequa lance ponderatis iis rationum momentis quibus Tertullianus eandem Patris ac Filii substantiam non agnovisse perperam arguitur, ad ea iam veniamus quibus acrius adhuc insimulatur eiusdem Filii Dei negavisse aeternitatem. Si qua enim doctissimo Petavio fides habenda, in hoc ille Arianam haeresin impietate et absurditate superat (Petav. lib. I. Theolog. Dogm. de Trinit. cap. 5. p. 24.). Verum si ipse Tertullianus recte, uti vidimus, eandem esse asseruit Filii ac Patris naturam, illum proculdubio Patri suo coaeternum esse revera existimavit. Unusquisque autem, ex his quae supra ac potissimum in primo huius capitis articulo retulimus, deprehendere facile potuit illud Catholicae fidei documentum manifestissime ab eo asseri et praedicari.

Sed quid speciatim de illius aeternitate constituerit, iam attento, si lubet, animo consideremus ac primo quidem quomodo Dei aeternitatem definiat: *Quis alius*, inquit, *Dei census, quam aeternitas? Quis alius aeternitatis census, quam semper fuisse et futurum esse ex praerogativa nullius initii, nullius finis* (Tertull. lib. adv. Hermog. cap. 4.)? Ibi autem, sicuti vides, non solum definit quid sit aeternitas, sed eam ita soli Deo esse propriam, ut nulli alteri competere possit. Atqui ille non minus clare et perspicue, uti supra ostendimus, docet probatque Filium Dei esse verum, unum ac eundem cum Patre suo Deum. Persuasum ergo habuit eandem esse illius et Patris aeternitatem.



At haec non nostra tantum, sed ipsa et illius argumentatio est, qua haec Filii Dei aeternitatem luculentissime demonstrat. Audi, quaeeso, eius verba, et hoc nobiscum fateberis: *Deum, ait ille, immutabilem et informabilem credi necesse est, ut aeternum. Transfiguratio autem interemptio est pristini. Omne enim quodcumque transfiguratur in aliud, desinit esse quod fuerat et incipit esse quod non erat. Deus autem neque desinit esse neque aliud potest esse; Sermo autem Deus et Sermo Dominus manet in aevum perseverando in sua forma* (Idem lib. adv. Prax. cap. 27.). Is autem sermo est Dei Verbum, et Filius, qui, ut continenter subiunxit Tertullianus, caro factus est. Quis itaque unquam clarioribus verbis aut clariori argumentatione aeternitatem illius asseruit? Numquid ergo una manu ibi Tertullianus adstruit quod alibi altera destruxerat? Quidam tamen tanti paradoxi Auctorem nostrum postulare non verentur.

Petavius enimvero nobis obiicit non minus certo et evidenter ab illo traditum nullam ante mundi primordia fuisse Filii Dei substantiam, sed eam tum accepisse a Patre suo, quando mundum creare molitus est. Quod quidem non ille solus, sed alii etiam nonnulli arbitrati sunt confici posse hisce eiusdem Tertulliani verbis: *Ut primum Deus voluit ea, quae cum sophiae ratione et sermone disposuerat intra se, in substantias et species suas edere, ipsum primum protulit sermonem, habentem in se individuas species rationem et sophiam, ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata atque disposita immo et facta iam, quantum in Dei sensu. Hoc enim deerat, ut coram quoque in suis speciebus atque substantiis cognoscerentur et tenerentur. Tunc igitur etiam ipse sermo speciem et ornatum suum sumit, sonum et vocem, cum dixit: Fiat lux* (Ibid. cap. 6.). Inde enim Petavius colligi posse opinatur hanc fuisse illius de Filii Dei generatione non quidem aeterna, sed temporali opinionem. Addit praeterea Tertullianum paulo ante dixisse Deum, qui natura sua est rationalis, penes se ex aeterno habuisse Rationem, *Λόγον* et Sermonem. Sed hunc intra semetipsum continuisse, tacite cogitando et disponendo secum quae per Sermonem erat dicturus (Ibid. cap. 5.). Tunc ergo ille sermo interior tantummodo fuit nondumque per se subsistebat. Cum autem Deus mundum fabricare coepit, sermonem hunc protulit eumque animando fecit substantiam ac personam. Non antea ergo, uti aiunt, Filium Dei factum esse Tertullianus opinatus est.

Sed nescio equidem utrum Petavius et alii qui ita argumentantur, animum ad ea Tertulliani verba satis adverterint, quae illa ipsa, quae nobis obiiciunt, continenter subsequuntur: *Haec, (inquit ibid. cap. 6.) est nativitas perfecta Sermonis, dum ex Deo procedit, conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiae: Dominus condidit me initium viarum. Dehinc generatus ad effectum: Cum pararet caelum, aderam illi simul* (Proverb. cap. 8. v. 22 et seq.). *Exinde eum patrem sibi faciens, de quo procedendo Filius factus est, primogenitus, ut ante omnia genitus, et unigenitus, ut solus ex Deo genitus proprie de vulva cordis ipsius, secundum quod et Pater ipse testatur: Eructavit cor meum sermonem optimum* (Ps. XLIV. v. 1.).

Duplex etenim ibi ille distinxit nativitatis Filii Dei genus. Primum

autem, sive prima et proprie dicta illius generatio est, qua Pater aeternus ante omnes creaturas protulit intra se Rationem et Sermonem. Secunda vero minus proprie dicta illius generatio fuit, cum Pater ipsum initio mundi protulit, sive, ut ait ipse Auctor noster, *generavit ad effectum*, id est ut per eum omnia conderet. At prima generatio non fuit proculdubio inutilis et ea Pater verum genuit Filium. Nam sicuti ille ait: *Possum non temere praestruxisse et tunc Deum ante universitatis constitutionem solum non fuisse, habentem in semetipso proinde rationem et in ratione sermonem, quem secundum a se ipso faceret* (Ibid. cap. 5.). Quis autem non videat ibi Tertullianum agere de Dei Verbo seu Sermone ante mundi creationem et cum intra Deum Patrem suum adhuc erat? Atqui perspicue ibi declarat tum Patrem non fuisse solum, sed habuisse in semetipso hunc Sermonem a sua persona distinctum, quem secundum a se ac Filium *fecit* seu genuit. Ergo ante mundi constitutionem, id est ab aeterno Verbum sive Filius Dei, ut supra animadvertimus, suam a Deo Patre acceperat naturam et substantiam eratque persona tantum a Patre distinctus.

At Pater, arguit Petavius, a Tertulliano dicitur, *ante omnia Deus erat solus, quia nihil extrinsecus praeter illum* (Tertullian. loc. cit.). Sed vix ac ne vix quidem a nobis impetrare possumus, ut credamus haec serio ab eruditissimo et perspicacissimo viro obiici. Nam Tertullianus continuo subiunxit: *ceterum ne tunc quidem solus; habebat enim secum quam habebat in semetipso, Rationem suam scilicet* (Ibid.). Persuasum itaque ille, sicut supra ostendimus, habebat Patrem aeternum, ante mundum conditum, sive ab aeterno, et solum fuisse et non solum. Solus enim erat, quia nihil habebat extra se, non solus autem, quia habebat intra se Sermonem, qui distincta ab illo persona ac Filius eius est. Vidimus insuper observatum ab eodem Tertulliano fuisse graecum nomen *λόγον* a Latinis rationem potius quam sermonem debuisse appellari: *Quia non sermonalis, inquit, a principio, sed rationalis etiam Deus ante principium, et quia ipse quoque sermo ratione consistens priorem eum ut suam substantiam ostendat* (Ibid.). Quibus sane verbis significat nomen illud *λόγος* ideo latine melius dici posse rationem, quia Deus Pater ab aeterno non *sermonalis*, hoc est Sermonem extra se non protulerat. Verumtamen, quia natura sua ipse rationalis est, Rationem ab aeterno intra se habuit, quae eiusdem est cum illo substantiae, sed secunda et distincta persona, quandoquidem Pater eius ab aeterno solus non erat.

At hunc quidem verum esse Tertulliani sensum et mentem inde evidenter conficitur quod ibi disputet adversus Praxean, qui Filium sermonem Dei eundem omnino ac Patrem et ab illo distinctum non esse effutiebatur. Quid autem, obsecro, contra eum promovisset, si facteretur Dei Filium ac Sermonem ante mundi exordium non substituisse nec fuisse personam a Patre distinctam? Praecipua itaque causae suae parte sponte cadendo iugulum adversario dedisset. At tantum abest ut id concedat, quin potius constantissime asserat Sermonem Dei ante mundi creationem et ab aeterno a Patre esse distinctum atque ab eo secundum.

Sed nihil remittit Petavius urgetque Tertullianum aperte docuisse



tunc perfectam fuisse Filii Dei nativitatem, cum Deus ex nihilo creavit omnia. Antea igitur nec ortus nec persona nec substantia erat: ac proinde nec Dei Filius (Petav. tom. II. Theolog. Dogmat. lib. I. cap. 5. p. 25.). Nam ea sunt loco citato, quae iam retulimus, illius verba (Tertull. lib. adv. Prax. cap. 7.): *Haec est nativitas perfecta Sermonis dum ex Deo procedit, conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiae: Dominus condidit me initium viarum suarum. Dehinc generatus ad effectum: Cum pararet caelum, aderam illi* (Proverb. VIII. 22. 27.). Ergo Filii Dei nativitas tunc tantum, inquit Petavius, perfecta a Tertulliano dicitur, quando Deus per ipsum, qui Sermo eius est, et mundum et omnia creavit.

Verum doctissimus ille vir animadvertere potuit duplicem ab Auctore nostro distingui Dei Patris sermonem. Primus namque ipsi est intimus, quem Graeci ἐνδιάθετον, alter externus et prolativus, quem προφορικὸν appellant (Tertullian. loc. cit.). Deus autem Pater priore illo intimo Sermonem, ait Tertullianus, omnia creare et suas edere in substantias et species intra se ipsum disposuerat ac cogitaverat. Tum deinde Sermonem hunc suum extra se et exterius emittendo universa creavit. Atqui iam vidimus a Tertulliano asseri, repeti et inculcari illum interiorum sermonem ab omni aeternitate genitum a Patre suo, qui idcirco ab eo gradu et ordine distinctus secunda est sanctissimae Trinitatis persona.

Cur ergo, inquit, tam aperte declarat non ab aeterno, sed mundi initio perfectam fuisse eius nativitatem et tunc suam accepisse speciem, ornatum, sonum et vocem? Sed numquid Tertullianus eo dementiae, inquam, venit, ut imperfectam aliquando vel tantum inchoatam putaverit Filii Dei generationem, ac postea sumpsisse speciem et ornatum, atque ita perfectam et consummatam (Ibid.)? Non eo igitur sensu eam imperfectam appellavit, sed quo ipse modo ibidem explicat; quia etsi ab aeterno perfecta fuerit, intra Dei tamen sinum latebat nullique nisi ipsimet soli Deo erat cognita. Ast ubi mundum condendo hunc Sermonem suum extra se protulit, ac veluti *ex cordis sui vulva et matrice*, uti loqui amat, *extra se emisit*, tunc ille aeternus sermo sumpsit sonum et vocem, atque idcirco exteriorem ornatum et speciem. Tunc enim a creaturis ratione praeditis agnitus fuit. Nomen quippe species apud bonos auctores idem significat ac rei alicuius demonstratio. Et vero species, inquit Nonius, *ab adpectu dicitur*. Cum igitur Sermo Dei sive aeternus Dei Patris Filius extra illum principio mundi emissus est, tum speciem et ornatum sive sonum et vocem accepit et perfecta fuit eius nativitas, non quidem quoad se, sed quoad creaturas, quae eam agnoverunt.

Non amplius ergo ii audiendi sunt, qui rursus obiciunt dictum ab eodem Tertulliano: *Deus non sermonalis a principio* (Ibid. cap. 5.). Nam continenter addidit: *sed rationalis Deus etiam ante principium, et quia ipse quoque Sermo ratione consistens priorem eam Rationem ut substantiam suam ostendat*. Si autem Deus rationalis fuit ante principium sive ab aeterno, ille etiam ab aeterno protulit Rationem, quae, ut saepius dictum, Sermo et Filius eius est (Ibid. cap. 8.). Tum deinde, *hic Sermo*, inquit, *spiritu structus est et, ut ita dixerim,*

*Sermonis corpus*, id est substantia, est spiritus. Fatetur autem utrumque, etsi unum idemque sint, posse aliquo modo distingui (Ibid. cap. 26.): *Nam spiritus*, ait ille, *substantia est sermonis et sermo operatio spiritus et duo unum sunt*. Hic autem Sermo Dei Patris, sive ipsa eius spiritus operatio, creaturis non prius innotuit quam mundus conderetur. At huius operationis sive generationis Filii Dei cognitio a Tertulliano appellatur perfecta nativitas, quia quae antea soli Deo Patri cognita erat, tunc creaturis ratione praeditis patefacta est.

Nobis tamen Petavius et alii adhuc obiectant haec Tertulliani de eadem Filii Dei apparitione verba (Petav. tom. II. Theolog. Dogmat. lib. I. cap. 5. p. 26. Tertull. lib. adv. Prax. c. 12.): *Sed et in antecedentibus operibus mundi quomodo scriptum est? Primum quidem nondum Filio apparente: Et dixit Deus, Fiat lux, et facta est, ipse statim Sermo lux vera, quae illuminat hominem venientem in hunc mundum, et per illum mundialis quoque lux. Et inde autem in Ser-mone Christo assistente et administrante Deus voluerit fieri et Deus fecit . . . . per quem omnia facta sunt*. Inde autem concludunt ibi manifeste demonstrari Filium et Spiritum secundam et tertiam Trinitatis personam non fuisse ex aeterno subsistentes, sed quando Deus mundum voluit facere ac reipsa fecit.

At observandum est Tertullianum his verbis respondisse Praxae haeretico, Catholicis obiicienti Deum, cui nihil impossibile est, potuisse se ipsum et Patrem et Filium simul facere. Lubenter autem ille fatetur omnia quidem a Deo posse fieri, sed non omnia, quae potuit, ab illo esse facta. Debat igitur Praxaeas evidenter demonstrare Patrem revera se ipsum fecisse tam Patrem quam Filium, sive non alium esse Filium quam ipsum Patrem. Contra vero Tertullianus eo securius affirmat id a Praxae non posse unquam probari, quo facilius varia congerit Scripturae testimonia, quibus, inquit, apud nos distincte Pater et Filius demonstrantur, distincte, inquam, non divise (Ibid. cap. 12.); quandoquidem Filius Dei, sicut toties diximus, a Patre prodivit atque idcirco ab eo est quidem distinctus, sed non divisus et separatus, quia eadem est utriusque substantia. Tum dehinc Scripturae eiusdem auctoritate ostendit tres esse Trinitatis personas unitate simplici connexas. At ibi ea protulit verba, quae nobis obiiciuntur, ac posthaec concludit omnia facta esse per Dei sermonem sive per Filium Dei, qui et ipse Deus est. Quia ergo Dei sermo est, idcirco ab eo distinguitur, et alius dicitur *personae*, inquit, *non substantiae nomine; ad distinctionem, non ad divisionem*. Quomodo autem una est illius et Patris substantia et unus cum eo Deus, nisi ab aeterno, sicut Pater fuerit? Cum igitur dixit Filium Dei ante mundi exordium non apparuisse, haud obscure significat illum tunc nulli creaturae fuisse cognitum. Ubi vero, uti ille ibidem ait, primo dictum est, *Fiat lux*, tunc statim lux facta est et apparuit lux vera, sive Sermo Dei, non quidem quia tum primum nec antea extitit, qui ab aeterno genitus fuerat, sed quia tunc hominibus coepit apparere qui est lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. At tantum abest ut haec Tertulliani nostri responsio Petavio aliisque faveat, quin potius totam funditus evertat eorum argumentationem.



Scimus quidem illius verba alium in sensum a Bullo detorqueri. Ea enim valde obscura esse confitetur, sed quae tamen suspicatur de Filii apparitione sic esse intelligenda: Filius Dei, ait ille, quatenus est aeterna Ratio et Sophia, tunc in primis apparere incepit, quando Deus inconditam et confusam rerum materiem sapientia sua disponere, ordinare et exornare aggressus est. At ex confusa nec ordinata rerum congerie, quae chaos vocatur, nondum eluxerat Dei Sapientia et Sophia. Tum vero clarissime emicuit, quando lux primigenia, tanquam imago Filii Dei, qui aeternae lucis splendor est, materiam illustravit resque singulas sua vestivit specie suoque ornatu. Sed huic interpretationi illud repugnare videtur, quod non minus ex inordinatae et confusae materiae, quam ex lucis primigeniae creatione emicat Dei sermo et Filius, per quem et lux quaelibet et cetera omnia creata sunt. Si quis tamen recte probaverit veram esse banc, quam Bullus affert, verborum Tertulliani explicationem, huic non admodum reluctabimur, modo inde etiam colligi possit a Tertulliano agnosci aeternum lucis sive filii Dei splendorem aeternamque generationem ab ipso tam constanter, uti vidimus, assertam ac propugnatam.

## ARTICULUS IX.

Solvitur aliud argumentum, inde petitum, quod Tertullianus dixisse videtur fuisse tempus quo Filius Dei non erat.

Alia Petavii argumentatione, ex Tertulliani contra Hermogenem libro deducta, probari adhuc posse opinatur illi incompertam penitus fuisse Filii Dei aeternitatem. Africanus siquidem Auctor noster disertissime, uti Petavio videtur, pronuntiat tempus fuisse quo Filius Dei non erat. Purum autem putumque illud Arii et sectatorum eius commentum putat eruditus ille vir a Tertulliano asserti, ubi Hermogenis, qui materiam Deo coaeternam esse garriebat, argumenta diluit. Materiae enimvero aeternitatem haereticus ille homo demonstrare eo nitebatur, quod Deus nunquam non Dominus fuerit. At Dominus, inquiebat, semper esse non potuit, nisi materiae, cuius semper dominus haberetur. Sed hoc Hermogenis argumentum refellit Tertullianus negatque Deum semper fuisse Dominum (Tertull. lib. adv. Hermog. cap. 3.): *Deus enim, uti ait, substantiae ipsius nomen, id est Divinitatis, Dominus vero non substantiae, sed potestatis.* Dominus ergo tantum fuit, ex quo ea esse coeperunt, quae Deus in potestate habuit. Tum deinde sic prosequitur: *Quia et pater Deus est, et iudex Deus est, non ideo tamen pater et iudex semper, quia Deus semper. Nam nec pater potuit esse ante filium nec iudex ante delictum. Fuit autem tempus cum et delictum et filius non fuit, quod iudicem et qui patrem dominum faceret: sic et dominus non ante ea quorum dominus existeret, sed dominus tantum futurus quandoque, sicut pater per filium, sicut iudex per delictum; ita et dominus per ea quae sibi servitura fecisset.* Unde concludit Petavii a Tertulliano clare ac perspicue definiri fuisse tempus quo Filius Dei non erat.

Neque respondendum est Tertullianum non de Dei, sed quolibet hominum filio loqui. Nam ubi de Dei Sophia sive ipso Dei Filio

disserit, ibi de illo citat et interpretatur haec Proverbiorum verba (Proverb. VII, 22 et seq.): *Dominus condidit me initium viarum suarum: in opera sua ante saecula fundavit me . . . Prior autem abysso genita sum.* Sic autem ille inde argumentatur (Tertull. lib. adv. Hermog. cap. 18.): *Agnoscat ergo Hermogenes idcirco etiam Sophiam Dei natam et conditam praedicari, ne quid innatum et inconditum praeter solum Deum crederemus. Si enim intra Dominum quod ex ipso et in ipso fuit sine initio non fuit, Sophia scilicet ipsius, exinde nata et condita ex quo in sensu Dei ad opera mundi disponenda coepit agitari, multo magis non capit sine initio quidquam fuisse quod extra Dominum fuerit.* Ibi sane Tertullianus, inquit, palam asseverat Sophiam sive Dei Filium non fuisse sine initio illudque accepisse, ac Sophiam tunc natam ac conditam, quando coepit ad opera mundi disponenda in sensu Dei agitari.

Totam autem hanc argumentationem et integra Auctoris nostri verba retulimus, ne ullus nos aliquid aut dissimulasse aut praetermississe causetur. Neque etiam dissimulabimus haec Tertulliani loca adeo obscura et difficilia quibusdam videri, ut argumentationi ex iis ductae nihil aliud respondendum censuerint, nisi his Hieronymi verbis, quibus Helvidio, eiusdem Tertulliani alia de causa auctoritatem proferenti, respondet Hieronymus (lib. adv. Helvid. p. 141.): *Et de Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam Ecclesiae hominem non fuisse, id est in varios haereticorum errores prolapsum.* Sed hoc responso difficultatis nodus secatur, non solvitur. Nam Tertullianus hunc librum scripsit adhuc Catholicus et Ecclesiae homo. Deinde vero, etiamsi in varios errores inciderit, atque, ut Hilarii verbis utamur, *quanquam error hominis detraxit scriptis probabilibus auctoritatem* (Hilar. Comment. in Matth. cap. 5. p. 630.), nos tamen supra ostendimus Catholicum de divina et aeterna Filii Dei generatione dogma ab illo, sive orthodoxo sive haeretico, constanter assertum ac vindicatum.

Vero itaque similior fortassis videbitur aliorum responsio, qui dicunt Tertullianum, acerrimi ingenii virum, haud insolito disputantium more in maxima de materiae aeternitate cum Hermogene haeretico contentione paulo ultra quam par erat abreptum fuisse (Bull. Defens. Fid. Nicaen. Sect. III. cap. 10. n. 4.). Nemini enim vel mediocriter in legendis eius libris versato incompertum esse potest illum ad stabiliendam aliquam propositionem undique argumenta colligere ac ea etiam quae non magni erant momenti. Non ergo, inquit, ex citatis huius libri verbis iudicandum est, quid ille de aeterna Filii Dei generatione senserit, sed ex aliis, ubi sedato pacatoque animo suam, uti vidimus, et totius Ecclesiae de suprema Filii Dei divinitate et aeternitate doctrinam explicavit.

Sed accuratius, si lubet, expendamus utrum ille verae et a stabilitate doctrinae limites in obiectis locis reipsa sit transgressus. In priore autem dixit Deum non semper fuisse dominum, *sicut nec pater potuit esse ante filium, nec iudex ante delictum.* Atqui ibi quaestio non de patre et iudice, sed tantum de domino erat. Exempla igitur sunt, quae ad confutandum Hermogenem adhibet. Cuiuslibet autem, sive creati sive increati patris et iudicis, exempla ad eius propositum pariter conducebant.



Esto tamen et concedamus, si lubet, illum de vero Deo Patre eiusque Filio loqui, numquid inficias ire potuit illum suo Patri esse coaeternum? Nonne satis superque probatum est quam praeclare ac saepe praedicaverit Sermonem seu Filium Dei, qui Patris sui ratio est, semper in illo fuisse nec unquam ab eo separatum ac proinde esse aeternum? Quamobrem ubi dicit tempus fuisse, quo ille non erat, ibi proculdubio negare noluit eius aeternitatem, quam saepius alibi asseruit ac tutatus est.

Quis ergo, inquires, verborum eius sensus, quibus eam tam aperte inficiari videtur? Nobis facile quidem persuadēbis nihil aliud sibi voluisse, quam aliis supra explicatis, quibus dixerat tunc perfectam fuisse illius nativitatem, quando Deus ad mundum creandum aggressus est. Tametsi enim antea et ex aeterno, uti ostendimus, hic Filius Dei genitus fuerit, nondum tamen ex aeterni Patris sinu seu intellectu, tanquam ex eius matrice, vulva et corde excesserat. Ante res igitur creatas nec Filius esse nec Patrem habere cognoscebatur? Cum autem Pater illum extra se emisit, tunc eius generationem et illum revera Filium Dei esse homines agnoscere coeperunt. Tertullianus itaque, ut frivolam Hermogenis ex voce *Domini* sumptam argumentationem efficacius everteret, dici posse arbitratus est fuisse tempus quo nec Deum esse Patrem nec eius Filium homines agnoscebant, quia huius generatio et nativitas ipsis comperta et agnita non fuerat. Ast ubi eam agnoverunt, tunc, sicuti dictum ab eo vidimus, haec generatio perfecta fuit. De hac igitur perfecta, eo quo notavimus sensu, generatione loqui videtur.

At hanc revera esse illius mentem confici potest ex citatis ipsiusmet adversus Hermogenem verbis: *Sophia ipsius, inquit, exinde nata et condita, ex quo in sensu Dei ad opera mundi disponenda coepit agitari* (Tertullian. lib. advers. Hermogen. cap. 18.), quia haec ipsa Sophia, quae illo, ut diximus, fatente in Deo patre semper fuit, hominibus ex ipso nata apparuit ac manifesta ipsis facta est. Non enim dixit eam tum primum ortam ac genitam. Nam hoc ipso loco, quo Hermogenis argutias explodit, illam ab aeterno ortam fuisse disertissime praedicat: *Si necessaria est, inquit, Deo materia ad opera mundi, ut Hermogenes existimavit, habuit Deus materiam longe digniorem et idoneiorem, non apud philosophos aestimandam, sed apud prophetas intelligendam, Sophiam suam scilicet. Haec denique sola cognovit sensum Domini. Quis enim scit quae sunt Dei et quae in ipso, nisi spiritus qui in ipso? Sophia autem spiritus. Unde ille concludit: Quis non hanc potius omnium fontem et originem commendat, materiam vero materialium non sibi subditam, non statu diversam, non motu inquietam, non habitu informem, sed insitam et propriam et compositam et decoram, quali Deus potuit egisse, sui magis quam alieni egens?* At quis non intelligit ibi a Tertulliani asseri Sophiam Dei ab omni aeternitate fuisse a Patre suo genitam, quae spiritus tantum est ac Dei Patris consiliarius, quae ab eo non *statu*, id est, ut supra notavimus, substantia est diversa, sed *propria* ac semper insita fuit et qua sola, nec ulla alia re, ad mundi creationem egebat, si tamen Deus aliquo unquam eguisse dici possit?



His porro ita stabilitis Hermogeni Deum materia indiguisse atque adeo ipsi esse coaeternam effutienti respondet: *Idcirco etiam Sophiam Dei natam et conditam praedicari, ne quid innatum et inconditum praeter solum Deum crederemus* (Ibid.) Dicit itaque Sophiam, seu Sermonem et Filium Dei, aliquando natam praedicari et *agitari* coepisse iuxta citatum ab illo prophetae dictum, *Eructavit sermonem optimum: Atque ita natus, inquit, Sermo Dei, qui et eius Sophia est*, quia ex sinu Patris sui, in quo ab aeterno genitus latuerat, tunc exivit et excessit atque ita, ut diximus, perfecta fuit eius nativitas, quia tum nec antea hominibus patefacta et demonstrata est. Quemadmodum autem haec ipsa Filii Dei generatio, ita etiam divini eius Patris dominatio, imo et paternitas, a creaturis rationis compositibus coepit mundi primordio agnosci, et Deus sicut Patris, ita et Domini appellari nominibus. Porro autem hanc esse Tertulliani mentem inde conficitur, quod ibi disputet adversus Hermogenem, qui contendebat Deum ab aeterno non esse Dominum, nisi habuerit extra se materiam cuius revera dominus fuerit. Ceterum quamvis Tertullianus ab omni argumentationis huius difficultate sese penitus non extricaverit, nemo tamen inde concludere merito potest ab illo negatam fuisse Filii Dei aeternitatem ac divinam naturam. Quis enim nescit intellectum difficillima quaedam documenta a pluribus haud dubitanter asseri, qui omnes quibus implicantur difficultatum nodos penitus solvere non possunt? At evidentissime ostendimus quam constanter, quam diserte et sine ullis verborum ambagibus Tertullianus asseruit ac vindicavit Filii Dei aeternitatem divinamque eius naturam. Sed illam adhuc alibi non minus perspicue praedicat, quemadmodum in sequenti capite videbimus.

## CAPUT IX.

De Christo Deo et homine.

### ARTICULUS I.

De humano Christi ex virgine ortu, a sacris prophetis praenuntiato; cur dicitur homo Deo mixtus; eius in terras adventum non posse reiici a gentilibus, qui ad destruendam illius veritatem quaedam similia fluxerant.

Satis abunde, nisi plane fallimur, a nobis demonstratum est, quam vera orthodoxaque fuerit Tertulliani de suprema Verbi sive Sermonis et Filii Dei divinitate sententia ac doctrina. Sed his lucis adhuc aliquid afferre ea possunt quae ille de eodem Dei Filio humana carne induto tradidit. Gentilibus autem breviter huncque in modum explicat quid de illo Christiani sentirent: *Iste Dei radius, id est Filii Dei, qui ex Patris sui sinu tanquam radius ex sole prodiit, ut retro semper praedicabatur ab antiquis, nimirum prophetis, delapsus in virginem quandam et in utero eius caro figuratus nascitur homo Deo mixtus* (Tertullian. Apologet. cap. 21.). Sed haec alio in libro clarioribus hisce verbis exposuit: *Itaque utriusque substantiae census hominem et Deum exhibuit; hinc natum, inde non natum, hinc carneum, inde spiritalem, hinc infirmum, inde praefortem, hinc morien-*

tem, inde viventem. Quae proprietas conditionum divinae et humanae aequa utique naturae utriusque veritate dispuncta est, eadem fide spiritus et carnis; virtutes spiritum Dei, passiones carnem hominis probaverunt (Idem lib. de Carne Christi cap. 5.). Luculenter igitur docet perfectam omnino fuisse in Christo divinam humanamque naturam. Nec minus aperte declarat duas illas Christi naturas confusas non fuisse, sed a se invicem ita distinctas, ut penitus diversae sint earum proprietates.

In Apologetico itaque cum ab eo dictum est: *Nascitur homo Deo mixtus* (loc. supr. cit.), ibi proculdubio non significat duas eius naturas, uti postea Eutychiani somniaverunt, fuisse permixtas et confusas, sed sic sibi, sicut alibi patefecimus, copulatas et coniunctas, ut Christus et verus Deus et verus homo sit (Dissert. in Lactant. cap. 17. Art. 3.).

Non communi autem hominum more illum hominem factum esse docet, sed *delapsus*, inquit, *in virginem*, quae sine ullius viri opera illum genuit (Apologet. loc. cit.). Verum quia hoc creditu difficillimum vel ab ethnicis irrideri poterat, Tertullianus consulto sane cunctos admonet illud a sacris praenuntiatum fuisse prophetis, quorum auctoritas a nemine, ut supra diximus, potest infirmari. Quapropter ille paulo ante dixerat: (*Venit igitur qui ad reformandam et illuminandam eam, gratiam Iudaeorum Christianis transmissam, venturus a Deo praenuntiabatur Christus ille Filius Dei*). *Huius igitur gratiae disciplinaeque arbiter et magister, illuminator atque deductor generis humani, Filius Dei annuntiabatur non quidem ita genitus, ut erubescat in filii nomine, aut de patris semine . . . . Dei Filius nullam de impudicitia habet matrem; etiam quam videtur habere, non nupserat* (Ibid.). Omnia haec totidem verba in nostris codicibus manuscriptis et antiquis editionibus ad Rigaltium usque exhibentur. Sed Rigaltio, quem alii postea secuti sunt, primam huius loci phrasim inuencis inclusam penitus resecaere placuit. Nullam tamen amputationis illius reddidit rationem, immo ne minimum quidem verbum. At tametsi haec phrasim inutilis prorsus et textui Tertulliani omnino praepostere inserta ipsi visa sit, lector tamen huius additamenti saltem admonendus erat.

Ceterum nulli obscura esse potest sententia Tertulliani, qui manifestissime pronuntiat Filium Dei delapsum esse in virginem, ex qua humanum corpus accepit. Virginem autem dixit, quia hic Dei Filius nullam, inquit, *de impudicitia matrem habet; etiam quam videtur habere, non nupserat*. At si ulla absque impudicitiae labe et maritali consortio mater facta est, certe Christum salva virginitatis suae integritate genuit. Sed qua ratione, inquiet aliquis, dici potuit: *non nupserat*? Nonne plerique omnes illam Iosepho nuptam revera fuisse asseverant? Respondent aliqui hoc verbo *non nupserat* nihil aliud significari, nisi Mariam virum non cognovisse. Nam et ipsa angelo respondit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* (Luc. cap. I. v. 34.). Sed his probandum erat a quibus verbum *nubo* hoc sensu accipiatur. Nonnullis vero haec, quam Hieronymi esse putant, probatur opinio, Mariam, quando concepit Christum, sponsam sive, ut Evangelistarum utamur verbo, *desponsatam* quidem fuisse Iosepho, cui

post breve a conceptu intervallum nupta est. Sed nullus Tertulliani mentem certius, quam ille ipse aperire potest (Petav. tom. V. Theolog. Dogmat. lib. XIV. cap. 3. §. 10. Hieronym. adv. Helv. p. 31.). At in suo de Carne Christi libro haec de Maria virgine scripsit: *Etsi virgo concepit, in partu suo nupsit, ipsa patefacti corporis lege, quam ibidem citat: Omne masculinum adaperiens vulvam sanctum vocabitur Domino* (Ibidem lib. de Carne Christ. cap. 23.). Vides sane verbum *nubere* hic ab eo sumi pro virginis partu, quo vulva eius reserata est. Non iam quidem quaerimus quo sensu eam apertam esse dixerit, de quo in nostris ad Ambrosium observationibus. Nobis enim nunc sufficit illud, de quo igitur verbum *nubere* ab eo accipi pro muliebris uteri in partu patefactione (Not. in Ambros. Exposit. Evang. sect. Luc. p. 1300.). Sicut autem negare non possumus hanc minime propriam esse huius verbi significationem, ita certe omnes fateri debent illibatam Mariae virginitatem ab illo evidentissime asseri (Tom. I. Appar. lib. III. Dissert. II. cap. 6. Art. 9. p. 973.). Non in suo enim tantum Apologetico, sed alio etiam in libro, ut alibi vidimus, illud documentum stabilit ac confirmat tanquam ab universa sui temporis Ecclesia et antea magno consensu receptum. Nos vero de eo in superioribus nostris dissertationibus disputavimus (Ibid. lib. II. Dissert. VI. cap. 7. §. 5. p. 597. Dissertat. in Lactant. cap. 17. Art. 3. tom. I. Appar. loc. cit. et lib. III. Dissert. II. cap. 6. Art. 4. p. 597 et seqq. et Dissert. in Lactant. cap. 8. Art. 1.).

Palam adhuc Tertullianus profitetur hunc Christi ex virgine ortum et adventum in terras a sacris nostris vatibus praenuntiatum fuisse. Sed quae sint illorum oracula hoc in libro, in quo brevitati consulebat, plane tacuit. Plura vero ille in libro adversus Iudaeos et alii in aliis libris retulerunt, de quibus adhuc in iisdem superioribus nostris dissertationibus actum a nobis fuit. Omittere tamen non possumus Iustini Martyris testimonium, quod Tertulliani dictis optime congruit eaque mirum in modum confirmat. Ubi enim sanctissimus ille martyr plures de futuro Christi adventu sacrorum prophetarum praedictiones citat atque hanc inprimis Isaiae, *Ecce virgo in utero habebit: ibi ostendit nullam inde ethnicis dari occasionem suum excusandi lovem, qui plures adulterino concubitu liberos susceperat. Nam illud Isaiae vaticinium: Σημαίνει οὐ συνουσιασθεῖσαν τὴν παρθένον συλλαβεῖν· εἰ γὰρ ἐσυνουσιάσθη ὑπὸ ὄτουοῦν, οὐκ ἔτι ἦν παρθένος· ἀλλὰ δύναμις Θεοῦ ἐπελθούσα τῇ παρθένῳ ἐπεσκίασεν αὐτήν καὶ κωφορήσαι παρθένον οὕσαν πεποίηκε. Significat virginem absque consuetudine venerea concepturam fuisse. Si enim cum quoquam consuevisset, non iam virgo fuisset. At enim virtus Dei virgini superveniens illi obumbravit et virgo cum esset, ut foetum gravida in utero ferret, effecit* (Iustin. Apolog. I.).

Verum si certo nullus pronuntiare audeat Tertullianum ad haec collineasse Iustini verba, nemini profecto dubium esse potest, quin Cyprianus ad hunc Tertulliani nostri locum respexerit, cum haec scriptis tradebat: *Huius igitur indulgentiae, gratiae disciplinaeque arbiter et magister Sermo et Filius Dei mittitur, qui per prophetas omnes retro illuminator et doctor generis humani praedicabatur . . . . Hic in*



*virginem illabitur, carnem Spiritu sancto cooperante induitur: Deus cum homine miscetur* (Cyprian. lib. de Idolor. Vanit. p. 15.). Mixtus autem ab eo, sicut a Tertulliano dicitur, non utriusque naturae divinae et humanae ficta ab Eutychanis confusione, sed quia Christus, ut paulo ante monuimus, utramque naturam perfectam divinae suae personae coniunctam copulatamque habet.

Tum dehinc Auctor noster ipsosmet gentiles allocutus haec ab iis reiici non posse sic demonstrat: *Recipite interim hanc fabulam, sive sicuti fabulam, similis est vestris, dum ostendimus quomodo Christus probetur. Sciebant qui penes vos fabulas ad destructionem veritatis istius aemulas praeministraverunt* (Tertullian. Apologet. cap. 21.). In nostris vero manuscriptis codicibus et ante Rigaltium editis post verbum *probetur* haec aliter sicque scripta sunt: *et qui penes vos eiusmodi fabulas aemulas ad destructionem veritatis istiusmodi praeministraverint*. Cur vero Rigaltius haec verba immutaverit, nullam ab eo expectes rationem. Tertullianus autem adversus ethnicos sic argumentatur: Obiicere mihi potestis ea, quae de Christo eiusque ex virgine ortu et humana vita dixi, meram esse fabulam. At etsi id vobis concederem, hanc tamen non respuere, sed recipere debetis, quippe quae iis similis est, quas finxistis. Ostendimus enim quomodo Christus de virgine natus probetur, ac plures esse scriptores, qui similes fabulas *ad destructionem veritatis penes vos praeministraverint*. Dic autem, quaeso, utrum hic descriptorum in codicibus nostris verborum Tertulliani sensus magis quam in Rigaltiana editione obscurus sit.

Ceterum antea Iustinus Martyr simili plane modo contra eosdem gentiles disputaverat: *Εἰ δὲ καὶ διὰ παρθένου γεγεννησθαι φέρομεν, κοινὸν καὶ τοῦτο πρὸς τὸν Περσεῖα ἔστιν ὑμῖν. Quod vero et ex virgine Christum natum esse praedicamus, commune sit hoc quoque propter Perseum vobiscum* (Iustin. Apolog. I.). Nota enimvero est omnibus haec fabula, qua gentiles commenti sunt Iovem in aureum imbrem conversum descendisse ad Danaën et ab ea Perseum genuisse. Alias praeterea ethnicorum fabulas ibidem sanctus martyr memorat, quas his, quae de Christo vere narrantur, similes esse ostendit. Postea vero ille adiecit fabulas huiusmodi ab ethnicis poetis, instinctu dolisque daemonum ideo decantatas, ut quae a Christo mirabiliter gesta sunt, pro fabulis poetis commentis haberentur.

Nemo est autem qui nobis etiam silentibus non intelligat quantum haec Tertulliani dictis congruant atque inde confirmentur. Non unam enim tantum de Iovis cum Danaë nefario concubitu fabulam, sed alias etiam plures paucis hisce verbis perstrinxit: *Filius Dei annuntiatur non quidem ita genitus, ut erubescat in Filii nomine aut de Patris semine, non de sororis incesto, non de stupro filiae aut coniugis alienae Deum patrem passus est squamatum aut cornutum aut plumatum amatorem, in auro conversum. Danaidis Iovis ista sunt nomina vestra* (Tertullian. Apologet. cap. 21.). Atque ita haec leguntur in nostris codicibus manuscriptis et editis vetustioribus, nisi quod in his punctum post nomen *Danaidis* posuere et *aurum* pro *auro*. At Rigaltius illud *Danaidis* nomen abstulit propria, uti liquet, auctoritate

et contra omnium codicum manuscriptorum et editorum fidem. De his porro Iovis ad virgines et mulieres constuprandas conversionibus a nobis dictum est in superioribus nostris ac praesertim in Arnobii libros dissertationibus (Dissertat. in Arnob. cap. 9. Art. 4.).

## ARTICULUS II.

Eundem Christi in terras adventum non posse negari a Iudaeis, nisi caeca obstinatione mulctatis.

Postquam Tertullianus adversus gentiles eo, quem explicuimus, modo disputavit, tum continuo illa vera esse probat quae Christiani contra Iudaeos de Christi Domini adventu docebant. Sic quippe prosequitur: *Sciebant et Iudaei venturum esse Christum, scilicet quibus prophetae loquebantur. Nam et nunc adventum eius expectant nec alia magis inter nos et illos compulsatio est, quam quod iam venisse non credunt. Duobus enim eius adventibus significatis, primo, qui iam expunctus, sive exactus et confectus, est in humilitate conditionis humanae, secundo, qui concludendo saeculo imminet in sublimitate divinitatis exertae, id est conspicuae et manifestae, primum non intellegendo secundum, quem manifestius praedicatum sperant, unum existimaverunt* (Tertullian. Apologet. cap. 21.). De hoc autem Tertulliani fonte Cyprianus more suo potavit atque suos sic transtulit in usus: *Sciebant et Iudaei Christum esse venturum. Nam hic illis semper prophetis admonentibus annuntiabatur. Sed significato duplici eius adventu, uno quo in exercitio et exemplo hominis fungeretur, altero qui Deum fateretur, non intellegendo primum adventum, qui passione praecessit occultus, unum tantum credunt, qui erit in potestate manifestus* (Cyprian. de Idolor. Vanit. p. 15.).

Utèrque igitur fatetur verum fuisse Christi assumpta hominis carne adventum. Etenim ab veteribus sacrisque prophetis tam aperte, sicuti paulo ante monuimus, praenuntiatus est, ut Iudaei illum ignorare non potuerint. Verum quia Christus in humanae conditionis humilitate mortalem vitam egit, hunc Iudaei verum Messiam esse praefracte negaverunt ac superbia inflati expectant alterum, qui in fine mundi cum tota divinae maiestatis gloria venturus est. Sed alibi ostendimus voluntarium fuisse hunc Iudaeorum errorem, qui non solum a Tertulliano nostro et Cypriano, verum etiam a Lactantio funditus evertitur (Dissertat. in Lactant. cap. 17. Art. 5.).

Tanti autem Iudaeorum erroris tantaeque caecitatis causa, inquit Tertullianus, eorum fuit delictum, quemadmodum Isaias praedixerat. Sed ipsemet Auctor noster adhuc audiendus est: *Ne enim intellegerent pristinum Christi adventum, credituri, si intellexissent, et consecuturi salutem, si credidissent, meritum fuit delictum eorum. Ipsi legunt ita scriptum, mulctatos se sapientia et intellegentia et oculorum et aurium fruge* (Tertullian. Apologet. cap. 21.). Cyprianus vero sic rursus eius pressit vestigia: *Quod autem hoc Iudaeorum populus intellegere non potuit, delictorum meritum fuit. Sic erant sapientiae et intellegentiae caecitate mulctati, ut qui vita indigni essent, haberent vitam ante oculos, nec viderent* (Cyprian. lib. de Idolor. Vanit. p. 16.).



Ambo autem ad haec proculdubio collineabant ac tacito nomine citabant Isaiæ verba: *Dices populo huic: Audite audientes et nolite intelligere et vidite visionem et nolite cognoscere. Excaeca cor populi huius et aures eius aggrava et oculos claude, ne forte videat oculis et auribus audiat et corde suo intellegat et convertatur et sanem eum* (Isai. cap. VI. v. 9. et 10.). Quae quidem citata invenies non solum in Matthaei Evangelio et Actibus Apostolorum, sed a Ioanne etiam Evangelista hunc in modum: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excaecavit oculos eorum et induravit cor eorum ut non videant oculis et intellegant corde et convertantur, et sanem eos* (Matth. cap. XIII. v. 14. Act. cap. XXVIII. v. 26. Iohann. cap. XII. v. 39. et 40.). Sed de Iudaeis intolerabili prorsus obstinationis vitio obcaecatis, quique idcirco credere amplius non potuisse dicuntur, in nostra de Lactantii libris dissertatione iam disputavimus atque infra articulo tertio aliquid adhuc dicendum (Dissertat. in Lactant. cap. 16. Art. 2.).

Neque hic stetit indomita et caeca Iudaeorum perveritas, sed cum Christus inauditis hactenus miraculis ex aeterni sui Patris sinu se venisse unicuique manifestissime patefaceret, haec illi magicis artibus tribuere ausi sunt. Verum enimvero, quem solummodo, ita pergit Tertullianus, *hominem praesumpserant de humilitate, sequebatur uti magum aestimarent de potestate, cum ille verbo daemonia de hominibus excuteret, caecos reluminaret, leprosos purgaret. . . . ostendens sese λόγος Dei, id est verbum illud primordiale, primogenitum, virtute et ratione fultum* (Tertullian. Apologet. cap. 21.). Ita in Rigaltii editione. In nostris autem codicibus et antea editis: *Ostendens se esse, sive sese, Verbum Dei, id est λόγος, illud, ac post verbum fultum in eis additum est eundem qui verbo omnia et faceret et fecisset.* Sed quoniam priora verba a Rigaltio transposita fuerunt, aliquam saltem cur posteriora deleverit, rationem reddere debebat. Numquid autem ea reiecit, vel quia ibi est soloecismus, vel quia inutilia esse arbitratus est? Quid vero si pronomen *eundem* ad *λόγος* referatur? Nonne in Ioannis Evangelio legimus, *Principium qui et loquor vobis* (Iohann. cap. VIII. v. 25.)? Numquid in his minor est quam in Tertulliani verbis soloecismus? Denique ultima verba, quae in omnibus nostris codicibus legimus, nec superflua videntur nec parum ad Tertulliani conducunt propositum.

Maior itaque fuit Rigaltii diligentia, cum ibidem monitos lectores esse voluit, in quibusdam Auctoris nostri et Cypriani exemplaribus legi quidem *magnum*, sed aptius scriptum videri *magum*. Bene quidem. Tertullianus enim postea dixit: *Ecquis ille Christus cum fabula sua, si homo communis conditionis? si magus* (Tertullian. Apologet. cap. 20.)? Nos quoque praeterea observavimus in Harlaeano codice, ubi habetur *magnum*, apposita esse duo puncta infra litteram *n*, quibus superflua delendaque notatur. Tertulliani vero locus a Cypriano sic transcriptus est: *Cum Christus Iesus secundum a prophetis ante praedicta verbo et vocis imperio daemonia de hominibus excuteret, paralyticos restringeret, leprosos purgaret. . . . Iudaei, qui illum crediderunt hominem tantum de humilitate carnis et corporis, existimabant magum*



*de licentia potestatis*, et apud Tertullianum nostrum *de potestate* (Cyprian. de Idolor. Vanit. pag. 16.). In quatuor vero, quos nacti sumus, antiquioribus huius Cypriani libris manuscriptis codicibus legitur *magnum*, in aliis autem *magum*. Verumtamen posterior hæc lectio alteri praeponenda videtur quia uterque disserit de divina Christi potestate, qua miracula propemodum infinita et hucusque inaudita edebat, quae impudentissimi calumniatores Iudaei magicis illius artibus adscribere ausi fuerunt. De his autem Christi miraculis, quibus evidentissime comprobavit se esse Dei Filium et assumpto corpore humano vitam egisse mortalem in superiori aliisque dissertationibus nostris disputavimus (Dissert. in Lactant. cap. 9. Art. 2 et seqq. cap. 18. Art. 3.).

## ARTICULUS III.

Christum violentis Iudaeorum suffragiis, sicut ipse praedixerat, in crucem a Pilato Syriae procuratore actum, sponte et cum verbo spiritum dimisisse; de solis tum deliquit in arcana relato ac de Christi sepultura.

Quaquam tot tamque stupenda Christi miracula invictissime adversus Iudaeos ac quoscumque alios illum vere Deum et hominem fuisse ac cum hominibus vixisse demonstrent, hoc tamen Tertullianus satis sibi non esse arbitratus est. Pergit enim nec minus luculenter demonstrat id adhuc stabiliri confirmarique posse aliis similibus miraculis, quae ab illo ante et post mortem edita sunt. Eum ergo sequamur et de illa Christi morte disserentem audiamus: *Ad doctrinam*, inquit, *eius quia* (manuscripti codices: *qua*) *revincebantur, magistri primoresque Iudaeorum ita exasperabantur, maxime quod ad eum ingens multitudo deflecteret, ut postremo oblatum Pontio Pilato, Syriam tunc ex parte Romana procuranti, violentia suffragiorum in crucem* (manuscripti codicis: *Iesum*) *dedi sibi extorserint* (Tertullian. Apologet. cap. 21.). Cyprianus vero haec ab Auctore nostro sic mutuatus est, ut quaedam etiam decerpserit illius verba: *Hunc*, inquit, *magistri eorum, Iudaeorum, atque primores, hoc est quos et doctrina ille et sapientia revincebat, accensi ira et indignatione provocati postremo detentum Pontio Pilato, qui tunc ex parte Romana Syriam procurabat, tradiderunt, crucem eius et mortem suffragiis violentis ac pertinacibus flagitantes* (Cyprian. de Idolor. Vanit. pag. 16.). Quod autem uterque ac postea Lactantius tam diserte appellant Pilatum Syriae procuratorem, hoc non caret difficultate; sed eam in nostra ad huius libros dissertatione enodare tentavimus. Rationem quoque reddidimus cur Iudaei dicantur doctrina Christi *exasperati*, hoc est asperiores facti, sive, ut ait Cyprianus, *ira et indignitate accensi*, quia legem eorum solvebat et antiquabat (Dissertat. in Lactant. cap. 18. Art. 2.).

Addit autem Tertullianus: *Praedixerat et ipse ita facturos. Parum hoc* (in manuscriptis desideratur pronomen *hoc*), *si non et prophetae retro* (Tertullian. Apologet. cap. 21.). Sed haec paulo fusius apertiusque a Cypriano his verbis explicata sunt: *Hoc eos facturos et ipse praedixerat et prophetarum omnium testimonium sic ante praecesserat, oportere illum pati, ut non sentiret tantum mortem, sed ut*

*vinceret* (Cyprian. de Idolor. Vanit. pag. 16.). Quo autem modo Christus inferendam sibi a Iudaeis necem praedixerit, non unus tantum, sed omnes Evangelistae maximo plane consensu testificati sunt. Ab ipsis quoque Veteris Testamenti prophetis annuntiatam fuisse alibi ostendimus (Matth. cap. XX. v. 18. 19. Marc. X. v. 35. Luc. X. v. 33. et VIII. v. 31. Iohann. III. v. 4. et VIII. v. 28.).

Tum deinde Auctor noster: *Et tamen suffixus cruci spiritum cum verbo dimisit, praevento carnificis officio* (Dissertat. in Lactant. c. 8. Art. 2. Tertullian. Apol. c. 21.). Ita quidem Rigaltius. Sed miram plane adverte ibi, sicut alibi, eius diligentiam. Non aliam quippe notavit diversam lectionem, nisi *et tandem pro et tamen*. At in omnibus nostris manuscriptis exemplaribus, sicut et antea editis, haec habentur: *Et tamen suffixus multa mortis illius propria ostendit insignia. Nam spiritum cum verbo sponte dimisit, praevento carnificis officio*. Si omnia autem haec verba Rigaltio non arridebant, cur nulla data ratione et illa abstulit et verbum *sponte*, quod apud Cyprianum, Tertulliani sequestrem fidumque interpretem sic legitur: *Crucifixus praevento carnificis officio spiritum sponte dimisit* (Cyprian. de Idolor. Vanit. cap. 16.). Nonne Rigaltius intelligere hinc potuit eadem esse Tertulliani verba, quae Cyprianus in huius Apologetici codice haud dubie legerat? Numquid etiam oblitus fuerat aut dissimulare potuit quod a Lactantio similiter scriptum observavimus: *Suspensus atque affixus exclamavit ad Dominum voce magna, et ultro spiritum posuit* (Dissertat. in Lactant. cap. 18. Art. 3.)? Obiter autem adverte his verbis *voce magna*, idem significari atque his Tertulliani nostri, *cum verbo dimisit*. At quid tandem Rigaltius alia abrasit eiusdem Tertulliani verba, quibus adversus Iudaeos aliosque probare voluit Christum Deum et hominem sponte sua esse mortuum, quemadmodum facta tunc ab eo miracula demonstrabant?

Quod vero ille ac postea Cyprianus dicunt, *praevento carnificis officio*, illud planius et enodatus his Lactantii verbis explicatur: *Fixus cum spiritum deposuisset, necessarium carnifices non putaverunt ossa eius suffringere, sicut mos eorum ferebat* (Lactant. lib. IV. Divin. Instit. cap. 26.). De hoc autem more Lipsius disputat, quem, si lubet et vacat, adire poteris (Lips. lib. II. de Cruce cap. 14. pag. 663. Tom. 3.).

Prosequamur interim et quid de Christo moriente addat Tertullianus videamus: *Eodem, inquit, momento, quo animam agebat, dies medium orbem signante sole subducta est. Deliquium utique putaverunt qui id quoque super Christo praedicatum non scierunt* (Tertullian. Apologet. cap. 21.). Et haec quidem nec plura leguntur in omnibus codicibus, cum editis antiquioribus, tum manu qualibet exaratis. Sed in editione sua haec adiecit Rigaltius: *ratione non deprehensa negaverunt*. Atque ita ille textui Tertulliani haec addidit, sicuti non pauca pluribus aliis in locis ex eo abstulerat. Unde autem illa desumpserit nobis nec ille indicat nec divinare utique possumus. Duobus autem usus est manuscriptis huius libri codicibus, Puteaneo et Pithoeano ac variis Fuldensis lectionibus. Puteaneum autem, antiquitate sua venerandum et Pithoeanum prae manibus habemus, in quibus superaddita illa verba non occurrunt. Notare igitur Rigaltius debebat

utrum inter variantes Fuldensis exemplaris lectiones reperiantur et cur huius solius auctoritatem ceteris omnibus praetulerit.

De memorata deinceps a Tertulliano solis defectione eiusque praedictione alibi disseruimus (Dissert. in Lactant. cap. 8. Art. 2.). Quantum vero ea percussi fuerint non solum Iudaei, sed etiam gentiles, ex his conice subsequentibus Auctoris nostri verbis: *Et tamen cum mundi casum relatum in arcanis vestris habetis* (Tertullian. ibid.). Quae quidem ita in nostris codicibus sicut in Rigaltii editione scripta sunt. At quis non laudabit singularem eruditi illius viri sedulitatem, qui nos ibi admonuit in aliis editionibus pro *arcanis* positum *archivis*? Maiori tamen laude dignus proculdubio foret, si hac aliisque nonnullis similibus certe levissimis lectionibus notatis alias longe plures et gravioris profecto momenti non praetermisisset. Nam *archiva* idem plane significant atque *arcana*, quae Festo et Servio testibus dicuntur secreta et clausa et a quibus omnes arcentur (Festus. lib. XX. de Verbor. Significat. Servius in Virgil. lib. I. Aeneid. v. 286.).

Porro autem illud solis *deliquium* in arcana gentilium relatum esse Auctor noster asseverat quia illud et alia, quae ante et post Christi mortem evenerant, a notariis publicis aut aliis descripta in eorundem gentilium archivis servabantur. Quae autem haec sint archiva sive arcana, an Romanorum vel aliorum gentilium, ex his forsitan colligi poterit, quae paulo post dicemus de Pilati ad Tiberium imperatorem de Christo litteris.

Interea vero animadvertemus manus adhuc a Rigaltio illatas his subsequentibus Tertulliani verbis: *Hunc Iudaei detractum de cruce et sepulcro conditum magna etiam militaris custodiae diligentia circum sederunt* (Ibid.). In nostris siquidem manuscriptis et antea editis exemplaribus legitur: *Tunc Iudaei . . . magna etiam militari manu custodiae diligentia circum sederunt*. Quid autem ibi nocebant haec verba: *magna militari manu*? Nonne his Auctor noster significantius expressit non parvum fuisse militum numerum, qui sepulcrum Christi diligentissime custodiebant? Sed cetera prosequamur.

#### ARTICULUS IV.

De Christi a morte ad vitam regressu, apparitionibus in Galilaea, ordinatis ad disseminandum Evangelium discipulis, illius in caelos ascensu, et iis omnibus a Pilato ad Tiberium imperatorem relatis: cur Caesares Christo credidissent, si non essent saeculo necessarii.

Pergit Tertullianus certioresque nos facit Christum praedixisse fore ut tertia post mortem suam die ad viam revocaretur (Tertullian. Apologet. cap. 21.). Recte quidem, quemadmodum a nobis alibi explicatum est (Dissert. in Lactant. cap. 8. Art. 2.). Suis autem Christus stetit promissis et rediit ad vitam. At *postquam ita resurrexisset*, eiusdem Auctoris nostri verba sunt: *nihil in sepulcro repertum est praeterquam exuviae sepulcri* (Ibid.). In codicibus nostris et aliis editionibus *sepulti*, et melius quidem. Nam exuviae dicuntur inprimis hominum et aliquando bestiarum. Quamobrem Lactantius: *In sepulcro*, inquit, *nihil repertum est, nisi exuviae, quibus convolutum corpus incluserant* (Lactant. lib. IV. Divin. Institut. cap. 29. Dissert. in Lactant. cap. 19. Art. 2.).

In eadem quoque nostra de huius libris dissertatione ostendimus quomodo ea explanaverit, quae a Tertulliano de Christi morte, sepultura et resurrectione dicta atque hunc in modum ibidem subiuncta sunt: *Nec ille, Christus, rediivus se in vulgus eduxit, ne impii errore liberarentur* (Tertullian. Apologet. cap. 21.). Ibi autem demonstravimus hunc loquendi modum, qui non solum a Tertulliano et Lactantio, sed Cypriano etiam ac sacris nostris Scriptoribus adhibetur, plane immerito ab heterodoxis quibusdam vexari (Dissert. in Lactant. loc. supr. cit. et cap. 17. Art. 5.).

Posthaec vero Tertullianus de Christo ad vitam revocato haec tradidit: *Cum discipulis quibusdam apud Galilaeam Iudaeae regionem ad quadraginta dies egit, docens eos quae docerent* (Tertullian. ibid.). Quid ergo? Numquid Christus per totum illud tempus in sola Galilaea ac cum quibusdam tantum discipulis suis versatus est? Nonne et alibi et omnibus discipulis apparuit? Sed Tertullianus, quia in hoc libro brevitati studebat, non id quidem negat ac quae in Galilaea sunt acta, narrasse sibi satis esse censuit. At Cyprianus, quamvis illum sequatur, non tam stricte, sed generaliter scripsit: *Apparuit discipulis suis — — ad dies quadraginta remoratus est, ut de eo ad praecepta vitalia instrui possent et discerent quae docerent* (Cyprian. de Idolor. Vanit. p. 16.). De his autem Christi apparitionibus et doctrina qua discipulos suos imbuit in aliis dissertationibus disputavimus (Dissertat. in Lactant. cap. 19. Art. 3. et Dissertat. in Caecil. de Mort. Persecut. cap. 4. Art. 2.).

In iisdem etiam enucleavimus quid significant haec subsequencia Tertulliani verba: *Dehinc ordinatis eis ad officium praedicandi per orbem circumfusa nube in caelum est ereptus* (Tertullian. loc. cit.). In nostris vero exemplaribus et aliis ante Rigaltium editis legimus: *In caelum est receptus*. Numquid Rigaltius illum loquendi modum ferre non potuit? Cur ergo his potius non usus est Cypriani verbis: *In caelum circumfusa nube sublatus est* (Cypr. lib. de Idolor. Vanit. p. 16.)? Nonne melius ex discipulo, si id liceret, magistrum correxisset? Sed auctoribus sua verba relinquenda sunt. Alias enim actum esset de genuinis veterum scriptorum operibus.

Addit Tertullianus Christum ad caelos conscendisse: *Multo melius quam apud vos, gentiles, asseverare de Romulis Proculi solent* (Tertullian. loc. cit.). Rursus vero in iisdem nostris et editis codicibus Rigaltio antiquioribus: *Multo verius . . . de Romulo Proculi solent*. Quis autem non videat hanc potiore genuinamque esse Tertulliani lectionem? Nam ibi asserit multo verius esse Christum in caelos ascendisse quam Romulum, quamvis Proculi, id est ii qui Proculi periurio abutuntur, affirmare soleant visum a se Romulum in caelos ascendentem.

Denique Auctor noster adiecit: *Ea omnia super Christo Pilatus, et ipse iam pro sua conscientia Christianus, Caesari tunc Tiberio nuntiavit. Sed et Caesares credidissent super Christo, si et Caesares non essent saeculo necessarii, aut si Christiani potuissent esse Caesares* (Ibid.). Mutuam autem his verbis alia ab eo superius scripta dant utique lucem. Haec autem totidemque sunt: *Tiberius annuntiata*

(manuscripti nostri et antiquae editiones *annuntiatum*) sibi ex Syriae Palaestina, quae (Pamelius quod) illic veritatem istius divinitatis revelaverant (idem manuscripti et aliae antiquiores editiones *revelaverat*) detulit ad senatum cum praerogativa suffragii sui. *Senatus, quia non ipse probaverat, respuit. Caesar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum* (Tertullian. ibid. cap. 5.). Eusebius vero totum hunc Tertulliani indicato eius nomine locum transcripsit. Prius autem narrat morem invaluisse, ut provinciarum rectores, quidquid novi apud ipsos contigisset, imperatori nuntiarent. Quamobrem Pilatus de resurrectione, inquit, *Servatoris nostri Iesu Christi, cuius per universam Palaestinam celebris fama erat, ad Tiberium principem retulit, multa quoque alia eiusdem miracula se auditu accepisse significans, et qualiter denuo ad vitam revocatus a plerisque iam Deus haberetur. At Tiberium quidem ad senatum retulisse perhibent, sed senatum huiusmodi relationem aspernatum fuisse; specie quidem, eo quod senatus auctoritas ad id non expectata videbatur, cum tamen lex vetus apud Romanos esset, ne quis absque decreto senatus pro Deo haberetur, re autem ipsa eo quod salutaris divinae doctrinae praedicatio auctoritate et auxilio hominum non indigeret. Cum igitur senatus relationem de Servatore repudiasset, Tiberius tamen in pristina sententia perseverans nihil adversus doctrinam Christi durius molitus esse dicitur* (Euseb. lib. II. Histor. Eccles. cap. 2. p. 40.). Ita Valesius interpretatus est verba Eusebii graeca, quae, quia paulo longiora sunt, hic non transcribimus. Deinde vero Eusebius Tertulliani verba graecam in linguam sic transtulit: *Τιβέριος οὖν ἀγγελθέντος αὐτῷ ἐκ Παλαιστίνης τοῦ δόγματος τούτου, ἐνθα πρῶτον ἤρξατο, τῇ συγκλήτῳ ἀνεκοινώσατο. Ἄλλος ἂν ἐκείνοις ὡς τῷ δόγματι ἀρέσκειται· ἢ δὲ σύγκλητος, ἐπεὶ οὐκ αὐτῇ ἐδεδοκιμάκει, ἀπώσατο. Ὁ δὲ ἐν τῇ αὐτοῦ ἀποφάσει ἔμεινεν, ἀπειλήσας θάνατον τοῖς τῶν Χριστιανῶν κατηγοροῖς*. Valesius vero haec iisdem latinis verbis reddidit, quae in codicibus nostris et editionibus ante Rigaltium exhibita vidimus. Verum in suis notis approbata eiusdem Rigaltii emendatione verba graeca Eusebii aut alterius, ut ipse putat, interpretis corrupta esse opinatur. Sed si ipsi subolissent quae a Rigaltio in textu Tertulliani immutata sunt, potius graeco scriptori fortasse subscripsisset.

Quidquid porro sit, ex utraque lectione satis perspicitur Tertulliani sensus, nec de illa esse potest ulla difficultas, nisi in his verbis, quibus Tiberius dicitur pro sua conscientia iam fuisse Christianus. Nam ibidem dixit, Caesares non credisse, quia Caesares erant. Sed ibi verbo *credere* nihil videtur aliud significasse, nisi publicam Christianae religionis professionem. Pro sua igitur conscientia Tiberius erat Christianus, sed ausus non est id palam profiteri.

At cur, inquires, adiecit Auctor noster: *Caesares credidissent, si non essent saeculo necessarii?* Respondet Rigaltius illud ideo dictum fuisse, quia, uti infra videbimus, persuasum habebant fore ut mundus, quem nolebant tam cito destrui, cum Romano imperio everteretur. Sed quaenam, obsecro te, ex hoc errore induci potest vitae unius aut alterius Caesaris necessitas? Nonne autem Tertullianus dicere po-

tuit Caesares saeculo esse necessarios, id est, saeculi et populorum moribus ac praesertim receptis religionum institutis tanta necessitate obstrictos, ut ea sine seditionibus atque imminenti etiam et capitis et imperii subvertendi periculo labefactare aut immutare non possent?

## ARTICULUS V.

Vera esse ea omnia, quae de Christo Deo et homine dicta sunt, nemini fas esse de religione sua mentiri; Christianos absque ulla ambiguitate aut dissimulatione palam et in termentis etiam dirissimis clamasse Deum a se per Christum coli, nec id posse improbari a Iudaeis, qui Deum per Moysen, nec a gentilibus, qui per Orpheum, Musaeum, Melampum et Trophonium falsos deos colere didicerant.

Quae hactenus de Christo, sive Deo Deique Filio sive vero homine, a Tertulliano scripta vidimus, haec ille verissima esse tanta asseveratione affirmat, ut nullum, ne minimum quidem, relinquat de iis dubitandi locum. Nam ethnicos ipsos sic compellat: *Hic est ordo nostrae institutionis, hunc edidimus et sectae et nominis censum cum suo auctore* (Tertullian. Apolog. cap. 21.). Censum autem ab eo dicitur recensio, recognitio et explicatio. In hoc autem nemo, inquit, aliud prorsus esse existimet, quod occultatum aut dissimulatum voluerim. Nihil enim his, quae retuli, verius esse potest, quia *nec fas est illi, ait, de sua religione mentiri.*

Christianorum autem pectoribus tam alte insitum erat illud documentum, ut exquisitissimis quibuslibet suppliciis torqueri et necari mallent, quam interrogati de sua religione aliquid, immo suum dumtaxat christianum nomen, aut negare aut dissimulare. Quocirca Iustinus Martyr, ut alibi diximus, similiter gentilibus dicebat: *Considerate, ὅτι ἐκ τοῦ ἐφ' ἡμῖν εἶναι ἀρνεῖσθαι ἐξεταζομένους οὐ βουλόμεθα τὴν ψευδολογοῦντες, Quod in nostra potestate est, ut cum inquirimur, negamus, sed nolumus vivere mendaciter,* id est nolumus vivere religionem nostram mentientes aut dissimulantes (Justin. Apolog. I. ad Antonin. p. 57. tom. I. Appar. p. 357.). Tantum autem piaculum esse putabant, quando de religione sua interrogabantur, dictis respondere ambiguus, ut ipso adhuc Tertulliano teste, qui martyrium magis timebant, hi ipsi torqueri necarique maluerint, quam tres sanctissimae Trinitatis personas confitendo plures dicere deos.

Cur autem omne de religione mendacium aut quaelibet dissimulatio penitus damnetur, si quaeras, respondebit Tertullianus, *eo quod qui aliud a se coli dicit quam colit, negat quod colit, et culturam et honorem in alterum transfert, et transferendo iam non colit quod negavit* (Tertull. Apologet. cap. 21.). At Rigaltio placuit haec delere verba *et honorem*. Quis autem ea ibi non inutilia esse diffitebitur? Non enim cultura et honor omnino synonyma sunt et quamvis essent, nemo tamen negabit Tertullianum iis uti potuisse. Sed haec minimi, nisi ad notandam Rigaltii audaciam, sunt momenti. At certe longe gravioris ponderis est haec Auctoris nostri ratiocinatio, qui dicit Iovem verbi gratia a se coli et alium Deum colit, is Iovem deum esse negat et eiusdem Iovis cultum et honorem in alium transfert ac sic transferendo non ipsum, sicuti dicebat, Iovem colit illumque deum esse negat.

Quapropter nos Christiani, inquit ille, reiecta omni prorsus dia-



simulatione, fraude et ambiguitate *palam dicimus et vobis ethnicis torquentibus lacerati et cruenti vociferamur: Deum colimus per Christum* (Ibid.), per quem seu quo docente nos didicimus quis verus sit Deus, quem omnes colere debent. At homo, arguebant ethnici, fuit Christus. Esto, respondet Tertullianus; non idcirco tamen Christiani eum colentes torqueri et occidi ab ethnicis debebant, nisi hi Iudaeos, Graecos ac Romanos etiam eodem modo condemnarent. Nam Iudaei, inquit, *Deum per hominem Moysen colere didicerunt*. In suis quippe libris Moyses docuit qua ratione quibusque ritibus Deus ab illis coli debebat.

Graecos vero *Orpheus Pieriae*, pergit Auctor noster, *Musaeus Athenis, Melampus Argis, Trophonius Boeotiae initiationibus falsorum deorum homines obligaverunt* (Ibid.), hoc est alligaverunt et obstrinxerunt. Nos vero alibi ostendimus ab Orpheo introducta fuisse Liberi sacra et festa, quae idcirco Orphica appellata sunt (Dissertat. in Lactant. cap. 30. Art. 3.). Alio autem in loco citavimus Diodori Siculi verba, quibus narrat Herculeum venisse Athenas, ut matris Eleusinae initiaretur mysteriis, quorum Musaeus Orphei filius *προεστρατός*, praefectus erat, qui proinde docebat quomodo his homines obligarentur (tom. I. Appar. lib. III. Dissert. 2. Cap. 35. p. 1280.).

Praeterea idem Diodorus Siculus, quemadmodum in nostra de Lactantii libris dissertatione annotavimus, litteris mandavit Melampodem ex Aegypto in Graeciam transtulisse sancita Baccho orgia (Dissertat. mox. cit. Diodor. lib. I. Biblioth. p. 61.). Subiunxit etiam fabulosam de Saturno ac Titanibus atque deorum affectionibus narrationem, quae tametsi omnibus non probetur, non parum tamen conducit ad Tertulliani nostri propositum.

Trophonius porro Ergini aut potius Apollinis filius esse ferebatur, cuius oraculum, sicut alibi Tertullianus ait, in Boeotia extabat (Tertullian. loc. cit. et lib. de Anim. c. 46.). At plura de eo et aedificatis ab eodem Trophonio deorum ac nominatum Apollinis Delphici templis memoriae prodiderunt Pausanias, Lucianus, Cicero; Philostratus, Erasmus et alii a nobis in superiori de Arnobii libris dissertatione citati (Pausan. lib. IX. de Boeot. p. 311. Lucian. Dial. Menipp. etc. p. 116 et seq. Cicer. lib. I. Tuscul. p. 134. Philostr. lib. VIII. de Vit. Apollon. p. 420 et seq. Erasm. Adag. Chil. I. adag. 77. Dissertat. in Arnob. cap. 24. Art. 2. Dissertat. in Lactant. cap. 30. Art. 4.). Quis autem non videt eorum testimonio satis superque probari ab illo et aliis a Tertulliano memoratis homines initiationibus deorum ab aliis hominibus fuisse illigatos? Demum ille adiecit Numam Pompilium operosissimis Romanos onerasse institutionibus. Quam autem id verum sit, a nobis demonstratum est.

Recte ergo ex his concludit Tertullianus non minus Christo, etiamsi homo tantum esset, quam his licuisse aliquam commentari *divinitatem*, quam homines colere doceret. At Christus non solum homo fuit, sed veram cum suo aeterno Patre divinitatem habet, *rem*, uti Auctor noster ait, *propriam*; quia ipsi, sicut Patri suo, propria est (Tertullian. Apologet. cap. 21.). Non enim ille, quemadmodum Numa Pompilius, *rupices*, id est sylvicolas, feros et barbaros, ut alibi ipse

Tertullianus explicat (Idem lib. de Pallio cap. 4. et de Anima cap. 6.), homines iniecto falsorum deorum terrore ad humanitatem temperavit, sed politos et urbanos in agnitionem veri Dei *oculavit*, hoc est illis dedit veri Dei videndi seu cognoscendi facultatem. Eodem enim sensu alibi de hirundine dixit: *Pullos novit oculare rursus de sua chelidonia* (Idem lib. de Poenit. cap. 12.). Quamobrem Cyprianus eum more suo imitatus Christi, sicut ille, discipulos ideo per orbem dispersos esse docet, *ut caecos et ignaros ad agnitionem veritatis ocularent* (Cypr. de Idolor. Vanit. p. 16.). Quin etiam Pontius Cypriani diaconus in eius vita ac de illo scripsit: *Nondum secunda nativitas novum hominem splendore toto divinae lucis oculaverat* (Pontius in Vit. Cyprian. p. 2.). Quis porro ex his, quae hactenus disputata sunt, non percipit quam merito iure Tertullianus conficiat Christianos ab ethnicis et Iudaeis iniquissime cruciari et interfici, quia, cum verum Deum per Christum agnovissent eiusque professi fuissent religionem, neutrum negare, immo ne dissimulare quidem volebant?

## CAPUT X.

De Angelis et Daemonibus.

## ARTICULUS I.

Angelorum et daemonum nomen cognitum fuisse gentilibus poëtis, philosophis ac nominatim Socrati, Platoni nec non magis et vulgo indoctorum hominum, qui nomen daemonis in usum maledicti frequentabant; cur illud nomen adeo detestabile; omnes angelos creatos esse a Deo perfectos, praevarios autem sponte sua corruptos; de eorum cum Deo divortio ac matrimonio cum filiabus hominum, unde corruptior daemonum gens orta dicitur.

Transit Tertullianus ad aliud christianae religionis de Angelis et Daemonibus documentum (Tertullian. Apologet. cap. 22.). Eo autem accuratius illud explicare contendit, quo persuasum magis ethnici habebant daemones sub imaginibus et nominibus *mortuorum* (Ibid. cap. 23.), id est falsorum deorum, delitescere edere signa, miracula et oracula, quibus *fidem divinitatis operabantur*, hoc est quibus daemones suadere conabantur veros esse, quos colebant ethnici, deos ac proinde veram esse eorum religionem. Iam vero vidimus a Minucio Felice, Lactantio et aliis radiciter evulsum fuisse hunc ethnicorum errorem, quo in primis nitebatur tota illorum religio (Dissertat. in Minuc. cap. 18. Art. 1. et in Lactant. cap. 20. Art. 4.). Sed quia hi scriptores plura ex hoc Auctoris nostri libro delibaverunt atque inde tantquam ex puro fonte suos irrigaverunt hortulos, idcirco eius opinio diligentius a nobis examinanda est.

Primum itaque docet Angelos et Daemones esse substantias quasdam spirituales, quarum nomen gentilibus tam poëtis quam philosophis, quemadmodum alibi adhuc ostendimus, non fuit incognitum. Ex philosophis autem nominatim appellat Platonem et Socratem, qui daemonem assistentem habebat, *dehortatorium*, inquit, *plane a bono* (Tertullian. Apologet. cap. 22.). Dixerat autem alio in libro: *Socratem puerum adhuc spiritus daemonicus invenit* (Idem lib. de Anim. cap. 39.). At de hoc Socratis daemone in citata de Minutio Octavio disser-

tatione et in aliis ibi laudatis egimus (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 18. Art. 1.). Praeterea ibidem patefecimus *utriusque nominis*, id est Angeli et Daemonis, testes, sicut adhuc Tertullianus annotat, esse magos (Tertullian. Apologet. cap. 22.).

Aliam praeterea ille suggerit rationem cur Daemones non solum his, sed quibuslibet etiam ethnicis hominibus agniti fuerint: *Iam vulgus indoctum*, inquit, *in usum maledicti frequentat*. Ita Rigaltius; sed duo nostri manuscripti codices recentiores *in usu*, antiquiores *in usu maledictis*, vetustiores editiones *in usum maledictis*. Sensus vero Auctoris nostri est: Vulgus ethnicorum cum male aliis diceret et imprecaretur, solitum fuisse eos Daemones vocare aut nomen invocare Daemonis. Sic enim ille prosequitur: *Nam et Satanam, principem huius mali generis, proinde de propria conscientia animae eadem execramenti voce pronuntiat*. In antiquis manuscriptis et editis codicibus legitur *ex sacramenti*, sed sola haud dubie librariorum oscitantia. Tertullianus siquidem alio in libro satis aperte mentem explicat suam: *Cum Daemonia*, inquit, *affirmamus esse, sane quasi non et probemus, qui ea soli de corporibus exigimus, aliqui Chryssippi assentator illudit. Et esse et abominationem sustinere execrationis tuae respondent. Daemonium vocas hominem aut immunditia aut malitia aut insolentia aut quacunquē macula, quam nos daemonis deputamus, aut ad necessitatem odii importunum. Satanam denique in omni aversatione et aspersione et detestatione pronuntias, quem nos dicimus malitiae Angelum, totius erroris artificem, aliqui saeculi interpolatorem* (Idem lib. de Testim. Anim. cap. 3.).

Mos igitur ethnicorum erat, ut aliis maledicendo atque imprecando eos vocarent Daemones, aut Daemonis et Satanae nomine diris illos devoverent et execrarentur. Si vero alium huius moris testem desideres, Augustinum habebis, qui nos insuper admonet ubicunque in Sacris Scripturis nomen Daemonis aut Daemoniorum occurrit, eo malignos spiritus significari. Ecce ipsamet eius verba: *Nos autem, sicut Scriptura loquitur, secundum quam Christiani sumus, Angelos partim quidem bonos, partim malos, nunquam vero bonos Daemones legimus. Sed ubicunque illarum litterarum hoc nomen positum reperitur, sive Daemones sive Daemonia dicantur, non nisi maligni significantur spiritus. Et hanc loquendi consuetudinem in tantum populi usquequaque secuti sunt, ut eorum etiam, qui pagani appellantur, et deos multos ac daemones colendos esse contendunt, nullus fere sit tam litteratus et doctus, qui audeat in laude vel servo suo dicere: Daemonem habes, sed cuilibet hoc dicere voluerit, non se aliter accipi, quam maledicere voluisse dubitare non possit* (August. lib. IX. de Civit. Dei cap. 19. p. 233.). Postea vero addidit: *Ita detestabile nomen est daemonum, ut hoc modis omnibus a sanctis Angelis nos removere debeamus* (Ibid. cap. 23. p. 236.). Duplex itaque Augustinus, quemadmodum Tertullianus noster, distinguit angelorum genus et unum quidem bonum, qui Angeli simpliciter vocantur, aliud vero daemonum, quorum nomen detestabile malignos spiritus semper significat.

Cur ergo, inquiet aliquis, adeo detestabile erat illud nomen, atque non solum a Christianis, sed etiam a gentilibus in malam partem

semper accipiebatur? Nonne ipse Augustinus et alii scriptores latini, ut alibi observavimus (Dissert. in Lactant. cap. 20. Art. 4.), nomen graecum *δαίμονες* idem significare testificantur atque rerum scios et peritos? Praeterea Tertullianus hocce in Apologetico libro nos monet idem esse daemonum atque geniorum nomen: *Nescitis, inquit, genios daemones dici et inde diminutiva voce daemonia?* Et paulo post, *daemones id est genios* (Tertullian. Apologet. cap. 32.). Alibi vero: *Omnibus genii deputantur, quod daemonum est nomen* (Idem lib. de Anima cap. 39.). Quid igitur in eo nomine tam malum tamque singulis omnibus detestabile? Bene quidem, si sua scientia, peritia ingeniique viribus non male uterentur. Sed quia iis ad vexandos fallendosque homines, ut postea videbimus, plane abutuntur, non mirum profecto si cuncti hoc detestarentur nomen illudque suis in alios maledictis adhiberent.

Quamvis autem Auctor noster pauca de bonis Angelis in Apologetico tradiderit, illos nihilominus a malis et hos a daemonibus haud obscure distinguit. De illis enimvero hoc quidem, sed brevissime: *Quomodo, inquit, de angelis quibusdam sua sponte corruptior gens daemonum evaserit, damnata a Deo cum generis auctoribus et cum eo, quem dicimus, principe, apud litteras sanctas ordine cognoscitur* (Idem Apologet. cap. 22.). At plura ille paucis verbis complectitur, quae non ita breviter nec sine quibusdam observationibus perstringenda sunt.

Primo autem declarat quosdam Angelos fuisse corruptos. Plures ergo alios fuisse significat, qui corrupti non fuerunt quosque idcirco nominamus bonos atque ob suam in bono perseverantiam beatos esse iure merito credimus. Secundo eosdem Angelos donatos fuisse libero voluntatis arbitrio, quo bene aut male agendo praemium vel poenam mereri poterant. Tertio quosdam ex illis corruptos ac liberae potestatis suae abusu in aliqua prolapsos fuisse peccata, ob quae a Deo damnati sunt. Quarto eorum fuisse principem, de quo ille paulo ante dixerat; *Satanam principem huius mali generis*. Alibi vero illum vocat Angelum, quem Deus *ex forma operum bonorum instituit bonum*, et omnium sapientissimum, *tam institutione, iuxta prophetiam Ezechielis, bonum Angelum, quam sponte corruptum* (Tertull. lib. II. advers. Marcion. cap. 10.). Tum deinde, *invituperabilis fuit a die conditionis suae, a Deo in bonum conditus, ut a bono conditore invituperabilem conditionum, et excultus omni gloria angelica, et apud Deum constitutus, qua bonus apud bonum; postea vero a semetipso translatus in malum . . . . . non minus, ipse liberi arbitrii institutus, ut spiritus* (Ibid.). Addit denique hunc *satanam* de sublimitate decidisse delicto suo, cuius auctor ipse fuit. De illo autem in nostra de Lactantii libris dissertatione egimus (Dissertat. in Lactant. cap. 20. Art. 3.).

Quodnam autem fuerit huius aliorumque, quos in perniciem suam traxit, pravorum angelorum peccatum, nec ibi nec in Apologetico perspicue omnino explanavit. Verum alio in libro duo eorum peccata his videtur denotare verbis: *Nihil angelis illis imputetur propter (alii praeter) repudium caeli et matrimonium carnis* (Tertull. lib. de Cultu

Femin. cap. 4.). Quocirca illos alibi appellat *Angelos desertores Dei, amatores feminarum, ac propterea damnatos a Deo* (Idem lib. de Idololat. cap. 9.). Nonne autem duplex ibi distinguit angelorum peccatum, primum quidem, quo repudiaverunt caelum et Deum deseruerunt, secundum vero perversum feminarum amorem et carnis matrimonium?

De hoc porro secundo eorum crimine ita quidem ille: *Damnati, inquit, in poenam mortis deputantur illi scilicet angeli, qui ad filias hominum de caelo ruerunt, ut haec quoque ignominia feminae accedat* (Idem lib. de Cultu Femin. cap. 2.) .At si ex hoc Angelorum scelere feminis ignominia accessit, si propterea, uti dictum ab eodem Auctore nostro mox vidimus, Angeli damnati sunt, cur ergo, inquiet aliquis, illud simpliciter, *matrimonium carnis*, non autem nefarium stuprum ab illo vocatur? Cuivis itaque id a nobis postulanti his respondebimus totidemque ipsiusmet Tertulliani verbis: *Conspicati filii Dei filias hominum quod pulchrae essent, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas legerunt. Hic enim nomen mulierum graecum uxores sapit, quia de nuptiis mentio est. Cum ergo filias hominum dicit, manifeste virgines portendit, quae adhuc apud parentes deputarentur (nam nuptiae maritorum nuncupantur) cum potuerit dixisse uxores hominum; aequae non adulteros nominans angelos, sed maritos, dum in nuptas sumunt filias hominum, quas natas supra dixit, sic quoque virgines significans, supra natas, at hic angelis nuptas* (Idem lib. de Virgin. Veland. cap. 7.). Ideo igitur Angelorum praevicatorum matrimonium appellat, quia illi filias hominum non nuptas, sed virgines sumpserunt, et idcirco nec ipsi adulteri vocantur.

Neque tamen hoc matrimonium licitum putavit, sed illicitum plane ac scelestum, propter quod feminis ignominia accessit et angelis damnatio. Quamobrem alio ille in libro: *Sciebat, inquit, et apostolus in caelis operata esse spiritualia nequitiae Angelorum scandalizatorum in filias hominum* (Idem lib. V. advers. Marcion. cap. 18.). At de hoc facinoroso pravorum angelorum cum filiabus hominum matrimonio seu potius vero stupro, haud semel disputavimus cum in nostra de Lactantii Operibus dissertatione, tum aliis in locis ibi adnotatis (Dissertat. in Lactant. cap. 20. Art. 3. et 4.).

Quinto tandem ac postremo loco observandum superest Tertullianum in Apologetico ulla absque haesitatione asseverasse ex illorum corruptorum Angelorum cum filiabus hominum concubitu ortam fuisse corruptiorem gentem daemonum. At non minores quidem in hac, quam alia de Angelorum cum feminis matrimonio opinione difficultates occurrunt. Eas autem augent quae ille de eorundem daemonum atque Angelorum sive bonorum sive malorum natura decernit. Quae quidem a nobis primum et alia deinde investiganda sunt.

#### ARTICULUS II.

*Utrum Tertullianus crediderit spirituales esse omnium Angelorum et daemonum naturam; quanta ea de re propter istorum ex pravis angelis et hominum filiabus originem difficultas; de eorundem daemonum invidia, qua in hominum, quibus subditi sunt, perniciem conspirant.*

Suam de angelis et daemonibus disputationem his Tertullianus in Apologetico verbis inchoat: *Dicimus esse substantias quasdam spiri-*

*tales* (Tertullian. Apologet. cap. 22.). In superiori autem articulo dictum vidimus de Satana *eminentissimo*, ut ipse ait, *Angelorum et Archangelo*, quod a Deo *liberi arbitrii constitutus sit, ut spiritus* (Idem lib. II. advers. Marcion. cap. 7.). Omnes vero Angelos, sicut ille adhuc scribit (Ibid. lib. III. cap. 9.), *tam vere creator spiritus fecit, quam apparitores suos ignem flagrantem* (Psalm. CIII. v. 4. Ep. ad Hebr. cap. I. v. 7.). Nunquam igitur dubitavit Angelos omnes esse spiritus ac spiritalem esse illorum substantiam,

Sed in controversiam vocatur quid illo *spiritus* nomine intelligat, an substantiam ab omni re corporea prorsus distinctam vel corpus aliquod tenuissimum ac subtilissimum, quod omnem hominis aspectum fugiat. Nec diffiteri quidem possumus hanc disceptationem non posse facile a quoquam dirimi. Quid tamen de hac Tertulliani nostri opinione certius proferri possit, explorare tentabimus.

Primum itaque advertendum est, quomodo ille adversus haereticos, qui assumptum a Christo verum corpus negabant, disputet eorumque refellat errorem. Haeretici autem illi exemplo Angelorum, qui olim carne humana vestiti patriarchis apparuisse perhibentur, inferebant nec veram nec natam fuisse Christi carnem. At Tertullianus Angelorum, non vero Christi carnem natam esse contendit, quia non hi sed Christus natus est, ut crucifigeretur ac moreretur: *Nam constat, inquit, Angelos carnem non propriam gestasse, utpote naturas (al. naturae) substantiae spiritualis, etsi corporis alicuius, sui tamen generis: in carnem autem transfigurabiles ad tempus, ut videri et congrederi cum hominibus possent* (Tertull. lib. de Carne Christi cap. 6.). Fatetur ergo hos Angelos assumpsisse ad tempus humanam carnem, quae quidem etsi vera, non propria tamen erat illorum caro, quia, ut ipse haud dubitanter affirmat, spiritualis est eorum substantia. Verum quoniam vel ipse vel alii dubitari posse opinabantur utrum aliquid, ut superius annotavimus (Supr. cap. 7. Art. 3.), esset medium inter corpus et nihil, hinc ille, ne ullum cavillandi locum praeberet, ibi adiecit, *etsi corporis alicuius, sui tamen generis*, perinde ac si dixisset: Si quis pertinacius contendat omnem omnino substantiam esse corpus aliquod, nunc non litigabo, modo mihi concedatur substantiam angelicam, si forte sit corpus, eam esse corpus sui generis. At corporis nomine non aliud, ut alibi vidimus (loc. cit.), significat, nisi rem quamlibet existentem et quae rei non existenti et nihilo opponitur. Nonne ergo colligi haud absurde hinc potest illum existimavisse Angelorum naturam esse mere spiritalem, quae tamen ideo corpus sui generis vocari potest, quia non est nihil ac revera existit?

Eodem plane argumento eundem Marcionis errorem impugnat: *Quo magis, inquit, Angeli neque ad moriendum pro nobis dispositi brevem carnis comateum non debuerunt nascendo sumpsisse, quia nec moriendo deponituri eam fuerant . . . Si creator facit Angelos spiritus et apparitores suos ignem flagrantem, tam vere spiritus, quam et ignem illos vere facit* (Tertull. lib. III. advers. Marcion. cap. 9.). Audisne quam aperte declaret Angelos, qui humana forma ab patriarchis visi sunt, tam vere spiritus fuisse quam veram ipsi hominum carnem assumpserant? Non propria autem eorum erat caro, sed ipsi



ad breve tempus a Deo data, ut cum hominibus conversari possent et colloqui. Alia itaque illorum quam hominum est substantia, videlicet spiritualis, qua superiores hominibus vere sunt spiritus.

Plura si quis desideret, illius de Resurrectione Carnis librum adeat et ibi totidem legere poterit eius verba: *Angeli aliquando tanquam homines fuerunt edendo et bibendo et pedes lavacro porrigendo; humanam enim induerant superficiem, salva intus substantia* (Idem lib. de Resurr. Carn. cap. 62.). Quenam autem fuerit illa propria angelorum substantia et natura sub humana effigie delitescens, ipsemet ibidem sic explicat: *Angeli facti tanquam homines in eadem substantia spiritus carnalem tractationem susceperunt* (Ibid.). At quibus, amabo te, clarioribus verbis exprimi poterat Angelos vere esse spiritus et spiritalem eorum naturam nihil prorsus admittere ullius materiae corporis?

Quae porro hactenus retulimus, haec ad eam, qua omnes Angeli creati sunt, naturam spectant, quam ille satis aperte assertit esse spiritalem, nisi hanc sententiam iis, quae de pravis Angelis et daemonebus prodidit, tanquam atra quadam caligine et densis tenebris offusa obscuravisset. Nam eos omnes non secus ac bonos Angelos vocat spiritus. Neque id probatu difficile. Iam enim observatum est de omnibus generatim tam bonis quam malis Angelis ab illo scriptum: *Dicimus esse substantias quasdam spirituales*. Postea vero et adhuc expressius: *Omnis spiritus ales, hoc et Angeli et daemones* (Idem Apologet. cap. 22.). Rursus autem: *Angeli et daemones substantia pessimi spiritus* (Ibid. cap. 39.). Pravorum quoque Angelorum princeps, de quo in superiori articulo diximus, ab eo vocatur *spiritus daemonicae et angelicae paraturae* (Ibid. cap. 27.), id est spiritus qui daemonum et Angelorum habet dispositiones et qualitates. Sed de hoc nomine adhuc infra articulo sequenti.

Quid vero, quod supra vidimus (Art. super.) ab eodem ipso Tertulliano diserte pronuntiari et hunc Satanam et ceteros omnes angelos pravos eodem modo, quo et bonos creatos fuisse. Quin etiam *Daemones*, inquit ille, negare non possunt *se immundos spiritus esse* (Tertullian. ibid. cap. 23.). Denique maximam dicit esse illorum subtilitatem ac tenuitatem, qui sua alacritate utramque invadunt hominis substantiam, uno momento ubique sunt, et totus terrarum orbis unus eis est locus. Praeterea *invisibiles*, inquit, *et insensibiles in effectu potius quam in actu suo apparent* (Ibid. cap. 22.). Nonne autem haec omnia satis manifeste demonstrant Tertulliano persuasum fuisse angelos malos et daemones non minus quam bonos angelos fuisse spiritus?

Verum huic sententiae illud repugnare videtur, quod supra ab ipso traditum animadvertimus, pravos angelos sese nefario polluisse feminarum concubitu, quo daemones genuerunt. Sed respondere quis posset ab illis pravis, quemadmodum a bonis Angelis assumptam, sicut paulo ante dicebamus, hominum carnem, qua potuerunt cum mulieribus commisceri. Verum contra alius statim arguet probandum esse unde pravi Angeli humanam carnem ad tempus aliquod sumpserint. Quamvis enim Tertullianus eam bonis Angelis a Deo datam non semel,

ut annotavimus, aperte pronuntiet, nemo tamen probare potest illam similiter ab illo tribui pravis Angelis, ut mulieres constuprarent.

Fac tamen illos quoquo tandem modo sive suis praestigiis sive aliis nefandis artibus eam induisse, maior sane superest de daemonibus difficultas. Cuius enim generis spiritus hi daemones esse possunt, quos Tertullianus nefasto innuptarum virginum coniugio ortos arbitratur? Quomodo ex iis procreari potuerunt substantiae tenuissimae, subtilissimae, invisibiles, volucrum superantes pernicitatem, quae pervadunt corpus et animam hominum unoque momento ubique sunt? Negari certe non potest haec maxima obscuritate involvi. Si quid enim Tertullianus daemonum corpus esse existimavit, illud proculdubio nec humanum nec humana figura effectum esse censuit. Quid ergo? Numquid putabat quaedam esse monstra, quae nec angeli sunt nec homines? At nonne hoc ipsum absurdae opinionis monstrum est? Verumtamen inde Lactantius, ut suo loco animadvertimus (Dissert. in Lactant. cap. 20. Art. 4.), videtur suam delibasse opinionem, qua docet mediam quandam esse daemonum inter angelos et homines naturam. Verum Tertullianus in suo saltem Apologetico illud nec aperte omnino nec absolute definivit, sed eam esse *quae apud sanctas litteras ordine cognoscitur* (Tertull. Apologet. cap. 22.). Optime quidem, si in aliis libris intra hosce verae doctrinae limites sese continuisset.

Ceterum, etsi opinatus sit naturam daemonum nec angelicae nec humanae esse parem, sed aliquid inter utramque medium non inde tamen continuo inferri debet illum negasse Angelos esse spiritus. Si quod enim vero daemonibus corpus attribuit, illud tantae, sicut vidimus, tenuitatis et subtilitatis esse opinabatur, qua maior nulla esse potest. Persuasum autem habuisse videtur praestantiorem esse bonorum Angelorum quam daemonum naturam. At quo, obsecro te, modo praestantior esse potest, nisi haec sit mere spiritualis nihilque prorsus corporei habeat? Quanti vero ad id probandum ponderis sint ea, quae hactenus retulimus, argumenta, aliis iudicandum relinquimus. Nemo autem, nisi plane fallimur, inficias ibit si quis in his omnibus error sit Tertulliani, nullum eo esse peiorem, quo pravorum angelorum cum scabibus hominum concubitus atque ex illo procreationem daemonum explicare nititur. Sed vide, quaeso, quae de his in superiore dissertatione disputata sunt (Dissertat. in Lactant. cap. 20. Art. 5.) et utrum inde eius opinio ad veritatis regulas possit reduci.

Nemo autem dubitabit hoc verum esse, quod postea de Satana et daemonibus enarrat. *Satanas noster*, inquit, *ob divortium*, a Deo videlicet, et suum ob peccatum *aemulus*, sive hostis et inimicus, et *ob Dei gratiam* Christianis concessam *invidus*, semper conatus est *occulta inspiratione* gentilibus subornatis persuadere, ut illos omni cruciatuum genere a veri Dei cultu et ad falsos deos colendos compellant (Tertullian. ibid. cap. 27.). Nam licet *subiecta sit nobis tota vis daemonum et eiusmodi spiritus* (Ibid.), id est, Satanae. . . . verumtamen *omnes rebellantium ergastulorum vel metallorum vel hoc genus poenalis servitutis erumpunt adversum nos* Christianos, hoc est erumpunt in eorum similitudinem, qui ergastulis ac carceribus inclusi aut effodendis metallis aut alio aliquo poenalis servitutis genere damnati do-

minis obsistunt ac repugnant. Quos autem pravi illi daemones ad suum falsorumque deorum cultum violentia et armata manu adducere nequibant, illos quibuslibet aliis machinis, fallaciis, dolis malisque artibus subornare moliebantur. Sed quae de illis Auctor noster tradidit, paulo fusius enucleanda sunt.

### ARTICULUS III.

Quomodo Tertullianus ostendat nonnulla, quae ethnici diis suis tanquam vera miracula adscribebant, facta fuisse daemonum artibus ac praestigiiis.

Multam sane nec immerito quidem iure Tertullianus operam consumit in explicanda ac patefacienda daemonum, ut ipse ait, *operatione* (Tertullian. Apologet. cap. 22.), sive machinis, praestigiis, dolis, fallaciis et aliis malis artibus, quibus falsa miracula, oracula aliaque plura extra solitum naturae ordinem edere videbantur. Ethnici siquidem ea omnia, quae vera esse opinabantur, deorum suorum adscribebant potentiae atque inde concludebant veros esse deos suos veramque suam religionem. Tertullianus itaque hoc ultimum eorum propugnaculum duplici argumento tanquam duplici ariete concutit funditusque evertit. Primum enim ostendit extraordinaria illa facta non ab illorum diis, uti putabant, sed perversis daemonum artibus edita fuisse. Deinde vero eosdem daemones a Christianis adiuratos palam confiteri haec non ab aliis acta esse, quam semetipsis, qui non dii, sed daemones tantum erant.

Ad primam vero propositionem clarius demonstrandam ille pro certo posuit (Ibid.) quod negare nemo potest, daemonum substantiam, sicut in superiori articulo vidimus, non solum esse subtilissimam ac tenuissimam, sed vires etiam eorum spirituales summamque alacritatem, qua uno momento ubique esse ac singula quaeque et ipsam hominis substantiam pervadere possunt. Itaque cum ita formati sint, eorum, ait Tertullianus, *malitia spiritualis a primordio mundi auspicata est in hominis exitium* (Ibid.); quando scilicet Evam et Adamum felicem in terrestri Paradiso vitam agentes decepit. Eadem quoque malitia ceteros homines in errorem et quaelibet scelera ac potissimum in idololatriam falsorumque deorum nomine in sui cultum inducere conantur.

Ab iis autem quae diis suis ethnici tribuebant miracula ut ordiamur, haec a daemonibus facta fuisse Auctor noster sic demonstrat. Tantis, inquit, viribus et spiritualibus et invisibilibus instructi incautos homines quibusdam premunt aegritudinibus easque depellunt remediis, vel ad miraculum novis vel etiam contrariis, ut illos sanasse credantur, quos remotis tantum maleficiis laedere desinunt. Quamobrem illos et ficta eorum miracula sic irridet: *Benefici plane et circa curas valetudinum; laedunt enim primo, dehinc remedia praecipiant, ad miraculum nova, sive contraria, post quae desinunt laedere et curasse creduntur* (Ibid.). Neque his tantum plagis corpori humano inflictis et sanatis in hominum conspirant perniciem, sed sua etiam subtilitate ipsam pervadunt illorum animam atque saevis libidinibus, amentis ac furoribus excitatis in quodlibet scelus illos inducunt (Ibid.).

Nos autem de his nefandis daemonum artibus alibi disseruimus (Dissert. in Minut. cap. 18. Art. 2.).

Eadem subtilitate daemones induebant *phantasmata* sive effigiem *Castorum* (Ibid.), id est Castoris et Pollucis, ac sua innata velocitate celebrem Romanorum de Perse Rege victoriam Romae eodem die annuntiaverunt, quo reportata fuerat. Quod quidem alibi a nobis enarratum est (Dissert. in Minut. cap. 18. Art. 2.).

Huc quoque spectant pauca quidem, sed quae pluribus obscura videbantur haec Auctoris nostri verba: *Et barbam tactu intrufatam* (Ibid.). At ea clarius explicat Suetonius, ubi de origine gentis Aëno-barborum disserit: *Aëno-barbi*, inquit, *auctorem originis itemque cognominis habent Lucium Domitium, cui rure revertenti iuvenes gemini Castor et Pollux augustiore forma ex occurso imperasse traduntur, nuntiaret senatui ac populo victoriam, de qua incertum adhuc erat, atque in fidem maiestatis, divinae videlicet, adeo permulsiisse malas, ut e nigro rutilum aëricum assimilem capillum redderent. Quod insigne mansit et in posteris eius, ac magna pars rutila barba fuerunt* (Sueton. in Vit. Neron. §. 1.). Et id quidem a Plutarcho confirmatur (Plutarch. in Vit. Pauli Aemil. Tom. I. p. 268.). *Inrufatam* igitur *barbam* dixit Tertullianus, quia ex nigro colore in rubrum conversa fuit. At brevitatibus causa hanc ille tantummodo subitam miramque barbae conversionem memorat, qua quidem alia quoque, quae ethnici venditabant, miracula satis aperte designabantur.

Spiritualibus autem daemonum ingeniis, viribus et fallaciis haec facta esse adseverat (Tertullian. loc. cit.), quemadmodum et *navem*, uti adhuc ait, *cingulo promotam*, a Claudia nimirum Vestali virgine, ut alibi iam animadvertimus (Dissertat. in Minut. cap. 17. Art. 1.). Venditabant insuper ethnici, *aquam*, uti pergit ille (Ibid.), *cribro gestatam*, a Tuscia nimirum alia Vestali itidem virgine: quo quidem, sicut illi autumabant, miraculo illatum sibi violatae castitatis, aut sicut ait Dionysius Halicarnasseus (Dionys. Halic. lib. II. Antiquit. Roman. p. 128 et seq.), extincti sacri ignis crimen penitus diluit. Sed de hac, quaecumque sit, historia plura Valerius Maximus, quem consulere poteris, sicuti Plinium, Augustinum et alios (Val. Max. lib. VIII. c. 1. Plin. lib. XXVIII. Natur. Hist. cap. 2. August. lib. X. de Civit. Dei cap. 16.).

Tertullianus itaque haec et alia huiusmodi extraordinaria facta, quae ethnici mirabantur, ideo daemonum arte et praestigiis edita esse asserit, ut *numina lapides*, id est deorum simulacra lapidibus efficta, non falsi dii *crederentur et verus Deus non quaereretur* (Tertullian. ibid.). In superioribus autem nostris dissertationibus de his abunde disseruimus manifestumque ibi fecimus qua ratione Arnobius eorum *falsitatem* demonstrare conetur (Dissertat. in Arnob. cap. 18. Art. 1. et 2.). At Minutius Felix atque Lactantius Tertullianum secuti haec daemonum, uti diximus, dolis ac fraudibus facta esse ostendunt (Diss. in Minut. cap. 20. Art. 2. Dissertat. in Lactant. cap. 20. Art. 7. et cap. 32. Art. 4.). Quae vero ipse Tertullianus sibi peculiariter habet et speciatim retulit, in sequentibus articulis complanare tentabimus.

## ARTICULUS IV.

Quomodo daemones futurarum rerum scientiam subripere tentaverint, ac falsorum deorum nomine ambigua quibusdam, ac praesertim Pyrrho et Croeso, oracula dederint.

Praesensio et scientia rerum futurarum *magnifica*, ait Cicero, *quaedam res et salutaris, si modo est ulla, quaeque proxima ad deorum vim naturae mortali possit accidere* (Cicer. lib. I. de Divinat. p. 254.). Neque id daemonibus erat incognitum. Quamobrem hanc scientiam sibi quoque tandem modo vindicare voluerunt. Nam ut apposite omnino Tertullianus noster, *Aemulantur*, inquit, *divinitatem, dum furantur divinationem* (Tertullian. Apologet. c. 22.). Quin immo si fidem ei habeas, nihil illis hac aemulatione carius antiquiusque fuit: *Et quae illis*, ait, *accuratior pascua est, quam ut hominem a recogitatu verae divinitatis avertant praestigiis falsae divinationis* (Ibid.). Atque ita quidem in editione Rigaltii, qui haec verba *illis et avertant* ad daemones referenda esse opinatus est. At in nostris manuscriptoris codicibus ac priscis editionibus legimus *illi et avertat* quae ad annotatam ibidem a Tertulliano *aspirationem* daemonum referri utique possunt. Nomen vero *pascua* ab eo, sicuti a sacris Scriptoribus nostris accipitur pro pastione et alimento. Nam ut plura eorum loca omittamus, in psalmo vigesimo secundo scriptum est: *In loco pascuae ibi me collocavit* (Ps. XXII. v. 20.).

Quomodo autem daemones moliti sint divinationem subripere, hunc Auctor noster exposuit in modum: *Ingenii sui subtilitate dispositiones etiam Dei et tunc prophetis concionantibus exceperunt et nunc lectionibus Sacrae Scripturae resonantibus carpunt* (Tertullian. ibid.). Praeterea *sumunt*, id est agnoscunt, *quasdam temporum sortes*, sive futuros temporum status et eventus. In nostra autem de Lactantii libris dissertazione haec enucleavimus (Dissert. in Lactant. cap. 20. Art. 7.).

Alio adhuc modo pluvias facile praedicunt. Etenim *habent*, ait adhuc Tertullianus (Ibid.), *de incolatu aëris et de vicinia siderum et de commercio nubium caelestes sapere*, hoc est agnoscere, *paraturas, ut et pluvias, quas iam sentiunt, repromittant*. Pamelius vero nos hic monitos esse voluit se non meminisse utrum nomen *paratura* apud alios auctores legatur. Sed aut ipse non legerat aut non recordabatur se legisse in vita Sancti Cypriani haec Pontii verba: *Nondum secunda nativitas novum hominem splendore toto divinae lucis oculaverat et iam veteres ac pristinas tenebras sola lucis paratura vincebat* (Pont. in Vita S. Cypr. c. 2.). Paraturae autem nomen ibi ipso Tertulliani sensu adhibetur pro dispositione, apparatu et praeparatione uti iam observatum est (Art. super.).

Dicit itaque Auctor noster ea, quae in altiori caeli regione praeparabantur, nubium commercio cognosci a daemonibus *de incolatu aëris*. Noverat siquidem Satanam ab apostolo vocari *principem potestatis aëris huius*, daemones vero *spiritualia nequitiæ in caelestibus* (Epist. ad Ephes. cap. II. 2. et cap. VI. 12.). Denique de pluvia ab iis praenuntiata aliquid infra dicendum.

Eodem quoque modo ille adhuc ostendit ab iisdem daemonibus

profecta esse, quae ethnici tantopere venditabant, deorum suorum oracula. Quis autem adeo caecus est, ut in eis solitas daemonum fraudes malignaque subtilitatem eo facilius non deprehendat, quo magis ambigua fuerunt. Si quis tamen Tertulliano credere nolit, is certe audiat expendatque quam manifeste illud ab eo probetur: *In oraculis, inquit, quo ingenio ambiguitates suas temperent in eventus, sciunt Croesi, sciunt Pyrrhi* (Tertullian. Apologet. c. 22.). Duo itaque profert celeberrima oraculorum exempla, quorum unum Pyrrho, alterum Croeso datum est. Quam ambiguum autem et fallax primum fuerit his Augustinus patefecit verbis: *Ait enim fatidicus, Dico te, Pyrrhe, vincere posse Romanos: atque ita sive Pyrrhus a Romanis, sive Romani a Pyrrho vincerentur, securus fatidicus utrumlibet expectaret eventum* (August. lib. III. de Civit. Dei cap. 17.). At huiusmodi fallaciae fraudulentaeque captiones a vero Deo proficisci non possunt, sed a malignis daemonibus, qui naturae suae subtilitate sub falsorum deorum imaginibus latentes his responsis homines decipiebant. De hac autem fallaci Apollinis Pythii ad Pyrrhum regem responso disputavimus in nostra de Minucii Octavio dissertatione (Dissertat. in Minut. cap. 17. Art. 3.). Eiusdem profecto generis est aliud Croeso redditum. Narrat enim Eusebius (Euseb. lib. V. Praepar. Evangel. cap. 21. et 22.) hunc Lydiae regem, cum bellum Persis inferre cogitaret, Apollinem Delphicum, cuius templum infinitis opibus et donariis exornaverat, de futuro huius belli eventu consuluisse et hoc plane ambiguum accepisse responsum:

*Κροίσος Ἄλυν διαβάς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει.*  
*Croesus Halyn superans magnam pervertet opum vim.*  
 (Herodot. lib. I. cap. 65.)

Quod ille postea confirmat Oenomai testimonio. At id tibi si non sufficiat, adire poteris Herodotum et qui de utroque Pyrrho et Croeso agunt, Ciceronem, Bulengerum et alios (Cicer. lib. II. de Divin. p. 296. Bulenger. lib. de Orac. et Vat. cap. 6.).

Ad eundem porro Croesum attinent haec subsequencia Tertulliani verba: *Ceterum testudinem concoqui cum carnibus pecudis Pythius eo modo nuntiavit, quo supra diximus: momento apud Lydiam fuerat* (Tertullian. Apologet. cap. 22.). Memoriae siquidem iam citatus a nobis Herodotus prodidit missos a Croeso nuntios, qui varia deorum oracula consulerent et quid ipse in Lydia ageret sciscitarentur. Singulorum autem responsa cum accepisset, nullum probavit, nisi Delphici Apollinis, qui ea, quae ab illo revera agebantur, hoc responso edixit: *Χελώνην καὶ ἄρνα κατακόψας ὁμοῦ ἔψρε αὐτὸς ἐν λέβητι χαλκῆφ, χάλκεον ἐπίθημα ἐπιθείς.* *Testudinem pariter et agnum concisos in lebeti aheneo coxit, operculo aheneo imposito* (Herod. lib. I. cap. 48.). At non divino quidem afflatu daemon ille cognovit quid Croesus ageret, sed innata sibi, ait Tertullianus, agilitate in Lydiam uno momento convolvavit et eadem celeritate reversus, Croesi nuntiis memoratum Apollinis nomine responsum reddidit.

De his porro ac similibus oraculis ambiguisque ac fallacibus daemonum responsis et illorum defectu non solum in citata in Minucii Octavio, sed aliis quoque nostris dissertationibus actum a nobis fuit



(Dissertat. in Minut. cap. 30. Art. 3. et in Lactant. cap. 20. Art. 7. et 8. et cap. 32. Art. 1.). At neminem esse putamus qui ex dictis non intelligat quantum a Tertulliani aliorumque antiquissimorum Ecclesiae Patrum sententia recentior quidam, ut alibi annotavimus, dissideat, qui vetera gentilium oracula non his daemonum dolis pessimisque artibus, sed sacerdotum idolis servientium fallaciis ac praestigiis reddita fuisse perperam venditat. Quamvis enim nonnulla ab his sacerdotibus profecta fuisse constaret, pleraque tamen omnia edere non potuerunt, sicuti nec vera miracula, de quibus nunc agendum est.

## ARTICULUS II.

Quomodo Tertullianus ostendat daemonum potestate ac fraudibus ea esse facta, quae magi circulatoriis praestigiis ludunt, quibus infamantur defunctorum animae, pueri in eloquium oraculi eliduntur, immittuntur somnia, caprae et mensae divinant; nec responderi a quocumque posse ea saltem diis tribuenda, quae intra illorum templa agebantur.

Ethnicos acrius adhuc urget Tertullianus planumque facit ea, quae a circulatoriis magis supra naturae ordinem edita opinabantur, haec facta fuisse daemonum fraudibus ac praestigiis. Et certe quomodo magi illi execrandis suis artibus facere aliquid possent, nisi haberent *semel invitatorum*, ait Tertullianus, *angelorum*, videlicet malorum, *et daemonum adsistentem potestatem* (Tertullian. Apolog. c. 23.). Non enim eam potentiam, quae solitas hominis vires superat, a se ipsis habent, neque etiam a Deo optimo, qui maleficiorum auctor esse non potest. Ergo illam acceperunt a daemonibus, qui sua, uti diximus, malignitate homines in quaelibet scelera inducere moliantur. Sed haec ille alio in libro clarius uberiusque demonstrat (Idem lib. de Anima cap. 57.).

Magi itaque accepta ab illis daemonibus res quasdam extra consuetum naturae ordinem edendi potestate *circulatoriis*, ait Tertullianus, *praestigiis ludunt* (Idem Apolog. cap. 23.). Sed quae sunt, rogabit aliquis, haec circulatoriae praestigiae? Respondent alique illas sic vocari, quia magi circumforanei spectantium coetu sive circulo circumdati fabulis aut praestigiis ludunt. Verum nobis facilius persuadebitur his verbis nihil a Tertulliano aliud significari, quam magicas praestigias. Ubi enim Marcionis de phantastica Christi carne errorem refellit: *Ergo iam Christum, inquit, non de caelo deferre debueras, sed de aliquo circulatorio, id est magorum, coetu, nec Deum praeter hominem, sed magum hominem* (Idem lib. de Carne Christi cap. 5.). Alibi vero: *Alia species magiae, quae miraculis operatur . . . . . exinde et Simon magus, iam fidelis, quoniam aliquid adhuc de circulatoria secta cogitaret* (Idem lib. de Idololat. c. 9.). Quid autem ibi circulatoria secta, nisi magorum sectam significat? Alicubi tamen, ne quid dissimulemus, magos a circulatoriis distinguere videtur, ubi adversus haereticos sic disputat: *Notata sunt etiam commercia haereticorum cum magis quampluribus, cum circulatoribus, cum astrologis, cum philosophis, curiositati scilicet deditis* (Idem in fine lib. de Praescript. Haeret. c. 43.). Sed nonne cernis ibi varias tantum notari hominum magicis artibus deditorum species? Nonne igitur illius in Apologetico hic sensus est: magi multa miracula circulatoriis, id est magicis

artibus ludunt, hoc est fingunt et falso iactant a se fieri sicque homines ludunt ac decipiunt?

Praeterea detestandis illis artibus *phantasmata edunt et defunctorum infamant animas* (Idem Apologet. c. 23.). Iam vero dictum ab illo observavimus a daemonibus edita fuisse phantasmata Castorum (super. Art. 3.): nunc vero asseverat aliorum defunctorum phantasmata sive fictas effigies a magis daemonum artificio repraesentari. Sed haec ille in libro de Anima fusius hisque verbis explicat: *In illa specie magiae, quae iam quiescentes animas evellere ab inferis creditur et conspectui exhibere, non alia fallaciae vis operator; plane quia et phantasma praestatur, quia et corpus affingitur; nec magnum illi exteriores oculos circumscribere, cui interiorum mentis aciem excacare perfacile est. Corpora denique videbantur Pharaoni et Aegyptiis magicarum virgarum dracones; sed Moysis veritas mendacium devoravit* (Tertullian. lib. de Anima c. 57.). In his itaque magicis evocationibus nihil aliud esse contendit, nisi daemonum fraudes, fallacias, fucum atque mendacium. Quod quidem ille ibidem hac tam certa quam evidenti ratione comprobatur: *Hanc fallaciam spiritus nequam sub personis defunctorum delitescens, nisi fallor, etiam rebus probamus, cum in exorcismis interdum aliquem se ex parentibus hominem suis affirmat, interdum gladiatorem vel bestiarium, sicut et alibi deum, nihil magis curans, quam hoc ipsum excludere, quod praedicamus, ne facile credamus animas universas ad inferos redigi, ut et iudicii et resurrectionis fidem turbet* (Ibid.).

At cur, inquires, animae defunctorum ab eo tunc dicuntur infamari? Putant nonnulli illud ideo dictum, quia infamia et contumelia afficiuntur. Sed veremur ne hoc verbum alio sensu a Tertulliano accipiat pro fingere videlicet ac falso exhibere. Nam eodem in libro probat falli hominum oculos ac obici *mendacium eorum visui, quod aequalissimam porticum angustiore in ultimo infamet* (Ibid. c. 17.), id est falso exhibeat ac mendacio repraesentet. Postea vero adiicit tunc nullam esse oculorum fallaciam nullumque mendacium, si et ipsae *causae* obiecta recte videndi infamia liberentur. Nemo autem dixerit ibi verbum *infamare* ab illo usurpari pro macula, qua porticus inuratur. Si quis tamen probaverit hoc secundo significato in Apologetico sicut in mox citatis locis primo sensu accipi, non omnino repugnare audebimus.

Magi insuper *pueros*, inquit, *in eloquium oraculi elidunt* (Idem Apologet. cap. 23.). Et ita sane in nostris codicibus manuscriptis et editis recentioribus. Minus autem bene in primis editionibus *eliciunt*. Apuleius namque testatur communem sui temporis morem usumque fuisse, ut magi pueros sive servos ad oracula fundenda assumerent, qui ab iis incantati corruerant atque idcirco elidebantur (Apul. Apolog. l. pag. 340.).

Eadem etiam fraude *somnia*, ait Tertullianus (Tertull. ibid. Dissertat. in Minut. cap. 20. Art. 2. in Arnob. cap. 18. Art. 1. in Lact. cap. 32. Art. 4.), futurorum haud dubie praenuntia, *immittunt*. At de huiusmodi somniis plura in superioribus nostris dissertationibus diximus.

Neque soli homines hac arte magorum sive potius daemonum, qui horum ministerio abutebantur, sed etiam *caprae*, inquit Auctor noster, *et mensae divinare consueverunt* (Tertullian. Apologet. c. 22.). At quanam, obsecro te, erant hae mensae? Num sacri, ut ethnici garriebant, tripodes, ex quibus Pythiae, sacerdotes Apollinis, solebant oracula sua fundere? Certe de illis Virgilius cecinit (Virgil. lib. III. Aeneid. v. 358.):

*Troiugena interpretes divum, qui numina Phoebi,*

*Qui tripodas Clarii lauros, qui sidera sentis.*

Servius siquidem in hos poëtae versus, *Tripodes*, inquit, *mensae fuerunt* in templo Delphici Apollinis, *quibus superpositae Phoebades vaticinabantur* (Buleng. lib. de Orac. et Vatribus cap. 17 et seqq.). Noti autem sunt omnibus tripodes illi, de quibus si plura scire aveas, adire poteris Bulengerum et alios.

Verumtamen quia Tertullianus de his, quae non sacerdotum ethnicorum, sed magorum opera efficiuntur, ibi sermonem videtur fecisse, si quis de aliis mensis eum loqui probaverit, ei haud aegre assentiemur. Expendat nihilominus haec non minus ad oracula deorum referri posse, quam ad notatas ibidem ab ipso adhuc Tertulliano *capras* divinantes, de quibus in primo Apparatus nostri tomo disputavimus (tom. I. Appar. lib. I. cap. 10. pag. 772 et seqq.).

Quoniam vero Tertullianus de iis, quae intra et extra deorum templa agebantur, in hoc Apologetici loco disputat, eos refellit, qui obiiciebant distinguendam esse locorum differentiam ac diis ea tantum adscribenda, quae *in templis fieri* solebant (Tertullian. Apologet. c. 22.). Cum enim vos ethnici, ita illos compellat, haec nobis obiectatis, *alibi*, id est *extra templa deos non dicitis* (Ibid.), id est cum fatemini deos vestros non alibi esse et agere quam in templis, eo ipso dicitis eos esse falsos deos. Nam verus Deus ubique est.

Deinde vero *non aliter*, inquit, *dementire*, hoc est uti apud Lucretium, Apuleium et Lactantium (Lucret. lib. III. v. 396. Apul. Apol. I. pag. 341. Lactant. lib. IV. Divin. Institut. cap. 17. Tertullian. Apologet. cap. 13.) insanire, delirare seu extra mentem exire, is *videtur*, *qui sacras* templorum *turres pervolat*, quam *qui tecta vicinia transit* sive ex vicinis templorum tectis volando sese aëri committit. *Parem* itaque asserit dementiam esse illius, qui ex quibuslibet, atque alterius, qui ex templorum falsis diis dicatorum turribus sese praecipitando per aëra volasse perhibebatur. Perpendas autem velim utrum ibi tacito nomine notaverit Simonem Magum, cuius mentionem antea fecerat. At Lucianus praeterea Philoclem introducit asseverantem se Babylonium quendam vidisse, qui per aëra volitabat (Lucian. Dial. Philops. pag. 831.). Addunt nonnulli exemplum Agareni cuiuspiam praestigiatoris, qui teste Niceta Choniate, cum ex summa Hippodromi turre per aërem volaret, praiceps actus interiit. Sed hoc exemplo confici tantum potest mirum non esse, si Tertulliani tempore vel antea temerarii praestigiatores hunc in modum volare tentaverint.

Urget adhuc ille parem esse furorem et amentiam illius, *qui gonitatia vel lacertos, atque alterius, qui sibi gulam prosecat* (Tertullian. Apologet. cap. 25.). Prior autem erat gallus vel archigallus, qui in

Matris deorum vel Bellonae sacris membra sua secare consueverat (Dissert. in Minut. cap. 20. Art. 2. et Dissert. in Lactant. cap. 34. Art. 1.). De hoc autem archigallo ille paulo post, ac nos de illo et aliis gallis alibi disseruimus: *Atqui compar est, inquit, exitus furoris et una ratio est instigationis* in illis atque in eo, qui *sibi gulam prosectat*, id est se iugulat aut gladium suum demittit in gulam (Tertullian. *ibid.*). In nostris autem codicibus manuscriptis pro *compar*, habetur *compara*, quod etsi corruptum plane videatur, suo tamen prorsus non caret sensu. At Minucius Felix, quemadmodum suo loco annotavimus, paulo aliter, sed eundem in finem dixit (Dissertat. in Minut. cap. 20. Art. 3.): *Par in illis instigatio daemoneis, sed dispar argumentum furoris*. Nam eadem est utriusque in ethnicos argumentatio, qua illorum errorem radicatus evellunt. Videtis citatos a nobis in illa dissertatione Ciceronis de divinatione et Augustini totidem de divinatione daemonum libros.

Ex hactenus porro disputatis quis non videt hanc recte a Tertulliano elici conclusionem? Si malignis daemonum artibus, fallaciis ac praestigiis ea extra solitum naturae ordinem facta sunt, quae gentiles diis suis tribuebant, ergo falsi sunt hi omnes dii et falsa est eorum gentilium ac vera Christianorum religio. Hi enim colunt unicum et omnipotentem Deum, cuius sola potestate, ceteris omnibus superiore, vera miracula fieri possunt.

## ARTICULUS VI.

Quae ratione Tertullianus demonstret eos, qui de deo pati aestimantur, qui aris inhaerant, qui aemula de nidore concipiunt, ructando conantur, profantur anhelando; nec non Virginem Castorem, pluviarum pollicitatricem, et Aesculapium, alia die Socordio, Thenatio et Aesculapio vitae subministratorem, cum a Christianis adiurabantur, tunc palam respondiisse se non esse deos, sed daemones.

Multo sane longius progreditur Tertullianus et argumento longe efficaciori ac contra quod ne mutire quidem ethnici audebant evidenter demonstrat omnia illa miracula, oracula et alia, quae hi supra vires humanas a diis suis acta esse venditabant, ab ipsis daemonibus esse facta ac proinde quos dicebant deos esse revera daemones. Neque enim privata hominis alicuius auctoritate aut ratione ullo humano ingenio excogitata id probat, sed publico ac dato coram quilibet gentilibus ipsorummet testimonio deorum.

Totius autem huius argumentationis summa haec est (Tertullian. *Apologet.* cap. 22.): Quocumque daemone aut quibusvis daemonibus homo agatur sive malo eorum agitetur spiritu, cuiuslibet etiam hominis corpus ab iis obsideatur, iidem daemones ab illis omnibus sola Christianorum adiuratione et exorcismis, aut solo ad tactu aut flatu confestim expelluntur. Atqui tunc, tametsi invitum nec maxima sine ignominia eicerentur, palam ac coram omnibus ethnicis cogebantur fateri se non deos, uti gentiles effutiebant, sed meros esse daemones, unicum vero esse Deum, quem christiana fides colit et adorat.

... Cum res ergo ita sit, inde Auctor noster recte concludit: *Quid in opere manifestius? Quid hac probatione fidelius? Simplicitas.*

*veritatis in medio est.* Aut illa etenim publica daemonum confessio vera erat, aut falsa et mendax. Si vera, iis proculdubio credendum atque ethnici confiteri debebant falsos esse deos suos ac unum tantummodo, quem Christiani venerantur, esse verum Deum. Si autem daemones tum mentiebantur, primo id facile nemini persuadebis. Quilibet enimvero ad honorem quandoque suum, non autem ad dedecus infamiamque suam unquam mentitur. Praeterea si mentiebantur et hoc mendacio morem gerebant Christianis, inde certissime conficitur nullam esse quam ethnici venditabant eorum divinitatem. Verus quippe Deus nec mentiri nec creaturis ad suum dedecus obsequi potest. Falsa igitur ea est divinitas, quae aliquid *ad dedecus*, ut ait Auctor noster, *facit aemulis suis*, id est quae ad dedecus suum hostibus suis Christianis mentitur iisque mentiendo se subiicit (Dissertat. in Minut. Octav. cap. 20. Art. 3. et in Lactant. cap. 9. Art. 2.). Quanti porro sit roboris haec argumentatio, in superioribus nostris dissertationibus abunde demonstratum est.

Quamobrem nihil aliud restat explanandum nisi quod paulo obscurius in Auctoris nostri textu scriptum occurrit. Ethnicos autem ibi audacter provocat ad huius Christianorum in daemones potestatis et publicae illius daemonum se deos esse negantium confessionis periculum faciendum. Quanta vero confidentia id pronuntiet, ex hac eius ipsa provocatione cognosces (Tertullian. Apologet. cap. 23.): *Adiurati, inquit, a Christianis, nisi se daemones confessi fuerint, ibidem sive eo ipso in loco et momento, illius Christiani procacissimi sanguinem fundite.* Ne quis autem fraudem aliquam aut dolum suspicaretur, ad illud experimentum non locum aliquem privatum aut ethnicis suspectum, sed publicum et illis omnibus securum postulat (Ibid.). Eos quippe ita alloquitur: *Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem daemone agi constat; iussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille tam daemone se confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso.* In nostris codicibus legitur non *deum* quidem, sed *dominum*, non diverso tamen sensu.

Neque hoc uno tantum, sed quolibet alio cuiusvis hominis quoquo modo a daemone agitati experimento id similiter probari posse constanter asseverat. Sic namque prosequitur (Ibid.): *Aequae producantur ante ethnicorum tribunalia aliquis ex iis, qui de deo pati existimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt, qui ructando conantur, qui anhelando profantur. Ipsa Virgo Coelestis, pluviarum pollicitatrix, iste ipse Aesculapius medicinarum demonstrator alia die moriturus Socordio et Thenatio et Aesclepiodoto vitae subministratores, hi omnes a Christianis adiurati daemones se esse illico confitebuntur.*

Audisne quot ille proferat exempla, quae ab ethnicis nec negari unquam nec ullo prorsus modo dissimulari poterant? Sed quia haec ac potissimum posteriora non minima quidem caligine respersuntur, eam pro virili parte nostra discutere enitamur. Primum itaque observabimus iis, quae ab illo praemissa sunt, lucem aliquam afferri posse his Virgilio carminibus (Virgil. lib. VI. Aeneid. v. 77 et seqq.):

*At Phoebi nondum patiens inmanis in antro  
Bacchatur vates, magnum si pectore possit  
Excussisse deum; tanto magis ille fatigat  
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premando.*

In primum autem carmen Servius, *nondum patiens*, inquit, *quae nondum posset implere oraculorum sermones*. Deo igitur patiens dicitur vates qui ad oracula fundenda numine alicuius dei afflatus, donec ea ex pectore excussisset, laborabat, torquebatur, domabatur, premebatur. Et vero huiusmodi vates, ut ipsimet ethnici aiebant, insolito replebantur furore.

Qui vero dehinc *aris inhalantes* a Tertulliano vocantur, hi dubio procul sunt arioli, de quibus Donatus in suis ad Terentium observationibus (Donat. in Terent. Phormion. Act. IV. sc. 4. v. 27.): *Hariosus est*, inquit, *qui divina mente vaticinatur, qui fariolus a fatis, et a fando, cum F. pro H. et item H. pro F. in multis locutionibus ponatur. An quod imitantur aspirationem in exhalando? Nam habitu solent excludere mortalem animam, ut divinam recipiant. Unde et vocem eiusmodi dabant, quae est OE, quod OE sonus exhalandi vim praestat. Rursus vero iam laudatus a nobis Maro de Sybilla canebat (Virgil. lib. VI. Aeneid. v. 45 et seqq.):*

*Ventum erat ad limen, cum virgo: Poscere fata  
Tempus, ait: deus, ecce deus: cui talia fanti  
Ante forès subito non vultus, non color unus,  
Non comptae mansere comae, sed pectus anhelum  
Et rabie fera corda tument, maiorque videri  
Nec mortale sonans afflata est numine quando  
Iam propiore dei.*

Similiter etiam Lucanus de Cumaea Sybilla, quae vaticinari conabatur Lucan. lib. V. v. 91 et seqq.):

*Talis in Euboico vates Cumaea recessu,  
Indignata suum multis servire laborem  
Gentibus, ex tanta fatorum strage superba  
Excepit Romana manu, sic plena laborat  
Phaenomoë Phoëbo. . . . .*

*Spumea tunc primum rabies vesana per ora  
Effluit, et gemitus, et anhelus clara meatu  
Murmura, tunc moestus vastis ululatus in antris  
Extremaeque sonant domita iam virgine voces.*

Quamobrem Cicero (lib. I. de Divin. pag. 274. lin. 35.): *Credo etiam*, inquit, *anhelitus quosdam fuisse terrarum, quibus inflatae mentes oracula funderent*. Sed de his plures alios scriptores citavimus in nostra de Minucii Octavio dissertatione (Dissertat. in Minuc. cap. 10. Art. 2.). Vide autem, obsecro, utrum ex illis colligi possit hunc esse Tertulliani sensum? Vates et arioli existimantur *de deo patiens*, cum ab illo acti aestu ac furore torquebantur.

Qui vero *aris inhalantes*, sive spirantes et in aras spiritum emittentes, *numen*, id est dei alicuius nutum et potestatem, *de nidore*, id est odore vicimae alicuius perustae, *conciipiunt*. Deinde qui *ructando*



sive ructus variosque anhelitus efflando *conantur* fundere oracula, eaque eructare et mittere extra pectus suum. At in exemplaribus nostris manuscriptis et editis antiquioribus pro *conantur* scriptum est *curantur* (Tertull. loco cit.). Cuius sensus esse potest, *ructando* et oraculum emittendo feruntur labore suo et cruciatu liberari ac curari. Sed potior videtur altera lectio. De his enim adhuc tortis et laborantibus Auctor noster loqui videtur, qui continenter adiecit: *Qui anhelando profantur* (Ibid.); manuscripti et alii ante Rigaltii tempus editi *praefantur*, sed haud multum absimili significato. Ait enim tum ex illis, sicut ex Virgilio et aliis audivimus, excuti deum eosque dei alicuius instinctu fundere oracula. At ille haec omnia non veri Dei opera, sed fallacibus, sicut dictum est, daemonum praestigiis fieri evidentissime demonstrat. Tunc enim a Christianis adiurati ad fatendum se daemones esse compellebantur, ut postea adhuc dicemus.

Explicatu vero longe difficiliora sunt, quae his subiiciuntur. Quis enim facile dixerit quanam illa sit *Virgo Caelestis* quae ab illo *pluviarum pollicitatrix* appellatur (Ibid.)? Nonnulli siquidem hanc lunonem, alii Fortunam, alii Cererem, alii Uraniam, alii Venerem esse existimant, quia Veneris Uraniae sive *Caelestis* eiusque templi mentionem Herodotus, Pausanias et Lucianus fecerunt (Herodot. lib. I. cap. 31. et 105. Pausan. lib. I. pag. 14. et 17. Lucian. Dial. Mat. et Musar. pag. 973.). Nobis autem facilius probabitur ibi a Tertulliano designari propriam ac municipalem Africae deam, quam paulo post in Africa coli testificatur (Tertullian. Apologet. cap. 24.). Augustinus siquidem testis utique oculatus de illa dea haec memoriae prodidit: *Veneramus nos aliquando adolescentes ad spectacula ludibriaque sacrilegorum. Spectabamus arreptitios, audiebamus symphoniacos; ludis turpissimis, qui diis deabusque exhibebantur, oblectabamur, Caelesti Virgini et Berecynthiae Matri omnium* (August. lib. II. de Civit. Dei cap. 4.). Rursus autem postea: *Ubi et quando sacrati Caelestis audiebant castitatis praecepta nescimus. Ante ipsum tamen delubrum, ubi simulacrum illud locatum conspiciebamus, universi undique confluentes et ubi quisque poterat stantes, ludos qui agebantur, intentissimi spectabamus, intuentes alternante conspectu hinc meretriciam pompam, illinc virginem deam illam suppliciter adorari, ante illam turpia celebrari: non ibi pudibundos mimos, nullam verecundio rem scenam vidimus; cuncta obscaenitatis implebantur officia. Sciebatur virginali numini quid placeret et exhibebatur quod de templo domum matrona doctior reportaret* (Ibid. cap. 26.). Plura adhuc de ea ille alibi. Sed haec satis superque probant apud Afros fuisse templum Virginis Caelestis, quae non solum ab illis colebatur, sed quae siccitatis tempore ab iisdem invocata, pluvias pollicebatur moxque futuras praedicebat. Ab aliorum autem opinionibus haec, quam proponimus, non adeo dissita est, quin ipsis non possit reconciliari. Nam dea illa pro locorum diversitate diversis vocabatur nominibus. Testem si desideres, ecce Ambrosium id asserentem: *Quam Caelestem, inquit, Afri, Mithram Persae, plerique Venerem colunt, pro diversitate nominis, non pro numinis varietate* (Ambros. Epist. 18. adv. Symmach. §. 30. pag. 340.).

Transit inde Auctor ad Aesculapium, qui ab eo vocatur *medicinarum demonstrator*, et alibi, *qui primas medelas exploraverit* (Tertullian. Apologet. cap. 23. et lib. de Corona cap. 8. Tom. I. Appar. pag. 1192.). Nos vero in superioribus nostris dissertationibus ostendimus qua ratione ethnici medicinae inventionem illi adscribebant. Sed quo id clarius, eo sane maiorem subsequens eius verba habent obscuritatem: *Alia die*, ait, *morituris Socordio et Thenatio et Asclepiodoto vitae subministrator* (Tertull. Apologet. cap. 23.). Mirum enim quantum haec eruditorum hominum ingenia exercuerint. At certe corruptus est hic locus. Nam in nostris codicibus manu et antiquiori et recentiori exaratis habetur: *Alia die morituris (vel alia demorituris) Socordio et Denatio et Asclepiodoto subministrator*. In editionibus Rigallio vetustioribus: *Alias demorituris Socordii et Denatii et Asclepiodoti subministrator* (Dissertat. in Arnob. cap. 9. Art. 2. et in Lactant. cap. 30. Art. 5.). Quis autem non videt has diversas lectiones augere potius quam tollere difficultatem?

Quidam tamen suspicantur has Agyrtarum seu praestigiatorum, qui Aesculapio se ministrare mentiebantur, esse voces, quas tacere satius ducunt, quam in iis explicandis risu dignam et inutilem perdere operam. Alii censent nomina trium esse hominum, quibus Aesculapius vitae curriculum paulo ante produxisse ferebatur. Sed haec aliqua saltem ratione confirmari debebant. Alii porro opinantur tria illa esse nomina herbarum, quibus morbi depelli poterant. Plinius enim inter varia antidota recenset *scordotim*, uti ille ait, siva *scordion* (Plinius lib. II. Natur. Hist. cap. 6.). Alibi vero scribit hanc herbam ad complures morbos removendos esse utilem (Idem lib. XXVI. cap. 7. et 8. et cap. 10.). At illud omitti proculdubio non debebat, quod alibi adhuc dixit: *Contra haec omnia venena magicasque artes erit primum illud Homericum moly, deinde mithridation et scordotis et centaurion* (Idem lib. XXV. cap. 10.).

Quibusdam autem visum est *Asclepiodoti* nomine indicari a Tertulliano Asclepion, de quo haec a Plinio scriptis tradita legimus: *Panaees ipso nomine omnium morborum remedia promittit, numerosum et diis adscriptum. Unum quippe Asclepion cognominatur* (Idem ibid. cap. 4.), ab Aesculapio videlicet falso ethnicorum deo illius demonstratore aut ob eius virtutem ita appellato.

Superest tertium nomen, in quo explicando haeret omnibus aqua. Qui enim *Denatio* legunt, autumant aliquid denotari quod iam morituris praebere solebat. Qui vero legere malunt *Thenatio*, suspicantur aliud significari quo spiritum agentes recreari et tanquam a morte ad vitam revocari poterant. Sed hae merae sunt coniecturae, quae nulla prorsus ratione firmantur.

Paulo itaque attentius expende, quaeso, an tenebricoso huic Auctoris nostri loco nonnihil luminis dare possint haec Iulii Firmici Materni verba: *Mercurius cum sole ab horoscopo pariliter constitutus faciet exorcistas et qui laborantes daemonum incursione homines aptis remediis liberent, unde ex illis artibus maxima illis substantia confertur* (Iul. Firm. lib. III. Matheseos cap. 9.). Audis sane eum loqui de Mercurio, qui homines daemonum incursione laborantes aptis re-

mediis curare credebatur. Nonne ergo inde colligi potest haec remedia a Tertulliano suis nominibus, sed in textu eius corruptis appellari, quae Firmicus generatim tantum vocat *remedia*, quibus exorcistae a Mercurio facti daemonum incursione vexatos liberabant? Certum quippe est ipsum Tertullianum toto hoc in loco de iis sermonem facere, quos a daemone actos quidam magica arte curare frustra nitebantur. Sed his ipse daemon a Christianis adiuratus confestim expellebatur cogebaturque nomen suum edere et verum Christianorum Deum confiteri. Si quis tamen meliora nobis suggesserit, huic plane non reluctabimur.

Pergit autem Tertullianus et constanter asseverat nihil hoc Christianorum opere atque deducta inde argumentatione simplicius et fidelius. In illo quippe *nihil*, inquit, *susplicari licebit. Magia aut aliqua eiusmodi fallacia fieri dicetis, si oculi vestri et aures permiserint vobis* (Tertullian. Apologet. cap. 23.)? Atque ita Rigaltius hunc Tertulliani locum, nulla notata varia lectione, emendare non haesitavit. In antiquis tamen editionibus legebatur *nihil . . . . fieri. Dictis non statis, si oculi*: in duobus vero nostris codicibus vetustioribus *nihil . . . fieri dicetis*. Tunc deinde in aliis simul: *Non dicetis, si oculi etc.* Sed si quae sit in discernenda genuina lectione difficultas, constat tamen apertum esse Auctoris nostri sensum. Dicit etenim ethnicos non posse aut susplicari aut obiicere in illo Christianorum opere aliquid inesse aut magicum aut fallax, modo iidem ethnici indomita obstinatione nec caeci sint nec surdi. Videre siquidem facile poterant quam simplici modo Christiani agerent atque etiam daemones audire confidentes se deos revera non esse, sed immundos spiritus, *ob malitiam praedamnatos in iudicii diem cum omnibus cultoribus et operatoribus suis* (Ibid.). Quin etiam ipsi daemones non poterant audientibus ipsimet ethnicis *suae saltem ignominiae et damnationis notam refutare* seu tegere, diluere, inficiari. Quamobrem illos ad id, si unquam quiverint, aliquando negandum audacter provocat. *Renuntiant*, inquit, *manuscripti codices nostri Renuntiant*, melius antiquae editiones *Renuntiant*, hoc est, sed improprio loquendi modo, negent, abnuant et diffiteantur se esse praedamnatos. At id proculdubio negare tum non poterant, cum a Christianis interrogati et adiurati respondere cogebantur.

Quomodo enim inficiari potuissent se immundos esse spiritus, quod *ex pabulis eorum*, ut ait Tertullianus, *sanguine et fumo et putidis rogis pecorum et impuratissimis linguis ipsorum vatium intelligi debuit* (Ibid.)? Adi, si lubet, Augustinum, et ea lege, si vacat, quae ille ex Porphyrii ad Anebontem epistola retulit de impiis et fraudulentis daemonum ac fallacium spirituum artibus (August. lib. X. de Civit. Dei cap. 11.). Ibi quippe scribit illos gaudere nidoribus ac victimis, sive mactatis pecoribus allici cogique ea facere quae volunt homines. Alia etiam ibidem animadvertes, quibus plura, quae hactenus de eorundem daemonum praestigiis disputavimus confirmari et illustrari possunt. Adiecit Tertullianus illos immundos spiritus declarari *impuratissimis linguis vatium ipsorum*, aut qui aris, ut antea dicebamus, inhalabant, et fumo ac victimarum sanguine contaminabantur, aut qui Christianorum adiuratione fateri compellebantur illud quod

conceperant numen non deum esse, sed daemonem. Minucius autem Felix usus est nomine *impurato*, ubi de falsi cuiuslibet dei statua: *Ab impurato*, inquit, *homine laevigatur* (Minuc. Octav. p. 307.). Et Prudentius postea de Apolline cecinit:

*Mox flevit impuratus occisum gravi*

*Disco.* (Prud. in Hymn. S. Rom. v. 205.)

#### ARTICULUS VII.

Quam praeclare Tertullianus superius argumentum inde confirmet, quod daemones ab his, quae obsidebant, hominum corporibus vario modo eicerentur vel ab exorcistis vel aliis Christianis, quos timentes odio habebant ipsisque erant subiecti; quo sensu desperata dicitur illorum conditio; ac de poenae mora, qua solatium fruendae malignitatis habere feruntur.

Ethnicos acerrime adhuc urget Tertullianus palamque omnibus facit quanta fuerit Christianorum ad fugandos daemones eosque ex obsessorum hominum corporibus pellendos potestas quantumque in illos imperium: *Nam de contactu*, inquit, *deque afflatu nostro contemplatione et repraesentatione ignis illius correpti etiam de corporibus nostro imperio excedunt inviti et dolentes et vobis praesentibus erubescunt* (Tertullian. Apologet. cap. 23.). Ethnici igitur nulla profecto ratione nec nisi obfirmata prorsus nec unquam vincenda obstinatione negare poterant et daemonum imbellicitatem et miram Christianorum in eos potentiam, qua religionis suae veritatem meridiano sole clarius demonstrabant.

At rogabit forsitan aliquis utrum ibi Tertullianus de nostris tantum exorcistis loquatur. Nam Cyprianus ubi de his, quae tempore suo fieri solebant, ad Magnum scribit, ibi daemones ab exorcistis nominatim fugatos sic utique testificatur: *Quod hodie etiam geritur ut per exorcistas voce humana et potestate divina flagelletur et uratur et torqueatur diabolus* (Cyprian. Epist. 69. ad Magnum p. 187.). Nonne etiam, inquiet alius, de iisdem exorcistis ipsemet Tertullianus alio in libro haec fecit totidemque verba: *Exemplum accidit, domino teste eius mulieris, quae theatrum adiit et inde cum daemone rediit. Itaque in exorcismo cum oneraretur spiritus immundus quod ausus esset fidelem aggredi: Constante et iustissime, inquit, feci, in meo eam inveni* (Tertull. lib. de Spectac. cap. 26.)? Nonne etiam rursus alibi: *Quo ore Christianus thurarius, id est qui thus idolis incendit, si per templa transibit, fumantes aras despuet et exsufflabit, quibus ipse prospexit? Qua constantia exorcizabit alumnos suos, hoc est daemones, quibus domum suam cellariam praestat? Ille quidem si exclusit daemoneum, non sibi placeat de fide. Neque enim inimicum exclusit. Facile debuit de eo impetrare, quem quotidie pascit* (Idem lib. de Idolol. cap. 2.).

Respondere quidem aliquis posset in utroque illo Tertulliani loco non exorcistas nominari, sed exorcismos sive adurationes, quae ab omnibus proculdubio Christianis adhiberi poterant. Verum nemo negare potest ab exorcistis inprimis, sicut ait Cyprianus, expulsos ex hominum corporibus daemones atque id satis Auctori nostro fuisse ad probandam Christianorum in eosdem daemones potestatem.

Sed ulterius ille progreditur et in citato Apologetici loco de omnibus loquitur generatim Christianis daemones eiicientibus. Nam ille haud dubitanter affirmat tantam fuisse multitudinem gentilium, quos Christiani a daemonum incursionibus liberabant, ut hi sublato beneficio illo sese satis superque ab immani eorundem gentilium crudelitate vindicassent. En ipsa eius verba: *Quis vos ab illis occultis et usquequaque vastantibus mentes et valetudines vestras hostibus raperet, a daemoniorum incursibus dico, quae de vobis sine praemio, sine mercede depellimus? Suffecisset hoc solum nostrae ultioni, quod vacuum exinde possessio immundis spiritibus pateret* (Tertullian. Apologet. cap. 37.). Ad Scapulam praeterea hunc ille scripsit in modum: *Et quanti honesti viri (de vulgaribus enim non dicimus) aut a daemoniis aut valetudinibus remediati sunt* (Idem ad Scapul. cap. 4.)? Quis autem haec non solum ab exorcistis, sed ab omnibus Christianis facta fuisse diffitebitur? Minor enim erat tunc exorcistarum numerus, quam ut ii soli tantam hominum multitudinem a daemonum incursibus liberarent.

Quamobrem cum ethnici obiicerent Christianos reipublicae prorsus esse inutiles, illos sic refellit: *Quanti habetis qui iam de vobis daemonia excutiant?* (Ibid. cap. 43.). Atque ita quidem in nostris codicibus manuscriptis. Non minus autem bene in antiquis editionibus *Quantas*, et in Lacerdae editione *Quando*. Tertulliani enim sensus est: Si Christiani reipublicae inutiles sunt, quanti ergo aestimatis quove in pretio eos habetis, qui tot daemonia tamque saepe ex vobis depellunt?

Verum quid argumentatione opus est? Nonne ipse disertissimis verbis edixit? *Iussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille tam se daemonem confitebitur de vero, quam alibi deum de falso* (Ibid. cap. 23.). Nonne etiam ad eundem Scapulam iterum scripsit? *Daemones non tantum respuimus, verum et revincimus et quotidie traducimus et de hominibus expellimus, sicut plurimis notum est* (Idem lib. ad Scapul. cap. 3.)? At quis non videat haec non de exorcistis tantum, sed de omnibus dicta fuisse Christianis? Maxima ergo erat non modo exorcistarum, sed omnium Christianorum in daemones potestas, qua illos ex ethnicorum corporibus saepissime eiiciebant.

Si quis autem inquirat unde aut quo nomine eam haberent, huic respondebit Tertullianus: *Omnis nostra, hoc est Christianorum, in illos daemones dominatio et potestas de nominatione Christi, sive proloato, quando daemones adiurabant, Christi nomine, valet et de commemoratione eorum, quae sibi a Deo per arbitrum Christum immunitia expectant* (Idem Apologet. cap. 23.). Nonnulli vero, nullius tamen manuscripti codices auctoritate fulti, legendum censent *comminatione*, haud dubie quia daemones per Deum vivum, qui iudicaturus est vivos et mortuos, adiurabantur. At satis fortasse non animadverterunt in textu Tertulliani paulo post scriptum *de repraesentatione*, quod idem est ac commemoratione, *ignis illius aeterni* quo puniendi sunt daemones. Videtis Eusebium haec in sua de Constantini Magni laudibus oratione enarrantem aliosque a nobis alibi citatos (Euseb. Orat. de Constant. Magn. Laud. cap. 16. p. 658 et seqq.).

Recte ergo inde concludit Tertullianus: *Daemones Christum timentes in Deo et Deum in Christo subiiciuntur servis Dei et Christi* (Tertullian. Apologet. cap. 23.). Sed quomodo eos timebant? *ut nequam*, inquit, *servi metu* (Ibid. cap. 27.), quemadmodum in manuscriptis nostris codicibus legimus. Servili igitur timore Christum eiusque discipulos metuebant: *Et odium*, pergit ille, *timor spirat, sive*, ut ait Minutius, *odium nostri serunt occulte per timorem* (Minut. Octav. p. 255.). Daemones itaque et subiecti erant Christianis et eos etiam timebant atque idcirco oderant. Quidni timerent? quandoquidem ab illis *subiguntur*, ait adhuc auctor noster, *et conditioni suae succidunt, et quos de longinquo oppugnant, de proximo obsecrant* (Tertullian. ibid. cap. 27.). Atqui si eos obsecrant, timent, oderunt iisque subiiciuntur, ergo ab illis adiurati non mentiebantur profecto, sed tum vere, sicut iam diximus, fatebantur se revera esse daemones et neutiquam deos ac unum dumtaxat esse Deum. Tam vera porro illa confessio, tam publicum, inquit Auctor noster, testimonium Christianos facere solebat, ac Christianae religionis stabilire et confirmare veritatem (Ibid.). Sed de his egimus in superioribus nostris dissertationibus (Dissertat. in Minut. cap. 20. Art. 3. in Arnob. cap. 3. Art. 1. in Lactant. cap. 9. Art. 2. cap. 16. Art. 1. cap. 20. Art. 7. cap. 33. Art. 4.).

At nos iam ad alia solito more explananda properantes aliquis forsitan retardabit et a nobis sciscitabitur cur Auctor noster dixerit *daemones ob malitiam praedamnatos*, et postea adiecerit *desperata conditio eorum ex praedamnatione solatium reputat fruendae interim malignitatis de poenae mora* (Tertull. Apologet. cap. 22. Ibid. cap. 27.). Quenam est, inquiet ille, haec daemonum praedamnationis et poenae mora ac quodnam fruendae malignitatis solatium? Nam idem ipse Tertullianus non minus perspicue, uti monuimus, dixerat ex Sacris Scripturis colligi daemonum gentem cum sui generis auctoribus ac principe esse non quidem praedamnatam, sed absolute damnatam. At quamvis certa sit daemonum damnatio, non hi tamen debitas omnes sceleribus suis poenas luunt. Etenim in ipsis etiam Sacris Scripturis Christo domino exprobrasse dicuntur: *Venisti huc ante tempus torquere nos* (Matth. cap. VIII. v. 29.). Sed haec Augustinus ex Petri apostoli epistola clarius exposuit: *Peccasse quosdam angelos*, inquit, *et in huius mundi ima detrusos, qui eis velut carcer est, usque ad futuram in die iudicii ultimam damnationem apostolus Petrus apertissime ostendit, dicens quod Deus angelis peccatoribus non pepercerit, sed carceribus caliginis inferni retrudens tradiderit in iudicio puniendos reservari* (August. lib. XI. de Civit. Dei cap. 33. Petrus Epist. II. cap. 2. v. 4.). At haec infernalis caliginis ignisque reservati mora ac ditio quaecumque ipsis erat praedamnationis ac conditionis desperatae solatium. Sua enim vero fruebantur interim malignitate, qua Christianos ad sui sive falsorum deorum, ut vidimus, cultum vel inducebant vel efficiebant ut renuentes crudelissimis ad mortem usque suppliciis carnificarentur. At de hoc eorum solatio dilatoque supplicio alibi disputavimus (Dissert. in Lactant. cap. 20. Art. 5.).

## CAPUT XI.

De mortuorum hominum ad vitam revocatione, extremo Dei iudicio, aeternis impiorum poenis ac praemiis iustorum, atque animarum ante ultimum iudicium receptaculis.

## ARTICULUS I.

Quibus argumentis Tertullianus probaverit omnes mortuos homines posse ad vitam revocari ac revera revocandos: utrum animae corporibus exutae et sine illorum ministerio possint aliquid agere, pati ac dolere et laetari.

Ad alia nunc transeundum est christianae religionis dogmata, quae Tertullianus suis in libris contra ethnicos asserit ac tuetur. Unum autem ex iis nostraque animadversione dignum est, quod constanter tradit variisque rationum momentis probat omnes omnino mortuos homines in fine mundi ad vitam revocandos. Primum autem desumit ex infinita potentia Dei. *Qui tantum, inquit, hoc mundi corpus de eo, quod non fuerat, id est ex nihilo, composuit* (Tertullian. Apologet. cap. 48.), sive ut nostri et ante Rigaltium editi codices habent, *imposuit*, seu creavit, is certe ipse potest homines *de morte vacationis et inanitatis*, hoc est ab morte, sive inanitate ac privatione vitae ad secundam vitam excitare. Nam hi unam tantummodo efficiunt partem mundi, quem constat esse animatum *spiritu omnium animatore*. Et ita quidem Rigaltius et alii deinceps hunc exhibent Tertulliani textum. Melius vero nostri antiquioresque excusi codices: *animatum spiritum omnium animarum animatore*. Nostri siquidem Auctoris argumentatio ducitur a maiori, ut aiunt, ad minus, sive a toto, quod factum fuit, ad partem, quae fieri idcirco potest. *Mundus, inquit, animatus sive creatus est a Dei spiritu, omnium animarum animatore; ergo idem ipse Dei spiritus potest homines non omnium, sed suo tantum, spiritu animatos post eorum mortem iterum animare et rursus non ex nihilo, uti prius, sed ab interitu et vita antea deperdita ad secundam eandemque revocare.*

Quid vero, quod haec ipsa Dei ad mortuos homines exsuscitandos potentia non totius tantum mundi, sed ipsa etiam sola hominis creatione a Tertulliano luculenter demonstratur? Homo etenim antequam crearetur, nihil erat, alioquin se fuisse saltem aliquando meminisset. Atqui si a Deo creatus est ex nihilo, potest utique eadem Dei potentia et voluntate a morte revocari (Ibid.). Non enim maior ad primam creationem, quam instaurationem et restitutionem requiritur potestas. Nec curiosius quidem importuniusque requiras quomodo id fieri queat: *Nam redde si potes, inquit Tertullianus, rationem, qua factus es, et tunc require qua fies* (Idem ibid.). Qua enimvero potentia primum factus es, eadem postea reficieris. Quamobrem si de prima non dubitas, de secunda multo minus dubitare debes: *Etenim facilius utique, uti ille adhuc ait, fies quod fuisti aliquando, quia aequè non difficile factus es quod non fuisti aliquando* (Ibid.). Simili autem modo Minutium Felicem, Lactantium et alios disputantes in superioribus dissertationibus audivimus (Dissertat. in Minut. cap. 7. Art. 2. et in Lactant. cap. 29. Art. 4.).



At si hoc in Dei potestate est omnino positum, nihil aliud probandum superest, quam ut id ille velit seque voluisse revera significaverit. Atqui hoc ipse, quemadmodum Auctor noster loquitur, *destinavit et praedicavit* (Tertullian. *ibid.*), nec semel quidem, sed saepius in Sacris Veteris, ac praesertim Novi Testamenti Scripturis. Neque huc congerenda sunt earum testimonia, quae omnibus passim obvia sunt nec ullus plane, qui eas vel levissime attigerit, ignorare potest. Certissima autem est, sicut supra ostendimus, illarum auctoritas (super. cap. 6. Art. 3 et seq.). Constat ergo Deum et posse et velle, ut omnes omnino mortui homines in pristinam vitae suae conditionem restituantur, ac proinde futuram profecto esse illorum omnem ad vitam reversionem.

Instat adhuc Tertullianus alioque argumento demonstrat prorsus necessarium esse, ut omnes homines mortui ad vitam aliquando redeant. Totum autem illud argumentum hisce verbis complectitur: *Certe quia ratio restitutionis destinatio iudicii est, necessario idem qui fuerat exhibetur, ut boni seu contrarii meriti iudicium ferat* (Tertullian. *Apologet.* cap. 48.). Docet itaque nullum prorsus esse dubitandi locum, quin omnes homines extremo Dei iudicio in mundi fine sistere se debeant. Fieri autem id non potest, nisi ad vitam revertantur atque supremam secundum suam vel bona vel mala merita sententiam atque praemium aut poenam a Deo accipiant.

Sed hoc argumentum Auctor noster longe fusius urget in suo de Resurrectione Carnis libro, ubi sic disputat: *Haec erit tota causa, immo necessitas resurrectionis, congruentissima scilicet Deo destinatio iudicii, de cuius dispositione despicias an utique substantiae humanae diiudicandae censura divina praesideat, tam animae quam carni* (Idem *lib. de Resurrect. Carn.* cap. 14.). Homo enim non sola profecto anima, sed suo etiam corpore bene aut male agit. Ea namque est animae cum corpore societas, *ut in carne et cum carne et per carnem agatur, quod agitur in corde* (Ibid. cap. 15.). id est anima. Quin etiam si aliquando anima sola cogitet, haec illius cogitatio vix unquam sine aliquo corporis commercio habetur: *Nam si volutet quid anima*, ait Tertullianus, *vultus operatur iudicium, facies intentionum speculum est* (Ibid.).

Iam vero investigandi non est locus utrum ille revera opinatus sit nihil prorsus posse animam agere sine corporis commercio et sine illius sensibus. De hac enim opinione aliquid praemisimus et proxime de ea disserendi dabitur occasio. Nunc itaque sufficiat annotasse plurimos, sicuti nemo negat, animae actus non sine corporis sensuumque ministerio perfici. Hominis quippe corpus ita animae coniunctum est, ut plurimum saltem bene aut male meritorum sit utique particeps. Totus igitur homo, hoc est corpus eius et anima, ultimo et aequissimo Dei iudicio repraesentari debent, ut cunctorum in hac mortali vita actorum aut poenam recipiant aut praemium.

Neque sibi Auctor noster obiici patitur solam hominis animam libero uti voluntatis arbitrio et corpus tanquam instrumentum in omnia impelli. Non enim illud extraneum animae instrumentum est, sed sicut animae adunatum, ut sicut actionum eius, ita et meritorum sit

particeps. Post mundi ergo finem ad vitam debet revocari, ut iusto Dei iudicio pro meritis puniatur aut remuneretur.

Tertium quo Tertullianus futuram hominis resurrectionem probare nititur, argumentum sua difficultate non caret pluribusque falsum videbitur. Hunc enim ille argumentabatur in modum (Idem Apologet. cap. 48.): *Ideo repraesentabuntur animae et corpora, quia neque pati quidquam potest anima sola sine materia stabili, id est carne.* Numquid ergo anima nihil prorsus quidquam sine carne pati potest? Ita sane, inquiet aliquis, opinabatur Tertullianus. Nam alio ille in libro animam his totidemque compellat verbis (Idem lib. de Testim. Animae cap. 4.): *Affirmamus te manere post vitae dispunctionem et expectare diem iudicii proque merito aut excruciatui destinari aut refrigerio, utroque sempiterno. Quibus sustinendis necessario tibi substantiam pristinam eiusdemque hominis materiam et memoriam reversuram, quod et nihil mali ac boni sentire possis sine carnis passionalis facultate et nulla sit ratio iudicii sine ipsius exhibitione qui meruit iudicii passionem.* Nec semel igitur nec dubitanter, sed asseveranter affirmat et repetit animam nihil posse omnino sentire sine sui societate corporis. Tam verum autem id esse arbitratus est, ut inde concludat ideo futurum esse mortui humani corporis ad vitam regressum, quia anima sine illo nihil boni aut mali agere valet.

Sed tuum, si possis, assensum paulisper retine. Animum autem antea velim ad ea advertas, quae ab eodem Tertulliano in libris de Anima et Resurrectione Carnis disputata sunt et ubi data opera de mortui corporis ad vitam reditu et animae ad agendum et patiendum facultate uberius diasserit. At in priore libro disertissime ac firmissime asseverat animam a corpore separatam vel pati dolorem vel gaudio perfundi. Omnes siquidem hominum animae post eorum mortem apud inferos manent et *velis, inquit, ac nolis et supplicia iam illic et refrigeria.* Tum deinde obiicienti sibi opperendam esse animae, ut doleat aut gaudeat, carnis operum consortis resurrectionem, haud dubitanter respondet id non esse necessarium. Nam *de suo*, uti ille loquitur, *sufficit ad utrumque titulum passionis.* Et certe ipsa sola sine corporis ministerio vel ira vel odio aliquando torquetur, aliquando etiam afflicto corpore, uti Mutii, Zenonis et aliorum exemplo confirmat, *furtivum sibi gaudium exquirat* (Ibid.). Contra vero nunquam illaeso corpore dolet, premitur et excruciat. Atqui si in hac vita et corpori alligata gaudio aut moerore sola afficitur, quanto magis quando post mortem ab eo seiuncta ultimum iudicium expectat. Denique quidam eius sine carnis commercio sunt actus, uti soli cogitatus et nuda voluntates, *quae censura divina prosequitur* (Idem lib. de Anima cap. 58.). Ex quibus ille hanc elicit conclusionem: *Ergo propter hoc congruentissimum est animam, licet non expectata carne, puniri, quod non sociata carne commisit: sic et ob cogitatus pios et benevolos, in quibus carne non eguit, sine carne recreabitur.* Eadem vero et plura alia in libro de Resurrectione Carnis tradidit, ubi ex professo demonstrat ad vitam revocandos esse omnino homines.

Quid ergo, inquires, numquid Tertullianus tam absurde sibi contradixit? Sed si suspensum adhuc animum habere velis, sublatam ab

ipso videbis hanc tametsi non minimam contradictionis speciem. Nam in eodem de Resurrectione libro ea repetit quae dixerat, animas *nunc torqueri foeverique penes inferos, licet nudas, licet adhuc exules carnis* (Idem lib. de Resurrect. Carn. cap. 17.). Quia vero opponere contra quidam poterant inde confici posse animam sibi sic sufficere ad facultatem, sicut ipse loquitur, *passionis et sensus, ut non egeat repraesentatione carnis, his ille respondet ibidem: Imo eatenus egebit, non qua sentire quid sine carne non possit, sed qua necesse est illam etiam cum carne sentire. Quantum enim ad agendum de suo sufficit, tantum ad patiendum. Ad agendum enim minus de suo sufficit. Habet enim de suo solummodo cogitare, velle, cupere, disponere, ad perficiendum autem operam carnis expectat. Sic itaque ad patiendum operam carnis exoptulat, ut tam plene per eam pati possit, quam sine ea plene agere non potuit. Et ideo in quae de suo sufficit, eorum interim sententiam pendit concupiscentiae et cogitatus et voluntatis. Porro si haec satis essent ad plenitudinem meritorum, ut non requirerentur et facta, sufficeret in totum anima ad perfectionem iudicii, de his iudicanda, in quae agenda sola suffecerat. Cum vero etiam facta devincta sint meritis, facta autem per carnem administrantur, iam non sufficit animam sine carne foeveri sive cruciari pro operibus carnis, etsi habet membra, quae proinde illi non sufficiunt ad sentiendum plene, quemadmodum nec ad agendum perfecte. Idcirco pro quoquo modo egit, pro eo et patitur apud inferos, prior degustans iudicium, sicut prior induxit admissum, expectans tamen et carnem, ut per illam etiam facta compenset, cui cogitata mandavit. Totam hanc Auctoris nostri argumentationem et responsionem, tametsi paulo longiorem transcripsimus, quandoquidem ea non tantum propositae nobis difficultatis nodus plane solvitur, sed nonnulla quoque de animae natura inde eruuntur, quae sine aliqua observatione praetermittenda non sunt.*

Docet itaque animam nudam ac sine corporis consortio apud inferos revera aut torqueri aut foeveri. Quia vero hinc obiici ipsi poterat eam non esse substantiam mere spiritalem, sed corpoream aut, ut ipse ait, *corpulentiam propriam*, noluit hanc, quae difficilius operae erat, excutere quaestionem, ne diutius a proposito aberraret. Interim concedit, nec tamen fatetur, aliquid esse animae corpus et propria quaedam generis sui membra. At disertissime asseverat proprios esse animae actus a corpore minime dependentes, quales sunt cogitatus, voluntates et concupiscentiae. Hi autem actus, ut id obiter dicamus, si omnino spirituales sunt, ipsam multo magis animam spiritalem esse negare non poterat.

Solius porro animae cum hi sint actus, habet de suo non solum quod agat et patiatur, sed quo possit aut praemium mereri aut poenam. Corpore igitur soluta potest et debet pro meritis aut poena aut praemio affici. Quamdiu enimvero corpori adunata est, prior semper aut peccat aut meretur. Post mortem igitur debitis suppliciis aut praemiis sola et ante corporis reditum afficiatur necesse est. Perstatum itaque Tertulianus habuit animam ruptis corporis vinculis pati, torqueri, cruciari. Verum quia etiam in hac vita suo cum cor-

pore multa peccavit, idcirco ut pro meritis puniatur et crucietur, suo corpori ad vitam revocato debet iterum coniungi.

His autem sic explicatis evanescit obiecta Tertulliani contradictio. Recte enim dixit animam sine corpore aliquid revera pati et nihil pati posse. Ubi quippe ait nihil posse pati, ibi subintelligendum est *plene ac perfecte*, sive quantum ipsa cum corpore peccando promeruit. Cum quo enim peccavit, cum eo utique puniri debet. Iure ergo Tertullianus inde futuram probat corporis mortui ad vitam revocationem, quia anima sola pati non potest poenam videlicet plenam ac perfectam et qualem cum corpore peccando commeruit.

Si quid porro his adiciere nobis per te liceat, observabimus hoc ipso eodem argumento ex poenis aut praemiis, bene aut male in hac vita agenti homini debitis petito luculenter probari hunc futurum eisdem hominis ad vitam regressum ab Ambrosio, ut suo loco, atque Athenagora, Minucio Felice et Lactantio, quemadmodum in nostris de illorum libris dissertationibus ostendimus, quin immo et inde ab eodem Lactantio demonstrari animae nostrae immortalitatem (Ambros. libr. II de Fide Resurrect. §. 12. p. 1147. tom. I. Appar. p. 475. Dissertat. in Lactant. cap. 24. Art. 3. et cap. 29. Art. 4. Dissertat. in Minuc. cap. 7. Art. 2.).

#### ARTICULUS II.

Quibus exemplis quoque Pythiae oraculo ac philosophorum de animarum transmigrantibus sententia Tertullianus ostendat quoscunque mortuos homines in pristinum vitae statum restituendos et opposita argumenta diluat.

Quamquam superioribus argumentis Tertullianus evidentissime demonstraverit quoslibet homines posse omnipotentis Dei voluntate excusitari a morte quovis modo appetita, pluribus tamen exemplis haec confirmare nititur. Sed dissimulare fas nobis non est his, utpote non omnino paribus, confici non posse perfectam et numeris omnibus absolutam humanae resurrectionis demonstrationem. At iis saltem non inepte confirmari potest frustra a gentilibus negari homines ad pristinum revocari posse transactae vitae statum.

Praemissis autem adversus morosiores criticos hisce observationibus audiendus est ipsemet Tertullianus (Tertullian. Apologet. cap. 48.): *Signatum est, inquit, et per ipsum, videlicet Deum, humanae resurrectionis exemplum in testimonium vobis. Lux quotidie interfecta resplendet et tenebrae pari vice decedendo succedunt, sidera defunctis reviviscunt.* In manuscriptis nostris exemplaribus et editis Rigaltii antiquioribus: *Vivescunt*, id est, uti ex Plinio liquet, *viva fiunt* (Plin. lib. XVII. Natur. Hist. cap. 10.). Pergit Auctor noster: *Tempora ubi finiunt, incipiunt, fructus consumuntur, iidem manuscripti nostri et editi codices consummantur, et redeunt. Certe semina non nisi corrupta et dissoluta foecundius surgunt: omnia pereunda servantur, omnia de interitu reformantur* (Tertull. lib. de Resurrect. Carn. cap. 12.). Sed haec ille maiori verborum pompa alio in libro prosequitur et brevius Minucius Felix, atque uberius Theophilus Antiochenus, quemadmodum alibi patefecimus (Dissertat. in Minuc. cap. 7. Art. 2.).

Suam autem argumentationem noster Tertullianus his absolvit verbis (Tertullian. Apologet. cap. 48.): *Tu homo, tantum nomen, si intellegas te, quantus nimirum sis, vel de titulo Pythiae discens, quod sis dominus omnium morientium et resurgentium, ad hoc morieris, ut pereas?* Dicit itaque non peiorem esse hominis quam aliarum rerum, quarum dominus est, morientium et resurgentium conditionem. Homo ergo longe potiori iure, quam illae, debet et mori et resurgere.

Sed rogabit aliquis quodnam sit oraculum illud Pythiae, ab eo citatum? Respondent nonnulli hoc esse, quod ab illo ibidem relatam est: *Dominus omnium morientium et resurgentium*. Verum nulla ratione id a Pythia pronuntiatum probavere. Deinde vero ille non dixit his verbis renuntiari Pythiae oraculum, sed quod homo ex Pythiae oraculo discere poterat se esse omnium morientium et resurgentium dominum (tom. I. Appar. p. 1170.). Nobis itaque illud Pythiae oraculum non aliud videtur, nisi celebre hoc Apollinis effatum: *Nosce te ipsum*: de quo alibi disputavimus. Consulto autem Tertullianus adiecisse videtur: *vel de titulo Pythiae*, quia templo Apollinis Pythii sive Delphici, sicut ibidem annotavimus, inscriptum fuerat. Cur ergo, inquit, Tertullianus scripsit Pythiae et non Pythii, quo solo nomine Apollo nonnunquam vocabatur? At si in eius textu *Pythiae*, non autem *Pythii* legendum sit, respondebimus ideo appellari *Pythiae*, quia Pythia vates solebat illius in templo vaticinari. Nam, ut alios omittamus, id hoc Lucretii carmine exprimitur (Lucret. lib. V. v. 113.):

*Pythia quae tripode a Phoebi lauroque profatur.*

Prosequitur Tertullianus atque ad frangendam ac magis magisque revincendam gentiliū obstinationem illos hoc ad hominem, ut aiunt, argumento sic urget. Certum est, inquit, illos cuius philosopho fidem habuisse, qui argumentationibus quibusdam tam ingeniose quam eleganter propositis vanam Pythagorae de animarum transmigratione opinionem propugnare conabantur. Quin etiam nullus ex illis mordacis Laberii eam irridentis dieteria veritus ab edenda omni animalium carne abstinere, *ne forte bubulam*, ait adhuc Tertullianus, *de aliquo proavo suo obsonaret*, id est ne bubulam carnem comedendo cuiusdam proavi sui comederet animam, quam in bovis corpus migrasse existimabat (Tertullian. Apologet. cap. 48.). Tam ridiculam vero opinionem hic refellendam ille non duxit (Ibid.): *Nam multis etiam*, inquit, *iocis et otio opus erit, si velimus ad hanc partem lascivire, quis in quam bestiam reformari videretur*. Ita quidem Rigaltius: sed in nostris codicibus manuscriptis et editis illo vetustioribus habetur: *Multis etiam locis*, ex quibus argumenta ad hunc errorem refellendum deprimi possunt, *ex otio sive otio*, quemadmodum scripsit Plinius *ex facili, pro facili* (libr. III. Epist. 3.), *opus erit*. Pluribus tamen legendum haud dubie videbitur *iocis*, quibus potius quam argumentis validioribus explodenda erat haec prorsus ridicula Pythagorae sectatorumque eius opinio. Nomen enim iocis cum verbo *lascivire* magis quam cum *locis* congruere haud immerito videtur (Tertullian. Apologet. cap. 48.). Verumtamen paulo ante dixerat quemcumque philosophum immenso argumentorum pondere posse obrui qui *affirmet, ut ait Laberius, de sententia Pythagorae hominem fieri ex mulo*,

*colubram ex muliere* (Idem lib. de Pallio cap. 1.). Et haec quidem huius mimographi poëtae, cuius alibi meminit (Dissertat. in Minut. Oct. cap. 7. Art. 1.), sunt carmina a Crinito, ut alibi monuimus, publici iuris facta:

*Et nunc de mulo hominem, colubram de muliere  
Faciunt et ex diversis diversa alia.*

Frequens autem apud varios scriptores, ac praesertim Ciceronem (Epist. VII, 2. p. 76.), Suetonium (Caes. cap. 39.), utrumque Senecam (De Ira cap. 11. et Controv. p. 213.), Aulum Gellium (N. A. I, 7. XVI, 7. et 9.) ac Macrobius (Saturn. II, 3. et VII, 3.) huius Laberii mentio, de quo praeter ceteros Horatius (Sat. I, 10, 6.) cecinit:

*Nec tamen hoc tribuens dederim quoque cetera. Nam sic  
Et Laberi mimos et pulchra poëmata mirer.*

Verum haec erat ethnicorum insania isque adversus Christianos furor, ut *opinio christiana*, sicut recte Auctor noster alio in libro (De Test. Animae cap. 4.) animadvertit, *etsi honestior Pythagorica, quae te in bestias transfert, etsi plenior Platonica, quae tibi etiam dotem corporis reddit, etsi Epicurea gravior, quae te ab interitu defendit, tamen propter nomen solum Christianorum vanitati et stupori et, ut dicitur, praesumptioni deputatur*. Satis autem gentilibus non fuit hanc Christianorum ceteris meliorem sententiam reiicere atque adspernari, sed ab eis *christianus* illius defensor *lapidibus magis*, alia Tertulliani in Apologetico verba sunt, *nec saltem caestibus a populo exigitur* (Idem Apologet. cap. 48.). Ast pro *caestibus* in nostris codicibus legitur *coetibus*, id est conventibus et congregationibus, expelletur. Tertullianus siquidem a maiori, ut aiunt, ad minus nec male quidem argumentatur. Christianus, inquit, illius de futuro hominis ad vitam reditu dogmatis assertor non modo expelletur ab ethnicorum conventibus, sed, quod peius est, *lapidibus obruetur*. At si non ita bene in Rigaltii editione *caestibus*, multo certe peius in antiquioribus scriptum *caedibus*, quae lapidatione crudeliores sunt. De illis porro notatis ab Auctore nostro Pythagorae, Platonis et Epicuri opinionibus egimus in nostris de Minutii Felicis et Lactantii libris dissertationibus (Dissertat. in Minut. Octav. cap. 7. Art. 1. et in Lactant. cap. 34. Art. 1.).

Quoniam vero Tertullianus hominis ad vitam regressum propositis lucis et tenebrarum, siderum et temporum, fructuum et seminum exemplis corroborare conatus fuerat (Tertullian. Apologet. cap. 48.), inde arguebant ethnici: Ergo semper moriendum erit et semper resurgendum. Atqui hoc plane absurdum est. Sed primo respondet Tertullianus, *si ita rerum Dominus destinasset, ingratis experieris conditionis tuae legem* (Ibid.), hoc est quia verus et omnipotens Deus omnium rerum ac proinde mortis et vitae dominus est, potest utique non semel tantum, sed toties hominem mortuum ad vitam excitare, quoties voluerit. Si ergo homini varios ad vitam reditus decrevisset, hanc ille legem *ingratis* experiretur. Dixit autem *ingratis*, id est invite ac contra voluntatem. Eo enim sensu Auctor ipse noster hoc verbo saepe usus est, immo et ipse Cicero: *extorquendum est, inquit,*



*invito atque ingratis quod non debet.* Et alibi: *Reticebunt quae poterunt libenter, dicent quae necesse erit ingratis* (Idem lib. advers. Hermog. cap. 19. et lib. adv. Valentin. cap. 26. Cic. Orat. I. pro Quinct. pag. 9. lin. 2. et lib. IV. in Verr. pag. 163. lin. 15.). Cernisne nomina *libenter et ingratis* sibi invicem opponi?

Respondet secundo Tertullianus: *At nunc Deus non aliter destinavit, quam praedicavit* (Tertullian. Apologet. cap. 48.), in Sacris nimirum, ut supra notavimus, Scripturis, ubi a se statutum esse praedicat homini semel moriendum semelque resurgendum.

Denique respondet homines ideo resurgere, ut *in immensam aeternitatis perpetuitatem* accipiant quod mali aut boni in hac vita meruerunt (Ibid.). Semel igitur debent ad vitam revocari. Postea enim nec mors erit nec resurrectio, sed aeterna vita.

Dehinc vero iis etiam occurrit, qui obiectare solebant fieri non posse, ut corpus hominis profundo immensoque mari submersum, reductum in cineres, a bestiis et aliquando ab hominibus devoratum, ipsum idem aliquando resurgat: Nam Dei, inquit, *est nihilum ipsum, cuius et totum* (Ibid.). Cum enim Deus omnia ex nihilo creaverit ac tam rei existentis quam non existentis et nihili sit dominus, potest certe quodcumque quo ipsi placuerit modo et facere et reficere. Recte igitur hinc ille concludit: *Ubiqumque resolutus fueris, quaecumque te materia destruxerit, hauserit, aboleverit, in nihilum prodegerit, reddet te* (Ibid.). Sed nos plura in hanc rem in superioribus nostris dissertationibus disputavimus (Dissertat. in Minut. Octav. cap. 7. Art. 2. et Dissertat. in Lactant. cap. 28. Art. 4.).

### ARTICULUS III.

Quo tempore mortui homines ad vitam excitabuntur sistenteque se extremo Dei iudicio et quomodo Tertullianus ethnicorum de Minoë et Rhadamanto opinionibus confirmet omnium mala bonaque merita tum examinanda.

Postquam Tertullianus his, quae exposuimus, rationum momentis comprobavit futurum cuiuslibet mortui hominis ad vitam regressum, tum continuo ostendit quando omnes homines resurgere debeant: *Mundum, inquit, quae ratio*, id est dubio procul verbum et sermo Dei, *composuit aemulis* (Tertullian. Apologet. cap. 48.), seu sibi invicem contrariis, vel sicuti in alio libro (Idem de Pallio cap. 2.), dixit, *ex diversis substantiis, ut sub unitate constarent*, haec eadem ratio ab huius mundi exordio tempus fluere voluit, quod usque ad oppositam ipsi aeternitatem semper defluat. At inter infinitam immensamque aeternitatem ac finitum tempus interposuit medium limitem, quo *aevum* (Apologet. loc. cit.) sive totum illud mundi tempus finiatur et infinita aeternitas incipiat: *In eo autem ultimo temporis et primo aeternitatis limite restituetur, inquit, omne humanum genus ad expungendum quod in isto aevo, mortalis vitae suae, boni seu mali meruit et exin dependendum in immensam aeternitatis perpetuitatem* (Ibid.). Ita in Rigaltii et antiquis editionibus ac manuscriptis nostris codicibus. At in incisis aliquibus legitur *deprehendendum pro dependendum, in aliis exinde dependendum.* In aliis porro hoc verbum



penitus sublatum est. Neque illud valde necessarium videtur, si verbum *expungendum* ibi a Tertulliano, sicut alibi et ab aliis scriptoribus, sumatur pro *persolvendum*. Sed si ab eo accipiatur pro reddenda ab hominibus operum suorum summa rationibusque computandis atque absolvendis, retineri debet verbum illud *dependendum*, ita ut hic sit illius sensus: restituentur omnes omnino homines, ut computentur, examinentur et absolvantur cunctae boni malique eorum meriti rationes ac deinde per totam aeternitatem illud dependant ac solvant quod per hanc vitam meruerunt. At Suetonius verbum *expungo* hac secunda significatione adhibuisse videtur, ubi de Claudio Caesare scripsit: *Cum decurias rerum acta expungeret* (Sueton. in Vita Claudii §. 15.), id est, ut quidam observarunt, ordinaret ac computaret quinam ex decuriis in iudicium numero servandi essent. Huc quoque vocant haec Papiniani verba: *Ex causa desertionis notatus ac restitutus, temporis, quod in desertione fuerit, impendiis expungitur* (Digest. lib. XLIX. tit. 16. leg. 15. de Re Milit.).

Quidquid porro sit de Auctoris nostri vera genuinaque lectione, certo quidem certius esse docet, fore ut expendantur et accurate examinentur in ultimo Christi iudicio singulorum hominum merita. Venturus enim est ille ipse Christus cum omni, ut ait Tertullianus, divinitatis gloria et maiestate nec non *cum totius mundi motu*, quo sane subvertetur, *cum horrore orbis, cum planctu omnium, infidelium et sceleratorum, sed non Christianorum* (Tertullian. Apologet. cap. 23.), fidelium, videlicet qui pie sancteque vixerunt. De hoc autem extremo iudicio iam alibi disseruimus (Dissertat. in Lactant. cap. 47. p. 42.).

*Sed ab ethnicis ridemur*, inquit adhuc Tertullianus, *Deum, quem antea Christum appellaverat, praedicantes iudicaturum* (Tertullian. Apologet. cap. 47.). At sane hanc frigidam irrisionem non aptius quam traditis ipsorum placitis explodendam esse censuit: *Sic enim et poëtae, ait, et philosophi tribunal apud inferos ponunt* (Ibid.). Quod autem sit illud tribunal, hisce, quibus gentiles alloquitur, verbis declaraverat: *Ridetis, rideant et illi, daemones, vobiscum . . . dicant hoc pro tribunali, si forte, Minoem et Rhadamantum secundum consensum Platonis et poëtarum hoc esse sortitos* (Ibid. c. 23.). Quia vero notissimum omnibus erat Minois et Rhadamanti tribunal, testes generatim citat poëtas, quorum plurimi et graeci et latini illud cecinerunt. Ex philosophis vero nominatim appellat Platonem, quia illorum omnium facile princeps audiebat. Simili etiam modo Iustinus Martyr adversus eosdem ethnicos argumentatus fuerat: *Πλάτων δὲ Ραδάμανθον καὶ Μίνω κολάσειν τοὺς ἀδίκους παρ' αὐτοὺς ἐλθόντας· ἡμεῖς δὲ τὸ αὐτὸ πράγμα φαμεν γενήσεσθαι, ἀλλ' ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ, καὶ τοῖς αὐτοῖς σώμασι μετὰ ψυχῶν γενομένων καὶ αἰώνιαν κόλασιν κολασθησομένων. Plato vero Rhadamantum et Minoem itidem iniustus ad se venientes pleurum esse docuit. Nos autem id ipsum etiam factum iri dicimus, sed a Christo, corporibus eisdem cum animabus suis uniendis atque aeternis cruciatibus torquendis* (Iustin. Apolog. I. ad Antonin. p. 57.). Eodem quoque modo Athenagoras contra ethnicos postea disputavit. Citatos porro ab illo Platonis locos in illis

Gorgia et Axiocho invenies (Athenagor. Legat. pro Christian. pag. 12. Plat. Gorg. tom. I. p. 124. et Axioch. tom. III. p. 371.).

Si quis vero aliquem saltem ex citatis ab Tertulliano poëtis proferri desiderat, duos Graecorum et Latinorum coryphaeos Homerum et Virgilium citabimus. In Odyssea enim ille haec de erebo cecinit:

Ἐνθ' ἦτοι Μίνωα ἴδον, Διὸς ἀγλαὸν υἱὸν,  
Χρῦσεον σκήπτρον ἔχοντα, θεμιστεύοντα νεκύσσι  
Ἥμενον· οἱ δέ μιν ἀμφὶ δίκας εἶροντο ἄνακτα,  
Ἥμενοι, ἐσταότες τε κατ' εὐρουπυλῆς Ἄϊδος δῶ.  
(Homer. Odys. A, 568 seqq.)

*Ibi Minoëm vidi Iovis splendidum filium,  
Aureum sceptrum gestantem, leges ferentem mortuis,  
Sedentem: alii vero circa ipsum causas dicebant regem,  
Sedentes, statuti per latam Plutonis domum.*

Virgilius vero:

*Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice sedes:  
Quaesitor Minos urnam movet, ille silentum  
Conciliumque vocat vitasque et crimina discit.*  
(Virgil. lib. VI. Aeneid. v. 431 et seqq.)

Tum deinde:

*Gnossius haec Rhadamantus habet dirissima regna,  
Castigatque auditque dolos subigitque fateri  
Quae quis apud superos, furto laetatus inani,  
Distulit in seram commissa piacula mortem.*  
(Ibid. v. 561 et seqq.)

At si ethnici, sicut recte arguit Tertullianus, his poëtis et philosophis crediderunt, multo magis credendum sacris nostris scriptoribus, qui divino spiritu repleti constanter praedicant ipsum esse Christum, qui *producto* seu peracto et consumpto aevo isto iudicaturus est suos cultores in vitae aeternae retributionem, profanos in ignem aequae perpetem et iugem, suscitatis omnibus ab initio defunctis et reformatis et recensitis ad utriusque meriti, sive boni sive mali, *dispunctionem*. Nunc dicit ad *dispunctionem*, haud dubie eodem sensu, quo antea ab eo dictum vidimus ad *expungendum*. Nam ab ipso alibi scriptum vidimus: *Nos qui sub Deo omnium speculatore dispungimur*, id est examinamur et iudicamur a Deo, qui omnia cognoscit, *aeternam ab eo poenam providemus* (Ibid. cap. 45.), seu praecavemus aut praevidemus fore, ut malos aeterna poena afficiat. Quamobrem innocentia et morum integritate ei *occurrimus*, ne aeternas perferamus impiorum poenas aeternaque supplicia. In ultimo itaque Christi iudicio unusquisque suorum bonorum vel malorum meritorum rationes reddet et his tum examinatis ultimaque lata sententia improbi punientur igne aeterno, iusti autem sempiternae praemio felicitatis donabuntur. Sed de hoc aeterno et igne et praemio quid doceat Auctor noster, iam explorandum a nobis est.

## ARTICULUS IV.

De aeterno igne, quo improbi et impii homines cruciabantur; qua ratione Tertullianus eius aeternitatem asserat atque confirmet igneorum fluviolum, montium semper ardentium, hominis fulmine percussi exemplis, ac cur ignis ille aeternus dicatur.

Quod ex Sacris Scrip̄turis didicerunt Christiani, hoc palam praedicabant impios improbosque homines aeterno post mortem suam igne cruciandos: *Sed gehennam*, ait Tertullianus, *si comminemur, quae est ignis aeterni subterranea ad poenam thesaurus, proinde decachinnamur* (Tertullian. Apologet. cap. 47.). Et ita quidem in codicibus nostris et Rigaltiana aliisque posterioribus editionibus; in antiquioribus vero *subterraneus*, quasi id referri debeat ad nomen *thesaurus*. At referri etiam potest ad nomen *gehenna*, sed eodem semper sensu. Docet itaque Auctor noster *gehennam* esse thesaurum ignis aeterni inexhaustum, quo scelesti homines post hanc vitam torquebuntur. Verum ethnici hoc documentum non secus atque aulem fabulam cachinnis risuque solutiore explodebant.

Vera tamen erat haec Christianorum sententia: aut ipsimet gentiles pariter deridendi, a quibus *Pyriphlegethon*, ut ait Auctor noster (Ibid.), *apud mortuos amnis* praedicabatur. Atque ita ille ac postea Arnobius coniectum ab illis telum retorquet (Arnob. lib. III. advers. Gent. p. 52.). Huius autem haec sunt verba: *Audetis ridere nos, cum gehennas dicimus et inextinguibiles quosdam ignes, in quos animas deiici ab eorum hostibus inimicisque cognovimus? Quid Plato in eo volumine, quod de animae immortalitate composuit, non Acherontem, non Stygem, non Cocytum et Pyriphlegethontem nominat, in quibus asserat animas volvi, mergi, exuri?* Bene autem ab illo Plato citatur, qui in Phaedone descripsit illa nota satis omnibus quatuor ficta ab ethnicis inferorum flumina (Plat. Phaedon. tom. I. p. 112 et seqq.). *Pyriphlegethon* vero a Virgilio aliisque poetis latinis *Phlegethon* vocatur. Sed in re satis nota sufficiat quosdam citare illius versus:

*Di quibus imperium est animarum umbraeque silentes,  
Et chaos et Phlegeton, loca nocte silentia late.*

(Virgil. lib. VI. Aeneid. v. 264. et seqq.)

Rursus autem postea:

*Respicit Aeneas subito et sub rupe sinistra  
Moenia lata videt, triplici circumdata muro,  
Quae rapidus flammis ambit torrentibus amnis  
Tartareus Phlegethon torquetque sonantia saxa.*

(Ibid. v. 543 et seqq.)

Prudentium aliosque, si lubet, adire poteris (Prudent. Hamartig. sub fin.). Quoque autem modo haec ethnici aut finxerint aut crediderint, non poterant utique irridere Christianos, qui a divinis suis scriptoribus edocti asseverabant profanos et criminibus contaminatos homines post hanc vitam plectendos *iugis ignis* supplicio (Tertullian. Apologet. cap. 48.). In prima vero huiusce tomi dissertatione Minutium Felicem audivimus eodem modo adversus gentiles disputantem (Dissertat. in Minut. Octav. cap. 7. Art. 3.).



At postulabant ethnici quo tandem modo ignis possit esse aeternus nec unquam extingui. Quamobrem Tertullianus respondet hunc divina potentia habere *subministrationem incorruptibilitatis* (Tertullian. *ibid.*). Neque id negare poterant gentiles philosophi, qui duplicem ignem planeque diversum agnoverunt. Primus enim, uti aiebant, ignis terrestris communis et publicus quotidiano hominibus usui est. Alter vero arcanus et longe minus communis, *de caelo*, inquit Auctor noster, *fulmina stringens, sive de terra*, quo montes, Aetna videlicet et Vesuvius, *uruntur et durant nec absumuntur*. Nam iste *ignis*, uti ille ait, *non absunit quod exurit, sed dum erogat, reparat*, ideo montes semper ardentis manent. De hoc autem igne alibi disseruimus (*Dissertat. in Minut. Octav. cap. 7. Art. 3. et in Lactant. cap. 29. Art. 7.*).

Duo itaque tantum supersunt a nobis observanda; ac primo quidem haec fulminum ac montium ardentium exempla a Tertulliano et aliis scriptoribus nostris non sumi, tanquam idem sit eorum atque aeternus inferorum ignis, sed in *testimonium*, inquit ille, *ignis aeterni et exemplum iugis iudicii poenam nutrientis* (Tertullian. *loc. cit.*). Ab eo itaque haec proferuntur in testimonium dumtaxat et exemplum alterius ignis, qui divina potestate excitatus semperque conservandus per totam aeternitatem uret impios nec eos unquam consumet.

Secundo aliud ille, sed obscurius exemplum hisce verbis ibidem proponit: *Qui de caelo tangitur, nimirum fulmine, salvus est, ut nullo iam igni decinerescat* (*Ibid.*). Non minima autem in his difficilibus utique verbis explicandis est interpretum varietas et dissensio. Nonnulli siquidem opinantur his collinari ad veterem gentilium legem, qua cautum erat, ne quis fulmine percussus ullo deinceps supplicio mulctaretur. In illum enim, quantumvis impium, Jupiter satis animadvertisse ferebatur. Alii vero putant Auctorem nostrum ad illud respexisse, quod his verbis Plinius memorat: *Hominem ita exanimatum cremari fas non est, condi in terra religio tradidit* (Plin. *lib. II. Hist. Nat. cap. 54.*). Verum quid haec, quaeso, ad institutum faciunt Tertulliani, qui hoc exemplo confirmare nititur quorundam corpora hominum icta fulmine sic salva esse, ut nullo amplius igne *decinerescant*?

Expedit igitur an ille potius alludat ad ea, quae Plutarchus memoriae prodidit, compertum ferme omnibus esse corpora de caelo tacta a multis nec cremari nec sepeliri, sed relinqui sepimento circumdata, ut expertia putredinis perpetuo videantur (Plutarch. *lib. VI. Sympos. Quaest. 2. p. 665.*). Postea autem: *ὄρας, αἰτ, ὅτι καὶ τὸ κεραίνων πῦρ ἱερὸν ἠγοῦμεθα καὶ θεῖον, ὅτι τὰ σώματα τῶν διαβλήτων ἀσηπτα πρὸς πολλὴν ἀντέχοντα χρόνον ὀρώμεν. Nosti ignem fulminis sacrum dici et divinum, quod corpora de caelo tactorum per multum temporis putrefactioni resistere videmus* (*Ibid. lib. VI. Quaest. 10. p. 685.*). At hoc exemplum, etsi non plane perfectum, a Tertulliano adduci potuit, ut ostenderet confirmaretque hominum corpora posse aeterno igne exuri, quo tamen nunquam absumuntur.

Si quis autem scire aveat cur hic ignis ab ipso arcanus appelletur, huic respondebimus, quia illum occultum et in visceribus terrae absconditum putabat. Alio namque in libro et Platonis et suam de

loco, ubi inferi positi sunt, sententiam sic explicat: *Inferos Plato velut gremium terrae describit in Phaedone, quo omnes labe munditium sordium confluyendo et ibi desidendo exhalent et quasi coeno immunditiarum suarum crassiorem haustum et privatum illic aërem stipent. Nobis inferi non nuda cavositas nec subdivalis aliqua mundi sentina creduntur: sed in fossa terrae et in alto vastitas et in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas* (Tertull. lib. de Anima cap. 54.). Unde vero hanc opinionem delibaverit, si quis adhuc requiret, hoc illius ibidem responsum cito audiet: *Siquidem Christo in corde terrae triduum mortis legimus expunctum, id est in recessu intimo et interno et in ipsa terra operto, ei intra ipsam clauso et inferioribus adhuc abyssis superstructo . . . . ut illic patriarchas et prophetas compotes sui faceret. Habes et regionem inferorum subterraneam credere* (Ibid. cap. 55.). Platonem autem ibi rursus in iam citato a nobis Phaedone laudat, ut ethnicos hac principis philosophorum suorum auctoritate adhuc revinceret (Plat. Phaed. tom. I. p. 111 et seqq.).

## ARTICULUS V.

De aeterna sanctorum beatitudine; quo in loco resident; utrum ea statim post mortem fruantur, vel illam ad extremum usque iudicii diem quibusdam in domiciliis expectent, ac qua ratione Tertullianus probet memorata hactenus christianae religionis placita non posse ab ethnicis reiici, aut propter eorum defensionem Christianos non debere vexari et trucidari.

Qua ratione malos, ait Tertullianus, improbosque homines aeternum ignis supplicium, eadem bonos iustosque sempiterna manet bonorum operum merces. Posteaquam enim mortuum corpus nostrum ad vitam denuo excitatum fuerit: *Erimus, inquit, iidem qui nunc, nec alii post* (Tertullian. Apologet. cap. 48.), quia idem ipsum, uti superius dictum est, nostrum corpus resurget. Tum *Dei cultores*, pergit ille, *apud Deum semper superinduti substantia propria aeternitatis* (Ibid.), id est superinduentur immortalitatis dono, quod aeternum subsistet ac permanebit. Dixit autem *substantia propria aeternitatis* (Ibid. cap. 49.), qua iusti homines non solum immortalitate, sed felicitate perpetua, vel sicut ipse loquitur, *aeterno refrigerio et divina amoenitate* fruuntur (Ibid. cap. 47.).

Quam certo autem et vere id asseverat, tam facile ipsius de loco, ubi illorum animae corporibus solutae ad extremum usque iudicium recipientur, dubium ac fluctuantem animum deprehendimus. Primum etenim in suo Apologetico: *Paradisum, inquit, nominamus locum divinae amoenitatis recipiendis sanctorum spiritibus destinatum, maceria quadam igneae illius zonae a notitia orbis communis segregatum* (Ibid.). At nonnulli existimant ibi eum respexisse ad haec Geneseos verba: *Bicique Adam et collocavit ante paradisum voluptatis cherubim et flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitae* (Genes. III. ult.). Alii vero id negant. Non enim in animo inducere suum possunt maceria igneae zonae idem atque flammeo gladio significari. Putant itaque denotari alium ignem amoenioris loci arbitrum. Verum haec opinio ratione saltem aliqua fulciri debe-

aque donec eam proferant, non videmus quid prohibeat quomiser-  
tullianus illum vocaverit *divinae amoenitatis* locum, qui citatis  
his verbis paradisi voluptatis appellatur. Quid enim repugnat,  
ut gladio zonam igneam significari arbitratus est? Sed de hoc  
loco aliquid in superiori dissertatione praeoccupavimus (Dis-  
sertatione in Lactant. cap. 22. Art. 6.).

Fortius autem ea de re ferri posset iudicium, si extaret illius  
paradisi libellus, quem a se compositum testificatur. Ad eum  
sic nos ipse misit: *Habes etiam de paradiso a nobis libellum,  
constituimus omnem animam apud inferos sequestrari in diem  
iudicii* (Tertull. lib. de Anima cap. 55.), id est generale et ultimum  
iudicium. Sed ex his licet paucissimis verbis non minima certe ori-  
ficulitas. Nam tametsi paradisi ab inferis distinxisse diceretur,  
sive nihilominus docet omnem animam tam iustorum videlicet  
impiorum in hisce inferis ad ultimum usque iudicium sequestrari  
servari. Sed haec pluribus haud dubie obscura nec intellectu fa-  
cile debentur. Quamobrem quid in aliis, quae restant, illius operi-  
bus his statuerit, investigandum est.

In suo autem de Anima libro haec ex Evangelio tradidit: *Dolet  
in inferis anima cuiusdam, famosi videlicet, divitis et punitur in  
inferis, cruciatur in lingua et de digito animae felicioris implorat  
remissionem* (Ibid. cap. 7.), nempe pauperis Lazari. Nec sinit sibi obici  
esse parabolam. Additum enimvero nomen Lazari rem veram  
et quamvis parabola esset, ipsa veritatis est testimonium. Tum  
adiicit: *Quid est autem illud, quod ad inferna transfertur  
portum corporis, quod detinetur, quod in diem iudicii reser-  
vatur quod et Christus moriendo descendit? Puto ad animas  
patriarcharum: sed quamobrem, si nihil anima sub terris? . . . . .  
cercere sub diversorio inferum, in igni, vel in sinu Abrahae*

Docet igitur inferos esse subterraneum locum et sinum Abra-  
ham ubi divitis improbi anima torquebatur, in quem Christus post  
mortem descendit et ubi patriarchae illum expectabant. Postea vero,  
*diviti, inquit, apud inferos lingua est et pauperi digitus et si-  
brahae. Per has lineas et animae martyrum sub altari intel-  
liguntur* (Ibid. cap. 9.). Numquid ergo ibi etiam et iisdem inferis  
tari degunt animae martyrum? Sed id postmodum paulo enu-  
meris explicabitur.

Interim illum audiamus adhuc loquentem. Ait autem Christum in  
terra terrarum descendisse, *ut illic patriarchas et prophetas com-  
muni faceret. Habes et regionem inferum subterraneam credere  
sub cubito pellere, qui satis superbe non putant animas fidelium  
dignas; servi super dominum et discipuli super magistrum,  
sati, si forte, in Abrahae sinu expectandae resurrectionis sola-  
capere* (Ibid. c. 55.). Cernisne adhuc eosdem inferos sinum  
et vocari et patriarcharum prophetarumque habitationem, ubi ani-  
mae resurrectionis solatium capiunt?

Ab eiusdem demum libri finem quandam sibi obicientem in-  
venimus: *Omnes ergo animae penes inferos. Cui statim respondet:  
Et tu nolis, et supplicia iam illic et refrigeria. Habes pauperem*



et divitem (Ibid. cap. 58.). Omnem igitur cum dicat animam, nullam excipit.

Neque illo tantum in libro ita se sentire profitetur, sed in alio etiam id haud obscure his verbis confirmat: *Nam et nunc animas torqueri foverique penes inferos, licet nudas, licet adhuc exules carnis, probavit Lazari exemplum* (Idem lib. de Resurrect. Carnis cap. 17.). De ipsismet porro martyribus haec in Scorpiaco scribere non dubitavit: *Quinam isti, Zebedaei filii, tam beati victores, nisi proprie martyres? Illorum etenim victoriae, quorum et pugnae, eorum vero pugnae quorum et sanguis? sed et interim sub altari martyrum animae placidum quiescunt et fiducia ultionis patientiam pascunt et indutae stolis candidam claritatis usurpant, donec et alii consortium illarum gloriae impleant* (Idem Scorpiac. cap. 12.). Nonne igitur Tertulliani opinio fuit omnes quorumlibet mortuorum hominum animas corpore suo exutas ad ultimum usque iudicii diem reservari in inferis, paradiso Abrahae sinu et sub altari, quibus, licet diversis nominibus, eundem locum designasse proculdubio videtur?

Sed expecta, quaeso, paulisper, teque aliquantum sustine. Mox enim audies ab illo, sicut triplex genus animarum, sive mortuorum hominum, impiorum videlicet, iustorum et martyrum, ita triplicem illorum locum atque inferos ab Abrahae sinu distingui. Marcionis quippe de earundem animarum receptaculis errorem Sacrae refellit auctoritate Scripturae, quae ab inferis, inquit, discernit sinum Abrahae pauperi. *Aliud enim inferi, ut puto, aliud quoque Abrahae sinus. Nam et magnum ait intercedere regiones istas profundum et transitum utrimque prohibere. Sed nec allevasset dives oculos, et quidem de longinquo, nisi in superiora et de altitudinis longinquo per immensam illam distantiam sublimitatis et profunditatis. . . . . Eam itaque regionem sinum dico Abrahae, etsi non caelestem, sublimiorem tamen inferis, interim refrigerium praebituram animabus iustorum, donec consummatio rerum resurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat. . . . . cur non capiat sinum Abrahae dici temporale aliquod animarum fidelium receptaculum, in quo iam delineetur futuri imago, ac candida quaedam utriusque iudicii prospiciatur* (Idem lib. IV. advers. Marcion. cap. 34.)?

Nonne iam vides quam perspicue inferos, ubi animae improborum hominum degunt et cruciantur, secernat a sinu Abrahae sive iustorum habitaculo, ubi hi aeternae felicitatis mercedem praegustantes temporali ac praevia amoenitate et beatitudine sive, ut ille ait, refrigerio potiuntur? Eam vero regionem, etsi non sit caelestis, longe tamen ab inferis distare asseverat et iis multo esse sublimiorem.

Quod vero ad martyrum animas pertinet, tertium eis locum, ipsum scilicet paradysum adscribere videtur. Nam haec sunt de hisce martyrum animabus totidem eius verba: *Quomodo Ioanni in spiritu paradisi regio revelata, quae subicitur altari, nullas alias animas apud se praeter martyrum ostendit? Quomodo Perpetua, fortissima martyr, sub die passionis in revelatione paradisi solos illic commartyres suos vidit, nisi quia nullis romphaea paradisi ianitrix cedit, nisi qui in Christo decesserint, non in Adam? Nova mors pro Deo et extra-*



*ordinaria pro Christo, alio et privato excipitur hospitio. Agnosce itaque differentiam ethnici et fidelis in morte. Si pro Deo occumbas, ut Paracletus monet, non in mollibus febribus et in lectulis, sed in martyriis, si crucem tuam tollas et sequaris Dominum, ut ipse praecepit, tota paradisi clavis tuus sanguis est* (Idem lib. de Anima cap. 55.). Tertium itaque locum ab utroque iam a nobis memorato separatum indicat, quod privatum martyrum, de quibus infra dicemus, hospitium appellat (Infr. cap. 15. Art. 4.).

Praeiverat ipsi haud dubie Irenaeus, qui similiter de martyribus suam explicat sententiam: *Ecclesia omni, inquit, in loco ob eam, quam habet erga Deum dilectionem, multitudinem martyrum in omni tempore praemittit ad Patrem* (Iren. lib. IV. c. Haeres cap. 33. §. 9. nov. edit. pag. 272.). Sed cur, obsecro te, ad Patrem, nisi ut aeternae felicitatis praemium statim post mortem consequantur?

Utriusque autem opinioni discipulus Tertulliani Cyprianus hisce totidemque verbis postea subscripsit: *beati satis, qui ex vobis per gloriarum vestigia commeantes iam de saeculo recesserunt confectoque itinere virtutis ac fidei ad complexum et osculum Domini Domino ipso gaudente venerunt* (Cyprian. Epist. 37. pag. 73.). Alibi vero diserte affirmat martyrium esse secundum baptismum, *quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat*. Suum dehinc librum his verbis absolvit: *Si talem persecutio invenerit Dei militem, vinci non poterit virtus ad praelium prompta. Vel si accersio ante praevenerit, sine praemio non erit fides, quae erat ad martyrium praeparata. Sine damno temporis merces iudice Deo redditur; in persecutione militia, in pace conscientia coronatur* (Idem Exhort. Martyr. pag. 168. Ibid. pag. 184.). Non dilatam igitur putabat aeternam martyrum gloriam et felicitatem. Nonne autem haec adhuc delibaverat ex magistro suo et Auctore nostro Tertulliano, qui similiter dixerat martyrium esse secundum baptismum, quo martyres recta ducuntur ad divinam sedem? Asseruit enim illos invicta patientia et fortitudine *produci ad experimentum felicitatis, ad occasionem secundae intinctionis, ad ipsius divinae sedis adscensum* (Tertull. lib. de Patient. cap. 13.). Quam vero secundam intinctionem alibi, uti videbimus, secundum vocat lavacrum, quo omnia donantur delicta et tota Dei gratia redimitur (Infr. cap. 16. Art. 3.).

At sicut illius, ita et Irenaei non eadem videtur fuisse de aliorum iustorum animabus sententia. De illis quippe Irenaeus haec tradidit. Post corporis mortem: *Abibunt, inquit, in invisibilem locum, definitum eis a Deo et ibi usque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem, postquam venient ad conspectum Dei* (Iren. lib. V. cap. 31. pag. 331.). Neque mirum, quaeso, tibi sit, si Tertullianus noster, quemadmodum Irenaeus, incerti ancipitesque in assignandis animarum corpore solutarum domiciliis haereant nec eodem semper modo loquantur. Non magis etenim certae constantesque fuerunt, sicut alibi annotavimus, aliorum veterum Ecclesiae Patrum sententiae (Admonit. in lib. Ambros. de Bono Mortis Tom. I. pag. 385.).

Quaecunque autem fuerit Auctoris nostri de iis opinio, recte contendit, eam non debuisse reici a gentilibus, quorum *fidem*, inquit,

*occupaverunt Elysii campi* (Tertullian. Apologet. cap. 47.), ubi defunctorum animas deliciis frui arbitrabantur. Verum enimvero cum haec sententia ei, quam proponit, non sit dissimilis, haec suam, inquit, ex illa duxit proculdubio originem. Nam illud et alia documenta Christianorum, sicut antea probatum est (Supr. cap. 4. Art. 4.), ethnicorum placitis longe vetustiora sunt. Ethnici ergo a Christianis, non vero Christiani ab ethnicis placita sua hauserant illisque proinde non minorem quam suis fidem habere debebant.

Ceterum tametsi illud et alia omnia quae hactenus recensuimus, christianae religionis placita opinionibus gentilium philosophorum omnino dissimilia et contraria sint, in his nihilominus philosophis, ait Tertullianus, vocabantur *summae scientiae et insignia ingenia* (Tertullian. Apologet. cap. 49.): nonne potius *insignia ingenii*, sive conspicua ingenii signa et indicia? sed idem plane eorum erit sensus. Quis ergo non mirabitur haec verissima Christianorum documenta ab ethnicis, nec ratione nec ingenio carentibus, falsa dici et ineptas, uti adhuc Auctor noster loquitur, *praesumptiones* (lib. de Testim. Anim. cap. 4.), hoc est vanas prorsus et absurdas in re dubia divinationes atque coniecturas?

Fac tamen, quod falsissimum est, eas penitus falsas fuisse, sed nulli profecto noxiae erant, immo vero omnibus utiles et necessariae. Cuncti enimvero *metu aeterni supplicii et spe vitae aeternae fieri meliores coguntur* (Idem Apologet. cap. 49.). Quisquis namque, sicut recte docet Athenagoras, persuasum habet *animam cum corpore simul interituram, συναπόλλυσθαι τῷ σώματι καὶ τὴν ψυχὴν, is nullum non facinus audet, μηδενὸς ἂν ἀπέχεσθαι τολμήματος* (Athenagor. Legat. pro Christian. pag. 39.). Qui vero credit fore, ut ad vitam excitatus omnium peccatorum in extremo Dei iudicio reddat rationem, ille vel in minimis delinquere veretur.

Iniquissimi igitur erant gentiles, qui Christianos, horumce dogmatum defensores, non secus ac sceleratissimos et gravissimorum criminum reos condemnabant. Quamobrem Auctor noster sic eos urget et insectatur: *Sed in eiusmodi enim* (in quibusdam editionibus additur *error*, melius forsitan *errore*), *si utique, irrisu*, seu irrisione dignum aliquid, *iudicandum est, non gladiis et ignibus et crucibus et bestiis* (Tertullian. loc. cit.), idcirco Christiani crudelissime trucidandi erant. At certe tantum abest ut in illorum doctrina subsit falsi aliquid, quin miranda prorsus illorum in tot tantisque tormentis patientia veritatem eiusdem doctrinae et totius christianae religionis, uti haud semel observatum est, invictissime demonstraret. Sed illud plane confirmatur ex sanctis eorundem Christianorum moribus, legibus et institutis, de quibus nunc agendum est.

## CAPUT XII.

Ostenditur, qui qualesve fuerint Christiani, quomodo ab ethnicis distincti, ac quam longe puriores fuerint illorum quam ethnicorum mores legesque multo meliores ac sanctiores.

## ARTICULUS PRIMUS.

Qui, quales et quam multiplicati fuerint Tertulliani tempore Christiani, ac quomodo ab ethnicis quibuscum vivebant tunc discernentur.

Post explicata a nobis asserta a Tertulliano christianae religionis documenta, iam cum illo explorandum est quinam et quales fuerint illorum defensores Christiani, ac quomodo cum ethnicis vixerint. Iuvat itaque illum de se ipso aliisque Christi sectatoribus loquentem audire: *Corpus*, inquit (Tertullian. Apologet. cap. 39.), *sumus*, quemadmodum antea scripserat Apostolus: *Multi unum corpus sumus in Christo* (Epist. ad Rom. XII. 5.), id est una multorum simul congregatorum societas, congregatio et communitas. Quo autem modo quave ratione congregati fuerint, si roges, tibi respondebit: *De conscientia religionis* (Tertullian. loco. cit.), id est intima certissimaque animi persuasione convicti veram esse religionem quam omnes profitebantur. Ad haec vero coniuncti *disciplinae unitate* (Ibid.), seu tradita a Christo una eademque, sed sanctissima documentorum institutione ac morum disciplina. Denique copulati *spei foedere* (Ibid.), sive foederati ac sociati spe certissima vitae aeternae, quam illis verus solusque omnipotens Deus post hanc mortalem vitam promisit.

Quam multiplicatum autem fuerit ipsa Tertulliani nostri aetate illud Christianorum corpus certiores nos profecto ipse fecit (Ibid. c. 1.). Tunc enim omnia, ut narrat (Ibid. cap. 37.), repleverant mundi loca: urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra, tribus, decurias, forum, senatum, palatium nihilque privatim ethnicis nisi sola eorum templa reliquerant (Ibid. cap. 42.). Cum iis igitur ubique versabantur, in foro, macello, balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis et commerciis, de quibus infra dicendum. Simul itaque permixti cohabitabant, militabant, rusticabantur, mercabantur mutuoque usu artes miscebant et opera.

Quamobrem alio ille in libro Scapulam sic affatur: *Quid facies de tot millibus (veteres editiones decem millibus) hominum, tot viris ac feminis, omnis sexus, omnis aetatis, omnis dignitatis offerentibus se tibi? Quid ipsa Carthago passura est, decimanda a te, cum propinquos, cum contubernales suos illic unusquisque cognoverit, cum viderit illic fortasse et tui ordinis viros et matronas et principales quasque personas et amicorum tuorum vel propinquos vel amicos* (Ibid. lib. ad Scap. cap. 4.)? Quid plura? Tantus tunc profecto erat non solum Carthagine, sed ubique terrarum Christianorum numerus, ut si tanta vis hominum, ipsa eiusdem Tertulliani adhuc sunt verba, in aliquem orbis remoti sinum abruptissemus a vobis, suffudisset utique dominationem vestram tot qualiumcunque amissio civium, immo etiam et ipsa destituitio punisset, proculdubio expavissetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum et stuporem quandam quasi



*mortui orbis: quaesissetis quibus imperaretis. Plures hostes vobis quam cives remansissent* (Idem Apologet. cap. 37.)

Sed quempiam audire nobis videmur, qui in aures insusurret ibi aliquam esse Tertulliani exaggerationem. Cui enim, inquiet, probari unquam poterit tantam tunc fuisse Christianorum multitudinem? Verum qua, quaeso, fronte hic ipse Tertullianus publicis in libris, quos non uni tantum Scapulae, Carthaginis praesidi, sed Romanis, vel si velis, Africae antistitibus imo et nationibus, hoc est gentilibus omnibus, infestissimis Christianorum hostibus, illud tam audacter, nisi id verissimum esset, asseverare potuit? Nonne timendum ipsi erat, ne mendacii convictus causa non sine risu et sibilis caderet? Si quis tamen pertinax credere ipsi nolit, fidem certe dare non renuet Plinio secundo, qui de iisdem Christianis haec antea ad Traianum Imperatorem scripserat: *Multi omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est* (Plin. Epist. Cl.).

Quam sane ob rem ethnici moerebant, ait adhuc Tertullianus, tantum esse illorum numerum, ac de illo palam conquerebantur: *Ossessam, inquit, vociferantur civitatem; in agris, in castellis, in insulis Christianos, omnem sexum, aetatem, conditionem et iam dignitatem transgredi ad hoc nomen, quasi detrimento moerent* (Tertullian. Apologet. cap. 1.). Numquid ergo dices adhuc fictam ab illo aut exaggeratam fuisse hanc gentilium querimoniam? Sed eam alio in libro, ipsosmet ethnicos alloquendo totidem paene verbis repetit (Idem lib. I. ad Nat. cap. 1.).

Itaque cum adeo multiplicati fuissent Christiani, nullus certe dubitandi locus est, quin cum ethnicis permixti commune cum illis vivendi genus haberent. Cum illis quippe, ut ait Tertullianus, *degentes eiusdem victus habitus, id est victus et vestitus, instructus, eiusdem ad vitam necessitatis* (Idem Apologet. cap. 42.). Verum nonne melius, inquiet aliquis, in libro ad Nationes dixit *apparatu*, id est cultu et ornatu (Idem lib. I. ad Nation. cap. 10.)? At si haec sit nominis *apparatus* significatio et *instructus* ab illo, sicut a Cicerone (Cicer. lib. III. de Orat. pag. 181. lin. 37.), accipiatur pro ornatu, quomodo ille asseverare potuit eundem esse Christianorum instructum? Nonne eodem in Apologetico ethnicorum luxum arguendo dixerat: *Habitu, victu, instructu, censu proavis renuntiastis* (Idem Apologet. cap. 6.)? Constat autem, ut ipse testatur, longe maiorem fuisse Christianorum in his omnibus frugalitatem. Nobis itaque haud aegre persuadebitur illum priori loco de rebus locutum esse quae ad sustentandam vitam necessariae sunt et quibus Christiani quemadmodum plebei aut modestiores ethnici utebantur.

At certe quamvis idem esset Christianorum et gentilium victus et vestitus eademque in publico vivendi atque agendi ratio, ab his tamen Christiani distinguebantur et agnosci facile poterant singulari modestia, patientia et pristinorum vitiorum emendatione. Neque id incompertum erat gentilibus, quos idcirco Auctor noster hisce compellat verbis: *Ea disciplina patientiae divinae agere nos satis manifestum*

*esse vobis potest, cum tanta hominum multitudo, pars paene maior civitatis cuiusque, in silentio et modestia agimus, singuli forte noti magis quam omnes, nec aliunde magis noscibiles, quam de emendatione vitiorum* (Tertull. lib. ad Scapul. cap. 2.).

Tales igitur tum erant Christiani, quorum maior erat quam gentilium numerus. Nec mirum sane, si tam pium sanctumque vivendi genus, etsi cum ethnicis permixti, consecrarentur; quandoquidem nihil antiquius cariusque habebant, quam iis sanctissimis obsequi legibus, quas noverant sibi a Deo et Christo domino datas et omnibus humanis longe praestantiores. Quod quidem iam nobis cum Auctore nostro probandum incumbit.

## ARTICULUS II.

Quantum Christianorum leges perfectione sua atque auctoritate alias omnes a gentilibus latas superent, qua sedulitate observarentur ab iisdem Christianis, qui idcirco botulos cruore distentos, sibi ab ethnicis oblatos, ipso vitae periculo edere recusabant.

Cum religio christiana a vero Deo eiusque Filio fundata constitutaque sit, omnes proculdubio illius leges perfectissimae esse debent. Quamobrem Tertulliani tempore illis Christiani eo maiori cura obtinebant, quo certius noverant eas esse latas ab omnia vidente et omnipotente, qui idcirco a nemine prorsus nec falli nec impune contemni potest. Palam itaque Auctor noster universis denuntiat: *Innocentiam a Deo edocti perfectam eam novimus, ut a perfecto magistro revelatam, et fideliter custodimus, ut ab in contemptibili dispectore mandatum* (Tertullian. Apoget. cap. 45.).

At sanctitae a solis hominibus leges ethnicorum plane sunt imperfectae possuntque ab omnibus impune sperni, labefactari, violari: *Nam quanta*, pergit Tertullianus, sive ut in nostris codicibus legitur *tanta*, id est tam parva et exigua, est *auctoritas* hominis *ad exigendum* (Ibid.) fidam legum a se latarum custodiam, ut tam facile falli possit quam ab omnibus contemni. Ea est enim humani ingenii infirmitas, ut nullus homo illa omnia possit praevidere, quae ceteris omnibus bona et mala aut semper mansura sunt. Tanta vero improborum est malitia, ut plurimi poenas praevaricatoribus, a quacunque humana lege indictas, haud difficiliter declinent.

Pluribus praeterea exemplis Tertullianus ostendit longe perfectiores esse Christianorum quam gentilium leges. Primum enim, *quid plenius*, inquit (Ibid.), *est dicere: Non occides, an docere: Ne irascaris quidem* (Matth. V. 21 et seqq.)? Atque ita in omnibus nostris codicibus et editionibus antiquis: sed priora verba Rigaltio non placuerunt scribique iussit: *Quid plenius dictum est*. Voluit proculdubio purius et emendatius loquentem facere Tertullianum. At si lex humana, inquit iste, prohibet adulterium, lex divina arcet etiam ab oculo-  
*rum solitaria concupiscentia* (Ibid.). Dixit *solitaria*, id est sola, secreta et occulta. Sic Cicero virtutem solitariam esse non posse asserit et naturam nihil amare solitarium (Cicer. lib. de Amicit. p. 43. lin. 7. et 42.). Lex itaque divina non modo adulterium, sicut humana, sed secretam quoque et occultam oculorum concupiscentiam prohibet.

Ad haec vero, lex humana non maleficium quidem, sed iniuriae

permittit ultionem: lex vero divina vetat ipsummet maleloquium et iniuriae vicem reddere (Tertullian. loc. cit.). At quantum ea lex humanae praecellat iam a nobis alibi annotatum est (Dissertat. in Minut. cap. 13. Art. 4 et Dissertat. in Lactant. cap. 26. Art. 1 et seqq.). Non diffitetur tamen Tertullianus bonas esse quasdam humanas leges, sed contendit has desumptas fuisse ex divinis Moysis aliorumque prophetarum libris, quorum antiquitatem, ut supra vidimus, antea probaverat (Supr. cap. 4. Art. 4.).

Non solum autem divinae legis maior est quam humanae perfectio, verum etiam auctoritas. Deo quippe nihil penitus latet, et violatae legis suae reos, sicut paulo ante docuimus, aeternis pro merito supplicii castigat (Ibid.). At homini contra leges humanas agenti contingit, ut *plerumque*, ait Auctor noster, *in admittis delitescat, vel illas spernat ex voluntate vel necessitate delinquendi* (Tertullian. Apologet. cap. 45.). Et haec quidem codicum nostrorum et editorum verba sic immutavit Rigallius: *Ex involuntate vel necessitate delinquenti*. Sed ibi nulla indicata ullius codicis varia lectione observat tantum *ex involuntate* idem esse ac casu. Quid ergo, si Tertullianus haec verba *ex voluntate* illis opponat *vel ex necessitate* (Ibid.)? Nonne hic illius sensus esse potest: Homo reus plerumque *delitescit*, quando aut ex voluntate sua aut aliqua necessitate peccat?

Praeterea leges humanae, inquit, pessumdantur *recogitata brevitate supplicii*, ab hominibus non ultra mortem infligendi. Quam ob causam Epicurus, pergit ille, *omnem cruciatum doloremque deprestat, modicum quidem contemptibilem pronuntiando, magnum vero, non diuturnum* (Idem lib. I. ad Nation. cap. 10. lib. II. ad Uxor. cap. 3. lib. I. adv. Marcion. cap. 6. lib. de Spectac. cap. 22. lib. de Anima cap. 24. lib. de Fuga cap. 10.). Verbo autem *deprestat* ille saepius utitur, quo nihil aliud significare voluit quam *imminuit* rei alicuius pretium vel magnitudinem. Epicuri porro effatum clarius exponit Cicero: *Doloris, inquit, medicamenta illa Epicurea tanquam de narthecio promant; si gravis, brevis; si longus, levis*. Alibi vero: *Doloris magnitudinem brevitate consolatur, longinquitatem levitate*. Plura si cupias, Laertium adire poteris, Plutarchum et alios (Cicer. lib. II. de Finib. pag. 55. lin. 10 et lib. IV. Tuscul. pag. 190. lin. 49. Laert. lib. 10. de Vita Epicuri §. 140. Plutarch. lib. de Poët. Audiend. sub fin. pag. 36.).

Christiani igitur cum summam legum suarum perfectionem et auctoritatem probe cognoscerent, tanta sedulitate morem eis gerebant, ut periclitari etiam capite mallent quam aliquid agere quod cuilibet legi adversari videbatur. Ex infinitis autem propemodum exemplis, quibus id evidentissime probari potest, unum nunc sumemus, quod Tertullianus noster memorat (Cf. Tom. I. Appar. pag. 680. Dissertat. in Minut. cap. 9. Art. 1.). Compertum ethnicis erat vigere apud eosdem Christianos eam legem, qua ipsis, ut alibi animadvertimus, animalium sanguine, suffocato et morticino, erat interdictum. Quamobrem summa ethnici malignitate *inter tentamenta Christianorum*, ait Tertullianus, id est ut eorum fidem et religionem tentarent, *botulos cruore distentos offerebant* (Tertullian. Apologet. cap. 9.). Botulus autem,



nquit Festus, est genus farciminis, quod propter connexionem a bolis sic appellatur (Fest. lib. II. de Verbor. Signific.). De illo etiam haec sunt Martialis carmina:

*Qui venit botulus medio mihi tempore brumae,  
Saturni septem venerat ante dies.*

(Martial. libr. XIV. Epigr. 72.).

Ethnici itaque hos botulos frustulis carnis mixtoque animalium sanguine confectos offerendo certiores fiebant illos, a quibus reiciebantur, christianae religionis esse revera sectatores. Cum vero eos repperent, palam omnibus faciebant se malle capitis subire periculum quam legibus suis unquam refragari. Neque huic tantum aliisque Deorum Christi legibus, sed huius etiam consiliis plerisque omnibus, etiam si non obligati, eadem sedulitate parebant. Verum haec unicuique maiora fient ex his, quae de illorum moribus a Tertulliano tradita nunc exponenda sunt.

### ARTICULUS III.

*iam castos fuisse Christianorum quam depravatos gentilium mores: quanta Christianorum erga omnes dilectio et caritas; cur se invicem fratrum nomine appellarent ipsisque omnia praeter uxores essent communia, quam impune ethnici e contrario sacratiora fraternitatis iura violaverint.*

Qualis quamque pia et sancta fuerit Christianorum vivendi ratio, ut Tertullianus noster demonstret, horum ethnicorumque mores comparat ac istorum tam sanctos et castos, quam illorum depravatos ac corruptos fuisse luculenter ostendit. Primum enim Christiani, tametsi vitam cum ethnicis eo quo diximus modo agerent, tanto tamen caritatis mutuique amoris vinculo coniuncti erant, ut ipsi infensissimi illorum hostes ethnici illud non potuerint non admirari. Quidni enimvero non admirati fuissent, quod optimum agnoscentes imitari non valebant? Quapropter Tertullianus eos ita loquentes inducendo mutuum horum odium, quemadmodum Christianorum amorem, patefacit. Sic autem ille: *Vide, inquit, ut invicem se diligant (ipsi enim gentiles invicem oderunt) et ut pro alterutro iidem Christiani mori sint parati. Ipsi enim ethnici ad occidendum alterutrum paratiores* (Tertullian. Apolog. cap. 39.). Quantum autem gentiles sese invicem oderint et ad se mutuo occidendos fuerint parati, ex infra dicendis manifestum omnibus fiet.

Tanta vero erat ipsa Christianorum caritas, ut se mutuo, ut iam alibi animadvertimus (Dissertat. in Minuc. cap. 13. Art. 4.), fratres appellarent non solum ipsius naturae iure, quo etiam ethnicorum fratres erant, sed quadruplici insuper titulo, ac primo quidem, quia unum patrem Deum ethnicis incognitum aut ab eis repudiatum agnoverant: secundo, Christi religione imbuti *unum spiritum biberunt sanctitatis* (Tertullian. loc. cit.): tertio, quia de uno utero ignorantiae, in qua nondum agnito vero Deo in tetrus idololatriae tenebris tamdiu iacebant, ad *unam lucem expaverunt veritatis*. Obstupefacti quippe erant, quod antea non cognoverint absurdissimos errores suos nec supremum Deum, quem vel solo, sicuti supra ostendimus (Supr. cap. 5.

Art. 1.), conscientiae suae lumine et stimulo vel inviti omnes agnoscere cogebantur.

Quarto denique titulo sese fratrum nomine compellabant, *quia*, inquit Auctor noster, *ex substantia familiari fratres sumus* (Tertull. ibid.). Nam hanc inter se multo amplius quam fratres germani partiri solebant. Uno verbo omnia, ait Tertullianus (Ibid.), apud ipsos plane erant indiscreta ac communia.

Tum igitur ea sedulo ut plurimum saltem observabant quae de primis Christianis memoriae in Actibus Apostolorum proditum legimus: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum, quae possidebant, aliquid suum dicebat, sed erant illis omnia communia* (Act. cap. IV. 32.). De suae etiam aetatis Christianis Irenaeus hunc scripsit in modum: *Illi quidem, Iudaei, decimas suorum consecratas habebant: qui autem perceperunt libertatem, id est Christiani, omnia quae sunt ipsorum, ad dominicos decernunt usus, hilariter et libere dantes ea, non quae sunt minora, utpote maiorum spem habentes, vidua illa et paupere hic totum victum suum mittente in gazophylacium Dei* (Iren. lib. IV. c. Haeres. cap. 18. pag. 250. nov. edit.).

Cyprianus tamen, Tertulliani discipulus, de iam imminuta illa, de qua adhuc postea, Christianorum caritate his verbis conqueritur: *Domos tunc et fundos venundabant et thesauros sibi in caelo reponentes distribuenda in usus indigentium pretia apostolis offerebant. At nunc de patrimonio nec decimas damus, et cum vendere iubeat Dominus, emimus potius et augemus. Sic in nobis emarcuit vigor fidei, sic credentium robur elanguit* (Cyprian. lib. de Unit. Eccles. p. 119 et seqq. Infr. cap. 15. Art. 2.). Alio autem in libro rursus proposito primorum Christianorum exemplo non petit a suis, ut patrimonia fundosque suos vendant: sed *qui possessor in terris, inquit, redditus ac fructus suos cum fraternitate partitur, dum largitionibus gratuitis communis ac iustus est, Dei Patris imitator est* (Idem lib. de Oper. et Eleemos. p. 208.). Nonne ergo et ipse quoque Tertullianus noster de iisdem loqui videtur honorum fundorumque redditibus, quos si non omnes, plurimi saltem Christiani cum aliis maxima liberalitate communicabant.

Ab ea vero perquam longissime aberant gentiles, qui propter paterna sua bona fraternitatem omnem dirimebant atque idcirco magnopere mirabantur, quod *nulla*, ait iterum Tertullianus, *de nostra fraternitate tragoedia exclamat* (Tertullian. Apologet. cap. 39.). Quid enim frequentius in tragoediis, quam de perfecta ab ethnicis fraternitate exclamationes? At praeter ceteras in ea potissimum deprehenduntur, quam Seneca de Atreo et Thyeste composuit. Quis enim nesciat in ea repraesentari fabulam, ab Horatio, Ovidio aliisque saepius decantatam qua finxerant Thyestem ab Atreo fratre suo, cuius uxorem stupraverat, regno spoliatum datosque ei filios in convivio comedendos. De hac enim horribili tragoedia Horatius canebat:

*Nec pueros coram populo Medea trucidet,*

*Aut humana palam coquat exta nefarius Atrous.*

(Horat. de Arte Poët. v. 185.).

At belluis ipsis diriores ethnici hanc tragoediam summa cum voluptate spectabant.

Verum Christiani ab hisce spectaculis, sceleribus et alienorum bonorum aviditate ita abhorrebant, ut nihil plane indiscretum, sicut diximus, haberent *praeter uxores*. Nam *in isto*, inquit Tertullianus, *solo consortium solvimus, in quo solo ceteri homines consortium exercent* (Tertullian. Apologet. cap. 39.), suas videlicet uxores alii tradendo aut alias corrumpendo. Sed haec in sequentibus articulis examinabimus.

## ARTICULUS IV.

Ostenditur quanta fuerit Christianorum coniugum castitas et quam certum sit plures in virginitatis statu ad mortem usque perseverasse: quantum ab his moribus abessent ethnici, inter quos Cato et Socrates suas uxores amicis in matrimonium dedérunt.

Qua severiori lege adulterium sibi interdictum fuisse noverant Christiani, eo maiori cura datam coniugio fidem servabant. Quamobrem omnes christianos coniuges *diligentissima*, inquit Tertullianus, *et fidelissima castitas . . . . ab stupris et ab omni post matrimonium excessu* sepiebat (Ibid. cap. 9.). Neque id a nobis nunc fusius probandum, quod ex alibi dictis (Dissertat. in Lactant. cap. 27. Art. 5 et 6.) atque infra dicendis nulli dubium esse potest.

At non pauci quidem supra divinum illud praeceptum agere aliquid cupientes per totius vitae suae curriculum in caelibatu et virginitate permanere consueverant. Sed audias, quaeso, Auctorem nostrum, haec suis verbis enarrantem: *Quidam multo securiores totam vim huius erroris contra coniugii iura virgine continentia depellunt, senes pueri* (Tertullian. loco cit.), id est a prima pueritiae aetate ad summam usque senectutem et ultimum vitae spiritum illibatam conservabant virginitatem. Verae enim philosophiae sectatores, ait Eusebius (Euseb. Orat. de Laud. Constantin. cap. 17. p. 661.), Deique cultores viri, sacrae mulieres et virginum chori a Christo didicerant sese etiam per horribiles persecutionum procellas addicere perpetuae animi corporisque castitati. De hac autem perpetua plurimorum Christianorum castitate et virginitate disseruimus in superioribus dissertationibus nostris (Dissertat. in Minut. cap. 10. Art. 1. Dissertat. in Lactant. cap. 27. Art. 6.).

Verum ab hac corporis castimonia longissime remoti erant gentiles. Non solum enim *amicorum*, inquit Tertullianus, *matrimonia usurpant, sed et sua amicis patientissime subministrant* (Tertullian. Apologet. cap. 39.). Duo autem ibi notat violatae a gentilibus castitatis flagitia. Primum est adulterorum, qui gentiles amicorum aliorumque toros contaminabant. At frequentissimum erat illud scelus in quod Iuvenalis aliique etiam gentiles poëtae tam saepe quam merito invehuntur. Quapropter Hieronymus: *Quidquid tragoediae, inquit, tuent et domos, urbes regnaque subvertit, uxorum pellicumque contentio est* (Hieronym. lib. II. adv. Iovinian. p. 191.).

Aliud crimen priore non levius illorum fuit qui uxorum suarum pedicitiam amicis prostituebant. Duobus autem id probat Tertullianus exemplis, Socratis Graeci et Romani Catonis, qui tamen sapientissimi

apud has nationes existimabantur: *Nam hi uxores suas, inquit, amicis communicaverunt, quas in matrimonium duxerant liberorum causa et alibi*, id est altero sed plane illicito infamique matrimonio, *creandorum* (Tertullian. Apologet. cap. 39.). Plutarchus autem in vita Catonis Minoris narrat se a Thræsea et hunc a Munatio, eiusdem Catonis contubernali, accepisse Hortensium, amicitia prae ceteris Catoni coniunctum, ab eo petivisse, ut quam duxerat uxorem Martiam Philippi filiam, ex qua antea plures filios susceperat et tum adhuc gravida erat, in matrimonium sibi daret (Plutarch. in Vita Caton. Minor. p. 770 et seqq.). Amici vero precibus facile victus Cato illam ei praesente ac probante Philippo illius patre concessit. Sed mortuo postea Hortensio, Cato Martiam suam iterum accepit, quam Hortensius bonorum suorum haeredem reliquerat. Quamobrem Caesar, uti loquitur Plutarchus, illi *φιλοπλουσίαν προσφέρει και μισθαρίαν ἐπὶ τῷ γάμῳ: Ἐξprobavit avaritiam et in coniugio mercedis acceptionem* (Ibid. p. 784.).

Brevius quidem hisque verbis Appianus id retulit: *Martiam Philippi filiam cum virginem Cato duxisset, valde dilectam et communium liberorum iam matrem, Hortensio cessit amico, liberorum et fecundae uxoris, quibus eatenus caruerat, cupido, donec ex illo quoque matrem factam domum recepit quasi usuariam* (Appian. lib. II. de Bell. Civ. post. med. p. 266.). Scriptum quoque a Strabone legimus lege apud Tapyros receptum, ut viri uxores suas, postquam duos aut tres liberos susceperant, aliis locarent in matrimonio: *καθάπερ και Κάτων Ὀρτησίῳ δεηθέντι ἐξέδωκε τὴν Μαρτίαν ἐφ' ἡμῶν κατὰ παλαιὸν Ρωμαίων ἔθος: Sicut etiam Cato Hortensio roganti Martiam suam nostra aetate tradidit, secutus veterem Romanorum consuetudinem* (Strab. lib. XI. Geogr. p. 265.). Nec defuerunt poëtae, qui hoc Catonis factum suis cecinerunt carminibus hisque potissimum Lucanus:

*Interea Phoebæ gelidas pellente tenebras  
Pulsatae sonuere fores, quas sancta relicto  
Hortensi moerens irrupit Martia busto,  
Quondam virgo toris melioris iuncta mariti.  
Mox ubi connubii pretium mercesque soluta est,  
Tertia iam soboles alios foecunda penates  
Impletura datur, geminas a sanguine matris  
Permixtura domos. (Lucan. lib. II. v. 326 et seqq.).*

Tum deinde describit quomodo rursus Cato post Hortensii mortem illam secundo matrimonio habuerit:

*Non soliti lusere sales, nec more Sabino  
Excepit tristis comitia festa maritus.  
Pignora nulla domus, nulli coiere propinqui:  
Iunguntur taciti contentique auspice Bruto:  
Ille nec horrificam sancto dimovit ab ore  
Caesariem duroque admovit gaudia vultu.*

(Ibid. v. 367 et seqq.).

Denique ut Augustinum aliosque missos faciamus, Hieronymus adversus Iovinianum sic disputat: *Duxit uxorem Martiam Cato non vir-*

*ginem, sed Martia inter Hortensium Catonemque discurrit et sine Catone vivere Martia potuit. Et iterum in sequenti libro: Scotorum, inquit, natio uxores proprias non habet et, quasi Platonis politiam legerit et Catonis sequatur exemplum, nulla apud eos coniux propria est, sed ut cuique libitum fuerit pecudum more lasciviunt* (August. lib. de Fide et Operib. cap. 6. et lib. de Bon. Coniug. cap. 18. Hieronym. lib. I. adv. Iovin. p. 188. Ibid. lib. II. p. 201.).

Quamquam autem plures fuerint Catonis nomine insigniti, quorum genealogia ab A. Gellio exhibetur (Gell. lib. XIII. Noct. Att. cap. 19.), ex citatis tamen scriptoribus constat illum, de quo agimus, Catonem fuisse Uticensem, qui ideo Minor appellatur, quia Catonis Censorii ex filio, ut ait idem Gellius, nepos erat. Cur ergo, inquiet aliquis, a Tertulliano nostro Censor vocatur? Enimvero diserte ibidem scripsit: *Lenones*, manuscripti nostri codices *Lenon est philosophus Socrates et Censor Cato* (Tertullian. Apologet. cap. 39.). Numquid igitur ibi memoriae illius ἀνάγκη et error est? At huic responderi potest Catonem a Tertulliano non dignitate, sed animo morumque severitate censorem appellari. Etenim iam citatus a nobis Lucanus canebat:

. . . *Hi mores, haec duri immota Catonis*

*Secta fuit,*

(Lucan. lib. II. v. 379.)

videlicet stoica. Eo etiam sensu nomen censoris ab Horatio accipitur:

*At qui legitimum cupiet fecisse poema,*

*Cum tabulis animum censoris sumet honesti.*

(Horat. lib. II. Epist. II. v. 109.)

Et sibi de arte poetica:

. . . *Censor castigatque minorum.*

(Id. de Art. Poët. v. 174.)

Cato autem ille, Appiano adhuc teste, *habitus fuit vir omnium gravissimus tenacissimusque propositi, ut qui iustum ac honestum non ex vulgi moribus metiretur, sed rectis ac generosis rationibus, aut sicut Lucanus rursus cecinit:*

*Iustitiae cultor, rigidi servator honesti.*

(Lucan. lib. II. v. 388.)

At is, quantumvis severioris disciplinae praedicator, uxorem nihilominus suam Hortensio, amico suo, contra coniugii iura fidemque turpi lenocinio collocavit.

Eiusdem criminis Auctor noster Socratem accusat. At certum quidem est ipsum duas simul habuisse uxores: Xanthippen videlicet et Myrrhonem, Aristidis cuiusdam filiam vel ex filia neptem. Quo autem illud pluribus testibus Athenaeo, Laertio, Plutarcho, Hieronymo, Cyrillo Alexandrino, Theodoro demonstratur, eo probatu difficilius est utrum ille Socrates, non secus ac Cato, uxorem suam cum amicis suis revera communicaverit (Athen. lib. XIII. Deipnos. init. pag. 555. Laert. lib. II. in Vita Socrat. §. 26. Plutarch. in fin. Vitae Aristid. p. 335. Hieronym. lib. II. adv. Iovinian. p. 190. Cyrill. lib. VI. advers. Julian. p. 186. et lib. VII. p. 226. Theodoret. tom. IV. Serm. 12. de Virtut. Act. p. 673.)? Vide autem utrum ad solvendum huiusce difficultatis nodum ea sufficiant quae Cyrillus Alexandrinus et Theodoretus tradiderunt (Cyrill. et Theodoret. loc. cit.), ductam a Socrate

Xanthippen *κοινωτέραν πως*, aliquando vulgatiorem, cum qua clam ille congressus Lamprocleum filium suscepit.

De utroque porro et Socrate et Catone addidit Tertullianus: *Nescio quidem an invitae uxores suas amicis suis in matrimonio locaverint.* Quo enim pacto fieri potuit ut hae duae uxores a viris suis nuptum invite aliis datae sint? Nonne ergo Auctor noster ad Lucani verba allusisse videtur, quibus Martia Catonem, uti diximus, virum suum sic allocuta fuisse perhibetur?

*Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi  
Iussa Cato et geminos accepi foeta maritos,  
Visceribus lassis partuque exhausta revertor,  
Iam nulli tradenda viro: da foedera prisci  
Illibata tori, da tantum nomen inane  
Connubii, liceat tumulo scripsisse: Catonis  
Martia, nec dubium longo quaeratur in aevo  
Mutarim primas, expulsa an tradita, taedas.*

(Lucan. lib. II. v. 234.)

Nam ibi quidem postulasse dicitur, ut mortuo Hortensio in pristinum matrimonium a Catone recipiatur. Sed hanc petitionem suae affert rationem, ut posteri sciant se non repulsam et repudiatam ab ipso Catone, a quo tradita Hortensio fuerat. Ab illo autem tradi potuit nec invita nec repugnans. Quia tamen prius dixerat *peregi iussa*, colligi potest eam contra voluntatem suam primum reliquisse maritum et secundum accepisse. Non male igitur Tertullianus fatetur id sibi esse incertum. Sed utcumque res se habeat, ab hac morum corruptela longe aberant Christiani, qui sacra connubii iura a Deo stabilita summo semper studio sarta tecta servabant. Sed quomodo id ille confirmet, in subsequenti articulo, si lubet, examinabimus.

#### ARTICULUS V.

Quomodo Tertullianus demonstret maximam fuisse Christianorum castitatem et gentilium incontinentiam: illos sexum femineum non mutasse, corruptos vero a Socrate adolescentes: Christianos uxoriis suis datam fidem servasse; Aristippum perditae amavisse Phryne meretricem ac Speusippum perisse in adulterio: Christianos salvis oculis et caeco animo vidisse mulieres, quas Democritus ne concupisceret, se excaecavit: ethnicos christianam feminam ad lenonem potius quam lenonem damnando suam prodidisse intemperantiam et Christianorum castitatem.

Nostrum subsequamur Auctorem ac videamus quomodo inchoatam de Christianorum ethnicorumque castitate comparisonem prosequatur: *Christianus*, inquit, *ad sexum nec feminae mutat* (Tertullian. Apologet. cap. 46.). Ita quidem in editione Rigaltii, qui observat his duobus verbis *ad sexum feminae* idem esse ac femineum sexum *mutat*. Sed unde hanc lectionem sumpserit, nec ipse nec alii eius sequaces nobis indicaverunt. In nostris autem codicibus manuscriptis aliisque omnibus editis legimus: *Sexum nec femineum mutat Christianus*, hoc est, ut Apostoli verbis utamur, *masculorum concubitor* non est (Paul. Epist. II. ad Cor. cap. 6. v. 10. et I. ad Timoth. cap. 1. v. 10.). Nam ibi Auctor noster Christianos opponit Socrati, de quo haec scribit: *Lega partem sententiae Atticae in Socratem: corruptor adolescentum.*



*tiam pronuntiatur.* Sed hic adhuc adhuc immutatus a Rigaltio Tertulliani textus, qui in nostris codicibus et aliis excusis omnibus sic habetur: *Lego . . . in Socratem corruptorem adolescentium pronuntiatum* (Tertullian. loc. cit.). Quid ergo ibi absque ullius plane codicis testimonio et contra concordem omnium librorum fidem mutari debebat? Nonne hoc loquendi modo satis clare et latine exprimitur verus iste Tertulliani sensus: Ab Atheniensibus ideo latam ex parte in Socratem mortis sententiam, quia non solum deos negavisse, sed adolescentes etiam corrupisse accusabatur. At certe huius nefandi sceleris non semel postulatur a Luciano, qui illum alicubi fatentem reum inducit (Lucian. Vitar. Auct. p. 193.), alibi vero periurii insimulat, utpote qui iuraverit se cum iuvenibus innocenter versari (Idem lib. II. Verar. Histor. 397.), quamvis Hyacinthus et Narcissus se ab eo turpiter adamatos palam testificarentur. Praeterea Athenaeus illum arguit flagitiosissimi in Alcibiadem amoris, sicut postea Cyrillus Alexandrinus et Theodoretus (Athen. lib. V. Deipnosoph. cap. 19. p. 219. Cyrill. lib. VI. in Iulian. p. 137. Theodoret. Serm. 12. de Virt. Act. p. 672.). Quin etiam hi duo posteriores ipsum detestandis libidinibus exarsisse affirmant.

At quibus, inquires, testibus probari potest eum non modo ob spreto et repudiatos gentilium deos, sed ob hunc quoque nunquam satis execrandum adolescentium amorem ab Atheniensibus fuisse condemnatum? Primum babes Platonem, qui memoriae mandavit eundem Socratem a Melito insimulatum, quod praeter ius et fas corrumpere iuventutem disque negatis novos introduceret. Eadem vero Laertius repetit. Verumtamen Xenophon conatus est eum utroque crimine ac potissimum primo liberare (Xenoph. lib. I. Memorabil. p. 711 et seqq.), tum quia continentiam summo studio coluit, tum quia hanc virtutem assidue discipulos suos docebat. Non diffitetur tamen Alcibiadem, quemadmodum Critiam, in illius traditos disciplinam perditos fuisse adolescentes ac dissolutissimos, sed non prius, inquit, quam ab illo discessissent.

Verum haec ille maiori forsitan in Socratem propensione quam veritatis studio. Si enim veros esse gentilium deos arbitrabatur et colebat, cur eorum facta et flagitia imitari verebatur? Deinde vero quamvis ille publicis in scholis continentiam praedicavisset, nonne philosophi gentiles, ut alibi diximus (Dissertat. in Lactant. cap. 35. Art. 4.), ea consueverant privatim et domi agere, quae palam et in scholis suis condemnabant? Denique ipse Xenophon negare non potuit Socratem turpissimi in adolescentes amoris accusatum, cuius reipsa reum fuisse plurimi, sicuti ostendimus, persuasum habuerunt. Quis autem facile sibi non persuadebit in latae adversus illum sententiae parte factam esse huius etiam sceleris mentionem?

Praeterea Christianus, ait Auctor noster, uxori suae soli masculus nascitur (Tertullian. Apologet. cap. 46.). Prohibitum siquidem omne impudicitiae genus magnopere aversabatur atque uxori suae, sicut vidimus, fidem semper servabat. Contra vero inter ethnicos, inquit ille: *Novi et Phrynen meretricem Diogenis supra recumbentis ardori subantem.* In antiquioribus Rigaltio editionibus: *supra recubantis ardo-*

*rem subantem.* In nostris vero manuscriptis codicibus: *supra recumbentis ardorem subantem.* Ibi autem exagitat Diogenis, Phrynen perditae amantis, plane indomitam libidinem. Scriptum autem ab Athenaeo legimus Aristippum a servo suo increpitum, quod ingentem pecuniam Phryne conferret, quae cum Diogene Cynico gratis volutabatur (Athen. lib. XIII. Deipnosoph. p. 588.). De illa autem Phryne famosissima meretrice nos aliquid alibi nec semel diximus (Tom. I. Appar. p. 744. Dissertat. in Arnob. cap. 20. Art. 3.).

Posthaec vero Tertullianus: *Audio, inquit, et quendam Speusippum de Platonis schola in adulterio perisse* (Tertullian. Apologet. cap. 46.). A nobis autem alibi annotatum est hunc Speusippum fuisse Platonis ex sorore, videlicet Potone, ut ait Laertius, filium eiusque in Academica schola successorem (Tom. I. Appar. p. 1131 et 1134. Laert. lib. IV. in Vita Speus. §. 1.). At ille, eodem Laertio teste, dicitur *ὀργίλος καὶ ἡδονῶν ἥπτων ἦν: Erat iracundus et voluptatibus deditus* (Idem ibid.). Testatum quoque Athenaeus fecit illum ab voluptariis Epicureis et Cyrenaicis non procul abfuisse eique exprobratum a Dionysio tyranno Lastheniae meretricis amorem (Lib. XII cap. 12. p. 546.). *Φιλῆδονος ἦν καὶ Σπεύσιππος, ὁ Πλάτωνος συγγενῆς καὶ διάδοχος τῆς σχολῆς. Διονύσιος γούν, ὁ τῆς Σαρδίας τυραννος, ἐν τῇ πρὸς αὐτὸν ἐπιστολῇ κατὰ τῆς φιληδονίας αὐτοῦ εἰπὼν καὶ φιλαργυρίαν αὐτῷ ὀνειδίξει καὶ τὸν Λασθενείας τῆς Ἀρκαδικῆς ἔρωτα, ἣτις Πλάτωνος ἡκηκόει: Voluptuarius quoque Speusippus fuit, Platonis successor et cognatus. Itaque Dionysius Siciliae tyrannus in sua ad eum epistola voluptatis studium reprehendit, avaritiam exprobrat et amorem Arcadiae Lastheneiae, quae Platonem audiebat.* Prius tamen haec Lastheneia ab illo vocatur *Σαρδική, Sardicensis*, et a Laertio *Μαντινική, Mantinea* (Laert. lib. in Vita Platon. §. 45. et lib. IV. in Vita Speus. §. 2.).

Duas porro iste de morte Speusippi refert opiniones (Ibid. 3 et 4.), et primam quidem, illum paralysi, moerore ac senio confectum mortem sibi sponte conscivisse; secundam vero, pediculis effervescentibus vitam illi ereptam. Cum itaque Tertullianus ait eum *in adulterio perisse*, non significare videtur, ut quidam putant, in adulterio deprehensum animam egisse, sed ad suam usque mortem in adulterio volutatum.

Pergit Auctor noster: *Christianus salvis oculis feminas non videt* (Tertullian. Apologet. cap. 46.). Sic enim haec in manuscriptis codicibus et Rigaltii ac posteriorum editionibus legimus; in editis vero antiquioribus: *Christianus salvis oculis feminam videt.* At facile intellegitur hunc esse Tertulliani sensum: Tametsi Christianus salvos sanosque corporis oculos habeat, feminas tamen, quas animo concupiscat, *non videt.* Nam ille continuo adiecit: *Animo adversus libidinem caecus est* (Ibid.). Novit quippe latam a Christo legem: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo* (Matth. cap. 5. v. 28.). Itaque ut verus Christi discipulus huic praecepto satisfaciatur, *salvis* quidem corporeis oculis *feminas videt*, sed animo, quo eas concupiscat, caecus et immotus est.

Quanta autem e contrario esset gentilium hominum etiam philosophorum incontinentia, Tertullianus ostendit Democriti exemplo: *Democritus*, inquit, *excaecando semetipsum, quod mulierem sine concupiscentia aspicere non posset et doleret, si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur* (Tertullian. *ibid.*). Sed de hac voluntaria Democriti caecitate eiusque causa potest esse non minima dubitandi ratio. Nam Plutarchus plane penitusque negat illum suos sponte sua ideo extinxisse oculos, ne animum avocarent nec sinerent rebus sola mente cernendis immorari (Plutarch. lib. de Curiosit. pag. 521. tom. II.). Nihil autem de illius caecitate Cicero certo pronuntiare videtur: *Democritus*, inquit, *qui vere falsone quaereremus, dicitur oculis se privasse: certe, ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur* (Cicer. lib. V. de Finib. p. 113. lin. 13.). Si enim ibi, ut quidam opinantur, delendum sit verbum *quaereremus* ac legendum *falsone*, plane de illa Democriti caecitate dubium et ancipitem se fuisse significat. Quamvis autem verbum *quaereremus* ab eo prosectum fuerit, alio tamen verbo *dicitur* satis aperte declarat id a se non posse certo affirmari. Verum Aulus Gellius testificatur in historiae graecae monumentis factam mentionem Democriti, qui se ultro luminibus oculorum orbavit, ut cogitationes animi in contemplandis naturae rationibus essent vegetiores exactioresque (Gell. lib. X. Noct. Att. cap. 17.). Tum continenter Laberii citat versus, quibus describit huiusce caecitatis sibi ab illo concitatae aliam fuisse rationem, quam hoc versu poëta expressit:

*Matis bene esse ne videret civibus.*

*Hieronymus* autem nemine singillatim appellato narrat quosdam philosophos sibi oculis eruisse, ne a contemplatione philosophiae avocarentur et totam cogitationem ad mentis puritatem cogèrent (Hieronym. lib. II. adv. Iovin. p. 203. et Epist. 55. ad Abigaum p. 589.). Quis autem facile sibi persuaderi non sinet Democritum unum fuisse ex his philosophis ac forsitan praecipuum?

Quamvis itaque quidam de voluntaria eius caecitate dubitasse videantur, plures tamen illius testes citavimus. At certe longe pauciores occurrunt, qui eundem Democritum oculis, ne feminas concupisceret, se ipsum privasse perhibent. Expendas tamen velim utrum sophista Himerius apud Photium illud hisce verbis non indicaverit: *ἐκὼν δὲ ἐνόσει σῶμα Δημόκριτος ἵνα ὑγιαίνῃ τὰ κρείττονα*. *Voluntario Democritus morbo corpus affecit, ut potior pars sana esset* (Phot. Biblioth. cod. 243. p. 1087.). Nonne enim hoc generali loquendi modo spontaneam designavit illius caecitatem qua voluerat animum, potiores sui partem, sanare? Ut sit, certe Christiani voluntaria huiusmodi caecitatis opus non habebant, qui animo ad concupiscendum caeci non solum praescriptam lege divina castitatem summo studio colebant, sed plurimi etiam, quemadmodum paulo ante dicebamus (Supr. hoc cap. Art. 4.), toto vitae suae tempore in virginitatis statu perseverare consueverant.

Denique Tertullianus recenti adhuc exemplo evincit Christianos de servanda castitate tanto magis sollicitos fuisse, quanto impudentius haec virtus ab ethnicis laedebatur. Audi, quaeso, quibus ille verbis

hos castitatis osores alloquatur et exagitet: *Proxime, inquit, ad leonem damnando Christianam potius quam ad leonem confessi estis labem pudicitiae apud nos atrociorom omni poena et omni morte reputari* (Tertullian. Apologet. cap. 50.). Quanquam autem nobis incognita sit illa mulier christiana, in dubium tamen nullus revocare potest, quia ea paulo ante inquistissimo ac turpissimo iudicio ad lupanar, ubi pudicitia eius expugnaretur, damnata fuerit. At non unius tantum mulieris, sed aliarum plurimum castitatem improbissimi homines ludibrio habuerunt. Neminem autem esse putamus, qui in Actis martyrum plura illarum exempla non legerit.

### CAPUT XIII.

Quam absurde ethnici iactaverint pares esse alias philosophorum suorum atque Christianorum virtutes, ac quomodo Tertullianus tam horum veras quam illorum falsas esse demonstrat.

#### ARTICULUS I.

Quam immeritis laudibus, statu et salariis ethnici remunerarunt philosophos, qui *sponte sua destruebant deorum cultum, in principes latrabant, non eiiciebant daemones, quos secundum deos esse arbitrabantur, tametsi Christianos contra ius et fas, propter suum dumtaxat nomen, omni suppliciorum genere enecarent.*

Non solum Christianorum ethnicorumque castitatem Tertullianus noster, sed omnes utrorumque virtutes inter se componit ac horum tam corruptas quam illorum perfectas esse demonstrat. Eam vero comparationem eo accuratius instituit, quo importunius ethnici clamitare solebant philosophos parem atque Christianos *proferri innocentiam, iustitiam, patientiam, sobrietatem* (Tertullian. Apologet. cap. 46.). Nam ut plures omittamus, eodem Celsus modo contra Christianos disputabat (Orig. lib. I. c. Cels. p. 6.). Nihil novi, aiebat, nihil magni de moribus christiana disciplina attulit, quod cum aliis antiquis philosophis non fuerit commune et ab eis traditum.

Tertullianus igitur ethnicos id obiicentes generali primum ratione refellit et expugnat. Si iidem, inquit, sint philosophorum ac Christianorum mores eademque virtutes, utriusque profecto debent eandem habere profitendae religionis suae facultatem. Cur ergo Christiani, non autem philosophi, diis, sicut infra explicabitur (Tertullian. loc. cit.), *sacrificare aut deierare aut lucernas meridie vanas proferre* (Rigaltius contra manuscriptorum et editorum codicum fidem *prostitueri*) *compelluntur? Cur philosophi, pergit Auctor noster, deos vestros palam destruunt et superstitiones vestras commentariis quoque accusant, laudantibus vobis?* Tales quippe fuerunt Diagoras, Theodoros et Nicagoras, de quibus alibi egimus (Dissertat. in Minuc. cap. 23. Art. 2. et Dissertat. super. cap. 14. Art. 1.). Sed quia ille adiecit: *laudantibus vobis* (Tertullian. Apologet. cap. 14.), magis forsitan indicare videtur Socratem, ab eo proxime et antea nomine suo appellatum, atque Epicurum eiusque assecclam et admiratorem Lucretium atque Ciceronem, a quo gentilium dii in suis de illorum natura libris funditus tolluntur.

Cum vero Auctor noster addidit (Ibid. cap. 46.): *superstitiones vestras accusant*, ad Senecam, quem prius citaverat, haud dubie respexit. Ibi quippe iidem, inquit (Ibid. cap. 12.), *estis, qui Senecam aliquem pluribus et amarioribus de vestra superstitione perorantem probatis*. Quae quidem Senecae verba alibi retulimus atque infra adhuc suoque loco proferenda sunt.

Quin etiam, quod *plerique*, ait adhuc Tertullianus (Ibid. cap. 46.), *philosophi in principes latrant*. In quodam Vaticano codice scriptum notarunt *lacerant*; sed minus bene. Nam de industria dixisse videtur *latrant*, hocque verbo perstringere Cynicos, imperator siquidem Vespasianus, teste Suetonio, *Demetrium Cynicum in itinere obvium sibi post damnationem ac neque assurgere neque salutare se dignantem, oblatrantem etiam nescio quid, satis habuit canem appellare* (Sueton. lib. VIII. in Vita Vespas. §. 13.). Narrat vero Xiphilinus eundem Vespasianum Marciani hortatu in exilium misisse philosophos, propterea quod non tantum Demetrius ille Cynicus, sed alii quoque philosophi multa ignominiosa publice dicerent (Xiphilin. epitom. lib. X. p. 220 et seqq.). Privatim autem eidem Demetrio non quiescenti scribi iussit: *Ετιamsi multa agas morte digna ac iubere possim te idcirco occidi: ἐγὼ δὲ κῆνα ὑλακτοῦντα οὐ φρονεύω: Ego vero canem latrantem non occido.*

Neque satis gentilibus fuit huiusmodi philosophos et ferre patienter et laudare: *sed facilius*, inquit Auctor noster, *statuis et salariis remunerabantur* (Tertullian. Apologet. cap. 45. Ibid. cap. 14.). Nonne autem ibi, tacito Socratis nomine, auream illius designat imaginem, quam sicuti superius animadvertit, ipsimet Athenienses, a quibus morte multatus fuerat, in templo postea collocarunt. Aliorum vero philosophorum statuas si tibi indicari petieris, audi Iuvenalem indoctos castigantem homines, qui falsam eruditionem, positis in sua quaque bibliotheca philosophorum statutis et imaginibus, se satis probasse arbitrabantur. En illius carmina:

*Indocti primum, quamquam plena omnia gypso,  
Chryssippi invenias. Nam perfectissimus horum  
Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit,  
Et iubet archetypos pluteum servare Cleanthus.*

(Iuvenal. Satir. II. v. 4 et seqq.)

Plures porro philosophorum imagines Menagius in sua Laertina editione exhibet.

Dabatur insuper philosophis salarium sive annona et merces a sale, uti monet Plinius (Plin. lib. XXXI. Natur. Hist. cap. 7.), sic cognominata. Testatum enimvero Capitolinus facit ab Antonino imperatore mandatum, ut rhetoribus et philosophis per omnes provincias salaria et honores deferrentur (Capitol. in Vita Antonini sub. fin.). At Lucianus memoriae prodidit (Lucian. Eunuchus seu Pamphil. p. 535.) constitutum ab imperatore *μισθοφορά τις οὐ φαίλη, non exiguum salarium, ἀλλὰ μυρίαί, decies mille numorum*, Stoicis, Platoniciis, Epicureis, Peripateticis aliisque philosophis distribuendum, ut iuventutem docerent. Nonne etiam Augustinus de iisdem philosophis, sicuti

et aliis, haec quae ad propositum nostrum non parum conducunt, verba facit (August. lib. I. de Civit. cap. 3.)? *Nobis ethnici succensent, cum de diis eorum talia dicimus, nec succensent auctoribus suis, quos ut ediscerent, mercedem dederunt doctoresque ipsos insuper et salario publico et honoribus dignissimos habuerunt.*

Qua ergo hi fronte quove furore Christianos quolibet suppliciorum genere torquebant et trucidabant, philosophos vero suos impune ferebant, laudabant magnisque remunerabant beneficiis et praemiis, tametsi similes utrorumque mores ac virtutes similes esse venditarent. At Christiani ethnicis non virtute pares tantum erant, sed longe sanctiores praestantioresque, quemadmodum invictissime demonstravimus.

Unde igitur tanta iudiciorum discrepantia? Quia *philosophi*, ut recte advertit Tertullianus, *non Christiani cognominantur* (Tertullian. Apologet. cap. 46.). Ethnici enim non summa sine iniquitate conclamabant Christianos ob solum, sicut dictum est, suum nomen publico odio dignos ac quibuslibet plectendos suppliciis. Propter suum etenim piissimum vivendi genus iisdem, quibus philosophi cumulabantur, praemiis et salariis, eo digniores erant, quo saepius daemones ex obsessorum hominum corporibus solo Christi, uti ostendimus, nullius vero philosophi nomine eiiciebant.

Et certe quomodo daemones fugari poterant nomine philosophorum, qui arbitrabantur eos, ut ait adhuc Tertullianus, esse *secundum deos*, id est sicuti quidam volunt, diis proximos aut, ut aliis placet, tanquam deos habebant. Nam scripsit Cicero *de absente secundum praesentem iudicare*. Suetonius vero de Claudio imperatore: *Absentibus secundum praesentes dabat* (Sueton. lib. V. in Vita Claud. §. 15.), hoc est perinde ac tanquam essent praesentes. Sed utraque explicatio in eundem ferme sensum recidit, quamvis haec secunda potior videatur.

Quidquid sit, Tertullianus aperte declarat. (Tertullian. loc. cit.) philosophos existimasse daemones sibi esse superiores ac dominari. Itaque tantum abest ut possent illos fugare, quin ipsis obsequerentur. Nam Socrates, uti Auctor noster prosequitur, tametsi Apollinis oraculo, sicut alibi observatum a nobis fuit (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 3. Art. 2 et 3. Ibid. tom. I. Appar. p. 1115.) omnium sapientissimus renuntiatus fuerit, solebat dicere: *Si daemonium (supple meum) permittat, ut hoc vel illud faciam* (Tertullian. loc. cit. et Supr. cap. 22.). In hac enim et aliis dissertationibus ostendimus quomodo asseveraret sibi a pueritia astitisse daemonem, quo nec consulto nec approbante nihil unquam agebat (Idem Apologet. cap. 46.). At is ipso nihilominus idem Socrates moriens praecipit gallum *gallinaceum Aesculapio prosecari* seu mactari. Sed quia aliquid de veritate sapiebat, deos esse negavit. Quae quidem a nobis alia in dissertatione explicata sunt (Dissertat. in Lactant. cap. 39. Art. 1. et Dissertat. Minuc. Octav. loc. cit.).

At porro Socrates sive deos agnoverit sive negaverit, non poterat utique daemones, quos sicut alii ethnici, deos aut his proximos esse autumabat, fugare aut ex obsessorum expellere corporibus. Atqui si facultas tantum beneficium ethnicis praestandi Christianis concessa fuit,



si meliores erant illorum, quam gentilium mores ac virtutes, non poterant utique iidem gentiles, nisi contra ius omne et fas, illos poenis tormentisque omnibus enecare, hos vero magnis afficere laudibus ac beneficiis. Sed sequamur adhuc Tertullianum utrorumque virtutes singularitatem comparantem.

## ARTICULUS II.

Quam absurde Christianis scientia et disciplina aequiparentur philosophi gentiles, gloriae libidinosi, affectantes se docere veritatem, quam in Sacra Scriptura inventam captandae popularis aerae gratia corruperant, et qui a Spartiatis, Thebanis, Argivis solum vertere compulsi sunt.

Mirum sane quam vana et insulsa ostentatione ethnici obiectarent parem esse philosophorum suorum atque Christianorum scientiam, disciplinam et sapientiam (Tertullian. lib. II. ad Nat. p. 585.). Nam huius, uti citatus a Tertulliano Salomon rectissime docet: *Initium sapientiae metus in Deum* (Eccles. cap. 1. v. 16.). Et haec quidem verba desumpta sunt ex Ecclesiastici libro, quem Auctor noster atque alii, sicut alibi ostendimus (Dissertat. in Lactant. cap. 11. Art. 3.), Salomoni nominatim tribuunt. Licet autem ei abiudicaretur, non minus vera erat haec sententia. At quomodo philosophi gentiles poterant initium habere sapientiae Deum timendo, quem nunquam agnoverunt? Christiani autem eum revera cognoscebant ac timebant, atque idcirco hoc praediti erant sapientiae initio.

Praeterea hi non solum ex hoc, sed aliis quoque Sacrae Scripturae libris, tanquam divinis purissimisque fontibus haustam veritatem ac sapientiam necessario, ait Tertullianus, consecantur, ut aeternae salutis suae consulant (Tertullian. Apoget. cap. 46.). Gentiles vero philosophi veritatem, inquit, *affectant et affectando corrumpunt, ut qui gloriam captant* (Ibid. cap. 47.). Nihil quippe eis magis cordi erat, quam ut nominis, famae ac vanae gloriae celebritatem quoquo modo aucuparentur. Quapropter ab illo postea vocantur *gloriae et eloquentiae solius libidinosi* (Idem lib. de Anima cap. 7.), id est avidissimi. Alio autem in libro: *Philosophus*, inquit, *gloriae animal*. Atque haec Auctoris nostri verba Hieronymus haud dubie mutuatus ipsius sententiae subscripsit: *Philosophus gloriae animal et popularis aerae atque rumorum vile mancipium* (Hieronym. Epist. 54. ad Pammach. p. 585.). At Lucianus, etsi ethnicus, hos philosophos longe acrius insectatur. Palam quippe asseverat illos genus esse hominum, ἀργόν, φιλόνεικον, κενόδοξον, δξύχολον, ὑπόλιχνον, ὑπόμωρον, τετυφωμένον, ὑβρεως ἀνάπλεων καὶ ἵνα καθ' Ὁμηρον εἶπω, ἀχθος ἀρούρης. *Otiosum, contentiosum, gloriae avidum, iracundum, gulae studiosum, stultum, fastuosum, contumeliosum et, ut verbis Homericis dicam: Telluris inutile pondus* (Lucian. Icaromen. p. 739 et seqq.). Plura adhuc ille in suo de sectis dialogo (Idem Hieronym. 284.), ubi certo se ab omnibus accepisse testatur Epicureos corruptos deliciis ac voluptatibus, Peripateticos parandis cumulandisque divitiis inservire et quosdam ex illis immodice contentiosos, Platonicos arrogantes, turgidos fastu nimio et gloriae cupientissimos: οἱ Ἰλλετωνικοὶ, inquit, τετύφωνται καὶ φιλόδοξοί εἰσι. Quae quidem huc congesimus ad

eorum, quae mox Auctor noster dicturus est -anticipationem. Sed de his iam aliquid in superiori dissertatione delibavimus (Dissert. in Lactant. cap. 39. Art. 5.).

Philosophi igitur fraudulenta veritatis ostentatione pravis opinionibus illam adulterabant, ne patefacta vulgus insanum offenderet et ut ipsi falsam vanae eruditionis gloriam sibi parerent ac venarentur. Verumenimvero, in quantum, ait Tertullianus, *odium flagrat veritas, in tantum qui eam ex fide praestat, offendit. Qui autem adulterat, hoc maxime nomine gratiam pangit apud insectatores veritatis* (Tertullian. Apologet. cap. 46.). Et haec quidem, nec plura in Rigaltii et subsequentis aliis editionibus. In antiquioribus vero nec non in nostris codicibus manuscriptis post verbum *adulterat* additum est *et affectat* ac post nomen *veritatis* legitur *quam* (editi *qua*) *illuores et corruptores inimice* (editi *mimice*) *philosophi affectant*. Cur autem Rigaltius omnia haec resecauerit, rationem si quaeras, nullam ab eo datam invenies. Quid ergo? Numquid, obscuriora ea esse putavit et ideo tollenda? Recte quidem, si ipsius non antiqui Auctoris verba essent, quae supprimendi nullus editor, nisi reddita ratione, ius unquam habuit. At nonne sensum hunc optimum efficiunt? Quantum veritas odio habetur, tantum qui eam sincere docet, is alios offendit. Qui autem eam affectando adulterat, *hoc ipso nomine* eandem gratiam apud illius insectatores inquit, quam illuores et corruptores. Quamobrem gentiles philosophi agnitam veritatem tanquam mimi aliorum dicta, facta et personas affectant ac corrumpunt. Dixisse autem Tertullianus videtur, philosophos affectasse veri tatem non quidem *inimice*, ut in codicibus manuscriptis scriptum est scribarum oscitantia, qui ex prima littera ~~in~~ duas in effecerunt, sed potius *mimice*, quemadmodum in alio libro dixit, *Mithrae militem esse quasi mimum martyrii* (Idem lib. de Corona in fin.).

Fatetur itaque ab iisdem philosophis saepius cognitam veritatem: *Quis enim, inquit, poetarum, quis sophistarum, qui non de prophetarum fonte potaverit? Inde igitur et philosophi sitim ingenii sui rigaverunt* (Tertullian. Apologet. cap. 47.). Hactenus editio Rigaltiana cum aliis atque etiam manuscriptis nostris codicibus: sed in istis haec, amputata a Rigaltio, adiecta sunt: *Ut quae de nostris habent, ea comparent illis*. Verum si haec Rigaltio aut errantibus typographis exciderunt, quis maiorem eius diligentiam non desiderabit? Si vero is solus proprio Marte ea abstulit, quis audaciam illius poterit excusare? Nam haec ad Tertulliani institutum maxime faciunt. Probandum siquidem susceperat gentiles philosophos Christianis scientia omnino praepostere adaequari. At illud recte eo demonstrat, quod, ut suam cum nostra doctrinam compararent, ex sacro prophetarum fonte hortulos suos, ut Ciceronis verbis utamur, irrigaverant (Idem loc. cit. supr. cap. 4. Art. 4.). Neque id valde difficile ipsis erat. Sacra quippe Veteris Testamenti Scriptura omnibus ethnicorum commentationibus, uti ipse ait et nos haud semel ostendimus, est longe antiquior. Plura itaque documenta ex sacris nostris libris, sicut alibi a nobis probatum est, furati sunt, ut Christianis pares scientia crederentur (Supr. cap. 6. Art. 4 et seqq. tom. I. Appar. p. 384. 531. 909 et 1112 et seqq.).

Ast philosophi illi *gloriae*, ait Tertullianus, *et eloquentiae solius*

*libidinosi, si quid in Sacris Scripturis offenderunt, digestis ex pro instituto curiositatis ad propria opera verterunt* (Tertullian. Apologet. cap. 47.). Sed Rigaltius ibi reluctantibus scriptis editisque codicibus delevit nomen *Scripturis* atque illud *digestis* substantivum esse eoque idem ac *libris* significari suspicatus est. Sed perperam. Etenim adiectivum est, quod idem sonat ac *dispositis* et *ordinatis*, vel *explicatis* et interpretatis. Primo quippe sensu Virgilius dixit de Sibylla:

*Quaecunque in foliis descripsit carmina Virgo,*

*Digerit in numerum.* (Virgil. l. III. Aeneid. v. 445.)

id est, inquit Servius, ordinat et disponit (Serv. ibid. p. 295.). Alibi etiam hoc et secundo significato:

*. . . Ita digeri omnia Calchas.*

(Virgil. l. II. Aeneid. v. 182.)

sive, uti adhuc Servius interpretatur (Serv. ibid. p. 233.), numinis commotionem, vel futuri, id est oraculorum ordinem pandit seu ordinat et disponit.

Deinde Rigaltius haec verba *ex pro instituto* sic corrigi scribique voluit, *exinde regestum pro instituto* ac tandem addito hoc verbo *regestum* nomen *opera* nullo codice citato penitus resecauit. Nobiscum tamen faciunt omnes inediti codices et ante eundem Rigaltium editi; nisi quod in his antiquioribus legimus *ex improstituto*. Sed hoc corruptum videtur. In subsequentibus autem editionibus sublata fuit praepositio *ex* ac scriptum simpliciter *pro instituto*. Melius quidem, sed definire non audemus quae vera sit Tertulliani lectio, donec incorruptus aliquis codex reperiatur.

Sensus tamen eius hic proculdubio esse videtur: si philosophi ex Sacris Scripturis, recte ordinatis et explicatis, aliquid veri hauriant, illud pro curiositatis, seu nimiae eas male explicandi curae, instituto verterunt ad propria opera, hoc est ad falsas vulgi opiniones popularesque errores. Cum enim divinas esse non crederent, datam sibi putaverunt illas interpolandi et pro libito interpretandi facultatem. Neque etiam intellegentes earum documenta obscuritate et Iudaicis umbris obvolvi aspernati sunt illius simplicitatem (Tertullian. ibid.). Quapropter quod in his certum reppererunt, effecerunt incertum ac vera reiicientes aut veris falsa miscentes interverterunt. Sed de his plura Clemens Alexandrinus, ut suo loco annotavimus (tom. I. Appar. p. 871 et 1115 et seqq.).

Variis porro id Tertullianus probat (Tertullian. Apologet. cap. 47.) philosophorum opinionibus et erroribus de Dei natura, qualitate et providentia, de mundi creatione et diuturnitate, de humanae animae natura, quam alii incorpoream, divinam et aeternam, alii dissolubilem et corpoream esse arbitrabantur, atque de illius post corporis interitum statu, poenis et praemiis. Omnes autem varias hasce illorum opiniones alibi enucleavimus ac discussimus (Supr. cap. 5. Art. 4. et cap. 9. Art. 1 et seqq. Dissert. in Lactant. cap. 12. Art. 1 et seqq. cap. 14. Art. 1 et 2 et seqq. et cap. 23. Art. 1 et seq. et cap. 28. Art. 4 et 6.).

Neque in hoc tantum Apologetico Auctor noster ita adversus philosophos gentiles disputat, sed in secundo etiam ad Nationes libro,

ubi adhuc probat philosophicae sapientiae vanitatem imbecillitatemque apertissime demonstrari ex opinionum varietate, quae non aliunde, quam de veritatis ignorantia manavit: Etenim licet per curiositatem, inquit, omnimodae litteraturae inspiciendae divinis quoque Scripturis, ut antiquioribus, possint videri incursasse et inde nonnulla dempsisse (Tertull. lib. II. ad Nat. cap. 2.), simplicitatem tamen eius despicientes et gloriae libidine insuper ducti inventam in Sacris nostris Scripturis veritatem immutarunt et adulteraverunt.

Atque inde et a quibusdam quoque, sicut ille in Apologetico ait, *eiecta philosophia a Thebanis, a Spartiatis et Argivis, dum ad nostra contaminantur* (Tertullian. Apologet. cap. 47.). Ita quidem in Rigaltii posterioribusque editionibus. At in nostris codicibus manuscriptorum et vetustioribus editis: *Inde opinor et a quibusdam . . . . . Spartiatis . . . . . dum ad nostra* (male in nonnullis editionibus *a vestra*) *conantur*, subaudiendum *imitando corrumpere*; sicut dixit *poma conantur* (Ibid. cap. 40.), supple *matura fieri*. Cur autem, a quo ac cuius opera aut negligentia omissum fuerit verbum *opinor* ac quid ibi noceat, nobis sicut nullus edixit, ita Tertullianum esse facile aliis persuadebis. Eo quippe sensu alibi utitur hoc verbo, ubi de re sibi minime dubia disserit.

Ad eiectam vero ab ethnicis philosophiam quod attinet, Athenaeus narrat (Athen. l. XII. cap. 12. p. 547. et lib. XIII. cap. 9. p. 610.) sophistas ac duos Epicureos philosophos Alcaeum at Philiscum urbe sua a Romanis, omnes eiusdem sectae oppido suo a Messeniis, quoscunque etiam regno suo ab Antiocho ac Lysimacho et ex Attica publico Sophoclis edicto ab Atheniensibus expulsos ac tandem philosophiam atque rhetoricam a Lacedaemoniis admissam non fuisse. Eiusdem vero Atheniensium decreti meminit Iulius Pollux, quod νόμος Ἀττικὸς ab eo vocatur (Pollux. lib. IX. p. 427.). Non dicit tamen illud a Sophocle datum, sed factam dumtaxat eius mentionem. Verum Athenaeo aperte suffragatur Laertius, qui similiter asseruit conditam revera ab eodem Sophocle legem qua vetitum fuit, ne quis scholae philosophorum, nisi senatu et plebe approbante praecesset, secus capite plecteretur (Laert. lib. V. in Vita Theophr. §. 38.). Sed ad propositum nostrum aut nihil aut parum facit a quo et quomodo ea lex condita fuerit: sufficit sane ut eius iussu reiecta sit philosophia.

Nobis autem A. Gellius exhibet illud atque etiam aliud senatusconsultum additque tertium a Domitiano imperante constitutum, quo philosophi non solum Roma, sed Italia quoque interdicti sunt, atque idcirco Epictetum inde Nicomediam secessisse (Gell. lib. XV. Noct. Att. cap. 12.). Mentionem quoque huius edicti Suetonius facit (Sueton. lib. VIII. in Vita Domit. §. 10.). Sed Philostratus addidit tantum terrorem inde incussum philosophis, ut mutato habitu, alii in Hispaniam alii in Libyae et Scythiae deserta confugerint, alii Domitiano sese adiunxerint scelerum consiliarios (Philostrat. lib. VII. de Vita Apoll. p. 877.). Denique ut plura taceamus, alibi animadvertimus litteris a Clemente Alexandrino mandatum toties graecam philosophiam periisse, quoties a magistratibus prohibita fuit (Tom. I. Appar. p. 823.). Ceterum merito philosophi hasce poenas propterea dederunt, quod

agnitam veritatem adulteraverint ac *de veritate*, ut ait Tertullianus, disputaverint *contra veritatem* (Tertullian. Apologet. cap. 46.). Sed in tot errorum abyssum eos praecipitavit caeca humanae gloriae et aurae popularis cupiditas ac libido.

Verum Christiani spretis hominum laudibus veritatem in Sacris Scripturis traditam necessario, inquit Tertullianus, *appetunt et integre servant, ut qui saluti suae curant* (Ibid.). Atque inde adversus conpellatqs a se gentiles rite concludit: *Neque de scientia neque de disciplina, ut putatis, aequamur* (Ibid.). Nulla igitur magis inaequalis ac praepostera comparatio ab ethnicis fieri potuit, quam utrosque scientia et disciplina adaequando. Neque potiori iure venditabant aequales paresque esse alias illorum virtutes, quod iam cum Tertulliano nostro est expendendum.

## ARTICULUS III.

Quam praepostere gentiles contenderint parem esse philosophorum suorum atque Christianorum probitatem, contra quam Diogenes superbiam Platonis alia superbia conculcavit; summam fuisse Christianorum modestiam, contra quam Pythagoras et Zenon tyrannidem affectaverant; maximam fuisse animi Christianorum aequitatem, contra quam Lycurgus apocarteresim optavit; servatam sedulo a Christianis fidem, contra quam Anaxagoras negavit hospitibus depositum; miram fuisse Christianorum simplicitatem, contra quam Aristoteles a loco suo dimovit Hermiam et adulatus est Alexandro Magno, atque Aristippus in purpura nepotabatur et Hippias civitati insidias paravit.

Ad morales alias Christianorum atque gentilium virtutes si nostro cum Tertulliano transeamus, non minus profecto discrimen inter illas quam supra memoratas deprehendere est. Si *de probitate* enimvero, sicut ille loqui amat, seu morum integritate, vel quemadmodum vulgo dicitur, de humilitatis virtute certetur inter gentiles et Christianos, *ecce, inquit ille, lutulentis*, vel sicut alibi scripsit, *coenulentis, pedibus Diogenes superbos Platonis toros alia superbia deculcat* (Tertullian. Apologet. cap. 46. et lib. de Pall. cap. 4.). Nonne autem Hieronymus ad hunc Tertulliani locum collineasse videtur, ubi aiebat Diogenem lutatis pedibus conculcasse Platonis divitis toros (Hieronym. lib. II. adv. Iovinian. pag. 203. Laert. lib. VI. in Vita Diogen. §. 26.)? Sed ante utrumque Laertius narrat Diogenem, dum Platonis *στρώματα* calcaret, dixisse: *πατώ τὴν Πλάτωνος κενόσπονδιαν*: *Calco Platonis inane studium*, ipsique Platonem respondisse: *Ὅσον τοῦ τύφου διαφαίνεις, δούων μὴ τετυφοῦσθαι*: *Quantum fastum ostendis, qui nullo tuncere fastu videri cupis!* aut ut alii fuerunt, dixit Diogenes: *πατώ τὸν Πλάτωνος τύφον*: *Calco Platonis fastum*; cui Plato respondit: *ἑτέρω γε τύφῳ*: *sed alio fastu*. Cur autem Auctor noster dixerit *lutulentis* sive *coenulentis* aut, ut ait Hieronymus, *lutatis* seu luto infectis *pedibus*, audies ex eodem Laertio ductos ab hoc Diogene discipulos sine calceis *ἀνυποδήτους*, cum ille *γυμνοῖς ποσὶ χιόνα ἐπάτει*: *nudis pedibus nivem calcabat*. Quamvis ergo tantam paupertatem palam profiteretur, non minus tamen quam dives Plato superbiae et arrogantia, vitio inflatus erat.

Superbis itaque illis philosophis Tertullianus rite opponit Christianum, qui *nec in pauperem*, multo minus in divitem *superbit* (Tertull. Apolog. cap. 46. Ibid. cap. 25.). Christianis enimvero, fraternitatis

vinculo, ut supra animadvertimus, et sanctitatis spiritu coniunctis omnia praeter uxores communia erant nullaque de superiore gradu aut dignitate contentio.

Dehinc vero si agatur, inquit Tertullianus (Ibid. cap. 46.), *de modestia*, quae in animo est continens moderatio cupiditatum, nulla sane institui potest Christianos inter et gentiles comparatio. Nam *Pythagoras*, uti ille ait, *apud Thurios, Zenon apud Prienenses tyrannidem affectant*. Litteris quippe a Laertio proditum legimus incensam a Crotoniatis Milonis domum, ubi tunc erat Pythagoras, *τυραννίδος ἐπίθεσιν εὐλαβοῦμενοι: cum eius tyrannidem metuerent* (Laert. lib. VIII. in Vita Pythag. §. 38.). Excitati autem huius incendii, quo vivum Pythagoram exuri volebant, ac belli ipsi discipulisque eius illati mentionem Tzetzes et Iamblichus fecere (Tzet. Chiliad. 11. v. 67 et seqq. Iambl. in Vita Pythag. cap. 35. tom. I. Appar. pag. 1246 et seqq.). Quorsum ergo illud incendium et bellum, nisi quia res novas ac tyrannidem usurpare moliebatur, aut, ut ait Laertius, hoc alii, ne ille tentaret, revera timebant? Iam vero observavimus Zenonem Eleatem, cum a tyranno Demysio seu Nearcho ad arcanum aliquod haud dubie coniurationis prodendum cruciatibus torqueretur, linguam suam *expuisse* in tyrannum. Nobis quidem non latet hanc animi fortitudinem *Anaxarcho* a quibusdam, puta Plinio et Valerio Maximo, ab aliis Diomedonti tribui. Sed plures alii, a nobis loco proxime memorato laudati, eam Zenoni Eleati adscribunt. Ex iis autem unus est Plutarchus, qui testificatur Zenonem Parmenidis *γνώριμον discipulum* (Plutarch. lib. I. ad Colot. p. 1126.) vel, sicuti aliis teste Laertio placuit, *natura* aut adoptione filium, tantis tormentis a Demysio tyranno excruciatum, quia insidias illi paraverat. Philostratus vero: *Ζήνων ὁ Ελεάτης, inquit, τὴν Νεάρχου τοῦ Μύσου καταβαλὼν τυραννίδα ἤλω, καὶ στραβλοθεὶς τοὺς μὲν ἑαυτοῦ ξυνωμότας ἀπεσιώπησεν· οἱ δὲ ἦσαν τῷ τυράννῳ βεβατοί, διαβάλλων τούτους ὡς οὐ βεβατοὺς· οἱ μὲν ὡς ἐπ' ἀληθείαι ταῖς αἰτίαις ἀπέθανον· ὁ δ' ἐλευθερὰ τὰ Μύσον ἔγαγε, τὴν τυραννίδα περὶ ἑαυτῆ σφήλας. Zeno Eleates Nearchi Mysii tyrannidem evertere tentans deprehensusque cum variis suppliciis torqueretur, socios coniurationis minime prodidit, sed quos tyranno fidissimos noverat, calumniatus, ut morte damnarentur effecit. Ipse autem Mysiam liberavit, tyrannidem in se ipsam errare faciens* (Philostrat. lib. VII. de Vit. Apoll. cap. 1. pag. 320.). Cives enim facto repentino impetu, sicut ait Laertius, lapidibus illum obruerunt (Laert. lib. IX. in Vita Zenonis §. 27.). Addamus hoc latini Ciceronis testimonium: *Zeno Eleates perpessus est omnia potius, quam consocios delendae tyrannidis indicaret*. Alibi vero illum simpliciter *in tormentis necatum* tradidit (Cicer. lib. II. Tuscul. p. 146. lin. 2. et lib. III. de Natur. Deor. p. 252. lin. 28.).

Sed quia plures Zenonis nomine appellati sunt, non minima forsitan dubitandi ratio est utrum is quem Tertullianus Zenonem simpliciter nuncupat, ipse sit Zenon Eleates, qui quidem non dicitur affectasse, sed voluisse potius subvertere tyrannidem. Verum responderi poterit illum dum insidias tyranno moliretur, tum cogitasse de regno illius occupando. Praeterea, cum magna fuerit de huius Zenonis morte opi-

nionum varietas, quid mirum si Tertullianus alios secutus singulare aliquid de hoc Zenone tradiderit? Ceterum si quis alium nobis Zenonem indicet et certius probaverit tyrannidem ab illo fuisse affectam, manus illico dabimus. At de Zenone postea adhuc agendum.

Contra autem Christianus ab illa regnandi et in aliorum regna invadendi cupiditate perquam longissime abest, utpote qui nec *aeditatatem*, ait Tertullianus, hoc est nullum magistratum, nullum publicum munus affectat. Aedilis autem, ut post Varronem annotat Festus, initio quidem dictus est qui divinarum privatarumque aedium curam gerebat. Sed hoc nomen ad alios magistratus postea translatum est (Tertullian. Apologet. cap. 46. Varro lib. IV. de Ling. Latin. §. 14. Fest. lib. XX. de Signific. Verbor. ad verbum *aedilis*).

Tum deinde Tertullianus: *si de animi aequitate* (nostri codices manu antiqua exarati priscaequae editiones *aequanimitate*) hoc est aequa sedati animi constitutione, *congregiar, ecce praesto nobis est Lycurgus, qui apocarteresin optavit, quod leges eius Lacones emendassent* (Tertullian. loc. cit.), quemadmodum superius explicavimus. At Christianus, uti ait Auctor noster, *etiam damnatus ab ethnicis suam propter religionem, tum servata semper eadem animi aequalitate gratias agit, sicut postea ostendemus* (Infr. cap. 16. Art. 3.).

Pergit idem ipse Auctor noster: *Si de fide*, omnibus semper servanda, Christianus cum ethnico componatur, *Anaxagoras depositum negavit hospitibus*. Nonne autem ibi alludit adscriptam a Plutarcho historiam Periclis, qui repetundarum, peculatus atque pecuniae, quae apud Prytanas deposita fuerat, expensae accusatus, ut se purgaret, Anaxagoram trepidans eiecit ex urbe misitque in exilium (Plutarch. in Vita Periclis p. 169. tom. I.). Verum Christianus, uti adiecit Tertullianus, *extra fidelis vocatur* (Tertullian. ibid.), id est non solum suis Christianis, sed etiam exteris quibuscunque hominibus datam fidem praestat semper illibatam. Plura autem de deposito a Christianis fideliter servando Ambrosius in suis de ministrorum officiis alioque in libro disputat ibique dixit: *Nihil interest utrum abiures depositum, an doleas restitutum. In utroque fidei ambiguum vitae periculum est* (Ambros. lib. II. de Offic. cap. 36. pag. 105 et seq. ac lib. I. de Excess. Satyr. §. 3. p. 1114.).

Praeterea *si de simplicitate*, ait Tertullianus, *consistam*, tanto magis in eam peccat gentilis, quanto magis Christianus illam assequi conatur. Nam *Aristoteles familiarem suum Hermiam turpiter loco excedere fecit* (Tertull. Apologet. cap. 46.). At Laertio si credimus, Hermias ille eunuchus fuit et Atarnensium rex, *Ἀραρνέων τύραννος* (Laert. lib. V. in Vita Aristot. §. 3.), ad quem cum Aristoteles venisset, illius amicitiam sibi ita conciliavit, ut impetraverit filiam eius sive concubinam, quam adamabat, dari sibi uxorem, sicut alibi a nobis annotatum (tom. I. Appar. p. 1152.). In animi autem omnino grati testimonium Aristoteles fertur immolasse mulieri ac in illius et Hermiae honorem scripsisse hymnum, propter quem impietatis accusatus est (Athen. lib. XV. Deipnos. cap. 16. p. 696. Suid. ad voc.). Sed quo haec pluribus testibus confirmantur, eo difficilius probatu. cur et quomodo Hermias ab eo aut ex regno vel ex hac vita eiectus sit. Ari-



stodes enim, eiusdem Aristotelis discipulus, fatetur quidem illum multis calumniis lacessitum, quas confutare ibidem connititur (Aristocle. apud Euseb. lib. XIV. Praepar. Evang. pag. 791 et seqq.). At nimia haud dubie in magistrum suum animi propensione multa proculdubio dissimulare potuit. Quid igitur, si haec Aristoclis adulatio eo magis Tertulliano suspecta fuerit, quo certius aliunde didicerat laesum ab Aristotele etiam amicissimum sibi Hermiam. Nam illi opponit christianum hominem, qui *nec inimicum suum laedit* (Tertullian. Apologet. cap. 46. Ibid. cap. 31 et 37.), ut divinis, quemadmodum saepius observatum est, obtemperet praeceptis, quibus iubetur nullum odisse, laedenti vicem non reddere, diligere inimicos ac pro iis Deum precari.

Pergit ille: *Idem Aristoteles tam turpiter Alexandro regendo potius adulatur, quam Plato a Dionysio venditatur* (Ibid. cap. 46.). Quidam vero, quibus obscurior haec phrasis visa est, ibi *potius pro potius* legendum esse existimant. Sed frustra et contra codicum omnium reclamationem. Quid enimvero? si adverbium *potius* ab Auctore nostro sumatur pro *citius*, *prius*, sive etiam *magis*, ita ut illius sensus sit: Aristoteles Alexandri Magni, sicuti nemo necit, praeceptor, citius magisque turpiter ei adulatus est, quam nequiter Plato a Dionysio tyranno venditatus fuit. De Platonis autem venditione alibi disseruimus (tom. I. Appar. p. 554. 620. 1144. et Dissert. in Lactant. cap. 39. Art. 10.). Nec minus constat Aristotelem adulatum esse Alexandro, cuius ambitionem, ut alia vitia taceamus, non modo non repressit, sed fovit et adulationis artificio emollivit: *ταύτην μὲν οὖν*, ait Plutarchus, *τὴν φιλοτιμίαν αὐτοῦ παραμυθούμενος* (Plutarch. in Vita Alexandri p. 668. tom. I.).

Tum dehinc Tertullianus: *Aristippus in purpura sub magna gravitatis specie nepotatur*, id est luxuriose et intemperanter vixit. Memoriae autem Laertius mandavit Dionysium iussisse, ut quodam in convivio singuli veste purpurea induti saltarent (Laert. lib. II. in Vita Aristippi §. 78.). Quod quidem cum Plato recusasset, Aristippus veste hac prompte sumpta coepit saltare, hosque quos Gregorius Nazianzenus et Suidas Euripidis esse affirmant (Greg. Naz. Carm. Iamb. 18. p. 209. Suid. ad v. *Ἀριστιππος*) versus recitavit:

— — *Καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν  
Ὁ νοῦς ὁ σώφρων οὐ διαφθαρήσεται.*

— — *Neque in sacris Liberi*

*Sapientum pudica mens unquam corrumpitur.*

Adire poteris Gregorium Nazianzenum, qui ibi aliorum philosophorum vitia componit cum Christianorum virtutibus (Greg. Naz. loc. cit.). Porro autem de eodem Aristippo, sed tacito eius nomine, Tertullianus noster alibi: *Audio, inquit, et in purpura philosophatum* (Tertull. lib. de Pallio cap. 4. Idem Apologet. cap. 46.).

Demum ille adiecit: *Hippias dum civitati insidias disponit, occiditur: hoc pro suis, omni atrocitate dissipatis, nemo unquam tentavit Christianus*. Mirum sane quam corruptum sit in manuscriptis codicibus Hippias nomen. In duobus siquidem nostris antiquioribus legitur *Icthidias*, in duobus recentioribus Colbertinis *Icthidias*, in quibusdam alijs *Hidias*, quod proprius accedit ad illud *Hippias* in editis exhibitum.

At de Hippiâ nostrum Auctorem revera intelligendum esse confirmari sane potest his Ciceronis verbis: *Nefarius Hippias, Pisistrati filius, qui in Marathonica pugna cecidit, arma contra patriam ferens* (Cic. lib. IX. ad Attic. Epist. 12. p. 306.). Plura autem de illo Herodotus, Pausanias, Suidas et alii (Herodot. lib. I. cap. 61. lib. V. cap. 93 et seqq. Pausan. lib. I. p. 20. Suid. ad v. *Ἰππίας*). Sed non adeo certum est hunc ipsum esse, de quo tanquam philosopho Tertullianus loquitur, nisi eum philosophiae operam dedisse probaveris.

Alius ab eodem Suida memoratur Hippias sophista et philosophus, Aenesidemi discipulus, qui animum sua sorte contentum esse docebat. Nonne autem is est qui a Cicerone, ut alibi diximus (tom. I. Appar. p. 1222.), plurimum laudatus, gloriabatur nihil esse ulla in arte quod ipse nesciret? Sed si hic philosophus fuit, nobis certe neque Cicero neque Suidas, qua morte obierit, indicarunt. Vero itaque similis pluribus haud dubie videbitur factum a Tertulliano de priorè Hippiâ sermonem, nisi huius philosophi nomen in eius textu ab oscitantibus librariis fuerit corruptum.

At certo certius est quod ille addidit nihil unquam contra patriam suam attentatum a Christianis, tametsi *omni atrocitate suppliciorum* sibi ob religionem suam inflictorum *dissipatis* seu laceratis et enecatis (Tertullian. Apologet. cap. 46.). A Christo namque edocti columbarum simplicitatem imitabantur neminemque laedentes de omnibus studebant bene mereri, et iis etiam qui illos tanta crudelitate trucidabant.

Quis autem iam facile non cernit quam recte Tertullianus (Ibid.) post institutas inter philosophos gentiles et Christianos comparationes *his verbis* concludat: *Adeo quid* (quaedam editiones: *Quid adeo*) *simile, supple habent, philosophus et Christianus? Graeciae, ubi potissimum philosophi floruerunt, et caeli, id est veri Dei et Christi, discipulus? Quid philosophus famae negotiator sive gloriae animal, ut paulo ante dictum est, et Christianus vitae* (editio Rigaltii et aliae deinceps *salutis*) *negotiator? Quid philosophus verborum tantum et Christianus factorum operator? Quid Christianus rerum aedificator et philosophus destructor? Quid philosophus amicus, Christianus inimicus erroris commune habent? At Rigaltius propria auctoritate haec posteriora verba resecavit. Tum deinde in codicibus nostris ineditis et editis vetustioribus: Quid *veritatis interpolator et integrator et expressor et furator eius et custos. Rigaltius vero haec ita immutavit: interpolator erroris et integrator veritatis, furator eius et custos? Sed quia emendatio illa nullius codicis fide nititur, ab illo haud dubie facta est, quoniam illa verba obscuriora nec satis elegantia videbantur. Quid tamen prohibet quominus qualia in codicibus nostris descripta sunt, genuina esse dicantur hicque sit eorum sensus: Philosophus est veritatis in Sacra nostra Scriptura traditae *interpolator*, quia errores suos interponendo novam ei formam dedit: est etiam *furator*, quandoquidem, ut saepius diximus, plura ex illa decerpit ac corruptit. Christianus autem *veritatis* est *integrator et expressor et custos*, quia illam integram exhibet, exprimit et custodit. Neque porro Rigaltius ibi manus suas continuit, sed abstulit adhuc haec subsequèntia verba: *Antiquior omnibus veritas, ni fallor. Quo autem iure haec***

dempserit, ex audacioribus aliis eius correctionibus satis intelligitur. Nobis porro sufficiat annotasse varias textus Tertulliani lectiones, ac quam recte asserat longe praestantiorum esse Christianorum quam philosophorum doctrinam moresque illorum, quam quorumlibet ethnicorum castiores et sanctiores. Iam vero de his comparationibus in nostra ad Minucii Octavium dissertatione egimus (Dissertat. in Minuc. cap. 13. Art. 4.).

## CAPUT XIV.

De Christianorum ieiuniis, poenitentiae operibus, precibus et solemnibus diei dominicae festo ac quanta in iis omnibus illorum et gentilium differentia.

## ARTICULUS I.

Quam longa et horrida fuerint ieiunia Christianorum: quantum ab hac abstinentiae severitate abessent convivia et coenae Megarensium, tribuum, curiarum ac decuriarum, Herculanarum decimarum, polluctorum, Apaturiorum, Dionysiorum, Atticorum mysteriorum, Serapicarum coenarum, ubi de sparteolis et infamibus parasitis.

Ceteras inter Christianorum virtutes maxime emicuit tam *sedula* quam dura ieiuniorum observandorum cura et sollicitudo, qua non minus quam aliis virtutibus ab ethnicis discrepabant. Saepe enim saepius ac publicis in calamitatibus divinam misericordiam non pro se tantum, sed suis etiam pro inimicis non perfunctoria, sed durissima rigidioris ieiunii observatione exorare conabantur. Audias velim ipsummet Tertullianum: *Nos*, inquit, *ieiuniis aridi*, hoc est confecti et arefacti, quippe qui non aliis cibis quam aridis tum vescimur. Nam ille alibi *seras*, ait, *vel aridas escas*, ac paulo explicatius, *xerophagias observamus, siccantes cibum ab omni carne, omni iurulentia et avidioribus quibusque pomis, ne quid vinositatis vel edamus vel potemus, lavacri quoque abstinentiam congruentem arido victui* (Tertullian. Apologet. cap. 40. de Ieiuniis cap. 1. et cap. 13.).

Quis autem aridus ille cibus et quae esca arida sit, si ab Epiphano postules, tibi respondebit non aliam esse, nisi panem, sal et aquam. Per totos autem illos *ieiunationum*, uti ille loquitur, et *xerophagiorum* dies fas Christianis non erat hosce cibos, quantumvis parum esculentos et suaves, quovis diei tempore praegustare (Epiph. Exposit. Fid. §. 22. p. 1015.); sed ab omni, ait adhuc Auctor noster, *vitae fruge* seu quocunque cibo *dilati* (Tertullian. Apologet. cap. 40.), hunc nonnisi sero ac sub noctis initium sumebant. Neque horum verborum haec nostra est explicatio, sed ipsius, qui alibi apertissime dixit: *Abstinentes ab eis, quae tamen, quemadmodum haeretici quidam, non reicimus, sed differimus* (Idem lib. de Ieiun. cap. 15.), atque ita ieiunia nostra in vesperum producimus. Quinimmo Christus, teste Eusebio, sectatores suos docuerat ad multos dies cibo et vino lubentissime abstinere, durum ac severum agere vivendi genus, atque immensam non modo virorum, verum etiam mulierum multitudinem eo impulerat, ut spretis corporum alimentis divinarum potius lectionum rationalem cibum appeterent (Euseb. Orat. de Laud. Constantini cap. 17. p. 661.). Quid mirum igitur, si hi ab eodem Tertulliano nostro

dicuntur *omni illa continentia expressi* (Tertullian. Apologet. cap. 40.), id est ita exhausti ut deficerent corporis vires?

Verum ab hac Christianorum frugalitate, ciborum abstinencia et ieiuniis plane penitusque dissidebant coenae ethnicorum, profusis sumptibus apparatus, immoderata convivia, comotationes, helluationes. Primum enim Megarensium intemperantia, ait Tertullianus, plane redarguitur hoc *Diogenis* dicto: *Megarenses obsonant, quasi crastina die morituri; aedificant vero, quasi nunquam morituri* (Ibid. cap. 39.). Sed si Laertio fidem habeas, Agrigentinos Empedocles (Laert. lib. VIII. in Vita Empedocl. §. 33.), si Aeliano, hos ipsos Plato (Aelian. lib. XII. Var. Histor. cap. 28.), si Plutarcho, Rhodios Stratonicus hoc convicio verberavit (Plutarch. de Cupidit. Divit. p. 525. tom. II.). At illud a pluribus et de pluribus dici ac repeti potuisse quis inficiabitur? Quicumque porro fuerint hi populi, a Christianorum sobrietate et ieiuniis perquam maxime alieni erant.

At non de illis proculdubio, sed de pluribus aliis hoc Auctor noster subiunxit: *Tot tribubus et curiis et decuriis ructantibus* (Tertullian. Apologet. cap. 39.), videlicet cibum potumque nimium, qui non potuerat in stomacho digeri, exhalantibus, *acescit aër*. Sed numquid, inquires, id sine magna hyperbole ab ipso scribi potuit? Quid autem, amabo te, vetat quominus id dici possit de publicis conviviis, quae in magnis quorundam dierum ac praesertim imperatorum solemnitatibus in foro, plateis publicis, vicis et urbium compitis instrui solebant? Tunc enim singulae ac totae urbes exhibebant, ut infra videbimus, tabernarum et popinarum speciem. Quid ergo mirum si tanta multitudine hominum cibos indigestos et immoderate sumptos exhalantium ructibus aër acesceret? Turnebus itaque nomine *curiis* frustra designari putabat ea convivia, quae in ipsa curia a Curialibus dabantur (Turneb. lib. XII. Advers. cap. 13.). Nam Tertullianus de illis publicis conviviis haud dubie intelligendus est.

Tum ille postea: *Saliis*, inquit, de quibus nos alibi egimus, *coenaturis creditor erit necessarius* (Tertullian. loc. cit.); quia nullus par erat impensas illorum derepente solvendo. Si tamen nobis non credas (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 20. Art. 3.), idque tibi velis probari, audi haec Festi verba: *Salios a saltando dictos, quibus per omnes dies, ubicunque manent, quia amplae ponuntur coenae, si quae aliae magnae sunt, saliares appellantur* (Fest. ad v. Salii). Quocirca canebat Horatius:

*Nunc est bibendum, nunc pede libero  
Pulsanda tellus, nunc saliaribus  
Ornare pulvinar deorum  
Tempus erat dapibus, sodales.*

(Horat. lib. I. Od. 27.)

Dapes quippe saliares vocat opimas, exquisitissimas magnisque sumptibus comparatas, quibus onerabatur pulvinar deorum et posthaec a Saliis vorabantur. Eam sane ob causam Claudius imperator, uti narrat Suetonius, *ictus nidore prandii quod in proxima Martis aede apparatus deserto tribunali descendit ad sacerdotes unaque discubuit* (Sueton. in Vita Claudii §. 33.). Apuleius vero ait equum suum tanta

hordei copia saturatum fuisse, *ut saliores se coenasse crederet* (Apuleii *Metamorph.* lib. IV. post med.).

Salii autem erant sacerdotes Herculis, de quo Tertullianus haec subnectit: *Herculanarum decimarum et polluctorum* (manuscripti codices *pollinctorum*) *sumptus tabularii* (iisdem editi et alii non editi codices *stabularii*) *supputabunt* (Tertullian. *Apologet.* cap. 39.). Pollinctores vero ungebant corpora mortuorum et funus curabant. Verum Tertullianus non videtur de his fecisse sermonem. Melius ergo scriptum est *polluctorum*, uti confirmari potest his, qui huic loco non parum lucis praeferunt, Plauti versibus:

*Huc venisse iam opus est quantum potest  
Uti decumam partem Herculi polluceam.*

(Plaut. *Stich.* Act. II. Scen. 1. v. 80.)

Gentiles enim decimam bonorum suorum partem, uti Auctor noster superius dixerat, Herculi consecrabant imponebantque in eius aram ac postea splendide epulabantur. Unde idem Plautus: *Obsonate*, inquit, *pollucibiliter* (Idem *Mostellar.* Act. II. Scen. 4. v. 11.). Festus vero: *Pollucere merces . . . . far, polenta, vinum. Herculi autem omnia esculenta* pollucebant (Fest. ad v. *Pollucere*), sive decimam partem offerebant. De illa autem Herculis decima, sacrificio et epulo videtur Varronem, Plutarchum, Macrobius, qui et *pollucibilem coenam appellat* (Varr. lib. V. de *Ling. Lat.* p. 58. Plutarch. *Quaest. Roman.* p. 267. Macrobius lib. III. *Saturnal.* cap. 12. 15 et 17.). Quantis porro sumptibus pararetur, tabularii *supputabunt*, qui videlicet civitatum et provinciarum rationes computabant, uti liquet ex codice Theodosiano, ubi unus est *de tabulariis* titulus. Auctor itaque noster significat tantos fuisse harum coenarum sumptus, ut soli publici *tabularii*, computandis maximis expensarum summis assuefacti, illos numerare vix possent. Potior igitur est haec lectio, quam *stabularii*, hoc est caupones et tabernarii, qui in cauponis suis sumptus sive magnos sive parvos ab epulantibus factos computare facilius consueverant.

Prosequitur Tertullianus: *Apaturiis, Dionysiis, mysteriis Atticis coquorum delectus indicitur* (Tertull. *Apologet.* cap. 39.). *Ἀπατούρια* autem solemnis dies festus erat, qui ab Atheniensibus quotannis mense Octobri per tres dies celebrabatur. Primo autem die tribules sive sodales huic solemnitati adscripti simul opipare coenabant. Secundo die sacrificabant Iovi et Minervae. Tertia tandem die pueros et puellas in curiis inscribebant. Memoriae autem Herodotus prodidit Homerum ad hanc coenam a sodalibus invitatum mensis revera accubuisse. Sed alibi idem historicus huius festi adhuc meminit (Herodot. in *Vita Homeri* cap. 29 et seqq. ac lib. I. cap. 147.), de quo praeterea Pollux, Suidas, Petrus Castellanus, Ioannes Fasoldus atque in primis Ioannes Meursius (Poll. lib. VI. Suid. Castellan. Fasold. de *Fest. Graec.* Meurs. *Graccia Feriata* ad v. *Ἀπατούρια*).

Dionysia seu *Διονύσια* festa erant ab Atticis mense octavo in Dionysi seu Bacchi honorem celebrata, quae et Bacchanalia cognominabantur. Haec autem Dionysia et Attica mysteria nuncupavit Tertullianus, ut significaret eadem esse festa quibus Athenienses coenas ap-

parabant, tanta copia ciborum delicatissimorum, ut ad hos conficiendos coqui peritiores seligerentur.

Ad Romanos autem Serapidis festa pari sane vel maiori etiam coenantium intemperantia celebrantes sic revertitur: *Ad fumum coenae Serapicae sparteoli excitabuntur* (Tertullian. Apologet. cap. 39.). Sparteoli autem quoddam genus erat militum, qui Romae in urbis tutelam, ut ait vetus Iuvenalis interpret, cum hamis et aqua, quibus ignes extinguerent, vigiliis agebant (Iuvenal. Satir. XIV. v. 313.). Sic vero cognominabantur a tunicis et calceamentis, sicut nonnullis visum, vel potius a vasis sparteis, quibus aquam ferebant. At Suetonius, si Caesabono fides, illos ab Augusto imperatore institutos hisce verbis descripsit: *Adversus incendia excubias nocturnas vigilesque commentus est* (Sueton. lib. II. in Vita Augusti §. 30.). Quis vero facile non intellegat Tertullianum de his agere, qui, cum plebei vilesque homines essent noctuque per urbem ambularent, ad fumum coenae opiparae festo Serapidis instructae excitabantur et ad eam accurrebant? Porro autem haec festa et sacra Serapia, seu Serapida vel Serapidis sive Isis appellata, solebant mense Aprili celebrari. Sed de his in superioribus dissertationibus a nobis actum est (Dissertat. in Minuc. Octav. ap. 22. Art. 1.).

Sparteolis peiores proculdubio erant parasiti, omnium mensarum urpissimi asseclae, qui affectant, inquit Auctor noster, *ad gloriam emulandae libertatis sub auctoramento* (Tertullian. Apologet. cap. 39.), id est quemadmodum ex Cicerone, Suetonio aliisque colligitur, quasi stipendio, pretio et mercede ventris inter contumelias saginandi (Cicer. lib. I. de Offic. p. 372. lin. 3. Sueton. lib. III. in Vita Tiberii §. 7.). Illo autem in libro eos vocat *ventris operarios*, quos patientia a diavolo inspirata *contumeliosus patronis subiectione libertatis addidit* (Tertullian. lib. de Patient. cap. 16.). Sed hanc ignavissimorum hominum gentem prae ceteris graphice Terentius depingit, quem si adire te non pigeat, quod in Tertulliani verbis obscurum invenies explicatum habebis (Terent. Eunuch. Act. II. Scen. 2.).

Ab his utique omnibus adeo intemperatis ac libidinosi ethnico-rum coenis et conviviis penitus abhorrebant Christiani, qui corpus suum tam longis durisque, sicut diximus, ieiuniis macerabant et quorum coena omnino frugalis et modestissima erat, uti postea ostendemus.

## ARTICULUS II.

Quam diversa fuerint poenitentia Christianorum ac gentilium opera, quibus illi caelum invidia tundebant, hi vero impiis superstitionibus verum Deum semper irritabant.

Satis Christianis non fuit non solum publicis in calamitatibus, sed aliis etiam diebus tam severa austeraque ieiuniorum observatione iram Dei placare, sed *in sacco* etiam, ait Tertullianus, *et cinere volutantes* (male in duobus antiquioribus codicibus nostris *volvutantes*, littera i praepostere addita), *invidia caelum tundimus* (Tertullian. Apologet. cap. 40.). Tum itaque Deum exoraturi sese volutabant in sacco et cinere, non secus atque alii, qui publicam ob scelus grave aliquod in ecclesiis poenitentiam agebant. Horum enimvero *disciplina*, sicut alibi

Auctor noster tradidit, *de ipso habitu atque victu mandat sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum moeroribus deicere* (Idem lib. de Poenit. cap. 9.). Et paulo post: *Extra laetitiam oportet diversari in asperitudine sacci et horrore cineris et oris de ieiunio vanitate* (Idem ibid. cap. 11.). Et certe Cyprianus lapsos ad poenitentiam his verbis adhortatur: *Orare oportet impensius et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhaerere, cineri, cilicio (alias in cinere et cilicio) et sordibus volutari* (Cyprian. lib. de Laps. sub fin.). At non solum criminis alicuius reos, sed alios quoque huiusmodi poenitentiam egisse patet ex una Celerini edita inter Cyprianicas epistola, qua lapsae sororis suae crimen sic se deslere testificatur: *Pro cuius factis ego in laetitia Paschae flens die ac nocte in cilicio et cinere lacrymabundus dies exegi et exigo usque in hodiernum* (Idem Epist. 21. p. 45.).

Ceteri itaque Christiani, etsi nullius sceleris conscii, publicorum tamen poenitentium actibus atque habitu, *invidia, inquit Tertullianus, caelum tundeant* (Tertullian. Apologet. cap. 40.). Si quid autem nomen *invidia* obscuritatis ibi habeat, huic lucem aliquam afferre possunt ea quae de ipsismet ethnicis alibi tradidit: *Apud quasdam colonias annuo ritu saccis velati et cinere conspersi idolis suis invidiam supplicem obiiiciunt . . . Niniviticum credo iustitium*. De sanctis vero martyribus nostris: *Clamant ad Dominum invidia animae martyrum sub altari: Quonam usque non ulcisceris, Domine, sanguinem nostrum de incolis terrae?* (Idem lib. de Orat. cap. 5.). Illorum etiam cicatrices vocat *invidiosas apud Christum, quia vicisse cupierunt* (Idem lib. de Pudicit. in fin.). Quin etiam de semetipso similiter dixit: *Malo invidiam ei, Deo videlicet, facere per voluntatem ipsius pereundo, quam bilem per meam evadendo* (Idem lib. de Fuga in Persec. cap. 10.). Quid plura? Stadius ubi mortem patris deplorat, haec cecinit:

*Maior certe alios superos et tartara pulsem*

*Invidia.* (Stat. lib. IX. Silvar. in patris Epiced.)

Rursus autem in filii Epicedio:

. . . . . *Nonne horridus ipsos*

*Invidia superos iniustaque tartara pulsem?*

*Nonne gemam te, care puer?*

(Ibid.)

At sane constat nomen invidiae iis omnibus in locis non communi illius significatu accipi pro odio et malevolentia aut de prosperis cuiuspiam rebus dolore. Nam ista in Deum nec cadunt nec iis tangitur aut excitatur ad misericordiam. Et certe Cicero fatetur ambiguum esse nomen invidiae: *Quod verbum, inquit, ductum est a nimis intuenso fortunam alterius, ut est in Menalippo:*

*Florem quisnam liberum invidit meum?*

*Male latine videtur, sed praeclare Actius: ut enim videre, sic invidere florem rectius, quam flori dicitur. Nos consuetudine prohibemur: poeta ius suum tenuit et dixit audacius* (Cicer. lib. III. Tuscul. p. 151. lin. 10.). Quid ergo si Tertullianus nomen invidiae eodem atque Actius sensu acceperit, pro intuitu, visu et aspectu miseri status et habitus poenitentium Christianorum, qui eo divinam misericor-



diam tangere ac commovere connitebantur (Tertullian. Apologetic. cap. 40.).

Negare autem non possumus ab ethnicis quoque acta quaedam in publicis calamitatibus poenitentiae opera, quibus deos suos flectere et illos sedari posse arbitrabantur. Tum enim aquilicia, nudipedalia populo denuntiabant, deponebant magistratus et dignitatum suarum insignia aliaque agebant, de quibus omnibus infra agemus (Infr. cap. 23. Art. 4.). Sed factitium Iovem aliosque, qui dii non erant, perperam invocabant et precabantur. Verum etenim Deum impiis illis actibus et superstitionibus irritantes nihil proculdubio ab eo, sicut nec a falsis diis suis, poterant impetrare.

## ARTICULUS III.

Quo Christiani modo Deum precarentur sine monitore, expansis ad caelum manibus, capite nudo, anima innocente, atque ad orientem conversi, quamque dissimili ratione ethnici deos suos ac Persae solem adorarent.

Christiani his; quae retulimus, horridis poenitentiae laboribus non solum publicarum calamitatum tempore, sed singulis etiam et statis praesertim diebus Deum et pro se et pro aliis orabant, *sine monitore*, uti ait Auctor noster, sed de *pectore* intimo (Tertullian. Apologetic. cap. 30.). Data autem opera dixit *sine monitore*, quia mos ethnicorum erat, ut aliquis omnibus qui precabantur praeriret voce, eosque praemoneret. Ad hunc vero morem quidam referendos censent hos Statii versus:

*Hinc tibi vota patrum credi generosaque pubes*

*Te monitore regi, mores et facta priorum*

*Dicere.*

(Stat. lib. V. Silv. v. 488.)

Sed ibi non agitur de ullis precibus monitore aliquo praeunte recitatis. Ad eas autem propius accedit his Plinius verbis: *Vidimus certis precationibus obsecrasse summos magistratus et, ne quid verborum praeteretur aut praeposterum dicatur, de scripto praerire aliquem, rursusque alium custodem dari qui attendat, alium vero praeponi qui faveri linguis, id est tacere, iubeat* (Plin. lib. XXVIII. Natur. Hist. cap. 2.). Si quis tamen obiiciat hic de praestigiis tumque praenuntiatibus vocibus sermonem institui, is certe negare nequibit Plutarchum de solemnibus gentilium precationibus loqui, ubi monitos nos facit a Numa Pompilio praeceptum fuisse, ut cum magistratus et sacerdotes aliquid rei divinae faciunt, antecedit praeco ac magna voce clamet: *Hoc age: ὁ κήρυξ πρόεισι μεγάλη φωνή, ὃκ ἄγε* (Plutarch. tom. I. in Vita Coriol. p. 225.). Iubebat autem ea voce, inquit, omnes rebus divinis esse intentos nec ullo opere aut negotio interpellari. Huc accedit Iuvenalis, qui de femina Ianum Vestamque, ut Pollio vinceret, rogante haec cecinit:

*. . . Stetit ante aram nec turpe putavit*

*Pro cithara velare caput, dictataque verba*

*Protulit, ut mos est.*

(Iuvenal. Satir. VI. post med.)

Adi, si vacat et lubet, Brissonium in suo de Formulis libro (Brisson. lib. II. de Form. p. 68.). Verum Christiani talem non admittebant

monitorem; quandoquidem non ore tantum et labiis, sed *de pectore* atque intimo sinceroque cordis affectu Deum precabantur.

Praeterea orabant caelum suspicientes et *manibus*, inquit Tertullianus, *expansis*, vel quemadmodum alio in libro loquitur: *Nos vero non attollimus tantum, sed etiam expandimus e dominica passione modulatum* (Tertullian. Apologet. cap. 30. Idem lib. de Orat. cap. 11.), hoc est in Christi cruci affixi modum ac formam. De hoc autem precandi more alibi disseruimus (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 12. Art. 3.). At quia ethnici etiam eodem modo deos suos, sicut adhuc ostendimus, precari solebant, ideo Auctor noster post haec verba *expansis manibus* adiecit *quia innocuis* (Tertullian. Apologet. loc. cit.). Gentiles enim manus impietatis, idololatriae aliisque criminibus pollutas Christiani vero suas non minus, quam pectus et animum, mundas plane et puras ad caelum precando tollebant.

Quinetiam ipsi insuper orabant *capite nudo*, ait adhuc Tertullianus, *quia non erubescimus* (Ibid.). Ibi autem illos opponit adhuc gentilibus, quibus velato capite orare ac sacrificare mos erat. Audi, quaeso, de hoc ritu Virgilii carmina:

*Quin ubi transmissae fuerint trans aequora classes,  
Et positis aris iam vota in littore solves,  
Purpureo velare comas adopertus amictu,  
Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum  
Hostilis facies occurrat et omnia turbet.  
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto,  
Hac casti maneant in religione nepotes.*

(Virgil. lib. III. Aeneid. v. 403 et seqq.).

Quos quidem in versus haec Servius observat: *Sane sciendum sacrificantes diis omnibus capita velare consuetos ob hoc, ne se inter religionem aliquid vagis offerret obtutibus, excepto tantum Saturno, ne numinis imitatio esse videretur, et Hercules in templo suo, quia et ipse capite aperto est, vel quia hae arae ante adventum Aeneae a Iunone et Evandro consecratae sunt* (Serv. in cit vers. p. 292.). Ea autem exceptio satis probat hunc fuisse gentilium ritum et morem, quem etiam deos salutando et orando observabant. At de illo plura Brissonius, quem adire poteris (Brisson. lib. I. de Form. pag. 140 et seqq.).

Christiani itaque e contrario orabant *nudo capite*, quia dictum ab Apostolo noverant: *Omnis vir orans aut prophetans velato capite deturpat caput suum* (Paul. I. ad Corinth. cap. 11. v. 4.). At cur Tertullianus, inquiet aliquis, non hanc Apostoli attulit rationem, *sed quia*, uti ait, *non erubescimus*? Nos itaque huic respondebimus hanc ab eo datam videri, quia ad propositum suum maxime conducebat. Christianos enimvero gentilibus ibi, ut diximus, opponit. At hi, sicut ibidem subiecit, falsis diis sacrificando, quemadmodum precando, *afferebant post omnia inquinamenta etiam conscientiam spurcam* (Tertull. Apologet. cap. 30.) et omni scelerum genere coinquinatam, ob quam si quid pudoris reliquum eis fuisset, perpetuo debebant rubore suffundi. Contra vero Christiani Deo suo omnipotenti *offerebant orationem de carne pudica*, sicut paulo ante notabamus (art. sup.), *de animis*

*innocenti, de Spiritu Sancto profectam* (Tert. *ibid.*), quomodo a nobis in superioribus dissertationibus fusius explicatum fuit (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 12. Art. 2. et in Lactant. cap. 33. Art. 1.). Tantum itaque abest ut Christiani sic Deum precantes erubescerent, quinimmo: *Nos ad Deum expansos*, ait Auctor noster, *ungulae fodiant, cruce suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestiae insistant: paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani* (Tertullian. Apologet. loc. cit.), qui nec religionem suam profiteri nec Deum precari erubescerat. At non tantum *capite nudo*, sed prostrato etiam corpore, sicut alia in dissertatione ostendimus (Dissertat. in Arnob. cap. 8. Art. 2.), palam et publicis in synaxibus preces suas fundebant.

Ad haec vero hi ad orientem, aut quemadmodum Tertullianus loquitur, *ad orientis regionem conversi, Deum* precabantur (Tertullian. Apologet. cap. 16.). Neque mos ille, de quo alibi disputavimus (tom. I. Appar. lib. III. Dissertat. II. cap. 8. Art. 7. p. 1040.), incognitus fuit ethnicis, qui solebant eodem quoque modo, sed plane penitusque perverso precari. Quamobrem Auctor noster illos ipsos hisce verbis compellat: *Plerique vestrum affectatione aliquando et coelestia adorandi ad solis ortum labia vibratis* (Tertullian. loc. cit.). Eadem ille in primo ad Nationes libro repetit (lib. I. cap. 13.). Testem huius moris si requiras, Virgilium audire poteris, haec de Aenea canentem.

*Surgit et aetherei spectans orientia Solis  
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis  
Sustulit et tales effundit ad aethera voces.*

(Virgil. lib. VIII. Aeneid. v. 68 et seqq.)

Et alio in libro de aliis sacrificia facientibus:

*Ille ad surgentem conversi lumina Solem,  
Dant fruges manibus salsas et tempora ferro  
Summa notant pecudum paterisque altaria libant.*

(Ibid. lib. XII. v. 72 et seqq.)

Servius autem in hos ultimus versus illud animadvertit: *Non utique tunc surgentem solem dixit; iamdudum enim dies erat: sed disciplinam caeremoniarum secutus est, ut orientem spectare diceret eum qui esset precaturus* (Serv. p. 676.). Quamobrem Latinus Pacatus initio panegyrici, quem Theodosio, eoque praesente, pronuntiavit: *Divinis rebus operantes in eam caeli plagam ora convertimus, a qua lucis exordium est* (Pacat. Panegy. Theodos. pag. 246.). Denique ut plures missos faciamus, Ovidius de dea Pale canebat:

*His dea placanda est, haec tu conversus ad ortus  
Dic quater et vivo perlucet rore manus.*

(Ovid. lib. IV. Fastor. v. 365.)

At tametsi fuerit communis ille Christianorum gentiliumque ritus, alii tamen rationibus hi deos suos, illi vero Deum unum et verum ad orientem conversi orabant; gentiles enim, ut notat Tertullianus, *affectatione profecto pessima aliquando etiam coelestia adorandi* (Tertull. Apologet. cap. 16. et lib. I. ad Nation. cap. 13.). Res igitur caelestes.

stellas, nimirum ac planetas cum adorarent deosque esse opinarentur, idcirco ad solem, illorum omnium maximum et primum, orantes sese convertebant.

At Christiani longe diversis rationibus hunc in modum precabantur, ac potissimum quia ad paradysum, unde eieci fuerunt et ad solem iustitiae Christum Dominum respicere debebant. Alias vero plures ex variis scriptoribus Cardinalis Bona retulit, quas in eius libris legere promptum est nec huc congerere necessarium (Bona de Divin. Psalm. cap. 6. §. 3. p. 177.). Verumtamen Origenes, sicuti alibi observavimus (tom. I. Appar. p. 1040.), ingenue fatetur buius ritus satis validam rationem non posse proferri. Nemini tamen facile persuadebitur illum a Christianis nullam ab causam receptum, qui ita publico et unanimi omnium consensu observabatur, ut nec ipsismet ethnicis incomperitus fuerit. Nam hinc quidam ex illis suspicabantur corporeum solem, sicut ait Auctor noster, Christianorum Deum esse et ab illis adorari. Sed absurda haec calumnia paucis hisce verbis ab eo contunditur: *Ad Persas, si forte, deputabimur, licet solem non in linteo depictum adoremus, habentes ipsum ubique in suo clypeo* (Tertullian. Apologet. cap. 16.). Constat autem Persas coluisse solem, quem pro vero Deo habebant. Testes enimvero huius impietatis sunt Herodotus, Strabo, Iustinus historicus et alii complures, quos quidem, ne ab aliis saepius actum agamus, non censuimus esse appellandos (Herodot. lib. I. cap. 131. Strab. lib. XV. Geogr. p. 732. Iustin. lib. I. Histor. cap. 19.). Mirum itaque nulli videri debet si hi solis cultores illum in clypeo depictum haberent; quandoquidem milites suis in clypeis depictas vel sculptas imagines deferre consueverant. Quinimmo si Plinio credimus, inde derivatum est illud clypei nomen. Addit vero: *Origo plena virtutis faciem reddi in scuto cuiusque, qui fuerit usus illo. Poeni ex auro factitavere et clypeos et imagines secumque in castris tulere* (Plin. lib. XXXV. Hist. Natur. cap. 3.). Cui vero ignota sunt ea, quae Homerus de Achillis et Virgilius de Aeneae clypeis graeco latinoque carmine cecinerunt? (Homer. Iliad. XVIII. v. 478 et seqq. Virgil. lib. VIII. Aeneid. v. 625 et seqq.). Pari itaque ratione Persae in clypeo gestabant effigiem solis, quem maximum deum esse arbitrabantur.

Esto, inquires, ac cedo hunc fuisse revera Persarum morem. Sed quomodo inde colligi potest quis verus sit Tertulliani sensus? Nonnulli quidem eius verba sic interpretantur: Persae in linteo pingunt solem, quem Christiani habent in clypeo suo, id est in illo qui mundi oculus et instar clypei est, aut sicut alii volunt, vultum solis tanquam in clypeo cernunt. Sed haec magis utique subtilis quam solida explicatio nunquam dubio procul in mentem Tertulliani venerat. Simplicior autem, ut ex observatis liquet, videtur esse hic illius sensus: Ethnicis falso putabant solem a Christianis quemadmodum a Persis adorari. Nam hi in clypeis suis effictam et repraesentatam solis de sui imaginem ubique habebant, Christiani vero ne quidem in linteo ullibi depictam.

## ARTICULUS IV.

Cur Christiani diem dominicum ab ethnicis Soli dicatum laeti festum agerent, sicque uno tantum loco a gentilibus et Iudaeis diem sabbati solemnem celebrantibus discrepant.

Alius sane nec minor profecto error erat gentilium, qui adhuc opinabantur solem ideo a Christianis tanquam Deum coli, quia dominicum diem, ab illis Soli dicatum, hi cum laetitia agerent. Quamobrem Tertullianus eos sic reellit et exagitat: *Aequae si diem solis*, id est dominicum, *laetitiae indulgemus, alia longe ratione, quam religione sive cultu Solis* (Tertullian. Apologet. cap. 16.). Tacet quidem ille, quae ea sit alia ratio cur eum diem laeti atque adeo festum celebrarent. Sed illam nobis reddidit Barnabas: *Idcirco diem octavum*, inquit, id est dominicum, *in laetitia agimus, in quo et Iesus resurrexit a mortuis et cum apparuisset, ascendit ad caelos* (Barnab. Epist. §. 15. pag. 16.). Quod quidem pulchre confirmat Iustinus martyr, qui idcirco non secus ac Barnabas et Tertullianus noster aperte declarat hunc diem solis appellatum, quo Christiani congregari solebant: *τῆ τοῦ ἡλίου λεγομένη ἡμέρα, die quae solis vocatur* (Iustin. Apologet. I. pag. 99.). Eodem quoque nomine nuncupatur in variis Constantini Magni, Valentiniani iunioris et Theodosii legibus, in quas Gothofredus plura in rem nostram alique alibi observarunt (Cod. Theodos. leg. 1 et 2. de Feriis. pag. 118 et seqq.).

Aliquando etiam dies dominicus vel dominica solemnia vel simpliciter dominicum cognominabatur. Scriptum quippe Tertullianus noster reliquit: *Quomodo dominica solemnia celebrabimus* (Tertullian. lib. de Fuga cap. ult.)? Cyprianus vero in sua ad presbyteros, diaconos et universam plebem epistola scripsit: *Dominico interim legit nobis, id est auspicatus est pacem, dum dedicat lectionem* (Cyprian. Epist. 38. pag. 57.). Quae est autem, obsecro te, ea lectio, nisi illa quae in publicis Christianorum coetibus, uti in sequenti capite dicemus, fieri consueverat. Si quid vero clarius desiderabis, audias velim Eusebium, qui memoriae prodidit hunc diei dominici solemnii ritu celebrandi morem a Christo Domino manasse: *Ἐφ' ἐκάστης ἑβδομάδος τὴν κυριακὴν χρηματίζουσαν ἡμέραν ἑορτὴν ἄγειν ἐπὶ ταυτὸ συνιόντας παραδέδωκε, καὶ αὐτὰ σώματα πιαίνειν, τὰς δὲ ψυχὰς ἐν θεοῖς παιδεύμασιν ἀναζωπυρεῖν παρεσιεύασε: Praecepit ut singulis septimanis in unum convenientes, dominicum diem festum agerent nec corpora sua saginarent, sed animos divinis praeceptionibus refocillarent* (Euseb. Orat. de Laud. Constantini cap. 17. pag. 664.). Atque ita Valesius hunc Eusebii locum interpretatur, qui ante verbum *πιαίνειν* particulam *οὐ* librarii incuria omissam fuisse non dubitat, quia *τὸ πιαίνειν* non convenit Christianis. Postea vero Epiphanius de eadem dominicae diei celebritate haec scriptis tradidit: *Τὰς κυριακὰς ἀπάσας τρυφερὰς ἔρχεται ἡ ἄγλα αὐτῆ καθολικῆ Ἐκκλησία, καὶ συνάξεις ἀφ' ἑωθεν ἐπιτελεῖ, οὐ ηἰστεύει: Dominicas omnes festas hilaresque catholica sanxit Ecclesia, ac solemnes conventus matutinis horis indicit nec ulla ieiunia celebrat* (Epiphan. Exposit. Fid. §. 22. pag. 105.). Alibi autem nos admonet hunc morem ab apostolis proficisci (Idem Haeres.

Arii §. 6. pag. 910.). Plura in hanc rem, quae omnibus nota est, accumulare nihil plane opus est. Sufficit enim omnibus probasse hunc diem in Christi a mortuis hoc ipso die excitati honorem iure merito fuisse institutum.

Quapropter sic pergit Tertullianus: *Secundo loco ab eis sumus qui diem Saturni otio et victui decernunt, exorbitantes et ipsi a iudaico more, quem ignorant* (Tertullian. Apologet. cap. 15.). Sed haec uberius clariusque alibi exposuit, ubi gentiles hisce verbis affatur: *Vos certe estis, qui etiam in laterculum septem dierum solem recepistis et ex diebus ipsum praelegistis, quo die lavacrum subtrahatis aut in vesperam differatis aut otium aut prandium curetis. Quod quidem facitis exorbitantes et ipsi a vestris ad alias religiones. Iudaei enim festi sabbata et coena pura et Iudaei ritus lucernarum et ieiunia cum azymis et orationes littorales, quae utique aliena sunt a diis vestris. Quare, ut ab excessu revertar, qui solem et diem eius nobis exprobratis, agnoscite vicinitatem. Non longe a Saturno et sabbatis vestris sumus* (Idem lib. I. ad Nat. cap. 13.). Sed dictu haud facile an genuina et incorrupta sint haec verba *orationes littorales*. Si enim haec a Tertulliano scripta sunt, quid iis significetur dicta ad haec difficilius, nec ullus ea in notis suis explicare tentavit. Numquid autem Auctor noster ad quasdam Iudaeorum preces collineavit, quae Iudaei ad fluviorum aut fontium ittora fundere solebant, antequam eorum aquis abluerentur (Philo Iud. in Flacoum pag. 992. D)? Castigati autem gentiles, qui Christianis vitio vertebant, quod diem dominicum festum agerent. Non longe enim hi recedebant ab sabbatis Iudaeorum et ritu ipsorummet gentilium, qui soli etiam unum hebdomadae diem nuncupaverant.

Praeterea singuli, ut scribit Philo Iudaeus, populi et nationes tametsi suis propriis et diversis legibus viverent, nullus tamen erat qui *τὴν ἱερὰν ἐκείνην ἑβδομὴν οὐκ ἐκτετιμηκεν, ἀνεσιν πόνων καὶ φαστῶν ἄπ' αὐτῶ τε καὶ τοῖς πλησιάζουσιν, οὐκ ἑλευθέρους μόνον, ἀλλὰ καὶ δὲ δούλοις, μᾶλλον δὲ ὑποζυγίοις διδούς*: *Sacrum illud diem per singulas hebdomadas recurrentem non honoraret, remissionem laborum, feriasque afferentem patrifamilias cum domesticis non ingenuis tantum, verum etiam mancipiis et iumentis insuper* (Phil. lib. I. de Vita Moys. post init. pag. 657.). Alterum eiusdem gentis testem habemus Iosephum, qui similiter edixit: *Οὐδ' ἔστιν πόλις Ἑλλήνων, οὐδὲ βάρβαρος, οὐδὲ ἐν ἔθνος, ἐνθα μὴ τὸ τῆς ἑβδομάδος, ἣν ἀργοῦμεν ἡμεῖς, τὸ ἔθος οὐ διαπεφοίτηκεν, καὶ αἱ νηστῆαι καὶ λυχνῶν ἀνακαυσεῖς*: *Nulla est civitas Graecorum aut barbarorum, nec ulla gens, ad quam septimanae, in qua vacamus, consuetudo non pervenerit, ieiuniaque ac candelabra accensa* (Ioseph. lib. II. contr. Appion. pag. 1081.). Denique alibi observavimus (tom. I. Appar. lib. III. Dissert. 2. cap. 16. Art. 1. pag. 1117.) a Clemente Alexandrino et Eusebio variis scriptorum testimoniis probari septimum hebdomadae diem Iudaeis et Graecis fuisse sacrum.

Certum itaque ex hactenus dictis unicuique esse debet, primo Christianos longe alia ratione et alio ritu diem solis sive dominicum celebrasse quam Iudaeos ac gentiles, de quibus Lactantius, quidquid

nonnulli dixerint, etiam loquitur. Secundo, eosdem Christianos per hunc diem indulsisse *laetitiae*, nimirum spiritali, quia omnes undique, ut ex Iustino Martyre alibi annotavimus (Ibid. pag. 23.), in eundem locum confluebant sacramque suam eo quo diximus modo agebant *synaxin*. Sed plura de illa noster Tertullianus tradidit, quae nunc enucleanda sunt.

## CAPUT XV.

De sacris Christianorum *synaxibus*.

## ARTICULUS PRIMUS.

Quam ob causam Christiani sacros coetus inirent; de fuis ibi precibus, ac potissimum pro mora fuis; de Sacrarum Scripturarum lectione et cohortationibus; de praesidibus, probatis, senioribus et honorem nullo pretio, sed testimonio adeptis.

Nihil plane in tota Christianorum disciplina eorumque moribus erat, quod acrioribus ethnici vexaverint calumniis, quam illorum *synaxes* ac solemnes ad sacra mysteria agenda conventus. Quamobrem Tertullianus impudentem calumniatorum audaciam non alio validiori argumento penitus comprimi posse censuit, quam sincera et simplici eorum quae in iis agebantur expositione. Primum itaque enarrat quem in finem Christiani congregarentur: *Coimus*, inquit, *in coetum et congregationem ut ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes* (Tertull. Apolog. cap. 39.). Sed haec, quae totidem verbis in omnibus nostris codicibus manuscriptis et antiquis editionibus habentur, Rigaltio longiora ac forte obscuriora visa sunt. In textu igitur contra ipsius, quo usus est, antiquioris codicis fidem, haec tantum voluit retineri: *Coimus ad Deum, quasi manu facta, precationibus ambiamus*. Cur autem tot verba deleverit contra unanimem codicum consensum, ne minimam quidem reddidit rationem. Siccine ergo Rigaltio licuit tam veteris scriptoris librum tanquam suum pro libito corrigere ac quae volebat ex illo demere et amputare? Dixit autem Tertullianus: *Coimus in coetum et congregationem*, sicuti Cicero post Terentium: *Coimus in Praeum* (Cicer. lic. VII. Epist. 3, ad Attic. p. 275. lin. 8. Terent. Eunuch. Act. III. Scen. 4. v. 1.), Virgilius autem canebat:

— — *Socium virtus coit omnis in unum.*

(Virgil. lib. X Aeneid. v. 410.)

Sic autem congregati Christiani *quasi manu facta* undique Deum cingebant et ambiebant, ut simul *orantes* divinam eius misericordiam *precationibus* suis flecterent. Nec ingrata illi vim faciebant: Nam haec vis, inquit Auctor noster, *Deo grata est* (Tertullian. Apologet. cap. 39.), qua Christiani coniunctis omnium precibus eum formidabilia iustitiae arma ponere ac postulata divinae clementiae dona sibi non denegare quadam quasi violentia cogebant.

In hunc autem modum orabant non pro se ipsis tantum, sed etiam *pro imperatoribus*, uti ille adhuc ait, *pro ministris eorum ac potestatibus* (Tertull. ibid.), id est magistratibus et praesidibus, sive urbium sive provinciarum, et iis omnibus quorum ministerio ad regen-



dos populos utebantur, *pro statu saeculi*, id est imperii, ut firmus esset ac stabilis nec bellis aut seditionibus concuteretur, *pro rerum quiete*, ut omnes fruerentur semper optandae pacis bono. Noverant enim Christiani quod Apostolus praeceperat fieri *obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate* (I. ad Timoth. cap. II. v. 1 et 2.). De his porro precibus, quas Christiani in suis synaxibus pro se et aliis fundere solebant, alibi disseruimus (Dissertat. in Arnob. cap. 8. Art. 2.).

Quapropter illud nunc observare tantum iuvat, quod ibidem Tertullianus adiecit, Christianos in hisce synaxibus Deum adhuc precatos fuisse *pro mora finis* (Tertullian. Apologet. cap. 39.). Quis autem, amabo te, ille finis erat, nisi totius mundi, quem cum Romani imperii ruina evertendum esse opinabantur (Idem lib. ad Scapul. cap. 2.). Quamvis autem haec, de qua aliquid postea dicendum (Intr. cap. 21. Art. 1.), omnino falsa sit opinio, inde tamen intellegimus Christianos toties Deum pro Romani imperii diuturnitate orasse quoties illum pro afferenda mundi finiendi mora precabantur. In suum enim animum, praepostere quidem, sed penitus tamen induxerant *clausulam saeculi*, ipsa adhuc sunt Auctoris nostri verba, *Romani imperii commensu retardari* (Idem Apologet. cap. 32.).

At quantum haec falsa, tantum illa vera sunt quae in sacris Christianorum synaxibus acta sic commemorat: *Coimus ad litterarum divinarum commemorationem* (Ibid. cap. 39.), id est earum lectionem et recitationem. Nam in hoc fidelium coetu: *τὰ ἀπομνημονεύματα, ut ait Iustinus Martyr, τῶν ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκειται μέχρις ἐγχωρεῖ: Commentaria apostolorum, aut scripta apostolorum, quoad tempus fert, leguntur* (Iustin. Apolog. I. n. 67.), aut ut ait Tertullianus: *Si quid praesentium temporum, quibus ethnici in Christianos tanta crudelitate grassabantur, qualitas aut praemonere cogit aut recognoscere* (Tertullian. loc. cit.). His enim sacris vocibus fidem pascebant, erigebant spem ac fiduciam securitatemque suam figebant. Tradita quoque in eis morum praecepta saepius relegendo et audiendo firmiorem reddebant disciplinam suam ac recte vivendi rationem.

Sacrae vero Scripturae lectionem excipiebant exhortationes, ait Auctor noster. Antea Iustinus martyr: *Εἶτα, inquit, πανσαμένου τοῦ ἀναγινώσκοντος ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νοῦθεσίαν καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται: Deinde lectore quiscente praesidens admonitionem facit, qua ad tam pulchrarum rerum imitationem alios provocat* (Iustin. ibid.). Atque ita ille explicatius enarrat, quae et a quo et quam ob causam factae fuerint illae exhortationes.

Eas autem, pergit Tertullianus, proxime sequebantur *castigationes et censura divina* (Tertullian. ibid.), quas quidem Iustinus Martyr, aut quia brevitati consulebat aut quia ad propositum suum parum faciebant, penitus praetermisit. At Origenes diserte primum asserit Christianos sui temporis operam omnibus modis dedisse, ut eorum conventus et

synaxes prudentibus hominibus complerentur, quibus quidquid egregium et divinum habemus, popularibus sermonibus ac pro singulorum captu explicabatur (Origen. lib. III. c. Cels.).

Tum deinde Tertullianus continuo adiecit ab iisdem coetibus eos prorsus eictos, qui peccatis atque inprimis libidine sordidati erant (Tertullian. Apologet. cap. 39.). Triplex vero fuit, ut suo loco ostendimus, peccatorum criminumque genus propter quod lata ad exemplum Apostoli (Paul. Epist. I. ad Corinth. cap. V. v. 3 et seq.) in reos excommunicationis sententia ab ecclesiae ingressu arcebantur. Non prius autem absolvi poterant, quam horumce criminum publicam poenitentiam egissent.

Antea tamen illorum peccata debebant diligentissime examinari et agnoscere. Quamobrem iudicatur, ait Auctor noster, *magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri iudicii praeiudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis et conventus et omnis sancti commercii relegetur* (Tertull. Apologet. cap. 39.). Summa igitur cura et qua maior nulla esse poterat investigabant quae et qualia erant reorum peccata, atque in convictos sententiam ferebant, quasi Deum, supremum omnium iudicem, ante oculos habuissent. Ea itaque sententia maximum erat iudicii a Deo in ipso mundi fine ferendi praeiudicium. Nam sicut ad Pomponium scripsit postea Cyprianus: *Apud fideles servos Dei spiritali gladio excommunicationis superbi et contumaces necantur, dum de Ecclesia eiciuntur. Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit et nemini salus esse nisi in Ecclesia possit* (Cyprian. Epist. 5. ad Pomp.).

Prosequitur Tertullianus: *Praesident* his Christianorum coetibus, *probat* quique *seniores* (Tertullian. loc. cit.). Nobis autem non explicat qui fuerint illi *seniores* praesidentes, quos, sicut ibi hoc solo nomine, ita in alio, ubi de iisdem synaxibus disserit, praesidentes tantummodo appellat: *Eucharistiae sacramentum, inquit, et in tempore victus et omnibus mandatum a Domino etiam antelucanis coetibus, nec de aliorum manu quam praesidentium sumimus* (Idem lib. de Corona Milit. cap. 3.). A Iustino etiam Martyre, ut paulo ante vidimus, singularum synaxeon praeses *προεστώς* tantum nuncupatur. Verum ipsemet Tertullianus ubi de sacri baptismatis in iisdem synaxibus collati administratione disputat, aperte designat qui sint hi praesides. Ibi autem haec ipsamet eius verba legimus: *Dandi quidem baptismatis habet ius summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate, propter Ecclesiae honorem, quo salvo salva pax est* (Idem lib. de Baptism. cap. 17.). Episcopi igitur his aliisque Christianorum synaxibus praesidebant et eorum auctoritate presbyteri et diaconi.

Cur autem *seniores* ab illo vocarentur, his discere est Cypriani verbis: *Iampridem per omnes provincias et per urbes singulas, ordinati sunt episcopi in aetate antiqui, in fide integri, in pressura probati, in persecutione proscripti* (Cyprian. Epist. 55. ad Anton. pag. 112.). Cernis ibi episcopos vocari in aetate antiquos, ac proinde *seniores*. Nonne ergo eo nomine Tertullianus episcopos designavit, quorum sal-

tem plurimi suo tempore seniores erant et aetate proveci? Ad haec vero ab eodem Cypriano dicuntur *in pressura*, id est cruciatibus pro Christi fide constanter toleratis *probat*. Alio tamen sensu ab Auctore nostro simpliciter nuncupantur *probat*, nimirum aliorum suffragio ob vitae suae sanctimoniam *probat* et electi. Ipse enimvero haec ibidem subiunxit: *Honorem istum non pretio, sed testimonio adepti. Neque enim pretio ulla res Dei constat* (Tertullian. Apologet. cap. 39.). Nemo autem, uti putamus, negabit ibi a Tertulliano hisce verbis *honorem istum* designari sacros ministrorum Dei ordines, qui nullo penitus, quantumvis minimo, pretio, sed certo et gravi religiosorum hominum testimonio viris probatis et electis conferri debebant. Rationem si quaeras, hanc ab Ambrosio, dictis Tertulliani plane congruentem, accipe: *Habes Domini praeceptum vatis Elisaei, Giezum punientis, exemplum gratis dare nec vendere ministerium, sed offerre; non enim pretio taxatur Dei gratia; nec in sacramentis lucrum quaerere, sed obsequium sacerdotis* (Ambros. lib. IV. Exposition. in Luc. §. 52. pag. 1348.). Et paulo post: *Inexpiabilis est enim venditi culpa ministerii et gratia: vindicta caelestis transit ad posteros* (Ibid. §. 53.). Postea id confirmat exemplo Simonis Magi (Ibid. lib. IX. §. 19. p. 1499.), a quo simonia, tam saepe canonibus Ecclesiae ac sanctorum Patrum scriptis damnata nomen accepit.

## ARTICULUS II.

De stipe, quam Christiani in suis synaxibus offerebant, ubi reposita fuerit, utrum illorum caritas tempore Tertulliani refrixerit, ac quibus et ad quos usus quae ab eis dabantur dispensata sint.

Quantum Tertulliani tempore ab Ecclesia penitus exularet omnis simonica labe, in ea tamen domo, in quam Christiani ad synaxes agendas solito more convolabant, repositum erat *arcae genus*, sicuti ille ait, *non dehonoraria summa, quasi redemptae religionis* (Tertullian. Apologet. cap. 39.). Atque ita quidem in duobus antiquioribus nostris codicibus. In duobus vero recentioribus Colbertinis *non de honoraria*. In priscis ac quibusdam recentioribus excusis *non de oneraria*. l'essime tandem in Pamelii editione *non de ordinaria*. Nam singulis saltem mensibus, ut mox dicetur, ea summa deferebatur. Primam itaque lectionem ceteris praetulit Rigaltius, tum quia in vetustissimo codice habetur, tum quia hoc nomine *dehonoraria* significari putat summam, quae nec venalis *nec redemptae*, ut ait Tertullianus, *religionis*, atque ita nulli dehonestamento erat. Minus itaque bene ex hoc nomine illa duo *de honoraria* a librariis facta sunt; nisi his significari velis hanc summam a Christianis, qui a gentiliis *facta* omnino abhorrebant, non dari ad aliquem humanum honorem aucupandum. Si vero legendum censeas *non de oneraria summa*, quae videlicet Christianis nec molesta nec oneri erat, haec lectio non minus quam Rigaltiana confirmari potest his sequentibus Tertulliani verbis: *Modicam unusquisque stipem mensura die, vel cum velit, et si modo velit et si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert* (Ibid.). Non magno igitur vel honori vel oneri esse poterat ea modica pecunia, quam unusquisque pro libito ac facultate

fierebat. Quod autem adiecit eam non esse *quasi redemptae religionis* (Idem ibid. cap. 13 et 42.), his verbis ethnicos perstringit, qui acra omnia venalia, ut ipse ait et infra ostendemus, habebant et pro is exigebant mercedem.

Testatum posthaec Tertullianus facit eam summam sive stipem a Christianis datam fuisse *menstrua die* (Ibid. cap. 39.), hoc est semel in quoquoque mense. Stipem enim *menstruam* sic explicat Marcianus: *Permittitur tenuioribus stipem menstruam conferre, dum tamen semel in mense coeant, quod non in Urbe, sed in Italia et provinciis locum habere divus quoque Severus rescripsit* (Lib. XLVII. Digest. titul. 22. leg. 1.). Eodem autem Severo imperante haec, uti supra annotatum est, Tertullianus scribebat.

Quid ergo, inquiet aliquis, numquid tunc refrixerat Christianorum caritas? Nonne Apostolus ad Corinthios scripserat: *De collectis quae fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiae, ita et vos facite. Per unam sabbati unusquisque vestrum seponat recondens quod ei bene placuerit, ut non, cum venero, tunc collectae fiant* (Paul. Epist. ad Corinth. cap. XVI. v. 1 et 2.). Neque ibi ille tantum, sed in multis pene epistolis suis, ait Hieronymus, *loquitur et praecipit Ecclesiis gentium per unam sabbati, hoc est die dominico omnes conferre debere, quae Hierosolymam in sanctorum solatia dirigantur* (Hieronym. ib. advers. Vigilant. pag. 287.). Iussit ergo Apostolus hasce collectas in singulis dominicis fieri ac pecuniam apud aliquos deponi, donec egenis aliisque miseris et indigentibus mitteretur. Litteris quoque Iustini Martyr mandavit hunc morem suo tempore servatum, ac singulis quibusque synaxibus die solis sive dominico coactis: *οἱ εὐποροῦντες καὶ βουλόμενοι κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ ὃ βούλεται ἰδῶσι, καὶ τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται: Qui opiosiores sunt et volunt, pro arbitrio quisque suo quod visum est contribuant et quod ita colligitur, apud praepositum deponitur* (Iustin. Martyr. Apolog. I. n. 67. p. 99 sqq.).

Si ergo Tertulliani aetate hanc stipem menstrua tantum die eamque modicam Christiani erogabant, nonne illorum misericordia et caritas, non parum, uti antea annotabamus (supr. cap. 12. Art. 3.), imminuta et debilitata erat? Neque Cyprianus, ibi a nobis citatus, id dissimulat, qui de duriori matronae christianae in pauperes et miseros mimo sic conqueritur: *Locuples et dives es et dominicum celebrare te redis, quae carbonam omnino non respicis, quae in dominicum sine sacrificio venis, quae partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis* (Cyprian. Oper. et Eleemos. pag. 203.). Verum tametsi quidam tunc avaritiae vitio correpti, nullam ea die stipem conferrent, multi nihilominus dura non solum *menstrua die*, sed sicut ait Tertullianus, cum volebant, pauperibus distribuenda largiebantur. Ibi enim vero ille declarat tantam fuisse illam Christianorum liberalitatem, ut *eiusmodi vel maxime dilectionis operatio notam nimiae proculdubio pecuniarum effusiois nobis inurat penes quosdam, videlicet gentiles* (Tertullian. Apolog. cap. 39.).

Quanta autem esset illa Christianorum largitio ac beneficentia ex subsequentiibus adhuc agnosces Tertulliani verbis, quibus aperte asse-

verat eam tanquam pietatis depositum dispensatam fuisse *egenis alienis humanisque et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, iamque domesticis senibus, item naufragis, et si qui in metallis, sive ad metalla damnati, et si qui in insulis, seu in insulas relegati, vel in custodiis, id est carceribus, dumtaxat ex causa Dei sectae, alumni confessionis suae fiunt* (Ibid.), hoc est christianae religionis sectatores, qui ob eius confessionem his poenis affecti pecunia a Christianis liberaliter collata aluntur. Quamobrem ille suum ad Martyres librum sic orditur: *Inter carnis alimenta, benedicti martyres designati, quae vobis et domina mater Ecclesia de uberibus suis et singuli fratres de opibus suis propriis in carcerem subministrant, capite aliquid et a nobis, quod faciat ad spiritum quoque educandum* (Idem lib. ad Martyr. cap. 1.). Et paulo post: *Quae iusta sunt caro non amittit, per curam Ecclesiae et agapen fratrum* (Ibid. cap. 2.). Antea vero Iustinus Martyr a nobis laudatus dixerat hac pecunia praepositum, apud quem fuerat deposita, opitulari *ὄρφανούς καὶ χήρας καὶ τοῖς διὰ νόσον ἢ δι' ἄλλην αἰτίαν λειπομένοις, καὶ τοῖς ἐν δέσμοις οὖσι, καὶ τοῖς παρεπιδήμοις οὖσι ξένοις: orphanis et viduis, aut his qui propter morbum aut aliquam aliam causam egent, quique in vinculis sunt, et peregre advenientibus hospitiibus* (Iustin. Apolog. 1. n. 67. pag. 99.).

Nobis quoque Eusebius exhibet fragmentum epistolae Dionysii Corinthiorum episcopi ad Romanos, ubi illorum laudat consuetudinem, ab ipso ortam christianae religionis exordio et a Sotere illorum episcopo auctam, qua Christianorum etiam aliis in urbibus degentium et ad metalla damnatorum inopiam vario beneficiorum genere sublevabant (Euseb. lib IV. Hist. Eccles. cap. 33. pag. 145.). Quin etiam Cyprianus ad presbyteros et diaconos haec scripsit in verba: *Quantum ad sumptus suggerendos sive illis, qui gloriosa voce Deum confessi in carcere sunt constituti, sive iis qui pauperes et indigentes laborant et tamen in Domino perseverant, peto nihil desit, cum summa omnis, quae redacta est, illic sit apud clericos distributa propter eiusmodi casus, ut haberent plures unde ad necessitates et pressuras singulorum operari possint* (Cyprian. Epist. 5.). Quomodo autem hac stipe et eleemosynis necessitatibus egentium subveniendum esset, sic ille constituit: *Quod si penuriam talis et necessitatem paupertatis obtendit, potest inter ceteros qui alimentis Ecclesiae sustententur huius quoque necessitas adiuvari, si tamen contentus sit frugaliioribus, sed innocentibus cibus* (Idem Epist. 2. Eucratio pag. 4.). Eum itaque in modum eamque ob causam pecunia in synaxibus oblata et apud clericos deposita his qui nomitati sunt indigentibus distribuebatur.

Quamobrem Tertullianus hanc Christianorum caritatem, qua omnia praeter uxores indiscreta habebant, tantum extollit, quantum in ethnicos eam, ut supra ostendimus, avaritia et cupiditate insatiabili dirimentes invehitur (Tertullian. Apologet. cap. 39.). Nec mirum, ait ille, si ab hominibus adeo avaris nec christiana religione imbutis *conviolatur tanta caritas*, uti in antiquioribus nostris codicibus et in antiquis editionibus scriptum est, in quarto autem simpliciter *violatur*, sed eodem semper sensu. Rigaltius tamen contra codicum omnium

fidem posuit *convivatur*, id est christiana caritas convivium facit. Sed haec correctio nullius firmatur codicis auctoritate. Deinde vero ibi Tertullianus loquitur de fraterna caritate ab ethnicis adeo violata, ut Christianorum *coenulas*, quibus ea potissimum alebatur, tanquam prodigas infamarent. Sed de his nunc agendum.

## ARTICULUS III.

De data in Christianorum synaxibus coena et praemissis ei precibus, ac contra impudentes ethnicorum calumnias ostenditur quam frugalis, sobria modestaque fuerit.

Compertum profecto ethnici habebant Christianos suis in synaxibus coenasse, sed ignorabant utique quanta modestia, frugalitate et pietate haec coena condita fuerit. Quapropter solito in eosdem Christianos effraenato furore semper inflammati: *Coenulas nostras*, inquit Tertullianus, *praeterquam sceleris infames, ut prodigas sugillabant* (Tertullian. Apologet. cap. 39.). Duplex igitur erat huiusce accusationis caput. Et primum quidem illas sceleribus, nimirum infante occiso ac horrendo carnis eius pabulo et turpissimo incestu, fuisse infames. Sed totam hanc falsissimam accusationem, ut infra videbimus, Auctor noster funditus evertit. Alteram vero prodigalitatis criminationem conterit nuda ac verissima coenae illius expositione. Eum itaque narrentem audire et eius verba nobiscum accurate examinare ne tibi, quaeso, grave sit. Sic autem ille: *Coena nostra de nomine rationem sui ostendit: id vocatur quod dilectio penes Graecos*: in antiquis editionibus *vocatur ἀγάπη, id quod dilectio apud Graecos est* (Tert. Apol. cap. 39.). Numquid ergo his editionibus praefecti hanc graecam vocem addidere, quam graece nescientes librarii scribere ausi non sunt? Alio tamen in libro scripta latine invenitur, ubi ipse Tertullianus de martyribus in carcerem missis haec scribit: *Quae iusta sunt caro non amittit, per curam Ecclesiae et agapen fratrum* (Idem lib. ad Martyr. cap. 2.). Ibi autem nomen illud sua propria significatione pro caritate et dilectione accipitur. Eo tamen nomine in eius Apologetico, uti ab Origene (Origen. lib. I. c. Cels. pag. 4.), a nobis alibi citato (tom. I. Appar. pag. 715.), vocatur Christianorum coena, in qua praecipue eminebat illorum mutua dilectio et charitas.

Illam igitur in huiusce amoris pignus data non poterat utique dissoluta esse et prodiga. At quamvis in illa aliquid fuisset effusi atque sumptuosi, non ideo tamen ab ethnicis vituperari debebat. Quantumvis enim care constitisset, hac indigentes iuvabantur. Atqui, sicut optime observat Auctor noster: *Lucrum est pietatis facere sumptum* (Tertullian. Apologet. cap. 39.). Tantum vero aberat, ut Christiani in hanc coenam sumptus maximos facerent, ut summa sane frugalitate ac modestia praeberetur. Enimvero nihil intemperatum aut immoderatum, vel sicut ait Tertullianus, *nihil vilitatis, nihil immodestiae admittit* (Ibid.). Nomen autem *vile* aliquando sumitur pro sordido et abiecto, aliquando etiam pro abundanti, quo sensu dixit Virgilius *vilemque phaselum* (Virgil. I. Georg. v. 257.), id est, ut animadvertit Servius, *abundantem*. Nam quod abundat, vile est, ut: *vilibus aut onerat pomis*. At si hoc posteriori significatu Auctor

noster illud nomen accepit, sensus illius erit nihil in Christianorum coena fuisse superfluum et redundans. Nobis tamen facilius persuadetur adiectivum illud *vile* adhiberi priori sensu pro sordido et abiecto. Christianorum enim coenam opponit gentilium convivii, in quibus infames parasiti, hominum omnium vilissimi admittebantur *ad contumelias*, sicuti ille loquitur, saginandi. Nihil etiam *immodestiae* in illa cernebatur, atque plane discrepabat a memoratis ab illo ibidem gentilium epulis et Bacchanalibus, de quibus nos alibi et infra adhuc agendum.

Sacrae porro Christianorum mensae *non prius discumbitur*, inquit Tertullianus, *quam oratio ad Deum praegustetur* (Tertullian. Apolog. cap. 39.). Iam autem dixerat antea illos ideo congregatos, ut Deum, sicuti animadvertimus, precarentur et exorarent. Nunc itaque de his precibus loquitur, quas coenae praemittere solebant. At certe a Iustino Martyre discimus eas fusas fuisse post Sacrae Scripturae lectionem et praepositi cohortationem, sed antequam panis, vinum et aqua offerrentur.

Pergit Tertullianus: *Editur quantum esurientes capiunt* (Ibid.); quae quidem nostrorum et veterum codicum editorum lectio est. Displicuit tamen illa Rigaltio, scribique propria auctoritate voluit *capiunt*, haud dubie quia putabat ibi significari neminem esse, qui ibi ad plus aut minus comedendum bibendumque cogeretur. Quid vero si Auctoris nostri sensus sit, tunc esurientes edisse *non ultra*, ut ipsemet postea loquitur (Ibid. cap. 42.) aut *perperam*, sed quantum illi *capiunt*, ad famem nimirum, moderate depellendam, atque ita ut ad cibum potumque sumendum necessitate non voluptate ducerentur? Continenter enim subiunxit: *Bibitur quantum pudicis utile est* (Ibid. cap. 39.), hoc est ea sobrietate, qua pudicitia nullum inde detrimentum accipiat.

Hac itaque in cibo et potu temperantia *ita saturantur*, inquit (Ibid.), id est iis adeo temperate utuntur, *ut qui meminerint etiam per noctem Deum adorandum sibi esse*. Nos vero manifestum alibi cuiuslibet fecimus (tom. I. Appar. lib. III. Dissert. I. cap. 6. pag. 712. et seq.), tunc in more institutoque positum, ut Christiani nocte ad Deum orandum surgerent. Quapropter ad uxorem suam ille scribebat: *Latebisne tu . . . . cum etiam per noctem exurgis oratum* (Tertull. lib. II. ad Uxor. cap. 5.). Verum in eo Apologetici loco non de singulis noctibus agitur, sed iis tantum quibus festi sacrarum synaxearum dies celebrabantur. Per illud tandem coenae tempus, inquit, *Christiani ita fabulantur, ut qui sciant Deum audire* (Idem Apologet. cap. 39.), quaecumque illi inter se de rebus colloquerentur divinis.

Addit insuper hymnos adhuc postea Deo decantatos atque *hinc*, inquit, *probatur quomodo is, a quo canebantur, biberit* (Ibid.), id est quanta sobrietate ac temperantia biberit. At quis hac tam sincera coenae christianae descriptione non intelligat quantum moderata, frugalitas piaque fuerit?



## ARTICULUS IV.

De his quae post coenam in Christianorum synaxibus agebantur; de aqua manuali; de accensis luminibus et synaxeon hora; de canticis et hymnis; de gratiarum actione et Christianorum discessu.

Post coenam eo quo exposuimus modo datam et finitam tria adhuc a Christianis acta his Tertullianus verbis enarrat: *Post aquam manualem et lumina, ut quisque de Scripturis Sanctis vel de propria ingenio potest, provocatur in medium Deo canere* (Tertullian. Apolog. cap. 39.). Primum itaque notavit aquam manualem, quae nimirum ad manus abluendas porrigebatur. Ea autem consuetudo non solum apud Christianos, sed gentiles etiam invaluerat. Narrat enim Athenaeus ante et post coenam a Graecis datam abluendis manibus aquam, primamque *κατὰ χεῖρὸς*, secundam *ἀπολύσασθαι* a veteribus appellari (Athen. lib. XI. Deipnosoph. cap. 18. pag. 408. et lib. IV. cap. 1. pag. 128. et cap. 2. pag. 129.). Quod quidem ille variis scriptorum testimoniis comprobat. Prius vero edidit fragmentum epistolae Hippolochi, qua scripserat expletos cibo convivas manus lavisse. Memoriae etiam Lampridius prodidit exhibita ab Heliogabalo parasitis feracula, ita ut per singula biberent et manus, quasi comedissent, lavarent (Lamprid. in Vita Heliogabali pag. 343.). Mos igitur ille manus post coenam abluendi, utpote honestus, a Christianis quoque observabatur. Videsis Theodoretum et alios (Theodoret. lib. I. Hist. Eccles. cap. 18.).

Explicatu itaque difficiliora haud dubie plurimis videbuntur haec duo subsequencia Tertulliani verba: *Et lumina*. Nobis quidem id non latet, quod quidam annotarunt in Woverii codice scriptum *ad lumina*, sed is solus codex ceteris omnibus praeferrri non debet. Ibi autem Auctor noster monitos proculdubio nos esse voluit tunc accensa fuisse lumina, quia sub vesperam Christiani congregabantur coenabantque finito iam die ac postquam ea omnia quae enarravimus facta fuerant. Ob necessitatem igitur et ad fugandas, quemadmodum ille alibi significat, noctis *tenebras* haec lumina accendebantur (Tertullian. Apolog. cap. 7.). Sed de his iam aliquid alibi observavimus et postea adhuc animadvertemus (Dissertat. in Lactant. cap. 25. Art. 2.).

Nobis vero aliquis proculdubio obiiciet: Si haec Christianorum synaxes sub vesperum cogeantur ac noctis initio coenam illi inchoabant, cur idem Tertullianus hos coetus alibi antelucanos appellat? Cur alio in libro dixit: *Eucharistiae sacramentum etiam antelucanis coetibus sumimus* (Tertullian. lib. de Corona Milit. cap. 3.). Neque alio nomine a Plinio Secundo in sua ad Traianum imperatorem epistola vocatos esse testatur. In ea siquidem, ut ipse Tertullianus retulit, Plinius scripserat nihil in sacramentis eorum Christianorum se comperisse, quam coetus antelucanos ad canendum Christo et Deo (Idem Apologet. cap. 2.). Quin etiam hi coetus rursus a Tertulliano nominantur nocturnae convocationes: *Quis nocturnis, inquit, convocationibus, si ita oportuerit, uxorem a latere suo adimi libenter feret?* Et paulo post: *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes, atque adeo matutinis horis, et si sciverit panem, non illum*

*credit esse, qui dicitur* (Idem lib. II. ad Uxor. cap. 4.). Simili etiam modo Cyprianus ad Caecilium haec in verba scripsit: *Nisi si in matutinis hoc quis veretur, ne per saporem vini redoleat sanguinem Christi* (Cyprian. Epist. 63. ad Caecil. pag. 155.). Quae tamen in aliis pluribus codicibus manuscriptis ita leguntur: *Hoc quis veretur, ne vinum offerat, ne per saporem vini odore flagrante ab infideli conscientia odor vini horis matutinis fuerit agnitus et agnoscat esse Christianus, dum nos sanguinem Christi in vini oblatione commemoramus.*

Difficultatis huius nodum quidam solvi posse autumant distinguendo duplex synaxeon genus. Unum enim esse aiunt, in quo eucharistia a Christianis ieiunis summo mane sumebatur. Alterum vero illud esse censent, de quo agimus, quod agapen vocabant solebatque sub vesperum inchoari. Sed contra hanc responsionem facere videntur Socrates et Sozomenus, qui asserunt non eundem ubique a Christianis servatum coetus suos agendi morem. Narrant quippe in quibusdam Ecclesiis sabbato, in aliis dominica die actas synaxes; sacra quoque mysteria in nonnullis sub vesperam a coenatis, in aliis vero ante omnem cibum accepta (Socrat lib. V. Histor. Eccles. cap. 2. pag. 287. Soz. lib. VII. Histor. Eccles. cap. 17. pag. 755.). Si autem illos de suo potius quam antiquissimo atque etiam Tertulliani nostri tempore loqui dixerit, nec id facile probabit nec multum proficiet. Nam Tertullianus non secus atque Iustinus Martyr, uti ex iis patet quae superius annotavimus, disputat adversus ethnicos, qui tam falso quam audacter clamitabant horrenda prorsus in Christianorum synaxibus scelera perpetrari. Nonne ergo de omnibus plane Christianorum synaxibus loquitur, in quibus ea, quae agebantur breviter et vere exponit? Certum quoque est Christianos quibusdam in solemnitatibus, sicut Paschalis festi, totam noctem pervigilasse. Ad suam namque uxorem Tertullianus scripsit: *Quis solemnibus Paschae abnoctantem securus sustinebit* (Tertullian. lib. II. ad Uxor. cap. 4.)? Sed in Apologetico non de his tantum, sed aliis synaxibus disserit, quas in multam noctem producere Christiani consueverant. Nihil ergo prohibet quominus antelucani coetus et nocturnae convocationes appellarentur.

Tertio Tertullianus narrat post illam Christianorum coenam, *quisque de Scripturis Sanctis vel de propria ingenio potest, provocatur in medium Deo canere* (Idem Apologet. cap. 39.). Remota itaque mensa unusquisque hymnum aliquem aut desumptum ex Sacra Scriptura aut proprio ingenio in honorem Dei compositum in totius consensu et coronae medio canendum provocabatur. At Cyprianus Donatum ad psalmos quodam die concinendos hisce adhortatur verbis: *Et quoniam feriata nunc quies ac tempus est otiosum, quidquid inclinato iam sole in vesperam diei superest, ducamus hunc diem laeti, nec sit vel hora convivii gratia caelestis immunis: sonet psalmos convivium sobrium et ut tibi memoria tenax est, vox canora, aggredere hoc munus ex more. Magis carissimos pasces, si sit nobis spiritus auditio; prolectet aures religiosa dulcedo* (Cyprian. lib. ad Donat. in fin. p. 10.). Si quis autem obiciat ibi Cyprianum de sacris non loqui synaxibus, quid inde promovebit? Si enim in communibus coe-

is psalmi cantabantur, quanto potius in sacris synaxibus concini debebant? Et certe Plinius, ab ipso Tertulliano citatus (Tertullian. Apologet. cap. 39.), ad Traianum, sicut antea vidimus, scripserat non aliud crimen in antelucanis Christianorum congregationibus a se deprehensum, nisi quod hymnum Christo quasi Deo canerent. De his porro hymnis alibi disseruimus. (Tom. I. Appar. p. 413. 656 et 658.).

Talis porro fuit huius convivii finis, quale fuerat illius initium: *Vam aequae oratio*, ait Tertullianus, *convivium dirimit*. Finito itaque psalmodum sive canticorum vel hymnorum cantu Christiani preces cursus ad gratias Deo agendas fundebant. Denique *inde disceditur*, *verba* adhuc sunt Tertulliani, *ad eandem curam modestiae et pudicitiae, qui non tam coenam coenaverint quam disciplinam* (Tertullian. Apologet. cap. 39.), hoc est normam pie sancteque vivendi ac divinam et spiritalem qua pasti fuerant doctrinam. At de hoc modesto, religioso, pudico Christianorum ab ecclesia discessu actum a nobis alibi dicit (tom. I. Appar. p. 713.).

## ARTICULUS V.

Quomodo ex Therapeutarum conventibus ea confirmari possint, quae de Christianorum synaxibus dicta sunt.

Plura Philo Iudaeus ac post illum Eusebius de Therapeutarum conventibus memoriae mandarunt iis similia, quae in Christianorum synaxibus acta hactenus vidimus. Quamobrem cum haec mutuam sibi locum dare possint, nemini ingratum ac pluribus forsitan non prorsus inutile fore putamus, si brevi enarratione ante omnium oculos ea ponamus, quae ab illis Therapeutis agebantur. Nam hi sive Mosaicam legem, uti Philo opinatur, sive Christianam, sicuti Eusebio visum est, sive ut recentioribus quibusdam placuit, utramque simul observarent, ex horum certe ritibus illa plane firmari possunt quae de Christianis Tertullianus retulit.

Narrat autem Philo Iudaeus his Therapeutis, quos Eusebius Marci evangelistae discipulos esse existimat, septimum cuiusque hebdomadis diem fuisse festum ac sacratum, sed eum in primis, qui post septem hebdomadas recurrit (Philo de Vita Contempl. p. 893 et 899 et seqq. Euseb. lib. II. Eccles. Histor. cap. 16 et seq. p. 53 et seqq.). Omnes vero illi tam viri quam mulieres eo die in unum locum signo dato conveniebant inibantque convivium ac sublatis in caelum oculis et manibus precabantur ut Deo placeret. Absolutis precibus discumbebant pro cuiusque dignitate, ita tamen ut viri dextrum, feminae vero eaeque omnes pleraequae sponte sua virgines sinistrum latus tenerent. Nihil autem in hoc convivio apponebatur nisi panis pro cibo, sal pro obsonio et delicatioribus pro condimento hyssopus, sed omnibus pro potu aqua sola, aut frigida aut senioribus calida, utpote qui vinum haberent pro veneno. Summum vero per totum convivii tempus omnium silentium erat, dum ab uno tantum aliqua proponebatur ex Sacris Scripturis quaestio vel proposita solvebatur.

Posthaec coetui praepositus hymnum a se compositum aut sumptum ex sacris vaticis praecinebat, quem unusquisque suo ac decenti ordine

imitabatur, ceteris tunc silentibus, qui in extrema tantum hymni clausula vocem sine sexus discrimine extollebant. Sublata dehinc mensa omnes consurgebant ac praeunte cantore hymnos in Dei honorem, nunc uno ore, nunc alternis psallentes, gradum modo recta modo retrorsum aut ad dexteram aut sinistram movebant ac unum tandem simul omnes agebant chorum. Denique cum ita pernoccassent, vultum corpusque totum ad orientem convertentes ac felicem festumque diem ibi comprecitati ad sua unusquisque revertebantur.

Nostri vero non est instituti nunc definire utrum hi Therapeutae Iudaei aut Christiani simul atque Iudaei fuerint et ortam ea de re inter eruditos non minimam et quae nondum dirempta nobis videtur litem componere. Ad nostrum enim propositum notasse sufficit Eusebium fateri ea quae a Philone descripta vidimus a Christianis fuisse observata: *καὶ μάλιστα τὰς τῆς μεγάλης ἑορτῆς παννυχίδας καὶ τὰς ἐν ταύταις ἀσκήσεις, τοὺς τε λέγεσθαι εὐθότας πρὸς ὕμνους: ἀτque ἰνπρῖμῖς pervigilia magnae solemnitatis priusque in iisdem exercitationes et hymnos, qui a nobis recitari solent* (Euseb. lib. II. Eccles. Histor. cap. 17. p. 57.).

Nec est sane, quod quis obiiciat hunc errasse, qui hos Therapeutas reapse Iudaeos Iudaicamque legem profitentes pro Christianis habuit. Tametsi enimvero aliquid ibi humani passus sit, nemo tamen negare potest sacros Christianorum ritus, qui eius atque etiam superiori aetate in ecclesiis observabantur, ipsi non fuisse incognitos. Atqui aperte asseverat plures fuisse sacras Christianorum atque Therapeutarum in suis coetibus similes exercitationes, ritus et vigiliis.

Ceterum ex his, quae de eorundem Christianorum coena ac synaxibus hactenus disputata sunt, manifestissima omnibus esse debet impudentissima ethnicorum calumnia, qua illas et prodigas et sceleribus horrendis infames esse mentiebantur. Tantum quippe tamque impudens mendacium simplici veraque harum synaxeon a Tertulliano adornata et ab aliis plane confirmata descriptione funditus evertitur.

Ad haec vero, in has synaxes *cum boni*, inquit Auctor noster, *coeunt, cum pii, cum casti congregantur, non est factio dicenda, sed curia* (Tertullian. Apologet. cap. 39.). Non factio quidem illicita et seditiosa, nec qualis ethnicorum, ut infra dicemus, esse solebat, *sed curia* erat, ubi, quemadmodum Varro et Festus aiunt, cura sacrorum publica gerebatur (Varr. lib. V. de Ling. Latin. §. 6. Festus ad v. Curia), eaeque, ut Ciceronis verbis utamur, *vindex temeritatis et moderatrix officii* (Cic. Orat. pro Flacco p. 367. lin. 28.). Ibi autem si quis aliquid antea peccaverat, pro merito castigabatur ac praesides pia uniuscuiusque officia sedulo docebant et prudenter moderabantur. Quid ergo magis absurdum et falsum, quam sacras illas congregationes illicitae factionis accusare, ubi Christiani, ut recte asserit Tertullianus, neminem laedebant, neminem contristabant, nisi ad salutarem, sicut ait Apostolus, poenitentiam, si qui forte fragilitate humana aut perverso animo in grave aliquod scelus lapsi fuissent (Tertullian. loc. cit.)? Sed hi profecto paucissimi inveniabantur. Nam ceteri omnes *hoc sumus*, ait adhuc Tertullianus, in tam sanctis synaxibus *congre-*

*gati, quod et dispersi, hoc universi, quod singuli* (Ibid.), nimirum probi, boni, pii, casti, ut a nobis hactenus abundantius demonstratum est et sequenti articulo confirmabitur.

## ARTICULUS VI.

Diluitur ethnicorum argumentatio contra pios castosque Christianorum mores, inde petita, quod aliqui Christiani a tradita morum disciplina, doctrina et ipsamet christiana religione defecerant.

Contra haec quae de sanctissimis Christianorum synaxibus et moribus disputata sunt nec ulli incomperta esse poterant audacter insurgebant ethnici nobisque opponebant *de nostris*, sic quidem loquitur Tertullianus, *excedere quosdam a regula disciplinae* (Tertullian. Apologet. cap. 46.). Triplici autem modo ab ea Christiani excedere poterant: et primo quidem quibusdam sceleribus moribusque corruptis, secundo erroribus et haeresi, tertio turpi defectione ab ipsa tota religione christiana et ad impium deorum cultum regressu.

Quod ad primum autem spectat, quia gentilium iniquissima obtractatio ex iis, quae hactenus retulimus, satis superque confutata fuerat, non plura utique Tertullianus nec magis speciatim in Apologetico dicenda esse censuit. Verum in suo ad Nationes libro criminationem illam excutit ac refellit: *At vobis, inquit, dicimur pessimi et probrosissimi avaritia, luxuria, improbitate* (Idem lib. I. ad Nation. cap. 5.). Ita sane illi solebant Christianos calumniari. Quid vero respondet Tertullianus? *Non negabimus, ait, quosdam.* Fatetur itaque nec plane dissimulat quosdam fuisse Christianos, qui criminibus nonnullis inquinati erant. Sed quid inde contra ceteros et multo magis contra christianam religionem? Nihil prorsus, inquit: immo hoc ipsum pro eius et veritate et sanctitate stabilienda plurimum facit. *Nam sufficit et hoc, ait ille, ad testimonium nominis nostri ac perfectae religionis, si non omnes, si non plures* (Ibid.). Cuius sane ranc pulchram ac veram reddit rationem: *Necesse est, inquit, in corpore et quantum velis integro aut puro, ut naevus aliqui (pro aliis) effruticet aut verrucula exsurgat aut lentigo sordescat* (Ibid.). Scripsit quidem *effruticet*, sicut in libro de Anima hominem ex duobus formari, *ut duo pariter hominem ex utraque substantia exfruticent* (Idem lib. de Anima cap. 27.), sive oriantur et crescant. At parva hac macula evidentius ostendit totum corpus pulchrum esse, sanum et perfectum. Sic ergo quidam sed paucissimi Christiani tanquam naevi quidam in toto illorum corpore ac coetu clarius demonstrabant summam christianae religionis perfectionem.

Deinde vero Christiani illi a recta regula aberrantes pro delictorum gravitate in publicis synaxibus solebant, ut antea vidimus (Art. super.), admoneri, corripri, castigari et aliquando tanquam membra putrida excommunicationis gladio amputari ac proiici. Quamobrem alibi Auctor noster ad Scapulam scripsit: *Depositum non abnegamus, matrimonium nullius adulteramus, pupillos pie tractamus, indigentibus refrigeramus, nulli malum pro malo reddimus. Viderint qui sectam mentiantur, quos et ipsi recusamus* (Tertull. lib. ad Scapul. cap. 4.).

illos nimirum, qui sua propter scelera ex sacris eiecti erant coetibus Christianorum, quorum nomen mentiebantur.

Alii vero christianam religionem se profiteri venditabant, nimirum haeretici, qui *de una*, ut ait ille, *via* doctrinae et veritatis *obliquos multos et inexplicabiles tramites sciderunt* ac semetipsos aliosque in errorum et haeresium abyssum egerunt praecipites. Sed hi, inquit, orti sunt de philosophorum semine, *de quorum*, sicut alibi dixit, *ingeniis omnis haeresis animatur*, alibi vero *haereses subornantur* (Idem Apologet. cap. 47. Idem lib. I. advers. Marcion. cap. 13. et lib. de Praescript. cap. 7. Idem lib. adv. Hermog. cap. 8.). Quapropter ab illo non semel et postea ab Hieronymo philosophi appellantur patriarchae haeticorum (Hieronym. Epist. 43. ad Ctesiph. p. 474.). Quemadmodum autem philosophi Sacram Veteris Testamenti, ut superius animadvertimus, Scripturam *interverterunt*, ita haeretici *nostram hanc novitiolam paraturam*, hoc est Novi Testamenti libros, *suis opinionibus ad philosophicas sententias adulteraverunt* (Tertull. Apologet. cap. 47.), id est conati sunt traditam in sacris legis novae libris doctrinam ad philosophicas sententias accommodare, sed falsa cum veris praepostere miscentes ab ipsa veritate desciverunt veraque adulteraverunt documenta.

Verum *expedite* planeque, pergit ille, *praescribimus adulteris nostris*, sive exceptionem bisce haeticis Sacrae Scripturae corruptoribus opponimus illosque vel eo solo argumento refellimus, quod una sit veritatis regula, *quae veniat a Christo per comites ipsius, quibus aliquanto posteriores diversi esse commentatores probabuntur* (Ibid.). Apertissime ergo definit unicum esse verae religionis regulam, quae nobis tradita est a Christo et transmissa per eius *comites* apostolos a primos discipulos, a quibus illam et scripto et verbo accepimus. Quidquid itaque haeretici ab hac traditionis norma diversum commentantur, nec a Christo nec a primis eius discipulis profluxit, illud plane falsum est. Nam his posteriores *probabuntur*.

Sed a quo, amabo te, *probabuntur*? Num ab ipsomet Tertulliano? Si res ita sit, his verbis suum de Praescriptionibus Haeticorum pollicitus est librum, ubi illud reipsa probavit. Sed satis inter eruditos non constat utrum hic liber ante vel post Apologeticum editus fuerit. Nonne ergo potuit dicere *probabuntur*, quia cuilibet illud probatu facillimum erat?

Ceterum palam ille affirmat haeticos etiam ante publicum falsarum opinionum suarum examen eo ipso erroris convinci, quod novae sint, nec traditae a Christo aut illius discipulis, sed ab iisdem haeticis falso excogitatae. Quapropter alibi se haec fusius explicaturum promittit in libro de Praescriptionibus Haeticorum, uti clarius hisce verbis explicat: *Alius libellus hunc gradum sustinebit adversus haeticos etiam sine retractatu doctrinarum revincendos, quod hoc sint de praescriptionibus novitatis* (Idem lib. I. advers. Marcion. cap. 1.).

Gentiles igitur nihil prorsus ex haeticorum corruptione adversus christianae religionis veritatem et praestantiam concludere poterant, Nam hi de Ecclesia catholica penitus excisi non amplius nisi nomine tenus, immo ne nomine quidem Christiani erant. Audias velim lo-

quentem ipsomet Tertullianum: *Si haeretici sunt, Christiani esse non possunt, non a Christo habendo quod de sua electione sectati haeticorum nomina admittunt* (Idem lib. de Praescript. Haeret. cap. 37.). Eam sane ob causam christiani imperatores voluerunt illos nomine auctoris sui nuncupari, *cuius scelus sunt in deserendo Deo imitati* (Cod. Theodos. tit. de Haeret. leg. 65. p. 190. tom. VI.), vel sicut apud Socratem aiebat Constantius Magnus, *ut quorum secuti sunt mores, eorum etiam vocabulo appelentur* (Socrat. lib. I. cap. 9. p. 32.). Rationem si quaeras, hanc a Cypriano accipe: *Sicut diabolus Christus non est, quamvis fallat in nomine illius, ita nec Christianus videri potest qui non permanet in evangelii et eius fidei veritate* (Cyprian. lib. de Unit. Eccles. p. 114.). Vides sane quanti roboris sit hoc adversus quoslibet haeticos argumentum, quod ex praescriptionibus sive antiqua discipulorum Christi traditione petatum est. Tertullianus enim aperte demonstrat nihil penitus gentiles adversus religionis christianae perfectionem conficere posse ex pessimis illorum erroribus haeticorum, quippe qui veram Christi doctrinam ita corruperant, ut nec ipso Christianorum nomine digni haberentur.

Tertium tandem erat Christianorum genus, qui fidei suae desertores et apostatae ad impios deorum cultus tanquam canes ad vomitum reversi fuerant. Sed frustra ethnici ex horum apostatarum crimine aliquid adversus Christianam religionem inferri posse arbitrabantur. Nam qui datam Christo fidem violaverant, non erant amplius Christiani nec poterant hoc appellari nomine. Quamobrem Tertullianus ethnicos his verbis compellat: *Eiusmodi homines neque congregant neque participant nobiscum, facti post delicta denuo vestri, quando ne illis quidem misceamur quos vestra vis atque saevitia ad negandum subegit* (Tertull. lib. I. ad Nat. cap. 5.). Quam autem hoc verum sit ex iis unusquisque facile intelliget quae Cyprianus alique antiqui scriptores nostri memoriae haud semel prodiderunt de lapsis, qui tyrannorum minis et cruciatibus christianam fidem eiuraverant. Sed de illis opportunior disputandi locus nobis dabitur. Recte ergo Tertullianus ethnicos rursus alloquendo sic concludit: *Sine causa illos vocatis Christianos quos ipsi negant Christiani, qui se, id est Christi fidem, negare non norunt* (Ibid.). Veri siquidem Christiani quibuslibet dirissimis tormentis vexati christianae religionis veritatem ad crudelissimam usque interneccionem constantissime asserentes martyrii coronam consequerantur. Sed quid de his sanctissimis martyribus Auctor noster tradiderit, iam explanandum est.

## CAPUT XVI.

De christianis martyribus.

### ARTICULUS I.

Quibus ac quam variis horrendisque cruciatibus Christiani ab ethnicis torquerentur et trucidarentur, ac cur Sarmenticii et Semaxii vocati sint.

Nulla proculdubio Christianorum virtus magis refulsit quam invictissima in tolerandis pro religionis suae defensione suppliciis pa-



atientia, constantia atque fortitudo. Quanto enim maiori ethnicis obspretas labefactatasque eorum religiones odio erant, tanto crudelioribus et a nemine hactenus excogitatis vexationibus ac tormentis excarnificabantur et necabantur. Plura autem illorum supplicia Tertullianus recenset, quae sine aliqua observatione a nobis praetermitti non debent. Primum itaque: *Quotidie, inquit, obsidemur, quotidie prodimur, in ipsis plurimum coetibus et congregationibus nostris opprimimur* (Tertullian. Apologet. cap. 7.). Non pauci ergo, sed plurimi, non raro, sed saepissime in suis coetibus et alibi opprimebantur. Nec mirum sane. Nam ethnici omni prorsus humanitate deposita *partim propriis animis, partim legibus obsequentes in eos saeviebant*. Quin etiam: *quoties, ait adhuc Tertullianus, praeteritis vobis, nimirum praesidibus, suo iure nos inimicum vulgus invadit lapidibus et incendiis* (Ibid. cap. 37.), nulla videlicet expectata iudicum sententia, sed caeco impetu plebeii gentiles lapidum ictibus obruebant Christianos aut vivos exurebant.

Ad singula autem eorum supplicia ut veniamus, modo *in insulas, inquit Auctor noster, relegamur* (Ibid. cap. 12.), sed aliis sane omnibus minor erat haec exilii poena: *modo in metalla damnamur* (Ibid. cap. 12.), ad ea nimirum maximo eum labore effodienda. Plurimi vero contrudebantur in horrendos carceres, inedia et fame consumendi, nisi alii, ut supra diximus, Christiani eis opitulati fuissent. Sed haec Tertullianus in suo brevi quidem, sed excellenti ad Martyres libro fusius prosequitur (Idem lib. ad Martyr.). Praeterea *ungulis, ait deraeditis latera Christianorum* (Idem Apologet. cap. 12.). Ungulae autem ferreae erant instrumenta, tanquam ferarum unguis fabricata, quibus ethnici latera Christianorum sulcabant et dilaniabant. Quamobrem ille postea dixit: *Nos ad Deum in equuleo haud dubie, aut alia simili machina, expansos unguulae fodiant* (Ibid. cap. 30.). Prudentius enim canebat:

*Incensus his Asclepiades iusserat  
Eviscerandum corpus, equuleo eminus  
Pendere et uncis unguisque crescere.*

(Prudent. de Sancto Romano v. 107 et seqq.)

Prosequitur Tertullianus: *Ad bestias impellimur, sive iis, quae nos devorent, in theatro obiicimur: in nos bestiae, sicut postea descripsit, insiliunt* (Tertullian. Apologet. cap. 12. Ibid. cap. 30.). Quam frequens autem fuerit illud Christianorum supplicium inde colligas, quod in omni publica clade statim gentiles, sicut adhuc ille testificabatur, clamabant: *Christianos Ad Leonem* (Ibid. cap. 40.). Alio autem in libro, ubi ethnicorum conventus exagitat et condemnat: *Illic, inquit, in nos quotidiani leones expostulantur* (Idem lib. de Spectac. cap. 27.). Rursus alibi asseverat Christi hostes sub pedibus eius iam esse constitutos, omni adhuc *popularium coetu clamante: Christianos Ad Leonem* (Idem lib. de Resurrect. Carn. cap. 22.). Quid plura? Castitatis osoribus denuntiat timendum non esse, *ne non sint qui acclament: Christianos Ad Leonem* (Idem Exhort. ad Cast. cap. 12.). Atque ita conclamatum est adversus Polycarpum, ut ex Eusebio discimus (Euseb. lib. IV. Hist. Eccles. cap. 15. p. 32.). Cyprianus quoque de

ipso scripsit: *Orto statim turbationis impetu primo, cum me clare violento populus flagitasset* (Cypriani Epist. 20. p. 42.). Quid item flagitaverit, nos Pontius his in illius Vita docet verbis: *Maxime in et suffragiis saepe repetitis ad leonem postularetur* (Pont. in la Cypriani p. 4.). Expendas itaque velim an huc etiam collineaverit tertullianus noster, ubi de Romana plebe dixit: *Nec ulli magis depulatores Christianorum quam vulgus*. Plebeii siquidem homines teris longe frequentius postulabant clamabantque: *Christianos Ad conem*. Si tamen existimes, ibi de quolibet mortis genere ab iis ostulato sermonem fieri, idque probes, haud multum resistemus. Sed terim ad alia Christianorum tormenta transeamus. Alii *crucibus*, ait actor noster (Tertullian. Apologet. cap. 12.), *et stipitibus* imponeuntur, aut sicuti postea dixit, *cruces eos suspendunt*. Alii *cervices inunt*, aut ut alibi loqui maluit, *gladii guttura eorum detruncant* (Ibid. cap. 30.). Alii insuper *ignibus uruntur*, vel eos *ignes lambunt*, cut postea ab illo dictum legimus (Ibid. loc. cit.).

At haec varia suppliciorum genera in suo de Pudicitia libro sic applicat: *Martyr puta nunc sub gladio iam capite librato, puta in utibulo, iam corpore expanso, puta in stipite, iam leone concesso, puta in axe iam incendio adstructo* (Idem lib. de Pudicit. cap. 22.). eque tamen illis tantum cruciatibus Christianos torqueri ipse denuntiat. Nam alio adhuc in libro memorat non modo *gladium gravem et crucem excelsam et rabiem bestiarum et summam ignium poenam*, eorum etiam *omne carnificis ingenium in tormentis immanioribus*, utae feris crudelius hominis ingenium excogitare poterat (Idem lib. ad marty. cap. 4.). Atque ita ille paucis illis posterioribus verbis haud obscure significavit nullum esse tormentorum genus, quo Christiani iam discruciatum non fuerint.

Quia vero aliis gravior, vel sicut mox ab eo scriptum vidimus, maxima erat ignium poena, hinc gentiles eam a Christianis saepius epetebant. Quamobrem illos, uti ibi in codicibus nostris legimus, *unc*, id est suo tempore, *sarmenticios et semaxios*, non sine sarcasmo et irrisione vocabant (Idem Apologet. cap. 50.). In antiquis vero editionibus *semisios*, quidam autem legi volunt *semassios* et postea *assis* pro *axis*, quasi Tertullianus dicere voluerit Christianos revinctos fuisse ad stipitem sive palum dimidii assis. Sed quo sensu? Num eodem quo *asseris* significato? Sed id parum probabile. Potior proculdubio est genuina nostrorum et aliorum, uno tantum excepto eoque forsitan orrupto, omnium codicum videtur lectio. Nam ipsemet Tertullianus, sententiae suae optimus interpret, continenter adiecit *quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambita exurimur* (Ibid.). Dixit itaque Christianos ad stipitem seu palum alligatos ac sarmentis undequaque circumpositis igneque accensis vivos comburi. Recte quidem liquet; sed cur is *dimidii axis* stipes dicitur? At observa, quae so, stipitis nomine appellari fustem, ut ait Festus, terrae defixum (Fest. d. v. Stipes). Nomen vero *axis*, quemadmodum idem Festus monet, varios habet significatus (Idem ad v. Axis). Aliquando enim sumitur pro septentrionali caeli parte, aliquando pro tereti stipite circa quem fertitur rota, unde nonnunquam a poetis pro toto curru accipitur;

demique pro sectili tabula. At secundo sensu axis nomen a Tertulliano accipi videtur et ab illo significari martyres aliquando ad axem integrum, crebrius vero ad stipitem sive fustem terrae defixum, sed axis dimidio minorem, revinctos cremari. Ethnici itaque Christianis omnibus ridiculo *semaciorum* nomine insultabant.

Verum hisce tantis tamque horrendis suppliciis satiata non erat immanis ac plane horribilis gentilium crudelitas et rabies. Nam *ipsis Bacchanalium furis nec mortuis*, ait Tertullianus, *parcunt Christianis, quin illos de requie sepulturae, de asylo quodam mortis iam alios, iam nec totos avellant, dissecant, distrahant* (Tertullian. Apologet. cap. 37.). Alia autem in dissertatione (Dissertat. in Lactant. cap. 10. Art. 2.) patefecimus quanta ethnici feritate in mortuorum et sepulcorum martyrum corpora bacchati fuerint.

## ARTICULUS II.

Quomodo sanguis martyrum semen fuerit Christianorum isque maiorem quam Cicero, Seneca, Diogenes, Pyrrho, Callinicus alique philosophi et oratores ethnici ad persuadendum vim habuerit.

Tantum abest, ut ea, quae memoravimus ac vix quidem sine horrore audiri possunt, martyrum supplicia alios Christianos a religionis suae professione deterruerint, quin inde fortiores facti plures ethnicos ad eam amplexandam traxerint, atque ita auctus semper fuerit illorum numerus. Nam ipsimet ethnici agnitis martyrum tot tantisque cruciatibus miraque prorsus constantia tum profecto alliciebantur, ut tantae fortitudinis causam curiosius inquirerent eaque comperta et deprehensa fierent Christiani. Nobis autem si quis nolit credere, is Tertullianum nostrum audiat: *Quis, inquit, martyr alicuius maximam in tormentis constantiam intuitus non contemplatione eius concutitur ad requirendum quid intus in re sit? Quis non ubi requisivit, accedit? ubi accessit, mori exoptat* (Tertullian. Apologet. cap. 50.)? id est agnita et confessa illius religionis veritate tunc exoptat quibuslibet vitam finire cruciatibus et suppliciis? Ad Scapulam vero haec quoque fecit verba: *Quisque tantam tolerantiam spectans ut aliquo scrupulo percussus et inquirere accenditur quid sit in causa et, ubi cognoverit, veritatem et ipse statim sequitur* (Idem lib. ad Scapul. cap. 4.). Omnis itaque Christianus post religionis suae professionem summo illius conservandae ac tuendae incensus studio *paratus est*, ait Auctor noster, *ad omne supplicium* (Idem Apologet. cap. 30.). Nihil enim, inquit, *nostra refert in hoc aevo, nisi de eo excedere* (Ibid. cap. 41.). Sed maiori nunquam gloria de illo se migrare exstimabat quam martyrio coronatus.

Susceptae igitur christianae religionis *neminem*, sicut ille scite advertit, *puDET, neminem poENITet, nisi plane non retro fuisse. Si denotatur, gloriatur; si accusatur, non defendit: interrogatus vel ultro confitetur; damnatus gratias agit* (Apol. cap. 1.). Neque id audacius aut temere ab illo venditatum putaveris. Alio enim in libro illud adhuc sic repetit: *Neminem puDET, neminem poENITet, nisi pristinorum. Si denotatur, gloriatur; si trahitur, non subsistit; si accu-*



satur, non defendit; interrogatus confitetur, damnatus gratias agit (Idem lib. I. ad Nat. cap. 1.). Neminem igitur poenitebat se Christianum esse, sed *retro*, sive citius et antea, non fuisse ac summo pristinorum delictorum in tetrīs idololatriae tenebris admissorum dolore affliciebatur. Praeterea *si denotetur* ab aliquo se christianam religionem profiteri et idcirco trahitur ad iudicum tribunalia, *non defendit: si accusatur*, si interrogatur, non resistit, non dissimulat, non negat, sed ultro et glorians, *confitetur* (Idem Apologet. cap. 46.), ac Lycurgo, de quo nos postea cum Tertulliano dicemus (Infra cap. 14. Art. 3.), longe fortior, *damnatus gratias agit*. Quapropter Apologetico suo finem his verbis imponit: *Sententiis vestris, ethnici, gratias agimus*. Cur ergo? Quia, cum *dammamur a vobis, a Deo absoleimur* (Tertullian. Apologet. cap. 50.). Eundem plane in modum Lucius, teste sancto Iustino, gratias Urbico, qui illum condemnauerat, retulit: *ὁ δὲ καὶ χάριν εἰδέναι ἀμολόγει πονηρῶν δεσποτῶν τῶν τοιοῦτων ἀπὸ τῶν γινώσκων καὶ πρὸς τὸν Πατέρα καὶ βασιλέα τῶν οὐρανῶν πορεύεσθαι: Ei quidem se gratiam ille debere professus est, a malis quippe dominis se liberari et ad Deum Patrem et regem caelorum transire* (Iustin. Apolog. II. ad Senat. pag. 43.). Sed id, si necesse esset, infinitis propemodum exemplis facile posset comprobari.

Non mirum itaque, si quo maiori crudelitate ethnici Christianos gladio demetebant, eo plures ex eorum sanguine, quasi foecundissimo semine, oriebantur. Sed audi, obsecro, Auctorem nostrum, qui hisce lotidem verbis ipsosmet ethnicos alloquitur: *Nec quidquam proficit exquisitor quaeque crudelitas vestra, illecebra est magis sectae. Plures efficiuntur, quoties metimur a vobis. Semen est sanguis Christianorum* (Tertullian. Apologet. cap. 50.). Alibi vero: *Nec deficiet, inquit, haec secta, quam tunc aedificari scias, cum caedi videtur* (Idem lib. ad Scapul. in fine.).

Quin etiam is ipse martyrum sanguis, tam forti constantique animo effusus, omnes prorsus gentiles sive philosophos sive alios, qui quosdam ad tolerantiam doloris et mortis contemptum hortati sunt, eloquentia longe superavit. Nam eloquentior fuit Cicerone in Tusculanis, sicut ait Tertullianus (Idem Apologet. loc. cit.). Harum autem quaestionum liber *primus*, ut eiusdem Ciceronis verbis utamur, *de contemnenda morte, secundus de tolerando dolore, de aegritudine lenienda tertius, quartus de reliquis animi perturbationibus, quintus . . . . . docet ad beate vivendum virtutem se ipsa esse contentam* (Cicer. lib. II. de Divin. p. 248. lin. 14 et seqq.). Facundior etiam ille martyrum sanguis fuit Seneca in Fortuitis, quae alibi deperdita (Dissertat. in Lactant. cap. 10. Art. 3.) et a Lactantio citata animadvertimus (Lactant. lib. V. Divin. Institut. cap. 13.). In hoc autem libro de contemptu mortis disputaverat. Disertior quoque fuit ille sanguis Diogene, haud dubie Cynico, quem ipsemet Tertullianus alio in libro his verbis designat: *Affectatio humana caninae aequanimitatis stupore formata* (Tertullian. lib. de Patient. cap. 2.). Ille autem, teste Laertio, ad laborum tolerantiam se ipsum omni ex parte exercebat scripsitque librum de morte, quo ad eam patienter ferendam alios proculdubio hortabatur (Laert. lib. VI. in Vita Diogen. §. 23 et 80.). Ad haec

vero, idem martyr sanguis summa eloquendi facultate vicit Pyrrhonem, qui quidem, ut notat Stobaeus, docebat nihil interesse inter vitam et mortem (Stob. Serm. 120. pag. 606.). De illo autem plura Laertius, quem consule (Laert. lib. IX. in Vita Pyrrhon. §. 91 et seqq.). Denique sanguinis huius maior fuit facundia quam *Callinici*, videlicet Suetonii ab Hieronymo citati (Hieronym. prolegom. in Daniel. p. 1075.), qui non solum historicus, sed sophista etiam fuit. Varias autem edidit commentationes a Suida et Vossio indicatas (Suid. ad v. *Καλλίνικος*. Voss. lib. II. de Histor. Graec. cap. 13. p. 225.), aliasque plures. At unam ex iis haud dubie legerat Tertullianus, ubi de patientia et contemnenda morte disseruit.

Sanguis igitur martyr maiorem ad persuadendum vim habuit, quam ulla horum aliorumque ethnicorum quorumlibet scriptorum eloquentissima oratio. Neque id Tertulliano fuit probatu difficile, sed obvio omnibus et invictissimo hocce argumento: *Non tantos, inquit, inveniunt horum verba discipulos, quantos Christiani factis*, hoc est effuso sanguine suo, *docendo* (Tertullian. Apologet. cap. 50.). Quantum enim ipso Tertulliani tempore multiplicati fuerint Christiani iam ostendimus. At vero *illa ipsa*, ita ille affatur gentiles, *obstinatio, quam exprobratis, magistra est* (Ibid.). Plinius enim Secundus, ab illo prius citatus (Idem ibid. cap. 2.), hoc *obstinationis* nomine utitur in sua ad Traianum imperatorem epistola, qua illi scripsit se nihil invenisse in Christianis *praeter obstinationem non sacrificandi* falsis illorum diis. Tum deinde haec adiecit: *Neque dubitabam quaecumque esset quod faterentur, pervicaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri* (Plin. lib. X. Ep. 101.). Ethnici itaque pervicaciam et inflexibilem obstinationem appellabant hanc invincibilem Christianorum constantiam, qua omni cruciatuum tormentorumque genere excarnificari trucidarique malebant quam vel minimum diis fictitiis dare granum thuris vel religionem suam negare aut dissimulare. Ea igitur miranda prorsus animi fortitudo magistra erat, quae ethnicis plane persuadebat veram esse solam nostram religionem.

## ARTICULUS III.

Quomodo Tertullianus refellat ethnicos obicientes iniustam esse Christianorum a se veratorum querimoniam, quippe qui ad tormenta ac mortem, quam dissimulata religione sua devotare poterant, sponte currentes dici potius debebant dementes et desperati, ac quo hanc obtractationem evertat exemplis Mutii, Empedoclis, Didonis, Reguli, Anaxarchi, Laconum puerorum, Atticae multeris, Cleopatrae et uxoris Asdrubalis.

Ethnici ut immanem et horrendam suam in Christianos crudelitatem quoquo modo excusarent, respondebant iis perire volentibus nullam fieri iniuriam, immo vero debere eos deligere, per quos quos volebant optabantque mortem consequerentur. Sed Tertullianus ostendit inanem prorsus futilemque esse hanc responsionem. A Christianis siquidem postulabant gentiles, ut falsos deos colerent suumque negarent solum et verum esse Deum. At illud quidem in potestate ipsorum ac voluntate positum constantissime recusabant malebantque damnari quam a Deo *excidere* (Tertullian. Apologet. cap. 49.), id est eum reluctante conscientia Deum negando a divina eius gratia excidere ac



poenis brevi finiendis et summo scelere declinatis merito incidere in aeternas.

Invicto igitur alacrique animo pati plane volebant, *verum eo more*, ait Tertullianus, *quo et bellum miles* (Ibid.). Ita enim in omnibus ineditis et editis codicibus ante Rigaltium, qui solita licentia ultimum nomen *miles* penitus abstulit. Sed ipsamet Auctoris nostri oratio illud postulare omnino videtur. Sanctissimos enimvero martyres nostros ante tyrannorum tribunalia de religione sua certantes cum aliis componit militibus, qui aperto Marte manuque conserta cum reipublicae hostibus dimicant (Ibid.). *Praelium* siquidem, ait ille, et postea Lactantius, martyr est, quo ante iudicum tribunalia *sub discrimine capitis* (Lactant. lib. V. Divin. Instit. cap. 11. Tertullian. loc. cit.), non armata quidem ferro manu sed invicta patientia pugnando victoriam tam certam quam gloriosam reportat. At nullus quidem miles libenter se committit praelio, in quo quia periclitatur naturali timore trepidat. Ubi vero praelium semel inire compulsus est, totis pugnat viribus tuncque laetatur cum reportata est victoria. Ad hunc igitur modum martyr pugnando adversus tyrannos ingenito omnibus timore periculum reformidat. De parta tamen victoria tanto gaudio perfunditur, ut praelium quod declinare amplius non potest, non modo velit, sed amet etiam omnibusque viribus cum tyrannis dimicet. Non putabat ergo Tertullianus praeventendum inconsiderata temeritate tempus martyrii, sed quoties Deo ita permittente offerebatur, toties invicta animi fortitudine subeundem.

At quidam ethnici aliis mitiores et in Christianos magis propensi urgebant illos esse dementes, qui facile poterant *manente apud animum proposito* (Tertullian. Apologet. cap. 27.), seu mentali, uti aiunt, restrictione, diis sacrificare sicque abire illaesi. Sed hi sane fraudulenta humanitatis specie dabant Christianis consilium, quo ipsorum credulitate abuterentur. Non aliunde autem, pergit Tertullianus, hoc consilium emanare poterat, quam ex patre mendacii diabolo, qui eosdem Christianos aut vi et saevitia aut saltem astutia et dolo circumvenire moliebatur.

Summum itaque, ut supra ostendimus (Supr. cap. 9. Art. 5. tom. I. Apparat. p. 357.), hi piaculum esse existimabant ullo unquam modo, *de sua*, sicut ait Tertullianus, *religioni mentiri*. Quamobrem malebant quoslibet ac quantumvis horrendos cruciatus experiri iisque trucidari, quam ullo minime mendacio aut ulla dissimulatione aut exceptione mentali fingere se aliquem colere Deum, quem falsum esse noverant.

Ast si non dementis, inquiebant ethnici, certe desperati hominis erat cuilibet suppliciorum generi ac crudelissimae neci sese obicere, quae iactis in ignem duobus aut tribus thuris granis facillime devitari potuit. Iam vero a nobis (Dissertat. in Minuc. cap. 12. Art. 1. et Dissertat. in Lactant. cap. 10. Art. 3.) observatum est Christianos ab ethnicis appellatos deploratae et desperatae factionis homines, propterea quod omnia tormenta et quodlibet crudelissimum mortis genus despicerent nec vererentur. Repulsam vero ab aliis ibidem vidimus absurdam hancce criminationem. Quid autem Tertullianus? Nulla, inquit, desperatio aut perditio est, ubi minime dubia victoria, ubi cer-

tum placendi Deo pignus, ubi securum aeternae felicitatis praemium (Tertullian. Apologet. cap. 50.).

Sed aedum, qua quaeso fronte martyres nostri mortem pro vera sua religione laeto lubentique animo obeuntes poterant nefandae desperationis ab ethnicis accusari (Ibid.)? Nonne illi ipsi multos ex suis, qui dirissimis tormentis nequeque horrenda se occidi ultro passi fuerant, non summis tantum laudibus, sed aeternae gloriae titulis ac statuis exornaverunt (Ibid.)? Nam praetermisso magno gladiatorum numero, qui, sicut infra dicemus, suam vitam iisdem ethnicis laudantibus sponte feris obiectam saepe saepius amittebant, certe *Mutius*, inquit Auctor noster, *dexteram suam lubens in ara cremavit, ut hoc factum fama eius haberet* (Idem lib. ad Martyr. cap. 4.). At de hoc ipso *Matii* facti alibi disserimus (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 6. Art. 3.).

Nonne etiam *Empedocles*, ait ille, *totum sese Catanensium Aetnae ignibus donavit*? Male in manuscriptis codicibus *Atheniensium Athenais*. Alio quippe in libro a nobis iam citato scriptum ab illo legimus: *Qui in ignes Aetnaei montis dissiluit* (Tertullian. Apolog. cap. 49. et lib. ad Martyr. cap. 4.). Alibi vero: *Empedocles quia se deum delirarat . . . . ne aliqua sepultura conditiore putresceret, assum se maluit in Aetnam praecipitando* (Idem lib. de Anima cap. 32.). Prius autem Horatius cocinerat:

. . . . *Dicam Siculique poetae*

*Narrabo interitum: deus immortalis haberi*

*Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam*

*Insiluit.*

(Horat. de Art. Poët. v. 463 et seqq.)

Plura si desideres, consule Laertium, Lucianum, Gregorium Nazianzenum et alios (Laert. lib. VIII. in Vita Empedocl. §. 69. Lucian. Dialog. Menipp. p. 142. et Icaromenipp. p. 731. et lib. II. Histor. p. 398.).

Tum deinde Tertullianus: *Aliqua*, inquit, *Carthagini conditrix rogo secundum matrimonium dedit* (Tertullian. Apologet. cap. 50.). Ita omnes nostri codices et non editi et editi. Itaque nonnulli frustra legendum putant non quidem *Aliqua*, sed *Blisa*. Dido enim his verbis tam perspicue designatur, ut nemo sit, qui eam illico non agnoscat. Quocirca Hieronymus simili plane modo alicubi scripsit: *Stringam breviter reginam Carthagini, quae magis ardere voluit quam Hiabae regi nubere* (Hieronym. Epist. 91. ad Ageruch. p. 744. et lib. I. adv. Iovin. p. 187.). At ille tamen, quemadmodum Tertullianus, illud idem alibi enarrando ipsam nomine suo appellat (Tertullian. lib. I. ad Nat. cap. 18.). Sed haec ne grammaticorum quidem pueris Virgilium quotidie legentibus incomperta esse possunt.

Pergit Auctor noster: *Regulus ne unus pro multis hostibus viveret, toto corpore cruces patitur* (Idem Apolog. cap. 50.): vel sicuti alio in libro edicere maluit: *Crucis novitatem numerosae et abstrusae Regulus vester libenter dedicavit* (Idem lib. ad Martyr. cap. 4. et lib. de Exhort. Castit. cap. 31.). Sed id paulo explicatius hisque verbis alibi edisseruit: *Regulus dux Romanorum captus a Carthaginiensibus cum se unum pro multis captivis Carthaginiensibus compensari voluisset, maluit hostibus reddi et in arcae genus stipatus undique extrinsecus clavis confusus tot cruces sensit* (Idem Apologet.



cap. 50.). Crudelissimum itaque hoc supplicii genus vocat *novitatem*, hactenus non usitatum *crucis numerosae*, clavis videlicet acutis undique eminentibus, atque *abstrusae* (Idem lib. I. ad Nat. cap. 18. et lib. ad Martyr. cap. 4.), quia, ut Tubero apud A. Gellium testificatur (Gell. lib. V. Noct. Att. cap. 4.), in atras et profundas tenebras illum in arca illa inclusum quotidie claudebant, donec ardentissimis exorti solis radiis urendum exponerent. At de hoc Reguli supplicio alibi egimus (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 6. Art. 3. et Dissert. Lactant. cap. 10. Art. 3.).

Explanatum quoque a nobis fuit quod Tertullianus de Anaxarcho subiunxit: *Cum in exemplum ptisanæ pilo contunderetur: Tunde, tunde, aiebat, Anaxarchi follem; Anaxarchum enim non tundis*. Follem ibi eo sensu dixit, quo Lucilius a Nonio citatus *folliculum* scripsit pro *corpore* (Tertullian. Apologet. cap. 50. tom. I. Appar. p. 1147. Non. de Signific. Verbor. cap. 2.); Arnobius vero: *Nihil nobis est promissum ad hanc vitam, nec in carunculae huius folliculo* (Arnob. in fin. lib. II. advers. Gent. p. 98.). Graece autem Gregorius Nazianzenus scripsit: *τὸν αὐτοῦ θύλακον* (Greg. Nazianz. Carmin. Iamb. 18. p. 215.), illius vas et utrem.

Ad mulierum exempla inde Tertullianus regreditur atque: *Attica meretrix carnifice iam fatigato postremo linguam suam comesam in faciem tyranni saevientis expuit, ut expueret et vocem, ne coniuratos confiteri posset* (Tertullian. Apologet. cap. 50.). Eadem ille duobus aliis in libris (ad Nation. cap. 18. ad Martyr. cap. 4.), sed diversis verbis retulit. Ab Ambrosio autem nuncupatur *Pythagorea ex virginibus* (Ambros. lib. I. de Virgin. cap. 4. §. 17. p. 151.). Vide, si placet, quae in hunc Ambrosii locum subnotavimus et quae de illa diximus in superiore huius Apparatus nostri tomo, ubi monuimus ipsi *Leaenae* nomen inditum (Tom. I. Appar. p. 1250.).

Multo difficillius illud videbitur, quod Auctor noster continuo subiunxit: *Zeno Eleates consultus a Dionysio quidnam philosophia praestaret, cum respondisset contemptum mortis, flagellis tyranni subiectus sententiam suam ad mortem usque signabat* (Tertullian. Apologet. cap. 50.). In manuscriptis nostris codicibus ante nomen *flagellis* legitur *impassibilis*, in antiquis editionibus *impassibilibus*. Sed Rigaltius hoc verbum tanquam ab imperito librario perperam additum reseccavit. Quid vero, si *Zeno impassibilis* dicatur pro insuperabilis, utpote qui nullis cruciatibus vinci unquam potuerit? Iure forsitan potiori Rigaltius dixisset in hoc Auctoris nostri textu corruptum fuisse a librariis *Dionysii* nomen. Testatum siquidem Laertius fecit Zenonem Eleatem mortuum esse circa septuagesimam nonam Olympiadem (Laert. lib. IX. in Vita Zenonis §. 29.). Atqui circa nonagesimam quartam Dionysius senior tyrannidem exercuisse perhibetur. Ab hoc itaque Zeno nec cruciari nec occidi potuit. Non prorsus ergo immerito aut Tertullianus memoria lapsus argui potest, aut oscitantes librarii haud insolito errore Dionysium pro Nearcho aut Demysio aut Diomedonte postea scripserunt. Nam varii scriptores, ut alibi ostendimus (Tom. I. Appar. p. 1246.), narrant Zenonem Eleatem ab uno ex illis tortum ac necatum fuisse. Nec movere quemquam debet quod Zeno de af-

fectata tyrannide, non autem, sicut ait Tertullianus, de philosophi bono interrogatus ab illo fuerit. Quid enim vetat, quominus tyranni habita de proditiōis consciis quaestione ab eo petierit quidnam praestaret doceretque philosophia, ut hac interrogatiōe illud proditiōis crimen acrius exprobraret?

Denique superbientium patientia sua gentilium agmen his Tertullianus in Apologetico claudit verbis: *Certe Laconum flagella sub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata tantum honoris conferus quantum sanguinis fuderunt* (Tertullian. Apologet. cap. 50.). In si autem ad Nationes libro haec se quidem tacere velle sic testatur: *taceam de Laconica gloria* (Lib. I. ad Nation. cap. 18.); sed acule non minus acuto pungit ethnicos. Verum clarius scripsit ad Martyr hunc plane inhumanum morem usque ad suam perseverasse aetate: *Hodie, inquit, apud Lacedaemonios solemnitas maxima est δίκυαοο γωαοις, id est flagellatio: non latet in quo sacro ante aram nobilique adolescentes flagellis affliguntur, adstantibus parentibus propinquis atque uti perseverent adhortantibus. Ornamentum enim et gloria deputabitur maiore quidem titulo, si anima potius cesset plagis quam corpus* (Idem lib. ad Martyr. cap. 4.). Sed de his plura iam in primo Apparatus nostri tomo enarravimus (Tom. I. Appar. p. 1246.).

Duarum insuper mulierum exempla in libro ad Nationes protulit (Tertullian. lib. I. ad Nation. cap. 18.). Prima ab illo simpliciter vocatur *regina Aegypti*, nimirum Cleopatra, *quae bestiis suis, hoc est aspidis ad se clam delatae, morsu usa est, qua mortem sibi conscivit*. Magis autem perspicue haec ad Martyres rescripsit: *Bestias femina lubens appetit et utique aspides serpentes, tauro vel urso horridiore quas Cleopatra immisit sibi, ne in manus inimici perveniret* (lib. ad Martyr. cap. 4.). Sed hoc famosae mulieris facinus saepius ab historicis Suetonio (Sueton. in Vita Augusti §. 3.), Plutarcho (Plutarch. in Vita Antonii pag. 954.) et aliis, necnon a poetis decantatum est. Quapropter haec Horatii, quae ad Tertulliani propositum magis conducunt, carmina citasse satis erit:

*Ausa et iacentem visere regiam,  
Vultu sereno fortis et asperas  
Tractare serpentes, ut atrum  
Corpore combiberet venenum,  
Deliberata morte ferocior;  
Saevis Liburnis scilicet invidens  
Privata deduci superbo  
Non humilis mulier triumpho.*

(Horat. lib. I. Carmin. Od. XXXVII. v. 25 et seqq.)

Alteram porro mulierem Carthaginensem *Asdrubale marito*, ait Tertullianus *in extremis patriae constantior* (Tertull. lib. I. ad Nation. cap. 18. sive, ut alibi dixit, *iam ardente Carthagine, dum maritum suum supplicem Scipioni videret, cum filiis suis in incendium patriae devolvit* (Idem lib. ad Martyr. cap. 4.). Cum enim rescivisset Asdrubale capta Carthagine vitam a Scipione impetrasse seque ab eo derelictam in incensae urbis ignes se cum filiis iniectisse memoratur. Vides



Valerium Maximum (Valer. Max. lib. III. cap. 2. Extern. §. 8.), aliosque historicos scriptores.

Tot autem cum virorum tum mulierum exemplis recte Tertullianus demonstrat Christianos sibi ob solam religionem illata ab ethnicis morte libentissimo animo occumbentes ab his perperam dementiae et desperationis accusari. Nam summis illi laudibus et honorum titulis suos haecenus memoratos cumulabant. At longe maioribus digni erant christiani martyres, qui non caducae vanaque hominum gloriae captandae, sed aeternae felicitatis comparandae causa horrendis plane cruciatibus se excarnificari mirum plane in modum patiebantur. Persuasissimum siquidem habebant se martyrio sempiternam beatitudinem consecuturos. Sed id a nobis paulo enodatius explicandum est.

ARTICULUS IV.

Quam perspicue Tertullianus doceat martyrium esse secundum baptismum, quo tota Dei gratia redimitur, peccata omnia remittuntur ac praelium ex quo victores christiani palmata veste ornati et triumphali curro in paradysum vehuntur.

Maxima profecto, sicuti vidimus et omni laude maior fuit invictissima martyrum fortitudo, qua acceptam a Christo religionem suo sanguine, tanquam publico sigillo, obsignarunt. At eo sane libentius illum profuderunt, quo certius noverant fore ut martyrio omnem Dei gratiam omniumque veniam peccatorum adipiscerentur. Cur enim Christianus tam ardentem martyrium optabat? Ut eo, inquit Tertullianus, *Dei totam gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat* (Tertullian. Apologet. cap. 50.). Rationem si exposcules, statim respondebit: *Omnia enim huic operi delicta donantur.* Alio autem in libro docet illud secundum esse baptismum, quo gratia Dei donatur omniaque peccata ante sacratissimum illud aquae lavacrum commissa plane penitusque remittuntur. Sed ipsum, si placet, loquentem adhuc audiamus: *Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet, hoc est martyrii, de quo Dominus: Habeo, inquit, baptismo tingui, cum iam tinctus fuisset . . . . . Hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit, quatenus qui in sanguinem eius crederent aqua lavarentur, qui aqua lavissent etiam sanguinem potarent. Hic est baptismus qui lavacrum et non acceptum repraesentat et perditum reddit* (Idem lib. de Baptismo cap. 16.). At illud ab eo assertum vidimus (Supr. cap. 11. Art. 5.), quemadmodum a discipulo eius Cypriano, qui praeterea maiorem huius quam prioris baptismi gratiam his verbis palam praedicat: *Primum baptismum credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos praeparemus insinuantibus et docentes hoc esse baptismum in gratia maius, in potestate sublimius, in honore pretiosius, baptismum in quo angeli baptizant, baptismum in quo Deus et Christus eius exultant, baptismum post quod nemo iam peccat, baptismum quod fidei nostrae incrementa consummat, baptismum quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat. In aquae baptismum accipitur peccatorum remissio, in sanguinis corona virtutum* (Cyprian. de Exhortat. Martyr. p. 168 et seqq.). Brevius vero alibi: *Numquid, inquit, potest vis baptismi esse maior aut potior quam confessio,*

quam passio, ut quis coram hominibus confiteatur et sanguine suo baptizetur (Idem Epist. 73. ad Iub. p. 207.)? Eadem ille alibi repetit (Idem Epist. 55. p. 109. lib. de Orat. Domin.), quae confirmat Augustinus (August. lib. XIII. de Civit. Dei cap. 7.), ubi variis Scripturae Sacrae verbis ostendit tantum valere martyrium, quantum si quis sacro baptismatis fonte ablueretur. Ibi vero adiicit: *Quid enim pretiosius quam mors, per quam fit, ut et delicta omnia dimittantur et merita cumulatius augeantur?* Ambrosius autem pressius Tertulliani nostri vestigia secutus est: *Non unum, inquit, est baptisma? Unum est quod hic tradit Ecclesia per aquam et Spiritum sanctum, de quo dicit Dominus Iesus: „Baptisma habeo baptizari quod vos nescitis.“ Utique iam baptizatus, in Iordane fuerat, sicut superiora declarant: sed sit hoc baptismum passionis, quo etiam sanguine suo unusquisque mundatur* (Ambros. Exposit. in Psalm. CXVIII. Serm. 3. §. 14. pag. 997.). Sed de his plura apud theologos scholasticos legi possunt (In lib. IV. Sentent. Dist. 4. et in Summ. S. Thom. Part. III. Quaest. 66. Art. 11.).

Persuasum igitur Christianis penitus erat nunquam maiorem se de daemonibus, aeternae suae salutis osoribus, triumphum agere, quam cum ethnici malignis illorum instigationibus subornati ipsos propter Christi confessionem interficiebant: *Nam illos, ait Auctor noster, nunquam magis detriumphamus, quam cum pro fidei obstinatione* (Tertullian. Apologet. cap. 27.), seu constanti, ut paulo ante dicebamus, invictaque defensione, *damnamur*. Quis autem et quam gloriosus sit ille Christianorum triumphus, hunc explicat in modum: *Praelium est nobis, quod christianae professionis accusati provocamur ad gentilium tribunalia, ut illic sub discrimine capitis pro veritate eiusdem religionis nostrae tuenda certemus*. In hoc autem praelio *vincimus, inquit, cum occidimur*. Denique ex hoc praelio victores *evadimus, cum obducimur* (Ibid. cap. 50.), id est ad supplicium ducti consumimur et occidimur. Eo enim sensu Auctor noster hoc verbum *obducimur* ibi videtur sumpsisse, quod alio significatu, uti videbimus, alibi accepit. Quia vero Christiani nihil magis in votis habebant quam pro religionis suae defensione mori et trucidari, vincebant utique, cum necabantur. *Nam victoria est, ait adhuc Tertullianus, pro quo certaveris obtinere* (Ibid.).

At hoc in certamine victores et gloria utique et praeda omnium profecto maxima potiebantur; quandoquidem *ea victoria, uti ait Tertullianus, habet et gloriam placendi Deo et praedam vivendi in aeternum* (Ibid.). Eo autem fortasse maior gratiorque haec praeda ipsi videbatur, quod, sicut supra annotavimus (Sup. cap. 11. Art. 5.), existimabat illud felicitatis aeternae praemium aliis iustis dilatum sanctis martyribus statim post mortem excessumque suum conferri.

Quin etiam tam insignem triumphum de mundo et diabolo agentibus non deerat triumphantium habitus, vestis palmata et currus. Sed quatenam, putas, haec erant triumphantium martyrum insignia? Nihil certe minus quam Romanorum ducum et imperatorum. Nam cum ad dimidii axis, de quo paulo antea, stipitem vivi *exurimur, hic est, ait*

Tertullianus, *habitus victoriae nostrae, haec palmata vestis; tali curru triumphamus* (Tert. Apol. c. 50.).

Primum autem ibi memoratur habitus victoriae, quo nomine generatim significantur omnia victoriae sive triumphantium ornamenta, nimirum corona aurea, sella curulis, scipio eburneus, toga picta, tunica palmata et alia quorum frequens apud varios scriptores mentio facta est. Brevitatis vero causa praetermissis pluribus his ornamentis duo tantum ab illo indicantur, palmata vestis et triumphalis currus. At Livius de iis aliisque Decium loquentem sic inducit: *Cui deorum hominumve indignum videri potest eos viros quos vos sellis curulibus, toga praetexta, tunica palmata et toga picta et corona triumphali honoraveritis, quorum domos spoliis hostium affixis insignes inter alias feceritis, pontificalia atque auguralia insignia aduicere, qui Iovis optimi maximi ornatu decoratus curru aurato per Urbem vectus in Capitolium ascenderit* (Liv. lib. X. cap. 7.)? Ita autem dixit Iovis ornatu, quia triumphantes, uti observat Servius, *habent omnia Iovis insignia, sceptrum palmatum. Unde ait Iuvenalis, „in tunica Iovis“* (Serv. in Eclog. X. v. 27.). De veste autem palmata et curru ita ille alibi: *Sciendum sellam curulem a curru dictam, quod ea tantum utebantur qui triumphali curru inveci fuissent: sicut etiam palmata dicitur tunica quam merebantur qui reportassent de hostibus palmam* (Idem in lib. II. Aeneid. v. 334.). Nonne autem ibi innuit eam sic nuncupatam, quia his dabatur qui palmam meruerant? Alii tamen sic vocatam opinantur, quod palmis esset intexta. De illa porro hi sunt Martialis versus:

*I, comes et magnos illaesa merere triumphos,  
Palmataeque ducem, sed cito, redde togae.*

(Martial. lib. VII. Epigramm. 1.)

Si quis plura velit, hic adeat Octavium Ferrarium (Ferrar. lib. II. de Re Vestiar. cap. 8.), Aldum Manutium (Manut. de Toga Romana), Lazarum Baylium (Bayf. de Re Vestiar. cap. 10.), Albertum Rubenium (Ruben. I. de Re Vestiar. cap. 21.), qui de curru triumphali data opera disputant. At praeterea de his aliisque triumphantium insignibus et ornamentis poteris, si lubet et vacat, adire Onuphrii Panvini de Triumpho librum et Maderi in eum annotationes.

Ceterum longe maior erat eximia plane martyrum nostrorum triumphi gloria. Mediis enimvero accensorum sarmentorum flammis tanquam purpurea palmataque veste undique combusti atque ad stipitem palumque alligati inde sicut triumphali veste et curru non in Capitolium, sed in paradisum, ut supra vidimus (c. 11. Art. 5.), de mundo, de tyrannis et de diabolo triumphantes ducebantur.



## CAPUT XVII.

Quibus argumentis Tertullianus demonstrat Christianos iniquissime et contra omnium legum praescripta ab ethnicis vexatos et trucidatos fuisse.

## ARTICULUS I.

Quanta perversitate ethnici Christianos sibi prorsus incognitos nec qui qualesve essent investigare volentes oderant atque insectabantur.

Quae de christianae religionis veritate et sanctitate, de divinis illius documentis et legibus, de optimis sectatorum eius moribus, de invictissima martyrum fortitudine a nobis hactenus dicta sunt, haec satis superque demonstrant hanc ipsam solam religionem veram esse, ceteras vero omnes falsas penitusque reiiciendas. Nulla igitur maior excogitari potest iniquitas quam gentilium, qui Christianos propter huius religionis suae defensionem summa horrendaque, uti vidimus, crudelitate vexabant, excarnificabant et occidebant. Verum Tertullianus noster; ut eorundem Christianorum causam accuratius defendat, ad duo adhuc demonstranda aggressus est, ac primo quidem Christianos ab ethnicis contra ius omne naturale, divinum et humanum, condemnari, secundo falsa esse crimina omnia quorum accusabantur, atque illorum reos revera esse gentiles.

Videamus itaque primo qua ille ratione probaverit primae propositionis veritatem et ad secundam deinde veniemus. At hanc, inquit, primam causam apud vos, Romani imperii antistites, collocamus iniquitatis odii erga nomen Christianorum, quam iniquitatem idem titulus onerat et revincit qui videtur excusare, ignorantia scilicet (Tertullian. Apologet. cap. 1. et lib. I. ad Nation. cap. 1.). In quibusdam autem editionibus legitur odium pro odii, sed perperam. Nam iniquitatis odii ibi idem significat ac iniqui odii. Primam ergo Tertullianus arguit ethnicorum iniquitatem, qua prius oderant Christianos quam scirent qui qualesve fuerint. Quae enimvero maior perversitas est, quam eum odisse, quem utrum odio vel amore dignus sit plane nescias?

Verum ethnicos hoc caeco in Christianos exarsisse odio hinc plane ostendit Auctor noster, quia omnes, qui eos retro, sive antea, oderant, quia ignorabant quale sit quod oderant, simul desinunt ignorare, cessant et odisse (Ibid. loco cit.). In Rigaltii editione haec verba quale sit (vel sicut in nonnullis editis esset) quod oderant prorsus reiecta sunt. Quo autem iure, an propria auctoritate Rigaltii, an typographorum errore, nescimus quidem, sed probe scimus haec in subsequentibus et ultimis editionibus reperiri. Ea autem genuina esse Tertulliani verba communis codicum omnium consensus et Auctoris ipsius ingenium satis aperte convincunt. Haec autem est illius argumentatio: Ubi ethnici agnoverunt, qui et quales sint Christiani, quae eorum pietas ac probitas, tum protinus eos odisse desinunt. Ergo illos oderant, quia qui essent antea ignorabant.

Quamvis autem nemo, nisi naturali lumine omnino privatus, id abnuere queat, urget tamen Tertullianus et ethnicos adhuc revincit

Anacharsis auctoritate, qui diserte pronuntiavit non minus reos esse, *imprudentes de prudentibus iudicantes, quam immusicos de musicis* (Tertullian. Apologet. cap. 1.). Quae quidem huius philosophi sententia a Laertio sic exhibetur: *Θαυμάζειν δὲ ἔφη πῶς παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἀγωνίζονται μὲν οἱ τεχνῖται, κρίνουσι δὲ οἱ μὴ τεχνῖται: Mirari se dixit quomodo apud Graecos artifices certarent iudicarentque qui artifices non essent* (Laert. lib. I. in Vita Anacharsis §. 103.). Paulo vero aliter Plutarchus eam sic retulit: *Ἐφη δὲ κάκεινο θαυμάζειν ὁ Ἀνάχαρσις ἐκκλησίᾳ παραγεγόμενος, ὅτι λέγουσι μὲν οἱ σοφοὶ παρ' Ἕλλησι, κρίνουσι δὲ οἱ ἀμαθεῖς: Id autem dixit Anacharsis, se mirari, cum concioni interfuisset, quod dicerent apud Graecos sapientes, stulti vero iudicarent* (Plutarch. in Vita Solon. p. 81.). Vides sane eandem his omnibus verbis exprimi sententiam, quae quibusdam tantum diversis enuntiatur. Nefas enim esse asseritur ali-quod de rebus ignoratis ferri iudicium.

At multo nequiores erant ethnici, qui Christianos oderant et nefandis condemnabant criminibus, tametsi quales essent non solum nesciebant, sed inflexibili obstinatione nec scire nec inquirere unquam volebant. Nulla autem huius intolerabilis pervicaciae et voluntariae caecitatis alia erat causa, nisi quia verebantur, ne quod Christianorum esset vivendi genus agnoscendo fateri cogerentur illos post susceptam Christi religionem factos esse meliores.

Verum audacter illi negabant Christianorum, qui a deorum cultu defecerant, veram fuisse probitatem: *Non enim, inquebant, ideo bonum est aliquid, quia multos convertit* (Tertullian. Apologet. cap. 1.), id est ab aliqua professione ad aliam traduxit. Et certe *quanti a bono, aiebant, ad malum performantur* (antiquae editiones *praeformantur*, melius in aliis et nostris codicibus *performantur* sive potius *reformantur*, si alicuius codicis accederet auctoritas). Addebant gentiles: *Quanti transfugae in perversum?* Hi autem transfugae vocantur qui ad hostes transfugiunt, vel qui induciarum tempore ad eos commigrant cum quibus nulla amicitia est. Atqui ii saepius, inquebant adhuc ethnici, *in perversum conversi peiores utique fiunt*. Denique acrius urgentes clamabant: *Non utique eo bonum praeiudicari, quia plerosque convertat et sibi rapiat. Novi demutationem mentis in malas partes. Quot desertores bonae vitae! quot transfugae in perversum!* (Ibid. et lib. I. ad Nation. cap. 1.).

Sed his respondet Tertullianus id quidem a nemine negari, sed omnes ultro etiam fateri plurimos a malo sese convertisse in bonum. At id, inquit, ex mali bonique natura facile dignoscitur. Mali quippe individuae comites sunt timor, pudor, tergiversatio, poenitentia, deploratio. Quapropter *malefici*, ait rursus Auctor noster, *gestiunt latere, devitant apparere* (Idem Apologet. cap. 1.). Rigaltius vero haec duo posteriora verba auctoritate propria abstulit nec sane advertit haec ipsa in libro ad Nationes esse repetita (Id. lib. I. ad Nation. cap. 1.), sicuti illa quae in Apologetico continenter addidit: *Trepidant deprehensi, negant accusati, ne torti quidem facile aut semper confitentur; certe damnati moerent, dinumerant in semetipsos mentis malae impetus vel fato vel astris imputant*. At in libro ad Nationes haec po-



steriora verba sic immutata sunt: *Exprobrant enim quod erant, in semetipsos malae mentis ab innocentia transitum vel fato imputant* (Ibid. loc. cit.). Sed ibi forsitan librarii calamo illa duo verba *vel astris* exciderunt. Solus autem Georgius Ambianensis solaque coniectura ductus in textu 'Tertulliani audacius posuit *deonerant* pro *dinumerant*. Nam sensus illius est: Malefici *in semetipsos malae mentis impetus* agnoscunt, dinumerant sibi que exprobrant eorum tamen culpam non sibi, sed astris vel fato imputant et adscribunt. Vidimus autem (Dissert. in Minuc. Octav. cap. 6. Art. 4.) quam communis fuerit illa gentilium falsa opinio qua fato omnia fieri arbitrabantur. Verum nulla prorsus ex his quae memorata sunt mali indicia deprehenduntur in Christiano, quem, ut supra animadvertimus (Cap. super. Art. 2.), religionis suae nec pudet nec poenitet, sed accusatus et interrogatus se Christianum esse confitetur, gaudet, gloriatur ac damnatus gratias agit.

Recte ergo Tertullianus: *Quid hoc, ait, mali est in Christianis quod naturalia mali non habet* (Tertullian. Apologet. cap. 1.)? Sed in nostris codicibus manuscriptis legimus *quod natura alia mali non habet*; fortassis non omnino male, si ibi, sicut bonis auctoribus haud plane infrequens est, subaudiatur particula *quam*, hoc nimirum sensu: quod non alia quam mali natura habet. Sed pluribus littera *a* antiquariorum ignorantia vel errore ibi duplicata haud dubie videbitur. Vide tamen utrum prima lectio confirmari non possit ex libro ad Nationes, in quo brevius quidem, sed non minus clare dicitur: *Quod malum est in quo mali natura cessat* (Idem lib. I. ad Nat. cap. 1.)? Immo vero addit Auctor noster maximum in eo esse debere bonum *cuius reus gaudet, cuius accusatio votum est*.

Ethnicos autem ille acrius urget (Idem Apologet. cap. 1.) palamque facit in Christianis nihil esse mali, qui relicto falsorum deorum cultu ac suscepta Christi religione meliores, quemadmodum diximus, facti fuerant. Neque id ipsis gentilibus, quidquid contra reclamarent, poterat esse incognitum. Noverant enim quantus esset Christianorum ubique terrarum numerus hincque graviter moerebant ac de eo tam saepe quam publice conquerebantur. At quoque modo illos agnoverint, viderant utique factos esse ex malis et improbis bonos et probos, ex impudicis pudicos, ex iniustis ac sceleratis castos, religiosos ac sedulam virtutibus omnibus operam dantes. Et certe ipsis, ut ait Tertullianus, videbatur *bonus vir Caius* (manuscripti nostri *Gaius Scius*) *tantum quod Christianus* (Ibid. cap. 3. et lib. I. ad Nation. cap. 4.). Mirabantur *Lucium* sapientem, hanc mulierem pudicam, hunc filium patri suo obsequentem, hunc servum domino suo fidelem. Mirabantur quidem has aliasque Christianorum virtutes, sed hos Christianos esse ferre non poterant.

Quis ergo eos potius errare diffitebitur *qui laudant quae sciunt*, ait Auctor noster, *vituperant quae ignorant et id quod sciunt eo quod ignorant corrumpunt* (Ibid.)? In omnibus nostris codicibus legimus *irrupunt* pro *corrumpunt*; sed minus fortassis bene. In libro enim ad Nationes scriptum est: *Pro stultitiae caecitate laudant quae sciunt, vituperant quae nesciunt et id quod nesciunt vitiant* (Loco cit.); quod,

uti vides, idem est ac *corrumpunt*. Si tamen malis probesque legendum *irrupunt*, non omnino repugnabimus. De fama siquidem Lucanus cecinit:

*Vana quoque ad vestros accessit fama nepotes,  
Irrupitque animos populi.*

(Lucan. lib. I. post. med.)

Summa igitur stultitia, caecitate ac malitia ethnici laudabant sibi cognitatas Christianorum virtutes, sed illos vituperabant ignorantes quid eorum nomen significaret. Ex ignorato autem hoc nomine vitabant seu corrumpabant illorum virtutes, quas nullas aut falsas esse effutiebant. At nihil certe magis iniquum quam ex re aliqua sibi comperta aliam quam ignoras vituperare, aut ex re ignorata aliam a se agnitam corrumpere. Non minor tamen erat iniquitas Christianos ob solum suum et ignotum nomen condemnare et occidere nec velle unquam scire et investigare quid in eis sit aut boni aut mali. Tantum vero ab hac investigatione abhorrebant ethnici, ut iniquissimi iudices illos ad tribunalia sua ductos audire nunquam voluerint. Secundum autem illud erat summae illorum iniquitatis caput, quod iam explorandum est.

#### ARTICULUS II.

Quanta iniquitate ethnici Christianos nec auditos nec defensos, sed suum dumtaxat ob nomen condemnaverint et crudelissime necaverint.

Secundum Tertulliani adversus effraenatam gentiliū in Christianos violentiam argumentum non minoris profecto quam superius roboris est ac momenti. Ducitur autem ex certissima iudiciorum regula, quae naturali aequitati adeo consentanea est, ut ea praetermissa iniquissimum, irritum omnino et nullum sit cuiusvis hominis iudicium. At haec, ut scite Tertullianus animadvertit, regula est, quae vetat *indefensos et inauditos omnino damnari* (Tertullian. Apologet. cap. 2.). De legis autem huius aequitate plane convicti gentiles constituerant, ut quilibet cuiuscunque criminis insimulatus uteretur *et proprio ore*, ait Auctor noster, *et mercenaria advocacy*, videlicet patronorum, qui mercede accepta causam illorum tuerentur.

Verum longe aliter Christianos, falsorum criminum accusatos, tractabant. Nullam quippe facultatem eis concedebant innocentiam suam aut ore suo aut ullius patrocinio unquam defendendi. Verumtamen *eiusdem*, ut scite ille arguit, *noxietatis* (Ibid.), sive ut in nostris codicibus manuscriptis et antiquis editionibus legitur, *eiusdem noxae eadem tractatio debebat intervenire* (Ibid.). Quid ergo iniquius quam id quod iustum est ethnico concedere et illud ipsum negare Christiano?

Ad haec vero, secundum omnium divinarum et humanarum legum praescripta quilibet homo cuiusvis criminis postulatus non solum semper audiendus est et interrogandus, sed inquirendum insuper ac quaestione etiam et tormentis extorquendum, quae sit criminis qualitas, qui locus et modus, quod tempus, qui socii ac conscii. Nec hoc aequissimum esse diffitebantur ethnici, qui haec omnia diligenter inquirebant, ubi aliquis ex suis ullius sceleris ab aliquo accusabatur. Summa tamen iniuria haec omnia missa faciebant spernebantque, ubi

agebatur *de nostris*, ait Tertullianus, *elogiis* (Ibid.), id est de Christianorum vituperatione et accusatione. Minus itaque bene in codicibus nostris habetur *eulogiis*, hoc est benedictionibus, nisi nomen illud ab illo ironice acceptum fuisse probaveris. Quidquid sit, planus est et apertus Tertulliani sensus, qui asserit tantum abfuisse, ut gentiles illo quem aequitas postulabat modo in Christianorum, sicuti aliorum omnium crimina quorum insimulabantur, unquam inquirerent, quin potius omnis eorum inquisitio iudicibus omnibus prohibita erat.

Plinio enim Secundo Traianum imperatorem interroganti quid Christianis, quorum infinitus propemodum erat numerus, faciendum, ille, ait Tertullianus, respondit *hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos vero puniri oportere* (Tertullian. Apologet. cap. 2.). Ipsiusmet autem Traiani haec sunt in epistola sua ad Plinium verba: *Conquirendi non sunt; si deferantur et arguantur, puniendi sunt* (Plin. Secund. lib. X. Epist. 102.), id est iuxta Tertulliani nostri interpretationem, si Christiani revera esse comprobentur et convincantur, puniendi quidem, sed minime inquirendi sunt. Totum autem hunc Tertulliani locum citavit Eusebius (Euseb. lib. III. Eccles. Histor. cap. 33. p. 106.), qui prolata a nobis eius verba sic graece interpretatus est: *Τὸ τῶν Χριστιανῶν φύλον μὴ ἐκζητεῖσθαι μὲν, ἐμπεσὼν δὲ κολλάεσθαι*, quae Rufinus latine reddidit: *Christiani non quidem requirantur, si qui tamen inciderint, puniantur* (Rufin. lib. III. Histor. Eccles. cap. 27.). Nullus itaque Tertullianus dubitavit hoc edicto pronuntiatum fuisse Christianos non perquirendos, sed statim atque iudicibus offerrentur ac Christianos esse constaret, nulla amplius ullius rei facta inquisitione puniendos. Nec male quidem. Nam Traianus continuo addidit: *Ita tamen ut qui negaverit se Christianum esse idque re ipsa manifestum fecerit, id est supplicando diis nostris, quamvis suspectus in praeteritum fuerit, veniam ex poenitentia impetret* (Plin. ibid.). Nullum igitur Christianorum crimen a iudicibus inquiri voluit, sed eos oblatos ob solum suum nomen nec amplius auditos puniri, nisi forte hoc negarent nomen suum falsisque diis supplicarent.

Iure itaque merito exclamat Tertullianus: *O sententiam necessitate confusam* (Tertullian. Apologet. cap. 2.). Consulto autem dixit *necessitate*, quia Traianus illam clarius explicare non poterat. Ea vero confusa est, quia Traianus negat, sicuti recte arguit Auctor noster (Ibid.), *non inquirendos* Christianos, utpote *innocentes* nulliusque sceleris reos et *mandat* tamen *puniendos*, ut *nocentes* ac gravissimorum conscios scelerum. Eadem ergo haec sententia *parcit et saevit, dissimulat et animadvertit* (Ibid.). Clementiam quippe dissimulat, parcendo Christianis, qui iudicibus non offerebantur. Saevit vero in oblatos, tametsi innocentes, quos suum dumtaxat ob nomen iubet puniri.

In tota ergo Christianorum causa nihil aliud postulabatur, sicuti adhuc ait Tertullianus, nisi *confessio nominis, non examinatio sceleris* (Ibid.), nec accusati defensio. Ad illos enimvero damnandos aut absolvendos illud tantum sufficiebat, ut nomen suum, seu se Christianos esse, aut negarent aut confiterentur.

Quod quidem quam iniquum omnique iuri divino naturali et humano adversetur ille adhuc demonstrat quaestionibus, quas verberibus



et tormentis leges haberi imperant. Non aliam quippe ob rationem exerceri debent, quam ut retegantur crimina et illorum accusati ea a se commissa fateantur. Omnia namque placita principum, si tyranni non sint, iusta senatus consulta aliaeque leges non omnino iniquae praecipiant *malos erui, non abscondi*, verba sunt Auctoris nostri, *confessos damnari, non absolvi* (Ibid. et lib. I. ad Nation. cap. 2.). Ad Scapulam vero iudicem similiter scribebat: *Quid amplius tibi mandatur quam nocentes confessos damnare, negantes autem ad tormenta revocare* (Idem lib. ad Scapul. cap. 4.)?

Verumtamen ethnici contra hanc tanta aequitate praescriptam iudicandorum reorum normam Christianos non ad aliquod scelus confitentium, sed negandum crudelissimis quaestionum tormentis compellebant. Persuasum ergo habere debuerunt illos esse innoxios et nullius reos criminis, quippe qui illud ab ipsis negari vellent aut eos, quod nefas est, si rei forent, plane mentiri. Quaestione siquidem torti fatebantur palamque clamabant se esse Christianos. Sed ethnici, quibus alios confitentes reos amplius torquere fas non erat, Christianos dirius iubebant cruciari, donec negarent aut necarentur.

Recte ergo Tertullianus illos sic urget: *Videtis quomodo ipsi vos contra mandata faciatis, ut confessos negare cogatis. Adeo confitemini innocentes esse nos, quos damnare statim ex confessione non vultis* (Idem lib. ad Scapul. cap. 4.). At certe hi tanta legum suarum praeviatione se ipsos manifestissime condemnabant. Christianos enim nec auditos nec defensos tanquam omnium in deos, leges, imperatores, mores ipsamque contra naturam criminum reos insectabantur. Dum ergo nitebantur illos quaestione ad ea neganda adigere, fatebantur utique tam falsa esse ea crimina, quam summa erat illorum et innocentia et integritas. In hac itaque tam horrenda eorundem Christianorum vexatione non aliud, sicuti aiebat Tertullianus, nisi *christiani nominis praelium est* (Idem Apologet. cap. 2.), in quo negantes absolvebantur atque excarnificabantur confitentes.

Neque putaveris quidquam ab illo ibi aut fictum aut exaggeratum. Nam eadem plane fuerat non solum Iustini Martyris, Athenagorae, Tatiani, ut alibi vidimus (tom. I. Appar. p. 354. 356. 471 et 523.), sed Melitonis etiam, sicuti refert Eusebius (Euseb. lib. IV. Histor. Eccles. cap. 26. p. 147.), publica expostulatio. Palam quippe conquesti sunt, quamvis nullum nomen ex se ipso bonum sit aut malum, Christianos tamen suum dumtaxat ob vocabulum nec audita unquam causa condemnari. Eodem autem telo, sed paulo aliter contorto, ethnicos transfixerunt Minucius Felix, uti supra ostendimus (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 8. Art. 2.) et Cyprianus, sicuti infra dicemus.

Nec multum curabant gentiles summam hanc tegere iniustitiam, quam lata *per tabellam*, cuius Cicero (Cicer. lib. V. in Verr. pag. 179. lin. 19. pro Rabir. pag. 561. lin. ult. pro Flacco pag. 369. lin. 47. in L. Pison. pag. 543.) alique saepius meminere, contra eos sententia in publicum proferebant. In hac quippe tabella non aliquod Christianorum, sicut aliorum morte damnatorum, crimen notabatur, sed solum Christianorum nomen: *De tabella*, ait Tertullianus eos alloquendo, *recitatis illum Christianum* (Tertullian.

Apologet. cap. 2.), nihilque amplius. At cum res ita sit, pergit ille, certe: *Christianus si nullius criminis nomen est, valde ineptum, si solius nominis crimen est* (Tertullian. *ibid.*). Et ita quidem in Rigaltii editione. In nostris vero codicibus: *Christianus si nullius criminis nomen reus est, valde incestum*, recentiores: *incertum, si solius nominis crimen est*. In quibusdam manuscriptis et editis Rigaltio antiquioribus: *Christianus si nullius criminis reus est, nomen valde infestum, si solius nominis crimen est*. Atque haec videtur genuina Tertulliani lectio, atque in aliis codicibus ea vox *nomen* transposita et altera *incestum* corrupta. Sensus namque Tertulliani est christianum nomen fuisse ethnicis valde infestum, propter quod solum nec aliud prorsus ob crimen Christianos tam crudeliter torquebant et interficiebant.

At nullum certe, urget Tertullianus (*Ibid.* cap. 3.), nominis odium concipi potest, nisi illud aliquid significet barbarum aut vitiosum in se ipso vel incognitis hominibus qui eo appellantur. Atqui ethnici nihil potuerant in Christianis deprehendere vitiosi, quos vel semel audire noluerant. Nihil etiam barbarum in Christiani nomine, quod *de unctione*, ait Tertullianus, *deducitur* (*Ibid.*). Nec hilum quidem promovebant ignari gentiles, qui *Chrestianos*, non *Christianos*, appellandos esse garriebant. Nam hoc ipsum nomen *de suavitate vel benignitate* derivatum est (*Ibid.*). At de hac utriusque nominis etymologia alibi disseruimus (Dissertat. in Lactant. cap. 17. Art. 1.).

### ARTICULUS III.

Quam absurde ethnici obiicerent Christianos propter suum aut auctoris sui nomen odio habendos, quia nullus philosophus Platonicos, Epicureos, Pythagoreos, Stoicos et Academicos, nullus medicus Erasistratum, nullus grammaticus Aristarchum, nullus coquus Apicium, sectarum suarum auctores ob suum nomen odisse perhibeantur.

Cum nihil sit sole etiam meridiano clarius, quod humanum ingenium, falsae religionis praediciis excaecatam, obscurare non moliatur, non mirum profecto, si ethnici quibusdam litigiosis disputationibus propositas ab Auctore nostro invictissimas in Christianorum defensionem argumentationes eludere aut infirmare tentaverint. Audiendi tamen hi sunt qui Christianos audire nolebant et excutiendae, qualescumque sint, illorum rationes.

Clamitabant autem non requirenda esse Christianorum scelera, quae omnia uno eorum nomine comprehenduntur. Sed falsissima esse haec crimina iam ostendimus. Fac tamen, si possis, illa tam vera esse quam falsa sunt, numquid homicida vel alius quilibet sceleratus homo propter suum solum nomen condemnari debet? Nonne iudices tenentur illum audire et investigare ubi, quando, quomodo, quibus sociis crimen perpetraverit? Verum Christiani contra has aequissimas, uti diximus, leges condemnabantur. Iniquissimum ergo erat gentilium iudicium (Tertullian. Apologet. cap. 2. et lib. I. ad Nation. cap. 6.).

Urgebant tamen gentiles: *Secta Christianorum oditur in nomine utique sui auctoris* (*Ibid.*). Numquid ergo examinandum non erat utrum ille auctor aut eius sectatores odio revera haberi deberent? Tertullianus autem evidentissime demonstrat ethnicos absurda hac



argumentatione se ipsos suo, quemadmodum dicitur, conficere gladio. Non enim Platonicos propter Platonis, Epicureos propter Epicuri, Pythagoreos propter Pythagorae, Stoicos propter Zenonis nomen odio habebant (Ibid.). At hi suarum sectarum, uti alibi ostendimus (Tom. I. Appar. lib. III. Dissertat. II. cap. 17. Art. 1 et seqq. pag. 1125 et seqq.), fuerant auctores. Tum deinde a Tertulliano recensentur Academici, quos utique a Platonis secernere videtur (Tertullian. Apologet. cap. 3.). Numquid igitur de mediae et novae Academiae principibus Arcesilao et Lacyde, sicut ibidem animadvertimus, sermonem fecisse dicendus est? Expende, quaeso, ac pronuntia.

Pergit ille ac nonne, inquit, medici nomen suum sortiti sunt ab *Erasistrato*, qui ab A. Gellio *nobilis medicus* (Gell. lib. XVII. Noct. Att. cap. 11.), a Macrobio *medicorum veterum nobilissimus* appellatur (Macrobi. lib. VII. Saturnal. cap. 15.). Testatum autem Strabo fecit Smyrnae extitisse patrum suorum tempore Erasistrateam medicinae scholam (Strabo lib. XII. Geogr. pag. 580.). Celeberrimi porro huius medici Plutarchus (Plutarch. lib. IV. Sympos. Quaest. 1. pag. 603. et lib. VII. Quaest. 1. pag. 698. et in Vita Demetr. pag. 907.). Plinius (Plin. lib. XXIX. Natur. Hist. cap. 1.), Valerius Maximus (Valer. Max. lib. V. cap. 7. §. 1.) et Chronici Eusebiani scriptor mentionem fecerunt (Chron. Euseb. ad ann. MDCCLV.).

Denique *coqui etiam* cognominati sunt, ait Tertullianus, *ab Apicio*, quem alibi inter coquos pretiosissimos recenset eiusque condimenta exagitat (Tertullian. Apologet. cap. 3. et lib. de Pallio cap. ult. et lib. de Anima cap. 33.). Ab Athenaeo autem discimus hunc Tiberii imperatoris saeculo ditissimum fuisse, sed luxu solutum multas ventris et gulae vitio myriadas nummorum profudisse ac varia placentarum genera eius nomine vocitari (Athen. lib. I. Deipnosoph. cap. 1. p. 7.). Plura etiam de illo Seneca, cuius haec tantum, quae ad propositum nostrum magis faciunt, verba transcribemus: *Apicius nostra memoria vixit, qui in ea urbe, ex qua aliquando philosophi velut corruptores iuventutis abire iussi sunt, scientiam propriam professus disciplina sua saeculum infecit* (Seneca lib. de Consol. ad Helvid. cap. 10.). Alibi autem ille, sicut Plinius (Plin. lib. IX. Natur. Hist. cap. 17.) et Hieronymus Apicii (Hieronym. lib. II. adv. Iovin. p. 183.) eiusque helluationis et immensae gulae meminerunt. Tres porro Casaubonus notat Apicios eosque gulae vitio infames (Casaubon. in lib. II. Athen. cap. 6. p. 22 et seqq.). In superiori autem dissertatione (Dissertat. in Arnob. cap. 23. Art. 4.) non semel citavimus Apicii de re conquinaria editam commentationem. Neque magno labore nobis persuadebis hunc esse de quo Tertullianus loquitur.

At quicumque fuerit, nullus tamen gentilis unquam dixit propter illius aut aliorum quos recensuimus solum nomen odio dignam esse institutam a quolibet sectam, nisi prius constiterit in ea aliquid esse mali. Gentiles ergo non debent odisse Christianos, nec propter suum nec propter auctoris sui nomen, nisi exploratum ante habuissent illos esse malos. Atqui iam ostendimus eosdem gentiles neque scivisse neque scire aut inquirere unquam voluisse utrum illi aliquid agerent quod odio et poena esset prosequendum.

Contra tamen nemini prorsus incompertum erat Christianos suo titulo, sive suum dumtaxat ob nomen, actibus ac sententiis praesidium statim condemnari atque oblato illis fuerant. Nam propter hoc ipsum solum nomen ab illis condemnari vestros, hoc est iudicum, inquebat Tertullianus, iam contestamur actus, qui quotidie iudicandis custodiis, id est carceri mancipatis, praesidetis, qui sententiis elogia dispungitis (Tertullian. Apologet. cap. 44.), sive reorum accusationes examinatis, numquid inter illos omnes aliquis inventus est sicarius seu homicida? num aliquis manticularius (Ibid. Cf. Fest. ad v. Manticularius), sive qui repositam in aliorum marsupii pecuniam furatus sit? num aliquis lavantium praedo, aut, ut alibi dixit, fur balnearum, qui lavantium vestes aut argentum subripiabat? At certe hi omnes ethnici erant (Apul. Apolog. I. ante fin.) et nullum ibi invenistis christianae religionis verum sectatorem. Non enim de nostris, pergit Tertullianus, sed de vestris semper aestuat carcer (Plaut. Captiv. act. IV. scen. 2.), totusque scelestis vestris gentilibus repletus est. De vestris quoque semper metalla suspirant (Tertull. lib. de Fuga cap. 13.), de iis scilicet, qui scelorum convicti metalla effodere cogebantur. Denique de vestris semper bestiae saginantur, de vestris semper munerarii noxiarum greges pascunt (Tertullian. Apologet. cap. 44.). Munerarii autem, ut iam a nobis alibi observatum est (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 13. Art. 1. et Dissertat. in Lactant. cap. 27. Art. 1.), ii erant qui gladiatorum spectacula edebant. Hi autem pascebant et alebant noxios, qui ad bestias damnati debebant cum illis pugnare. Si autem victi fuissent, tum victrices bestiae carnibus illorum saginabantur.

Nullus itaque ex horum numero erat Christianus propter scelus aliquod aut coniectus in carcerem aut ad bestias damnatus, sed suum dumtaxat ob nomen, quod nihil plane mali habebat. Palam enim et asseveranter Tertullianus affirmat: Nullus illic Christianus, nisi hoc tantum propter suum nomen: aut si et aliud, id est capitalis alicuius sceleris reus et convictus, iam non Christianus (Tertullian. loco cit.), sed christianae religionis apostata et desertor. Nihil ergo iniquius ac divinis et humanis legibus magis contrarium quam innocentes Christianos nunquam auditos et defensos suum solum ob nomen condemnare ac quibuslibet gravissimis suppliciis excarnificare et occidere.

## CAPUT XVIII.

Quam absurde ethnici obiectarent se ad vexandos necandosque Christianos quibusdam suis legibus teneri, qui quaslibet sanctiores tam saepe quam impune violabant.

### ARTICULUS I.

Quibus rationibus Tertullianus ostendat nulla vel lege vel auctoritate ullum hominem cogi posse ad eum quem falsum novit deum colendum, aut cuius libertatem adimi quam veram credit religionem amplexandi.

Gentiles in summas angustias adducti ad legum suarum auctoritatem tanquam ultimum propugnaculum confugere nitebantur. Nostris, inquebant, adstringimur legibus, quae praecipuum vexari Christianos et



ad internecionem usque excruciari. Nobis ergo ad eos torquendos scire sufficit revera esse Christianos, nec qui qualesve sint amplius perquirendum (Tertullian. Apologet. cap. 3.). Sed Tertullianus respondet vanam esse ac plane absurdam hanc argumentationem et ipsosmet ethnicos sic alloquitur; Si per leges vestras fas et necesse putatis Christianos inauditos et indefensos condemnare, *vim profiteremini et iniquam ex arce dominationem* (Ibidem); ex arce, inquit, id est forsitan *ex edito et ipso vertice civitatis* (Ibid. cap. 1.), quemadmodum initio huius libri dixerat. Qui enim quemvis accusatum inaudita causa condemnat iubetque interfici, is proculdubio non aequi iudicis fungitur officio, sed dominationem exercet iniquissimam ac intolerandam tyrannidem.

Verum ut gentilium pertinaciam penitus frangat, aliud argumentum inde eruit, quod omnibus et singulis dabant quemlibet uno et vero excepto deum colendi facultatem. Nam cum dixisset unum ab uno et alium ab alio libere et licenter coli, illos sic urget: *Videte ne hoc ad irreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis et interdicere optionem divinitatis; ut non liceat mihi colere quem velim, sed cogar colere quem nolim* (Ibid. cap. 24.)? Religiosus etenim cultus liber, inquit, et voluntarius esse debet nec ullus unquam ab ullo homine aut ulla lege cogi potest ad eam quam falsam esse novit amplexandam religionem: *Divinae siquidem rei, uti ille postea dixit, faciundae libens animus indicitur* (Ibid. cap. 28.). Rationem vero si postules, hanc tibi dabit: *Humani iuris et naturalis potestatis est unicuique quod putaverit colere; nec alii obest aut prodest alterius religio. Sed nec religionis est cogere religionem, quae sponte suscipi debeat, non vi, cum et hostiae ab animo libenti expostulentur. Ita etsi nos compuleritis ad sacrificandum, nihil praestabitis diis vestris. Ab invitis enim sacrificia non desiderabunt, nisi contentiosi sint. Contentiosus enim Deus non est* (Idem lib. ad Scapul. cap. 2.).

Audis certe quibus Auctor noster rationum momentis ostendat iuri non solum humano, sed etiam naturali repugnare, ut quis unquam ulla vi ad suscipiendam aliquam falsam religionem aut falsi dei cultum compellatur. Cuiuslibet siquidem religio nec prodest nec nocet alteri, qui proximi sui bono aut malo nec melior nec peior efficitur.

Deinde vero Deus ab invito et reluctantante sacrificia non desiderat, nisi contentiosus sit, id est lites et iurgia seminare velit. At talis Deus verus esse nequaquam potest. Quin etiam *nemo*, ait adhuc Tertullianus, *ab invito coli volet, ne homo quidem* (Idem Apologet. cap. 24.). Nam damnanda plane est simulatio et nefaria hypocrisis, qua is se eum colere exterius fingit quem interius spernit atque detestatur.

Ad haec vero ea sane est hominis fragilitas, ut Deum verum saepe saepius offendat. Atqui placare illum nequit, nisi libera ac sincera animi conversione et poenitentia aut facto maxima libertate sacrificio. Summa igitur sine iniustitia nemo cogere me potest ad sacrificandum Iovi aut cuiilibet alteri deo, quem non curo an mihi propitius sit vel iratus, multo minus si illum hominem fuisse nec amplius existere certio certius cognoverim.

Instat adhuc Tertullianus et *colat*, inquit, *alius Deum, alius Io-*

*vem, alius ad caelum supplices manus tendat, alius ad aram Fidei, alius, si hoc putatis, nubes numeret orans, alius lacunaria, alius animam suam deo suo voveat, alius hirci* (Ibid.). Nonne hi omnes aequo iure aut tolerari aut condemnari debebant, nec uni potius quam alteri eripiendam quem voluerit colendi libertatem?

Sed non clara omnino ac perspicua sunt haec Tertulliani verba ac forsitan dubitandi locus est utrum loquatur tantum de gentilibus, aut de iis simul et Christianis, ut pluribus visum est. Quid vero si utrosque atque insuper Iudaeos designasse dicatur? De Christianis siquidem et Iudaeis scribere potuit: *Colat alius Deum*, unicum videlicet atque omnipotentem, de ethnicis vero: *Alius Iovem*, sicut incompertum nemini est. De iisdem etiam Christianis dicere adhuc potuit: *Alius ad caelum supplices manus tendat*. Nam hi, uti vidimus (Supra cap. 14. Art. 3.), expansis manibus Deum orabant. Tametsi enim ethnicus simili modo deos suos precaretur, is Christiano tamen opponi a Tertulliano videtur, qui ibidem dixit: *Alius vero, nimirum gentilis, manus similiter tendat ad aram Fidei*: in codicibus nostris manuscriptis legitur *Fidiae*, sed librorum proculdubio errore. Tolerabilius forsitan scriptum esset *Fidii*, quem gentiles, ut canit Ovidius, Iovis filium et deum esse opinabantur. Recte autem *Fidei*, cuius tanquam deae templum erat in Capitolio, quemadmodum alibi observavimus (Tom. I. Appar. p. 866.).

Ad Iudaeos vero spectare videntur subsequencia Auctoris nostri verba: *Alius, si hoc putatis, nubes numeret orans*. Nam de iisdem Iudaeis Iuvenalis cecinit:

*Quidam sortiti metuentem sabbata patrem  
Nil praeter nubes et caeli numen adorant.*

(Iuvenal. Satir. XVI. v. 916.)

Cur autem adiecit Tertullianus: *Si hoc putatis*? Nonne his verbis eosdem Iudaeos denotare voluit, quos ethnici et nubes et caelum adorare falso putabant? Huic autem a Tertulliano opponitur *alius*, gentilis, qui colebat *lacunaria* suorum scilicet templorum, ut infra ostendemus. Pergit ille et *alius*, inquit, puta Christianus, *suam animam Deo suo voveat* et consecret, contra vero *alius*, ethnicus, *hirci animam* falso deo voveat. Canit enim Virgilius:

*Ergo rite suum Baccho dicemus honorem  
Carminibus patriis lancesve et liba feremus,  
Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.*

(Virgil. lib. II. Georg. v. 393.)

Martialis vero:

*Vite nocens rosea stabat moriturus ad aras  
Hircus, Bacche, tuis victima grata sacris.*

(Martial. lib. III. Epigram. 24.)

Verum quid obstat quominus Tertullianus haec omnia non Christianis et Iudaeis, sed solis gentilibus tribuat? Nonne Menecaeus, Codrus et Mures, de quibus nos in superiori dissertatione post Lactantium (Lactant. lib. III. cap. 12. p. 370.) disputavimus (Dissertat. in Lactant. cap. 10. Art. 4.), animam suam diis voverunt. Aristophanes autem Socratem inducit nubes orantem et invocantem (Aristoph. Nub. act. I.



scen. 3.). Gentiles quoque sublatis, ut dictum est, in caelum manibus deos suos precabantur. Ergo Tertullianus de his solis loqui potius videtur et maius inde argumentationi eius robur accedet. Recte quidem, inquires, nisi ille Iovi opponeret Deum haud dubie verum, quem adhuc singulari numero deinde appellavit. Sed quid vetat quominus ille Iovi maximo gentilium deo alium quemlibet, sive maiorum sive minorum gentium, deum opposuerit? Quoquo autem modo verba eius intelligantur, ex iis recte omnino concludit ethnicos contra ius omne et fas ademisse Christianis veri Dei colendi facultatem. Per illos siquidem ceteris omnibus licebat non solum Iovem, sed uno dumtaxat vero Deo excepto quemcumque colere falsum ac ridiculum deum. Qua enim crudelitate impii homines Christianis verum Deum honorandi tollebant licentiam, pari indulgentia patiebantur qualibet in civitate ac provincia, ut infra dicitur, a quovis homine, quem libuisset deum, etiamsi aliis penitus incognitum coli et adorari.

Sed iam aliquem audire nobis videmur, qui nobis in aurem in susurrat ibi Tertullianum tota via errasse, utpote qui his argumentis probare contendat concedendam esse cuilibet facultatem quem voluerit, sive verum sive falsum, colendi deum ac pro arbitrio aliquam religionem eligendi. Itane vero desipuit Tertullianus, qui totis, uti vidimus, ingenii viribus demonstrat solam christianam religionem veram esse et profitendam, ceteras omnes falsas et reiiciendas, qui plane penitusque contendit summum Christiano esse nefas suam negare immo et dissimulare religionem, qui martyres nostros omni laude ideo cumulat, quod maluerint quibuslibet dirissimis cruciatibus excarnificari et interfici, quam tria thuris grana falsis diis adolere ac mirabili plane constantia suam pro fidei et religionis suae defensione sanguinem fuderint? Secus vero si sensisset, suam in Apologetico aliisque similibus libris conscribendis plane gratisque lusisset operam. Non alio igitur tendunt illius argumenta, nisi ut iis demonstret neminem cogi posse ad deserendam veram et falsam amplectendam religionem ac iniquissimos esse gentiles, qui unicuique quemlibet deum, etsi aliis incognitum, colendi dabant libertatem, quam solis Christianis verum Deum colentibus adimebant.

At alius quispiam a nobis postulabit cur ille adeo affirmative asseverat voluntariam esse religionem, qui diserte alibi dixit: *Ad officium haereticos compelli, non illici dignum est. Dunitia vincenda est, non suadenda* (Tertullian. Scorpiae. cap. 2.). Verum petat ille a Rigaltio quomodo Auctor noster vincendam velit haereticorum duritiam eosque ad officium reducendos et audiet non vi aut coactione corporea, sed spiritualibus divinae Scripturae armis divinaque auctoritate. Ac re quidem vera ipse Tertullianus sic prosequitur: *Et utique satis optimum praediudicabitur quod probabitur a Deo constitutum atque praeceptum.* Quamobrem hisce armis illos ibi revincit et expugnat.

Nobis vero adicere liceat non eandem esse haereticorum ac gentilium rationem. Quidquid namque de haereticis, qui verum Deum agnoverunt, sed erroribus sceleribusque suis ab Ecclesia defecerunt, statuendum dixeris, non ideo tamen ethnicis, ut recte ait Tertullianus, fas unquam fuit Christianos tormentis ac cruciatibus ad falsorum deo-

rum impellere venerationem. Nullus enim sine piaculo in errorem impellitur, immo vero nec inducitur. At nihil prohibet quominus haeretici legitima auctoritate ad eam quam reliquerunt reducantur veritatem.

## ARTICULUS II.

Quam insulse ethnici ad torquendos tollendosque Christianos obicerent se quibusdam imperatorum legibus adstringi, quandoquidem ab iis ipsis emendatae sunt leges Lycurgi, qui idcirco inedia mortem sibi conscivit, atque aliae a Romanis abrogatae ac nominatim Iuliae, Papiae et quae debitores in duas partes secari iubebant, ac quenam leges illae fuerint.

Nullus unquam ulla, nisi iniquissima lege, ad falsum aliquem deum colendum adstringi potest. At *iniustae legis*, ut recte ait Tertullianus, *nullus honor est* (Tertull. lib. I. ad Nation. cap. 6.), nec ullius unquam hominis conscientiam obligavit. Nulla igitur humana lege Christiani ad fictitios deos colendos cogi poterant. Qua ergo fronte ethnici obicere poterant se ad eos torquendos et necandos quibusdam imperatorum suorum legibus obstringi, qui negare non poterant plurimas ab hominibus etiam maioris auctoritatis, ut iam in superiori dissertatione vidimus (Dissertat. in Lactant. cap. 28. Art. 1.), pro humana infirmitate et temporum opportunitate latas, quas idcirco audacter et impune emendarunt, spreverunt, conculcaverunt? Quo autem pacto id negassent, quod non solum certissimo Ciceronis testimonio (Cicer. lib. I. de Legib. p. 328. lin. 5 et seqq.), sed constanti saeculorum omnium experientia omnibus compertum est? Nihil itaque necesse fuit, ut id Tertullianus variis et longe pluribus quam par erat exemplis comprobaret. Verumtamen quia quod abundat, ut aiunt, non vitiat, plurimus ille sancitas a variis legislatoribus leges et a populis postea aut emendatas aut antiquatas ideo conguessit, ut tandem ethnicis legum in Christianos datarum auctoritatem nunquam non et ad nauseam usque obiectantibus linguam penitus occluderet. Nostri itaque officii esse duximus omnia eius vestigia persequi ac pro virili parte nostra solitoque more ea enucleare, quae ab illo de antiquis ethnicorum legibus earumque auctoribus, emendatione et abrogatione speciatim tradita sunt.

Orditur autem ab antiquissimo legislatore Lycurgo, cuius *leges*, inquit, *a Lacedaemoniis emendatae tantum auctori suo doloris incusserunt, ut in recessu inedia de se ipso iudicaverit*, aut, ut alibi aliis verbis idem significantibus dixit, *apocarteresin optavit* (Tertullian. Apologet. cap. 4. et cap. 46.), hoc est voluntaria fame et inedia mortuus est. Cur autem, obsecro te, has leges Lacedaemonii emendavere, nisi quia eas imperfectas nec sibi utiles et convenientes esse arbitrabantur? At Pausanias memoriae mandavit illum in quendam confugisse vicum, cui Alpium nomen erat, postquam alter oculus ei excussus fuisset ab Alcandro, cui leges eius non placuerant (Pausan. lib. III. pag. 100.). Valerius vero Maximus illud paulo fusius hisque verbis enarrat: *Lycurgo neque leges salutariter excogitatae auxilio esse potuerunt, quominus infestis cives experiretur. Saepe enim lapidibus percussus, aliquando furore publico eiectus, etiam privatus oculo ad ultimum ipsa patria pulsus est* (Val. Max. lib. V. cap. 3. Exter. §. 2.). - Sed uterque tacuit quo mortis genere vitam ille finierit. Aelianus vero scribit illi, cum Lacedaemonios iustitia imbueri voluisset,



erutum quidem oculum, aut ex insidiis iactu lapidis aut baculi ictu (Aelian. lib. XIII. Var. Hist. cap. 23.), quemadmodum a variis scriptoribus proditum fuerat. Quod vero ad rem nostram magis facit, testem nominatim citat Ephorum, qui eum in exilio fame periisse perhibet. Sed ibi ille non dixit utrum haec fames voluntaria fuerit. Quamobrem Auctor noster pressius sequitur Plutarchum, qui discrete scribit illum iureiurando reges, senatum ac cives obstrinxisse, fore ut leges eius sedulo observarent, donec Delphis rediret (Plutarch. in Vita Lyncurgi p. 57.). Ne autem sacramenti religione solverentur, *ἐτελεύτησεν ἀποκαρτερήσας, mortem sibi inedia conscivit*. Sed id non prohibuit quominus Lacedaemonii suum non modo sacramentum, sed illius etiam leges spreverint et aboleverint.

Ad Romanos subinde Auctor noster venit eosque his compellat verbis: *Nonne et vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis* (id est experientia vestra edocti), *totam illam veterem et squallentem silvam*, sive infinitam et obscuram veterum legum multitudinem, *novis principum rescriptorum et edictorum securibus*, sive novis principum rescriptis, *truncatis et caeditis* (Tertullian. Apologet. cap. 4.)? In Rigaltii autem et secutis editionibus *rustatis et caeditis*; sed qua auctoritate, nec ille dixit nec nos aliud scire possumus, nisi hanc lectionem omnibus repugnare codicibus atque ipsi, quem ille prae manibus habebat, exemplari Puteaneo. Nos tamen non latet a Tertulliano alibi scriptum: *Colere omnia, runcare atque rustare instituit, ut inde velut ex surculis et propaginibus populi de populis, urbes de urbibus per ubique orbis pangerentur* (Idem lib. de Pallio cap. 2.). Sed cui unquam licuit verbum aliquod ex uno auctoris libro in alium contra codicum omnium reclamationem transferre? Quoquo autem modo legas, satis apertus est Auctoris nostri sensus: horrentem veterum legum silvam novis expurgatam resecatamque fuisse principum edictis, quibus plura, tanquam noxiae herbae, evulsa sunt. Frustra igitur ethnici tantis clamoribus suarum in Christianos legum auctoritatem venditabant.

Ad id autem adhuc demonstrandum continenter Tertullianus adiecit: *Nonne vanissimas Papias leges, quae ante liberos suscipi cogunt, quam Iuliae matrimonium contrahi, post tantae auctoritatis senectutem heri Severus constantissimus principum exclusit* (Idem Apologet. cap. 4.)? Aperte autem ibi ille docet has Iulias leges Papii emendatas, sed utrasque abrogatas ab imperatore Severo. Varias autem erant Iuliae leges, quae a Iulio Caesare ita cognominatae sunt. Papii vero seu potius Poppaeis nomen dederunt Papius et Poppaeus consules Augusti Caesaris tempore suffecti. Iuliam vero legem de maritandis ordinibus a Tertulliano designari omnes facile concedunt. Verum quomodo Papia lex coegerit liberos ante suscipi quam lex Iulia iusserit matrimonium contrahi, Heraldus se non satis intelligere (Herald. not. in Tertull.) et Antonius Augustinus sibi esse incognitum ultro fatentur (August. lib. de Legib. cap. 18.). At sane constat eam Iuliam legem, uti Dion (Dion. lib. IV. Rom. Histor. p. 256.), Cornelius Tacitus (Tacit. lib. III. Annal. ante med.) et Suetonius perhibent (Sueton. in Vita August. cap. 34.), ab Augusto Caesare severius quam

alias fuisse retractatam. Nam praeter praemia iis qui liberos susceperant proposita, ille graviores innuptis et caelibibus poenas indixerat, quas deinde propter recusantium tumultum mitigare coactus est. Addit porro Suetonius: *Cum immaturitate sponsarum et matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi sentiret, tempus sponsas habendi coarctavit, divortii modum imposuit* (Suet. *ibid.*). Nonne vero his verbis *immaturitate sponsarum* colligi potest propter multitudinem eorum, qui bellis civilibus aliisque antea extincti fuerant, statutum esse ab imperatore Augusto, ut virgines etiam nondum satis adultae et viro murae nuberent. Si autem is sit Suetonii sensus, hic Tertulliani esse videtur: Poppaea lege sancitum, ut virgines ea iuniori aetate in matrimonium collocarentur, antequam illud lege Iulia contrahere potuissent. Et vero ex Dione discimus ab eodem Augusto decretum, ut pactio nuptialis irrita esset, si nuptiae ultra biennium differrentur, id est, inquit idem Dion, ut ea virgo, quam quis despondere volebat, decem annos nata esset et nuptiae non ultra biennium prorogarentur (Dion. lib. LIV. Rom. Histor. p. 609.). Atqui si puella decimo aetatis suae anno despondere et nubere poterat, tum ergo filios suscipere, uti ait Tertullianus, cogebatur, quae lege Iulia matrimonium anno suo tantum duodecimo inire poterat. Vide, si placet, Gothofredi (Gothofred. Cod. Theodos. p. 226 et seqq.) et aliorum in tertiam de sponsalibus legem annotationes, et expende, quaeso, utrum haec aut alia quaedam quam excogitabis verborum Tertulliani interpretatio tibi magis arrideat.

Dubium autem esse non potest, quin Severus imperator illam utriusque Iuliae et Poppaeae legis partem abrogaverit tempusque assignaverit quo virgines matura aetate nuberent. Nam id Tertullianus *heri*, id est suo tempore factum esse asseverat. Praeterea ex Martiano discimus aliquid in legibus Iulii ab eodem Severo emendatum (Lib. XXIII. Digest. tit. 2. leg. 19.). Alibi vero ostendimus (Tom. I. Appar. lib. III. Dissertat. 2. cap. 18. Art. 3. p. 1153.) ablatas fuisse a Constantino Magno poenas, quae his Iulii Poppaeisque legibus contra caelibes et orbos decretae fuerant. Sed hae Tertulliani nostri tempore posteriores sunt.

Denique Rigaltius opinatur hasce leges ideo vanissimas a Tertulliano appellari, *quia de filiis suscipiendis cogitare non immerito vanum stultumque videbatur Christianis finem saeculorum instare credentibus et vitae mortalis in aeternam commutandae desiderio suspirantibus*. Sed vidimus eosdem Christianos solitos fuisse pro huius finis mora deprecari. Nobis igitur facilius probabitur illud ab Auctore nostro dictum fuisse castitatis ac virginitatis studio, quas quidem virtutes Christiani tanto ardore colebant, quanto eas gentiles despectui habebant et adspernabantur.

Tum dehinc Tertullianus continenter prosequitur: *Iudicatos retro in partes secari a creditoribus leges erant. Consensu tamen publico crudelitas postea erasa est* (Tertullian. Apologet. cap. 4.). Una autem haec erat ex vetustissimis legibus primum in decem et postea in duodecim tabulas relatis, quae teste Livio *in immenso aliarum super alias aervatarum legum cumulo sunt omnis fons publici privatique iuris*



(Liv. lib. III. cap. 34. et 35.). Quae autem ac quibus verbis concepta fuerit ex illa te docebit A. Gellius, qui illius initium alicubi (Gell. lib. XV. Noct. Att. cap. 13.) illamque integram alibi hunc descripsit in modum: AERIS CONFESSI DEBITI Q. IURE IUDICATIS TRIGINTA. DIES. IUSTI. SUNTO. POST. DEINDE. MANUS. INIECTIO. ESTO. IN. IUS. DUCTIO. NI. IUDICATUM. FACIT. AUT. QUIS. EDENDO. EM. IURE. VINDICET. SECUM. DUCITO. VINCITO. AUT. NERVO. AUT. COMPEDIBUS. QUINDECIM. PONDO. NE. MINORE. AUT. SI. VOLET. MAIORE. VINCITO. SI. VOLET. SUO. VIVITO. NI. SUO. VIVIT. QUI. EMIT. VINCTUM. HABEBIT. LIBRAS. FARRIS. M. DIES. DATO. SI. VOLET. PLUS. DATO. TERTIIS. NUNDINIS. PARTIS. SECANTO. SI. PLUS. MINUSVE. SECURUNT. SE. FRAUDE. ESTO (Ibid. lib. XX. cap. 1.). Eandem hanc legem non sine variis lectionibus Fulvius Ursinus retulit (Fulv. Ursin. not. in cit. August. lib.).

Aere itaque alieno obstrictis primùm hac lege concedebatur triginta dierum spatium, quo pecuniam quaerent. Tum deinde vincti in carcerem trudebantur. Tertiis autem nundinis sive post alios sexaginta dies capite poenas luebant et, si plures erant creditores, secebatur corpus debitoris et singulae eius partes singulis creditoribus dabantur. Quo certe nihil, ait Gellius, *immitius, nisi, ut reipsa apparet, eo consilio tanta immanitas poenae denunciata est, ne ad eam unquam perveniretur. Addici namque nunc et vinciri multos videmus, quia vinculorum poenam deterrimi homines contemnunt. Dissectum esse antiquitus neminem neque legi neque audivi, quoniam saevitia ista poenae contemni non quita est* (Gell. ibid.). Cernis sane hanc ipsam esse legem, quam Tertullianus consensu publico antiquatam ac repudiatam asserit. Quintilianus quoque illud hisce verbis planissime confirmat: *Sunt quaedam non laudabilia natura, sed iure concessa, ut duodecim tabulis debitoris corpus inter creditores dividi licuit, quam legem mos publicus repudiavit* (Quintil. lib. III. Inst. Orator. cap. 6.).

Atqui si in duodecim tabularum legibus, quas etiam pueri, tanquam omnium optimas, olim discere, uti ait Cicero (Cicer. lib. II. de Legib. p. 341. lin. 27.), tenebantur, aliquid fuerit non modo non laudandum, ut alibi ostendimus (Dissertat. in Lactant. cap. 26. Art. 1.), sed prorsus etiam immitte, quanto magis in aliis, quas homines propter sua tantum commoda tulerunt! Nulla enim antiquitas nec ulla legislatoris dignitas, sed sola aequitas legem commendat. Nulla igitur iniquior est ea qua Christianus ob solum suum nomen nec audita unquam causa condemnatur.

### ARTICULUS III.

Examinatur quam impune ethnici violaverint leges immodicarum coenarum, suppellectilis et vestium sumptum cohibentes, et quae illae fuerint ac centenariae coenae; quam audacter alias pessumdederint ac eam potissimum, qua patricius decem argenti pondo habens senatu submotus est; quis ille, quive libertini qui flagra adhuc rumpentes similis sumptuaris leges adspersati sunt.

Argumentum suum prosequitur Tertullianus et ethnicis in Christianos quarundam legum simulatione saevientibus obiicit his non magis obligatos fuisse quam ipsosmet ethnicos sumptuariis legibus, quae

magna aequitate ac prudentia sumptus in coenis, domestica suppellectile ac vestibus coercerant (Tertullian. Apologet. cap. 4.), aut ut ipse loqui amat, *sumptum et ambitionem comprimentes* (Idem cap. 6.). At tanta audacia eas plane pessumdederant, ut ipsi Tertulliano respondere non potuerint ab eis petenti: *Quoniam illas leges abierunt, quae centum aera non amplius in coenam subscribi iubebant, nec amplius quam unam inferri gallinam et eam non saginatam.* Narrat vero A. Gellius se in Capitonis Atei coniectaneis legisse Senatus decretum, quo civitatis principes iurare iubebantur se in ludis Megalensibus non maiores in coenas singulas sumptus facturos quam centenos vicenos aeris sive asses, praeter olus, far et vinum patrium neque argenti in convivio plus ponderis quam libras centum (Gell. lib. II. Noct. Att. cap. 24.). Deinde lege Fannia cautum, ne in ludis Romanis, Plebeis, Saturnalibus aliisque quibusdam diebus plures quam centeni, decemque aliis diebus in singulis mensibus triceni, ceteris tandem diebus deni asses impenderentur. Postea vero lege Licinia indultum nuptiis ducentorum, aliis diebus tricenorum assium praeter poma et olera impensam fieri. At post haec legibus his situ et senio obliteratis, cum plures in amplis patrimoniis helluarentur, data est a Sylla dictatore lex Cornelia, qua facultas concessa est quibusdam feris solemnibus sestertios tricenos, aliis diebus non amplius quam ternos in coenam impendendi. Praeterea lex Aemilia et Antia sumptus coenarum ciborumque genus et modum adhuc praefinierunt. Lege tandem Iulia, quae Augusto imperante, ut diximus, statuta est, plurimum quidem hi sumptus aucti sunt, sed ita tamen, ut certis quibusdam finibus effrenis luxuriae aestus coerceretur. Quae quidem omnia a Macrobio (Macrob. lib. III. Saturnal. cap. 17.) post A. Gellium explicata (Aul. Gell. loco cit.), Tertulliani nostri sententiam plane stabiliunt ac confirmant.

Nec maiori curae illis fuit iam laudata a nobis lex Fannia, qua prohibebatur ne amplius quam una gallina eaque non saginata in coenam inferretur. At Plinius huius legis mentionem facit ac quomodo eam gentiles labefactare coeperint, his explicat verbis: *Gallinas saginare Deliaci coepere. Unde pestis exorta opimas aves et suoapte corpore unctas devorandi. Hoc primum antiquis coenarum interdictis exceptum invenio iam lege C. Fannii cos. annis undecim ante Punicum bellum, ne quid volucre poneretur praeter unam gallinam, quae non esset altilis* (Plin. lib. X. Hist. Natur. cap. 50.), seu pinguis et saginata et a Iuvenale *altilis* simpliciter appellatur (Juvenal. Satir. V. v. 117.). *Quod deinde caput translatum per omnes leges ambulavit inventumque diverticulum est in fraude earum gallinaceos quoque pascendi lacte madidis cibis, multo ita graviore approbantur.* De his autem sumptuariis et cibariis legibus plura Paulus Manutius (Paul. Manut. lib. de Legib. Roman. cap. 18.) et Antonius Augustinus (Anton. August. lib. I. de Legib. cap. 18.), a nobis citati alia in dissertatione, ubi ex hisce legibus Arnobium post Tertullianum similiter disputantem audivimus (Dissertat. in Lactant. cap. 9. Art. 1.).

Quantum autem ethnici praeclaras hasce leges spreverint ac pro nihilo habuerint, discas ex totidem Auctoris nostri hisce verbis: *Vides et centonarias coenas a centenis iam sestertis dicendas* (Tertullian.



Apologet. cap. 6.). Centenariae autem coenae, uti observat Festus, dicebantur, in quas lege Licinia non plus centussibus praeter terrae nata impendebatur, id est centum assibus qui erant breves nummi ex aere (Fest. ad v. Centenariae), uti supra monuimus. Noster igitur Auctor significat veteris frugalisque coenae auctos extra modum sumptus. Nam quae antea centum ut plurimum assibus debebat instrui, haec centum sestertiis dari illius tempore consueverat. Sestertius autem duos asses et semissem valebat. Centum porro sestertios rotunde dixit numeroque certo pro incerto usus est, ut centum assium et sextertiorum oppositione nimios coenarum sumptus exagitaret. Quis porro vitas Caesarum a Suetonio aliisque auctoribus scriptas vel levissime perstringendo non animadvertit illis regnantibus coenas adeo fuisse sumptuosas, ut fides his historicis, tametsi fide dignis, vix habeatur? Vides sane quanta facilitate Romani antiquas ac venerandas leges suas emendaverint et infirmaverint, dum se iniquissimis in Christianos rescriptis teneri effutiebant.

Tum deinde Tertullianus asserit similiter pessumdatas leges, quae patricium, quod decem pondo argenti habuisset, pro magno titulo ambitionis senatu submovebant (Tertullian. loco cit.). Si quis autem a nobis petierit quis ille sit patricius, huic A. Gellii verbis respondebimus: *C. Fabricius Lucianus et Q. Aemilius Papus Romae censores fuerunt et P. Cornelium Rufum, qui bis consul et dictator fuerat, senatu moverunt causamque isti notae subscripserunt, quod eum comperissent argenti facti coenae gratia decem pondo habere* (Gell. lib. XVII. Noct. Att. cap. 2.). Audis profecto eandem ibi ab illo atque a Tertulliano argenti summam notari quam Rufus habuerat. At quod ille dixit *coenae gratia*, hoc A. Gellius: *Ob luxuriae, inquit, notam, quod decem pondo libras argenti facti haberet* (Idem ibid. lib. VIII. cap. 8.). Eadem plane in Livii Epitome legimus (Liv. Epit. lib. XIV.). At Plinius eandem argenti summam in supellectilem (Plin. lib. XVIII. Hist. Natur. cap. 6.), Valerius vero Maximus in vasa argentea insumptam esse testificantur (Val. Max. lib. II. cap. 6. §. 4.). Sed huius verba, quae ad rem nostram plurimum faciunt, audire molestum forsitan non erit. Haec autem sunt: *Narravit omnis aetas et deinceps narrabit Fabricii Lucinii censura Cornelium Rufum duobus consulatibus et dictatura speciosissime functum, quod decem pondo vasa argentea comparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosum in ordine senatorio retentum non esse.* Tum haec continenter subiunxit: *Ipsae medius fidius mihi litterae saeculi nostri obstupescere videntur, cum ad tantam severitatem referendam ministerium accommodare coguntur, vereri ne non nostrae urbis acta commemorare existimentur. Vix enim credibile est idem pomerium decem pondo argenti et invidiosum fuisse censum et inopiam haberi contemptissimam.*

Nonne autem Tertullianus similiter indicat eam argenti summam a Cornelio Rufo ad fabricanda aut emenda argentea vasa impensam fuisse, qui maiorem Romanorum luxum iure merito hisce redarguit subsequentibus verbis: *Video in lances, ad cibos videlicet coenantibus ferendos, parum est si senatorum et non libertinorum vel adhuc flagra rumpentium argentaria metalla producta* (Tertullian. Apologet.

cap. 6.). Vitio itaque ethnicis vertit, quod tanto luxu soluti fuerint non solum senatores, verum etiam libertini, flagra adhuc rumpentes, id est qui paucos ante dies servitatem exuerunt. Servi siquidem flagris tanquam peculiari eorum supplicio caedi solebant. Quamobrem de Liburno servo Iuvenalis haec cecinit:

. . . . *Tarde venisse Liburnus  
Dicitur et poenas alieni pendere somni  
Cogitur, hic frangit ferulas, rubet ille flagellis.*  
(Iuvenal. Satir. VI. v. 490.)

Apud Terentium vero Simon flagra et verbera servo suo Davo sic minuitur:

*Verberibus caesum te, Dave, in pistrinum dedam usque  
ad necem.*

(Terent. Andr. I. scen. 2. v. 8.)

Sed de servorum poenis fusius in sequenti dissertatione. At si tantus horum qui vix libertatem acceperant erat luxus, hinc conice quantum aliorum fuerit? Quamobrem Plinius mox citatus: *Propter quinque pondo*, inquit, *argenti notatum a censoribus triumphalem senem fabulosum iam videtur* (Plin. lib. XXIII. Natur. Hist. cap. 11.). Qua ergo ratione gentiles obiectare audebant se iniustus in Christianos legibus adstringi, qui acquissimas sumptuarias illas leges palam et impune everterant?

#### ARTICULUS IV.

Quanta licentia gentiles sprete legibus, quae theatra orientia destruxerant, longe plura aedificaverint, in quae maioris voluptatis causa penulati confluebant.

Ad alias Tertullianus venit leges, quibus pudicitiae, morum honestati ac modestiae consultum fuerat. Palam autem facit eas adhuc tanta licentia ab ethnicis pessumdatas, quanta temeritate obiciebant se aliis plane nefariis in Christianos sancitis teneri: *Quo enim abierunt*, inquit, *leges illae vitiorum emendatrices, quae theatra stuprandis moribus orientia statim destruebant?* (Tertullian. Apologet. cap. 6.). At certe communis plerorumque omnium, uti docet Servius (Serv. in lib. II. Georg. v. 381. et in lib. II. Aeneid. v. 737.), opinio fuit primos theatri ludos in Bacchi sive Liberi Patris honorem institutos fuisse, qui quidem idcirco Liberales vocabantur. Quantum autem hisce ludis mores hominum corrumpentur, nemo sane est qui ex detestanda prorsus illorum turpitudine atque obscoenitate, de qua alibi disseruimus (Dissertat. in Lactant. cap. 17. Art. 1. et in Lactant. cap. 35. Art. 1.), facile non intelligat. Si quis tamen Auctorem nostrum non de his tantum, sed aliis etiam theatri ludis olim eversis sermonem revera fecisse contendat, adstipulatorem utique habebit Tullium et eum, a quo citatur, Augustinum. Huius enim ipsamet haec sunt verba: *Romani, quamvis iam superstitione noxia premerentur, ut illos deos colerent quos videbant sibi voluisse scenicas turpitudines consecrari, suae tamen dignitatis memores ac pudoris actores talium fabularum nequaquam honoraverunt more Graecorum, sed sicut apud Ciceronem Scipio loquitur: Cum artem ludicram scenamque totam*



*probro ducerent, genus id hominum non modo honore civium reliquorum carere, sed etiam tribu moveri notatione censoria voluerunt* (August. lib. II. de Civit. Dei cap. 13.). Quam quidem Ciceronis sententiam, ita citatam, his laudat probatque subsequentibus verbis: *Praeclara sane et laudibus Romanis annumeranda prudentia, sed vellem se ipsa sequeretur, se imitaretur.*

Diu itaque optimae illae leges non vigerunt. Nam Tertullianus ethnicos ita insectatus est: *Video et theatra nec singula nec nuda* (Tertullian. Apologet. cap. 6.): non singula quidem, quia prioribus eversis longe plura ubique terrarum extruxerant. Addidit *nec nuda*, quoniam solebant illuc non veste communi, sed penula induti confluere. Ne enim *vel hieme*, inquit, *voluptas impudica frigeret, primi Lacedaemonii odium penulae ludis excogitaverant.* In omnibus autem manuscriptis et ante Rigaltium excusis codicibus non *odium penulae*, sed simpliciter *penulam* legimus. In obscuris vero ac forte corruptis hisce verbis explicandis suum eruditi ingenium non parum sane exercuerunt. Heraldus enim putat iis forsitan significari penulam quam arcendis pluviis Lacedaemonium belligera gens excogitaverat a Romanis ad ludos patientius spectandos fuisse adhibitam. Verum Tertullianus illam non modo ad usum militare, sed ad ludos etiam ab iisdem Lacedaemoniis inventam satis aperte declarat. Rigaltius vero suspicatur illum ironice loqui de penulis, utpote nimium gravibus et ponderosis, quae idcirco odium potius quam voluptatem creare poterant. At quorsum Tertullianus his verbis potius quam aliis et praecedentibus et subsequentibus ironice loqueretur?

Quia igitur Tertullianus sine ironia et affirmate loqui videtur, existimat idcirco Ferrarius eum ibi memoria lapsum ac *penulam* scripsisse pro *endromidem* (Ferr. Part. II. de Re Vest. lib. II. cap. 1.), quae crassa etiam et hirsuta vestis erat ac palaestrae sive potius post palaestram, non minus quam penula utilis. In suae autem opinionis confirmationem haec profert Martialis carmina:

*Hanc tibi Sequanicae pinguem textricis alumnam,  
Quae Lacedaemonium barbara nomen habet,  
Sordida, sed gelido non adspersenda Decembri,  
Dona, peregrinam mittimus endromida,  
Seu lentum ceroma teris, tepidumve trigona,  
Sive harpasta manu pulverulenta rapis.*

(Martial. lib. IV. Epigr. 19.)

Verum nihil prorsus necesse videtur nomen *penulae*, quod constanter in omnibus codicibus legitur, propter coniecturam immutari. Dubium enimvero nemini esse potest, quin Romani penulati ludis publicis interessent. Testis siquidem nobis est Suetonius Galbam imperatorem iussisse, ut illi in quodam solempni spectaculo *manus penulis continerent* (Sueton. in Vita Galbae cap. 6.). In Dionis vero Epitome legimus Commodum imperatorem praecepisse ut ad ultimum quod dedit gladiatorum munus senatores in theatrum veniret: *Ἐν τε τῇ σπολῇ τῇ ἱππιάδι καὶ ἐν ταῖς μανδύαις εἰς τὸ θέατρον εἰσελθεῖν*: *Equestri veste et penula indutos venire in theatrum iussit* (Epit. Dion. in Vita Commodi p. 295.). Quo quidem ornatu nunquam antea illud

ingredi consueverant, nisi imperator ex hac vita decessisset. At *μανδύη* significat aliquod penulae genus. Nam Lampridius de eodem Commodo: *Contra consuetudinem, inquit, penulatos iussit, non togatos ad munus venire* (Lamprid. in eiusd. Vita p. 315.).

Tertullianus itaque Romanos merito coarguit, quippe qui contra antiquum morem penula uterentur, cum publicis ludis et spectaculis, praesertim hieme, aderant. Tunc enim, quia theatra carebant tectis, penulam sumpsere, ne frigus pluviave noceret ac turpia ibi acta sine ullo spectarent incommodo. Contra pristinos itaque mores voluptatis causa sumpserant penulam, quam milites ob solam necessitatem induebant. Nam de milite, qui christianam religionem coram Tribuno profitebatur, *Gravissimas, inquit Tertullianus, penulas posuit* (Tertull. lib. de Corona cap. 1.). De hac porro veste videsis Octavianum Ferrarium atque Bartholum Bartholinum, qui peculiare de illa disquisitiones et alios qui de re vestiaria libros ediderunt.

Quis igitur non videt qua temeritate ethnici clamabant iniquissimis imperatorum in Christianos legibus se ad eos vexandos cogi, qui tanta audacia et impunitate alias aequissimas theatra ob immanem morum corruptelam funditus everti praecipientes plane despiciabant et adspernabantur. Neque alias plures perquam optimas pluris faciebant, quemadmodum Tertullianus docet et post illum ostendemus.

#### ARTICULUS V.

Expenditur qua temeritate ethnici conculcaverint leges quae dignitatum et natalium insignia ac matronarum et meretricum vestes distingui iubebant, aut prohibebant ne mulieres auro, nisi in annulo pronubo, ornarentur.

Gradum inde Tertullianus facit ad aliud pessumdatarum ab ethnicis legum genus, quibus modestiae ac sobrietati inprimis mulierum prudentissime consultum olim fuit. Qui enim leges christiano nomini iniurias tam insolenter obiectabant, hi ipsi tranquillo laetoque animo patiebantur alias conculcari, *quae dignitatum et honestorum natalium insignia non temere nec impune usurpari sinebant* (Tertull. Apologet. cap. 6.). Quis vero nescit varia fuisse regum, senatorum, equitum et plebeiorum hominum insignia diversasque vestes, quibus a se invicem distinguebantur? Missa enimvero ut plurima faciamus, haec alia sunt de illis ipsiusmet Auctoris nostri verba: *Quis omnino regum insigne potestati suae humero praefert et non aut capite diadema aut in manu sceptrum aut aliquam propriae vestis notam?* (Idem lib. adv. Iudaeos cap. 10.).

Datum quoque est a Caesare Augusto edictum quo prohibuit ne ullus nisi senator, purpuram, quae tum vulgo sumebatur, deinceps indueret (Dion. lib. XLIX. Histor. Rom. p. 459.). Antea vero Iulius Caesar, teste Suetonio, *lecticarum usum, item conchylidae vestis et margaritarum nisi certis personis et aetatibus perque certos dies, ademit* (Sueton. in Vita Iulii Caesaris cap. 43.). Quae quidem ab Eusebiano Chronici auctore de feminis sic explicantur: *Prohibitae lecticis margaritisque uti, quae nec viros nec liberos haberent et minores essent annis quinquaginta quinque* (Euseb. Chron. MDCCCCLXXII.).



Magnum quoque inter matronarum et meretricum vestes erat discrimen (Tertullian. Apologet. cap. 6.). Nam meretrices, sicuti Nonius annotavit, succinctiore veste utebantur (Non. cap. 14. de Gen. Vestim.). Quamobrem Ulpianus: *Si quis, inquit, virgines appellasset, si tamen ancillari veste vestitas, minus peccare videtur, multo minus si meretricia veste feminae, non matrum familiarum vestitae fuissent* (Digest. lib. XLVIII. tit. de Iniur. etc. leg. 15.).

Quantum autem mulieres contra maiorum instituta his vestibus abuterentur, disce ex nostro Tertulliano: *Video, inquit, et inter matronas atque prostibulas nullum de habitu discrimen relictum* (Tertullian. loco cit.). Neque ibi ille plura, sed quae alio in libro uberius huncque prosequitur in modum: *Converte et ad feminas, inquit, habes spectare quod Caecinna Severus graviter senatui impressit matronas sine stola in publico. Denique Lentuli auguris consultis, quae ita sese exauctorasset, pro stupro erat poena; quoniam quidem indices custodesque dignitatis habitus, ut lenocinii factitandi impedimenta, sedulo quaedam desuefecerant. At nunc in semetipsas lenocinando, quo planius adeantur et stolam et supparum et crepidulam, calientrum, ipsas quoque iam lecticas et sellas, quibus in publico quoque domestice ac secreta habebantur, eieravere* (Idem lib. de Pallio cap. 4.). Alio adhuc in libro eundem abusum ac reiectam illam honestarum matronarum et meretriciarum vestium differentiam acrius insectatur. Audi, quaeso, eum loquentem: *Quanto magis blasphemabile est, si quae sacerdotes pudicitiae dicimini impudicarum ritu procedatis cultae et expictae? Aut quid minus habent infelicissimae illae publicarum libidinum victimae, quas si quae leges a maritalibus et matronalibus decoramentis coërcebant, iam certe saeculi improbitas quotidie insurgens honestissimis quibusque feminis usque ad errorem dignoscendi coaequavit* (Idem lib. II. de Cultu Femin. cap. 12.)? Tum paulo post: *Thamar illa, quae se expinxerat et ornaverat, idcirco Iudae suspicionem visa est quaestui sedere, adeoque sub velamento latebat, habitus qualitate quaestuarium mentiente, ut quaestuarium et voluerit et compellaverit et pactus sit* (Ibid.). Nec absimili modo Hieronymus: *Thamar, inquit, sub specie meretricis fallit Iudam* (Hieronym. lib. I. adv. Pelagian. p. 495.). Audisne quam antiquae fuerint de distinguendis matronarum scortorumque vestibus leges et quam impune eas ethnici violaverint?

Neque alias magis curabant, quibus feminarum modestiae et sobrietati cautum erat. Nulla enim antiquitus femina aurum, ait Tertullianus, *praeter unico norat digito, quem sponsus oppignerasset, pronubo annulo* (Tertullian. Apologet. cap. 6.). Nemini autem incompertum est morem vetustissimum fuisse, ut sponsus in futurarum nuptiarum pignus annulum quem vocabant pronubum sponsae suae mitteret. Si quis tamen illius testem saltem unum sibi citari velit, is audiat Iuvenalem:

*Conventum tamen et pactum et sponsalia nostra  
Tempestate paras, iamque a tonsore magistro  
Pectoris et digito pignus fortasse dedisti.*

(Iuvenal. Satir. VI. v. 25 et seqq.)

Plinius autem testatum nobis facit hunc anulum suo tempore ferreum fuisse ac sine gemma: *Etiam nunc, ait, sponsae muneri ferreus annulus mittitur isque sine gemma* (Plin. lib. XXXIII. Natur. Hist. cap. 1.).

Tertulliani itaque nostri aetate mos ille plane modestus iam immutatus erat et pro ferreo annulo aureus dabatur. Postea vero Isidorus de annulis iisdemque pronubis plurali numero sic loquebatur: *Feminae non usae sunt annulis, nisi quos virgini sponsus miserat, neque amplius quam binos annulos aureos in digitis habere solebat. At nunc prae auro nullum feminis leve est atque immune membrum* (Isidor. lib. XIX. Origin. cap. 32.). Nonne autem his posterioribus verbis ad haec Tertulliani respexit, quibus mulierum luxum ipso de quo agimus loco sic exagitat: *Nunc in feminis prae auro nullum leve membrum* (Tertullian. Apologetic. cap. 6.). Quamobrem Ovidius antea cecinerat:

*Nec prodite graves, insuto vestibus auro,  
Per quas non petitis, saepe fugatis opes.*

(Ovid. lib. III. de Arte Amandi v. 172.)

Testis adhuc nobis est Plinius visam a se Agrippinam Claudii principis, id est Neronis, uxorem edente eo navalis praelii spectaculum, assidente ei, indutam paludamento auro textili sine alia materie (Plin. ibid. cap. 3.). Quod quidem et Dion (Dion lib. X. Rom. Histor. p. 790.) et Cornelius Tacitus confirmant (C. Tacit. lib. XII. Annal. ante fin.). Qui plura de hoc Romanarum mulierum luxu scire voluerit, is adeat Meursium (Meurs. lib. de Luxu Roman. cap. 4 et seqq.), Kobierzykum (Kobierz. lib. I. de Luxu Rom. cap. 8 et seqq.) ac, si vacat, ea quae nos alibi annotavimus (Tom. I. Appar. p. 792.).

#### ARTICULUS VI.

Expenditur quanta sereritate usus vini mulieribus olim interdictus fuerit ac quam impune propter illius abusus uxores a viris suis trucidatae sint; quam immoderate postea a feminis sumptum, quae idcirco solitum osculum propinquis porrigere non audebant; quam frequens fuerit uxorum repudiatio, priscis temporibus incognita, ac qua ratione ethnici proavis suis nuntium sermone et loquendi modo remiserint.

Nihil sane antiqua Romanorum probitate magis dignum, quam salubris illa severitas, qua vini usus feminis ita interdictus fuerat, ut matronam, sicut Tertullianus noster memorat, ob resignatos cellae vinariae oculos sui inedia necarint. *Sub Romulo vero quae vinum attigerat impune a Mecenio marito trucidata est. Idcirco et oscula propinquis offerre necessitas erat, ut spiritu iudicarentur* (Tertullian. Apologetic. cap. 6.). Eadem plane, etsi non eodem ordine, clarius explicat Plinius: Non licebat, inquit, id (vinum) feminis Romae bibere. *Invenimus inter exempla Egnatii Mecenii uxorem, quod vinum bibisset e dolio, interfectam fuisse a marito eumque caedis a Romulo absolutum. Fabius Pictor in Annalibus suis scripsit matronam, quod oculos, in quibus erant claves vinariae cellae, resignavisset, a suis inedia mori coactam; Cato ideo propinquos feminis osculum dare, ut scirent an temetum olerent. Hoc tum nomen vino erat, unde et temulentia appellata* (Plin. lib. XIV. Natur. Hist. cap. 13.). Quis autem



facile sibi non persuadebit haec omnia a Tertulliano non ita simul coniungi potuisse, nisi ea vel ex ipso Plinio vel iisdem ac ille fontibus hauserit? Paulo enim aliter Valerius Maximus narrat illam Egnatii Mecenii uxorem eo quod vinum biberat ab eo interemptam sine accusatore aut reprehensore (Val. Max. lib. VI. cap. 3. §. 9.), quoniam omnes existimabant *optimo illam exemplo violatae sobrietatis poenas huisse* (Idem lib. II. cap. 1. §. 5.).

Prius vero dixerat vini usum olim Romanis feminis ignotum, quia proximum est inde ad inconcessam Venerem gradus. Quin etiam ab A. Gellio rursum citatur Cato, qui tradidit eodem modo condemnatam mulierem, quae aut vinum biberat aut in adulterio fuerat deprehensa (A. Gell. lib. X. Noct. Attic. cap. 23.). Ad haec vero Athenaeus non solum vini mulieribus a Romanis interdicti mentionem facit, sed addidit insuper cellam vinariam iis non commissam et osculum a maritis et cognatis idcirco porrectum, ut possent odoratu agnoscere utrum vera vinum bibissent (Athen. lib. X. Deipnosoph. cap. 7. p. 429. et cap. 11. p. 440.). De hac autem vini interdictione iam disputavimus (Dissertat. in Arnob. cap. 4. Art. 1.).

Contra hanc tamen legem: *Prae vino*, inquit Tertullianus, *nullum liberum est osculum* (Tertullian. Apologet. cap. 6.). At in illud ebrietatis vitium varii scriptores ac potissimum satirici poëtae invehuntur. Sed sufficiet in rem notissimam haec retulisse Iuvenalis carmina, quibus ea, quae non modo de ebrietate, sed luxu etiam in superiori articulo diximus, manifeste confirmantur:

*Nullum crimen abest facinusque libidinis, ex quo  
Paupertas Romana perit.*

*Prima peregrinos obscoena pecunia mores  
Intulit et turpi fregerunt saecula luxu  
Divitiae molles. Quid enim Venus ebria curat?  
Inguinis et capitis quae sint discrimina nescit,  
Grandia quae mediis iam noctibus ostrea mordet.  
Cum perfuso mero spumant unguenta Falerno,  
Cum bibitur concha, cum iam vertigine tectum  
Ambulat et geminis exurgit mensa lucernis.  
I nunc et dubita qua sorbeat aëra sanna  
Tullia, quid dicat notae Collacia Mura,  
Maura pudicitiae, veterem cum praeterit aram.*

(Iuvenal. Satir. VI. v. 293 et seqq.)

Quid plura? Gentilibus adhuc probro Auctor noster vertit, quod evanuerit prisca *felicitas matrimoniorum, de moribus utique prosperata, qua per annos fere sexcentos ab Urbe condita nulla repudium domus scripsit* (Tertull. ibid.). Visne id tibi graecis quibusdam latinisque testibus probari? Primus erit Dionysius Halicarnasseus, cuius haec sunt verba: *Ὁμολογείται ἐν τῶν εἴκοσι καὶ πεντακοσίων μηδεις ἐν Ῥώμῃ διαλυθῆναι γάμος κατὰ τὴν ἐβδόμην ἐπὶ ταῖς τριάκοντα καὶ ἑκατὸν Ὀλυμπιάσιν, ὑπατευόντων Μάρκον Πομπωνίου καὶ Γαίον Παπυρίου, πρῶτος ἀπολύσαι λέγεται τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα Σπούριος Καρουίλλιος, ἀνὴρ οὐκ ἀφανής, ἀναγκαζομένος*

ὑπὸ τῶν τιμητῶν ἰσοῦσαι τέκνων ἕνεκα γυναῖκα μὴ συνοικεῖν· ἢ δ' αὐτῷ στείρα ἢ γυνή, ὅς ἐπὶ τῷ ἔργῳ τούτῳ, καίτοι δι' ἀνάγκην γινομένη, μισούμενος ὑπὸ τοῦ δήμου διετέλεσεν: *Constat per annos DXX. nullum accidisse divortium. Septima demum supra centesimam et tricesimam Olympiade Marco Pomponio et C. Papyrio consulibus primus dicitur uxorem dimisisse Sp. Carvilius, vir non obscurus, coactus a censoribus iurare liberorum causa se coniugem non retinere; erat enim sterilis: qui ob hoc factum, quamvis necessitate compulsus, in perpetuum exosus fuit populo* (Dionys. Halicarn. lib. II. Antiquit. Rom. p. 96.).

Latini vero scriptores Valerius Maximus et a Gellius eadem litteris mandaverunt (Val. Max. lib. II. cap. 1. §. 4.), nisi quod Gellius, citato auctore Servio Sulpicio, narrat id contigisse anno Urbis conditae DXXIII. M. Attilo et P. Valerio consulibus (A. Gell. lib. IV. Noct. Attic. cap. 3.). Sed ibi certe aut postea subest aliquis illius memoriae vel librarii error. Nam alio in libro scribit illud actum anno ab Urbe condita quingentesimo undevicesimo, quo alii proinde consules esse debebant iique forsitan qui a Dionysio Halicarnaseo notantur (Idem lib. XVII. cap. 21.).

Ab his itaque tam aequis et moribus et legibus plane penitusque desciverant ethnici, quibus *repudium*, ait Tertullianus, *iam et votum est et quasi fructus matrimonii* (Tertullian. ibid.). Neque suspicaris aliquam hic subesse illius amplificationem. Suspectum enim non habebis Senecam, cuius haec de repudio legimus verba: *Numquid iam ulla repudio erubescit, postquam illustres quaedam ac nobiles feminae non consulum numero, sed maritorum suorum annos computant et exeunt matrimonii causa, nubunt repudii. Tamdiu illud timebatur, quamdiu rarum erat; quia vero nulla sine divortio acta sunt, videlicet a publicis notariis descripta, quod saepe audiebant facere didicerunt* (Senec. lib. III. de Benef. cap. 16.). Huc quoque accedat Iuvenalis, qui haec frequentissima uxorum divortia his versibus insectatur:

*Imperat ergo viro, sed mox haec regna relinquit  
Permutatque domos, et flammea conterit; inde  
Advolat et sprete repetit vestigia lecti.  
Ornatas paulo ante fores pendentia linquit  
Vela domus et adhuc virides in limine ramos.  
Sic crescit numerus, sic sunt octo mariti  
Quinque per autumnos, titulo res digna sepulcri.*

(Iuvenal. Satir. VI. v. 223.)

Audis sane quam perspicue dixerit unam uxorem intra quinque autumnos, id est quinque annos, habuisse octo maritos. Martialis vero Telesinam quandam acriter corripit, quae intra unum mensem decies contra leges latas impune nupserat:

*Iulia lex populis ex quo, Faustine, renata est,  
Atque intrare domos iussa pudicitia est,  
Aut minus aut certe non plus tricesima lux est,  
Et nubit decimo iam Telesina viro.*

*Quae nubit toties, non nubit, adultera lege est:  
Offendor moecha simpliciore minus.*

(Martial. lib. VI. Epigr. 7.)

Verum adeo effraenis erat haec nefaria repudiorum licentia, ut vix unquam ullis imperatorum, quarum plures adhuc extant, legibus refrinari potuerit. Quid vero, quod non solum tot tamque praeclaras leges, quo diximus modo, conculcabant, sed debitam quoque maioribus venerationem. Quapropter illos his Tertullianus verbis alloquendo sic urget: *Habitu, id est vestitu, victu, instructu, censu, ipso denique sermone proavis renuntiastis* (Tertullian. Apologet. cap. 6.) Et rursus alio in libro: *Plane, inquit, subiacet quanta a maioribus mutaveritis, cultu, habitu, apparatu, ipsoque victu*, sicut ex iam dictis patet. Adiecit autem ipsoque sermone. Cur ergo sermone etiam ac loquendi modo? *Quia pristinum, inquit, ut rancidum relegatis* (Idem lib. I. ad Nation. cap. 10.), id est tanquam insuavem, putidum et male olentem reiicitis.

#### ARTICULUS VII.

Examinatur quodnam sit vetus decretum de novis diis sine senatusconsulto non introducendis et Metelli votum de templo in Alburni dei honorem construendo, quod irritum factum est, ac quomodo decretum illud violatum sit ab ethnicis, qui Liberum patrem, Serapidem et Harpocratem cum suo Cynocephalo senatusconsulto reiectos impudentissime restituerunt.

Ethnicos vehementius adhuc Tertullianus premit planeque opprimit. Evidenter enim ostendit ab eis non solum sanctiores de rebus humanis, sed de divinis etiam ritibus leges spretas et pessumdatas. At illum, si placet, in suo ad Nationes libro argumentantem audiamus: *At enim illi, inquit, sapientissimi ac prudentissimi maiores, quorum institutis renuntiare non nostis, maxime in persona deorum vestrorum, ipsi quoque impii deprehenduntur. Mentior, si nunquam censuerant ne qui imperator sanum, quod in praelio vovisset, prius dedicasset, quam senatus probasset, ut contigit M. Aemilio Probo, qui voverat Alburno deo. Utique enim impiissimum, immo contumeliosissimum admissum est in arbitrio et libidine sententiae humanae locare honorem divinitatis, ut deus non sit, nisi cui esse permiserit senatus* (Tertullian. lib. I. ad Nation. cap. 10.). Sed haec ille brevius in Apologetico suo: *Vetus, ait, erat decretum, ne qui deus ab imperatore consecraretur, nisi a senatu probatus. Scit M. Aemilius de deo suo Alburno. Facit hoc ad causam nostram, quo apud vos de humano arbitrato divinitas pensatur. Nisi homini deus placuerit, deus non erit; homo iam deo propitius esse debet* (Idem Apologet. cap. 5.). In quibusdam vero antiquioribus editionibus pro his verbis: *Scit M. Aemilius*, habetur: *ut Marcus Aemilius*, atque ita legisse videtur Eusebius, qui haec Auctoris nostri verba in graecam linguam sic conversa exhibet: *Παλαιὸν ἦν δόγμα, μηδένα θεὸν ἐπὶ βασιλείῳς καθιεροῦσθαι, πρὶν ἐπὶ τοῦ συγκλήτου δοκιμασθῆναι. Μάρκος Αἰμίλιος οὕτως περὶ τινος εἰδώλου πεποιήκεν Ἀλβούρου* (Euseb. lib. II. Eccles. Histor. cap. 2. p. 41.). Verum utriusque lectionis idem plane est sensus. Quamobrem haec primum explicanda sunt



ac deinde examinandum quo Tertullianus modo inde contra ethnicos disputet.

Dubium enimvero esse potest quodnam sit illud de deo consecrando edictum. Scimus quidem unum a Cicerone hisce verbis describi: *Separatim nemo habessit deos, neve novos, sed ne advenas, nisi publice adscitos, privatim colunto* (Cicer. lib. II. de Legib. p. 334. lin. 37.). Aliud tamen decretum a Tertulliano designari videtur, utpote qui imperatoris fecerit mentionem. Laudata enimvero a Cicerone lex Romanis imperatoribus longe vetustior est. Quid ergo, si dicamus ab Auctore nostro imperatoris nomine appellari praefectum exercitus aut consulem illius ducem? Aemilius autem Probus huiusce legis ignarus aut de illa in ancipiti praelii fortuna nihil cogitans vovit fore ut, si hostes vinceret, fanum consecraret deo, cui Alburno nomen erat. Sua autem experientia agnovit illud nimis praeceps sine senatusconsulto fuisse votum. Prohibuit enim senatus hoc fanum aedificari, quemadmodum postea impedivit, ne Christus, ut ibidem ait Tertullianus, Deus renuntiaretur tametsi Tiberius id vehementer optavisset.

Quis vero sit ille deus Alburnus, dictu proculdubio non minus difficile. Rara siquidem apud veteres mentio illius occurrit. Ex Virgilio tamen discimus in Lucania apud Silarum fluvium esse montem, qui ab illo Alburnus his versibus vocatur:

*Est lucus Silari circa illicibusque virentem  
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen Asilo  
Romanum est, Oestron Graii vertere vocantes.*

(Virgil. lib. III. Georg. v. 146 et seqq.).

At is mons pro gentiliū more consecratus fuerat alicui deo, cui Alburni nomen impositum et Metellus fanum vovere potuit. Neque mireris, si nunc deus ille sit incognitus; topicus quippe deus erat. At hi dii, ut observat Servius, non transibant ad alias regiones ac proinde vix aliis quam locorum incolis noti erant (Serv. in lib. VII. Aeneid.).

Duo autem argumenta contra ethnicos Tertullianus inde eruit. Primo enim inde evidentissime concludit deos gentiliū factos esse pro hominum voluntate et arbitrato atque idcirco nullum posse gentiliū esse deum, nisi homini placuerit. Atqui summa impietas est ulli pro hominum arbitrio tribuere divinitatem. Verus siquidem Deus a se ipso et omnipotens est atque ideo nulli subiectus, sed illi subiecta sunt omnia. Ethnici ergo nulla prorsus lege, nisi iniquissima, decernere potuerunt, ut Christiani reiecto veri Dei cultu factos ab hominibus deos adorarent, secus vero illi etiam inauditi interficerentur. Secundo inde colligit Tertullianus vetus illud de novis diis non introducendis decretum ab ipsismet gentilibus violatum, qui pari licentia deos olim factos repudiarent ac repudiatos restituerunt. Nam *Liberum patrem*, uti ille ait, *cum mysteriis suis consules senatus auctoritate non modo Urbe, sed universa Italia eliminarunt* (Tertullian. Apologet. cap. 6.). Quae quidem ille alio in libro iisdem paene verbis repetit (Lib. I. ad Nation. cap. 10.). Totam autem hanc historiam accurate narrat Livius ac quando, qua occasio et quomodo a Posthumio consule nefanda horrendaque crimina, quae in his execrandis sacris noctu perpetrabantur, sint resecta atque eam ob causam sena-



tusconsulto Romae totaque in Italia penitus abrogata sublataque fuerint (Liv. lib. XXXIX. cap. 9. usque ad 19.). Quamobrem recte Augustinus: *Haec postea, inquit, displicuerunt senatui saniori et ea iussit auferri* (August. lib. VI. de Civit. Dei cap. 9.).

Contra vero: *Serapidem*, ait adhuc Auctor noster, *et Isidem et Harpocratem cum suo cynocephalo Capitolio prohibitos, id est curia deorum pulsos, Piso et Gabinius consules, non utique Christiani, eversis etiam aris eorum abdicaverunt, turpium et otiosarum superstitionum vitia cohibentes* (Tertullian. Apologet. cap. 6.). Sed haec ille paulo uberius in alio libro, ubi et testem Varronem hunc in modum citavit: *Serapidem et Isidem et Arpocratem et Anubim prohibitos Capitolio Varro commemorat eorumque statuas a senatu disiectas non nisi per vim popularium restructas, sed tamen Gabinius consul Kalendis Ianuariis cum vix hostias probaret prae popularium coetu, quia nihil de Serapide et Iside constituisset, potiore habuit senatus censuram quam impetum vulgi et aras institui prohibuit* (Idem lib. I. ad Nat. cap. 10.).

Sed animadvertas velim quae fuerit etiam in rebus sacris inconstantia et insulitas gentilium, qui postquam turpissima ac plane detestanda haec Serapidis mysteria iure tam merito sustulissent, summa tamen impietate instauraverunt, quemadmodum Tertullianus se postea fusius demonstraturum pollicetur. Nos vero de illorum cum eversione tum renovatione quaedam in nostra de Minucii Octavio dissertatione annotavimus (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 22. Art. 1.) et infra adhuc observabimus.

Ethnicis igitur, qui deos suos ita repudiaverant et restituerant, fas nunquam fuit Christianos nec auditos nec defensos ideo condemnare et interficere, quia verum Deum veramque religionem suam negare et abdicare nolebant. Sed id adhuc confirmatur ex iis, quae retulimus in alia dissertatione (Dissertat. in Arnob. cap. 5. Art. 1. et seqq.), ubi patefecimus quanta illi audacia mores, leges et instituta etiam sacratoriâ contempserint, labefactarint et abrogaverint.

## CAPUT XIX.

De legibus in Christianos datis et imperatorum in eos odio vel favore.

### ARTICULUS I.

Quomodo Tertullianus ostendat primas in Christianos leges latas esse a Nerone nequissimo imperatore ac deinde a Domitiano, Neronianae crudelitatis portione, qui tamen eos restituit, quos relegaverat.

Satis abunde Tertullianus demonstravit quam absurde ethnici ad vexandos et occidendos Christianos suis se legibus obstringi causarentur, qui maiorum suorum instituta, mores ac leges sanctiores impune aut violabant aut adspernabantur. Laudabant enim veteres, sed *nove de die* vivebant, ait Auctor noster, atque exclusa in negotiis et officiis antiquitate, venerandam patrum suorum auctoritatem pessumdabant (Tertullian. Apologet. cap. 6.). Sed haec ille omnia sibi satis esse

non putavit ipsumque petit accusationis caput. Manifestum itaque facit datas in Christianos leges esse iniquissimas et statutas a pessimis ac sceleratissimis principibus. Neque minus evidenter demonstrat bonos piosque principes vel nunquam in Christianos saevisse aut nunquam praecepisse in eos saeviri. Quod quidem ille imperatorum a christiana religionis initio ad suum usque tempus brevi inductione ostendit (Idem lib. I. ad Nat. cap. 10.).

Ubi enimvero christianum nomen in mundum pervulgari coepit (Idem Apologet. cap. 5.), tum Tiberius imperator, uti superius animadvertimus (Supra cap. 8. Art. 4.), voluit Christum in deorum numerum referre ac quamvis prohibitus sit a senatu, in sua tamen permansit sententia. Tantum itaque abest, ut aliquam tulerit in Christianos legem, quin potius eorum *accusatoribus*, inquit Tertullianus, *periculum*, poenae videlicet et supplicii, comminatus fuerit (Tertull. ibid.).

Neque etiam Auctor noster unquam credidit quidquam a Caligula et Claudio imperatoribus in eosdem Christianos decretum. Etenim ibidem adiecit: *Consulite commentarios vestros, illic reperietis primum Neronem in hanc sectam cum maxime Romae orientem Caesariano gladio ferocisse* (Tertullian. loc. cit.). Nos vero infra explicabimus cur prima Christianorum persecutio ab hoc imperatore concitata dicatur (Dissertat. in Luc. Caecil. lib. de Mort. Persec. cap. 6. Art. 1.). Quamobrem illud tantum observabimus quibusdam visum fuisse his verbis *commentarios vestros* ab Auctore nostro designari aut Cornelii Taciti Annales aut potius descriptam a Suetonio Neronis vitam. Nam alibi ille dixit *Vitas Caesarum legimus: orientem fidem primus Nero cruentavit* (Tertullian. lib. de Scorp. cap. 15.). Nec prorsus quidem inepta videtur haec coniectura. Sed quid impedit, quominus commentariorum nomine adhuc denotaverit arcana seu acta publica Romanorum, in quibus, sicuti supra notavimus (Supra cap. 9. Art. 3.), extraordinaria facta litteris consignata conservabantur.

Ut cumque res se habeat, certe religio christiana hoc Nerone, tyranno omnium nequissimo vel, quemadmodum loquitur Tertullianus, *tali dedicatore damnationis nostrae etiam gloriatur* (Tertullian. Apologet. cap. 5.). Ab illo siquidem damnata eo ipso bona esse et vera probatur. Nam sicuti ille pergit: *Qui scit illum, intelligere potest non nisi grande aliquod bonum a Nerone damnatum* (Idem ibid.). Sed haec paulo fusius prosequitur in suo ad Nationes libro: *Sub Nerone*, inquit, *damnatio invaluit, ut iam hinc de persona persecutorum ponderetis. Si pius ille princeps, impii Christiani, si iustus, si castus, iniustus et incesti Christiani, si non hostis publicus, nos publici hostes quales simus damnator ille demonstravit, utique aemula, id est contrarias pessimis suis moribus virtutes puniens. Et tamen permanseris omnibus hoc solum institutum Neronianum, iustum denique, dissimile sui auctoris* (Idem lib. I. ad Nation. cap. 7.).

Non poterant igitur gentiles Christianis obicere se legibus ab impissimo illo tyranno datis obstringi. Prima quippe lex in eos sancita ab illo, qui tantis tamque horrendis sceleribus infamem vitam duxit, manifestum certe omnibus fecit quam castum et innocens erat Christianorum vivendi genus. Deinde vero ille bonorum omnium hostis in-

nsissimus, nihil nisi bonum et aequum damnabat. Ethnici ergo iniuissimis eius legibus nunquam teneri poterant, ac Christiani iure merito se ab homine tam impio damnatos esse gloriabantur. Denique ia crudelitate et inauditis hactenus flagitiis horrori omnibus adeo fuit, t cuncta eius monumenta abrasa abolitaque fuerint. Nam a senatu, t ait Suetonius, hostis publicus iudicatus est moreque maiorum puendus (Sueton. in Vita Neronis cap. 49.). In Dionis Epitome gimus a militibus comminutas et dirutas eius statuas (Dion. Epit. p. 96.) ac si Plutarcho fides, Spicillus gladiator iis per urbem raptis i foro obrutus necatusque fuit (Plutarch. in Vita Galbae p. 1056.).

At quamvis ethnici omnia eius acta et decreta iure merito rescierint, caeco tamen illorum in Christianos, furore factum est, ut *erasis omnibus* solum Neronis in illos decretum permanserit. Sed Tertullianus eorum insaniam irridendo addidit: *Iustum* quidem, ut *dissimile ui auctoris*, hoc est tam iniquum quam ipsimet impio Neroni et aliis efandis eius factis ac legibus simile fuit.

Prosequitur Tertullianus: *Tentaverat et Domitianus, portio Neronis de crudelitate, sed qua et homo, facile coeptum repressit, restituitis etiam quos relegaverat* (Tertullian. Apologet. cap. 5.). Cuncta ero haec verba graece reddita Eusebius retulit, aliumque testem citat egesippum, qui memoriae tradidit Domitianum, postquam nonnullos hristi cognatos de sua origine et eiusdem Christi regno interrogasset, nihil adversus eos statuisset asperius, sed dimisisse liberos ac misso licto compescuisse commotam in christianae religionis sectatores persecutionem: *καταπαύσαι διὰ προβιάγματος τὸν κατὰ τῆς Ἐκκλησίας ὠγμὸν* (Euseb. lib. III. Eccles. Histor. cap. 20. pag. 90.). Denique e utroque Domitiano et Nerone haec Auctor noster adiecit: *Tales imper nobis insecutores, iniusti, impii, turpes, quos et ipsi, vos gentes, damnare consuestis, a quibus damnatos restituere soliti estis* (Tertullian. *ibid.*).

Frustra ergo ac prorsus inepte iidem gentiles conabantur vano lictorum ab his imperatoribus datorum praetextu suam in Christianos excusare crudelitatem. At de utroque illo imperatore Domitiano t Nerone et commota adversus Christianos persecutione in alia dissertatione disputabimus (Infr. cap. 16. Art. 3. Dissertat. in Luc. Caecil. cap. 6. Art. 1 et 2.).

Ceterum si hi duo nequissimi imperatores quasdam adversus hristianos sanciverunt iniquissimas leges, constat sane alios, qui medio inter utrumque tempore vel post Domitianum ad Tertulliani aetatem regnare, aut Christianos non vexavisse aut ipsis favisse aut ulla tulisse contra illos edicta, sed potius priora emendavisse. Quam item id certum sit, agnosces profecto his Tertulliani verbis, quibus thnicos sic provocat: *De tot exinde principibus ad hodiernum divinum humanumque sapientibus edite aliquem debellatorem Christianorum* (Tertullian. Apologet. cap. 5.). Qua autem, obsecro, fronte ethicos tanta securitate compellare audebat, nisi hoc fuisset verissimum? t certe Melitonem, ab Eusebio citatum (Euseb. lib. IV. Eccles. Hist. ap. 26. p. 148.), ac plures alios, sicut alibi ostendimus (Dissert. in Luc. Caecil. cap. 6. Art. 3.), habuit suae suffragatores et patronos



sententiae, quam ipse adhuc confirmat, uti ex sequentibus articulis patebit.

## ARTICULUS II.

Expenditur utrum Marcus Aurelius christianae religioni propterea faverit, quod Christiani milites exercitui eius siti enecato imbrem non sine magno miraculo a Deo impetraverint ac quomodo iisdem Christianis poenas impositas non dimoverit, sed palam disperserit.

Ethnici iniustissimis pessimorum imperatorum legibus ad Christianos excarnificandos eo maiore perversitate abutebantur, quo certius noverant longe meliores fuisse suos imperatores, qui aut in illorum gratiam fecerunt decreta aut eorum fautores fuerunt et defensores. Nominibus autem suis Tertullianus illos appellat, sed non servato uniuscuiusque aetatis ordine. Orditur enim a Marco Aurelio, quem Christianorum *protectorem* fuisse asseverat. Nec ullus, inquit, unquam diffitebitur: *Si litterae illius gravissimi imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim christianorum forte militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur* (Tertullian. Apologet. cap. 5.). Certum quidem ac unanimi omnium sive gentilium sive Christianorum consensu probatum est haec contigisse, cum Marcus Aurelius adversus Germanos ac Sarmatas pugnaturus aciem instrueret. Tum quippe eius milites, qui siti enecabantur, impetrato coelitus imbre recreati sunt. Sed in dubium aliquis vocabit utrum ethnicorum vel Christianorum precibus obtentus fuerit.

Plures namque scriptores ethnici hunc imbrem precationi pietatique eiusdem imperatoris acceptum referunt. Primus autem ex istis occurrit nobis Capitolinus, cuius haec sunt de illo verba: *Fulmen de caelo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit, suis pluvia impetrata, cum siti laborarent* (Capitol. in Vita M. Anton. pag. 305.). Fusius vero Themistius publica ad Theodosium oratione: *Ἀντωνίνῳ τῷ Ῥωμαίων αὐτοκράτορι τοῦ στρατεύματος ὑπὸ δίψου ἀντὶ πιεζομένου ἀνασχῶν τῷ χεῖρι ὁ βασιλεὺς πρὸς τὸν οὐρανὸν ταύτη, ἔφη, τῇ χειρὶ προύτρεψάμην σε καὶ ἰκέτευσα τὸν ζωῆς δότηρα, ἢ ζωὴν οὐκ ἀφειλόμην, καὶ οὕτω κατήδυσε τὸν θεὸν τῇ εὐχῇ, ὥστε ἐξ αἰθρίας ἤλθον νεφέλαι ὑδροφεροῦσαι τοῖς στρατιώταις: Cum Antonini Romanorum imperatoris exercitus siti laboraret, manus ille ad caelum erexit: Hac ego manu, inquit, supplex te placare volui et oravi vitae largitorem, qua nulli eam eripui: eaque prece sibi placasse numen, ac statim serenitate facta magna imbrum copia ad militarem sedendam sitim erupit* (Themist. Orat. 15. ad Theodos. p. 191.). Tum continuo addidit se meminisse visam a se picturam in imagine descriptam, in qua imperator media in phalange pictus ac milites galeis imbrem excipientes repraesentabantur. Baronius vero speciem exhibuit columnae, in qua mirificus ille imber a Iove pluvio et fulminante concessus conspicitur (Baron. ad ann. Christi 176. §. 24.).

In Dionis tamen Epitome legimus fama pervulgatum quibusdam magicis artibus invocatum ab Arnuphi Mago Aegyptio Mercurium aliosque qui in aëre degunt daemones, quorum opera hanc extorsit pluviam (Dion. Epit. p. 274.). Quamvis autem Xiphilinus Dionem ibi mendacii

arguere totis animi viribus enitatur (Xiphil. *ibid.* pag. 275.), Claudianus tamen incertus animique dubius utramque opinionem his exposuit versibus:

. . . *Chaldaea mago seu carmina ritu*

*Armavere deos, seu quod reor, omne Tonantis*

*Obsequium Marci mores potuere mereri.*

(Claudian. de Sexto Honorii Consul. v. 357 et seqq.)

Sed hoc ethnicorum et notatum a Lampridio dubium non aliunde quam ex innato in Christianos odio ac solita in principes suos adulatione manavit (Lamprid. in Vita Heliogab. p. 141.).

Eusebius siquidem iure prorsus merito asserit maiorem habendam fidem scriptoribus nostris, qui veritatis cultores simpliciter et ingenue rem ipsam litteris mandavere (Euseb. lib. V. Eccles. Hist. cap. 5. p. 169.). Ne quis vero fidem ipsi denegaret, duos citat testes, quorum primus est Apollinaris, qui scriptis tradiderat illi Christianorum militum legioni nomen Fulmineae idcirco ab Aurelio imperatore inditum, quia imbrem illum divinitus impetraverat. At gentiles captata haud dubie huius cognominis occasione id a Iove fulminante factum sinxerunt. Secundus testis ab Eusebio laudatus noster est Tertullianus, cuius transcripta a nobis Apologetici verba graece reddita citavit. At poterat insuper alium citare eius librum, ubi non minus clare et asseveranter affirmat hunc mirandum imbrem a Deo indultum Christianorum militum precibus. Ad Scapulam enim ethnicum praesidem haec scripsit: *Marcus Aurelius in Germanica expeditione christianorum militum orationibus ad Deum factis imbres in siti illa impetravit. Quando non genculationibus et ieiunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsae? Tunc et populus acclamans Deo deorum, qui solus potens est, in Iovis nomine Deo nostro testimonium reddidit* (Tertullian. lib. ad Scap. cap. 4.). Ex his porro verbis facile animadvertes nihil plane mirum esse, si scriptores ethnici illam mirabilem pluviam a Iove suo concessam venditaverint, qui solebant huic similia miracula, Christianorum precibus facta, eidem Iovi tribuere. Sed, ut optime Tertullianus advertit, vero et omnipotenti Deo nostro Iovis nomine imprudentes et inviti acclamabant.

At, quaeret forsitan aliquis, cur ille hoc posteriore in loco tam affirmative pronuntiaverit hunc imbrem Christianis preceationibus concessum, qui in Apologetico adverbium *forte* addidit. Numquid aliquando hac de re haesit dubius, aut illud adverbium textui eius praepostere insertum est? Non enim extat in graeco Eusebii textu. Sed id contra codicum manuscriptorum fidem asserere non audemus. Nonne ergo verisimilius est illud adverbium non dubitantis esse, sed irridentis ethnicos, qui hunc imbrem a fictitio suo Iove datum stulte opinabantur?

Magis autem omnibus id manifestum fieret, si Aurelii imperatoris litterae quas Auctor noster citat ad nos pervenissent. Nonnulli tamen suspicantur illas esse, quarum exemplar post primam Iustini Martyris Apologiam editum exhibetur. Verum iam annotavimus spurium illud esse et adulterinum (Tom. I. Appar. p. 369.).

Scaliger vero ex his Tertulliani verbis *si requirantur* colligi posse

putat eas ab illo nunquam lectas (Scalig. Animadv. in Chronic. Euseb. ad ann. 2189.). Quod Orosii etiam testimonio stabilire conatur. At quomodo Tertullianus tanta confidentia ethnicos ad illas legendas excitavit, nisi ipse eas aut quid in eis scriptum est legisset? Ad haec vero Eusebius ex iisdem Tertulliani verbis concludit hasce litteras Tertulliani tempore extitisse, *εἴσατι νῦν φέρεσθαι* (Euseb. lib. V. Eccles. Hist. cap. 5. pag. 169.). Cur ergo, arguit Scaliger, illas Eusebius solita diligentia integras non descripsit, si tunc revera extitissent? Sed imbecilla prorsus est illa reclamatio, nisi evidenter probetur nullum omnino esse huius generis monumentum, quod ab Eusebio transcriptum non fuerit. Nunquam autem id poterit a Scaligero aut ullo alio probari.

Ceterum Marcus Aurelius tanti beneficii precibus Christianorum coelitus accepti memor ipsis, prout potuit, gratificatus est. Cum enim maximum gentilium in Christianos furorem penitus comprimere nequiret: *Sicut non palam, inquit Tertullianus, ab huiusmodi hominibus poenam dimovit, ita alio modo palam dispersit, adiecta etiam accusatoribus damnatione, et quidem tetriore* (Tertullian. Apologet. cap. 5.). Non enim audebat poenas penitus dimovere, relaxare et remittere, quae prius aliorum imperatorum legibus in Christianos constitutae fuerant, petulantiam tamen ethnicorum illos nunquam non accusantium ut cohiberet, alias graviore quam Traianus ab Auctore nostro ibidem, ut mox videbimus, citatus poenas hisce accusatoribus imposuit atque hoc prudenti temperamento Christianos pro sua parte tutatus est.

Nobis porro Eusebius integrum legis ad Commune Asiae nomine Marci Aurelii Antonini inscriptae et in Christianorum gratiam datae transcripsit exemplar, cuius haec sunt posteriora verba: *Εἰ δὲ τις ἐπιμένει τινὰ τῶν τοιούτων εἰς πράγματα φέρων ὡς δὴ τοιοῦτον, ἐκείνος ὁ καταφερόμενος ἀπολελεύσθω τοῦ ἐκκληΐματος, καὶ ἐὰν φαίνεται τοιοῦτος ὢν, ὁ δὲ καταφέρων ἔνοχος ἔσται δικῆς: Quod si quis adhuc pergit cuiquam illorum negotium facessere ex eo quod Christianus sit, delatus quidem crimine absolvatur, tametsi constat eum reipsa Christianum esse. Delator autem ipse poenas luat* (Euseb. lib. IV. Eccles. Hist. cap. 14. p. 127.). Scimus quidem nonnullos existimavisse hanc legem non a Marco Aurelio, sed ab Antonino Pio profectam. Verum si vera sit haec opinio, ad Tertulliani pariter faciet propositum. Nam ille hunc etiam eundem Antoninum Pium in bonorum principum numero collocat, qui nulla adversus Christianos edicta sanciverunt (Tertull. Apologet. cap. 5.).

Non deerit fortasse aliquis, qui a nobis requirat quo pacto Tertullianus tantis laudibus extollat Marci Aurelii in Christianos studium ac favorem, quo imperante ortam putant, ut postea animadvertemus (Dissert. in Luc. Caecil. cap. 1. Art. 3. et cap. 6. Art. 3.), quartam Ecclesiae christianae persecutionem. Sed ea ipsa lex proxime a nobis citata responsum nobis suppeditat. Illa enim tametsi poenae in Christianorum accusatae decernerentur, prius tamen laudantur dii gentilium. At haec commendatio bacchantium in illos ethnicorum aestus auxit potius, quam restinxit. Quid vero, quod iidem gentiles persuasum habebant recentioribus hisce legibus alias adversus Christianos editas



non abrogari? Praeterea quid leges facere poterant contra effraenatum vulgi variis superstitionibus obcaecati furorem et popularium insanas incursionses? Nonne his legibus spretis innumeri prope martyres, ut narrat Eusebius, his temporibus crudelissime interempti sunt (Euseb. lib. V. Eccles. Hist. cap. 5. pag. 153.)? Nihil ergo inde concludendum contra propensum in Christianos Marci Aurelii animum, qui ea passus est, quae impedire non poterat.

## ARTICULUS III.

Examinatur quo iure Tertullianus asserat mitigatas ab imperatore Traiano scriptas in Christianos leges, nullas vero in illos latis ab Adriano, curiositatum omnium exploratore, neque a Vespasiano debellatore Iudaeorum, neque a Pio, neque a Vero seu Severo, imperatoribus.

Gradum Tertullianus revocat atque a Marco Aurelio venit ad Traianum, illo antiquiorem. Leges autem in Christianos datas *ex parte*, uti ipse Tertullianus loquitur, *frustratus est, vetando inquiri Christianos* (Tertullianus. Apoget. cap. 5.). Superioribus etenim imperatorum decretis iussum erat eos inquiri ac puniri, sed Traianus, uti supra ostendimus (Sup. cap. 17. Art. 2.), prohibuit quidem inquiri, sed oblatos puniri praecepit.

At successor eius Adrianus nullam plane legem in eos constituit, quibus tamen magis quam alii infensus esse debere videbatur: *Erat enim*, inquit Auctor noster, *curiositatum omnium explorator* (Idem ibid.), id est quibuslibet magicis artibus omnino deditus. Et certe vitio illi, teste Xiphilino, datum est, quod esset *περιεργότατος και μαρτείας μαγγανείας τε παντοδαπαῖς ἐχρήτο*: *Curiosissimus ac divinationibus et omnibus magicis artibus uteretur* (Xiphil. Epit. Dion. pag. 262.), Ammianus vero Marcellinus, ubi de Iuliano Apostata: *Praesagiorum, inquit, sciscitationi nimiae deditus, ut aequiparare videretur in hac parte principem Adrianum, supersticiosus magis quam sacrorum legitimus observator* (Amm. Marcell. lib. XXV. c. 4. pag. 427.). Verumtamen nulla, ait Tertullianus, adversus Christianos lex ab hocce Adriano sancita fuit. Quapropter Melito in sua ad Marcum Aurelium Antoninum Apologia scripsit Neronis et Domitiani imperitiam rescriptis subsequentium imperatorum fuisse correctam: *Ἐν οἷς ὁ μὲν πάππος σου Ἀδριανὸς πολλοῖς μὲν ἄλλοις, καὶ Φουνδάνῳ δὲ τῷ ἀθηνάειῳ τῆς Ἀσίας γράφων φαίνεται*: *Inter quos avus tuus Adrianus cum aliis pluribus, tum Fundano Asiae proconsuli litteras dedit* (Euseb. lib. IV. Eccles. Hist. cap. 26 pag. 148.). Testatum praeterea Hieronymus facit Adriano invisenti Eleusinam et omnibus paene Graeciae sacris initiato oblatum pro christiana nostra religione librum, *qui tantae admirationi omnibus fuit, ut persecutionem gravissimam illius excellens sedaret ingenium* (Hieronym. Catal. Script. Eccles. §. 19. et Epist. 83. ad Magn.). Verum gentiles tantis impii imperatoris superstitionibus datam sibi Christianos impune vexandi occasionem nacti in eos acerbissime saeviebant, tametsi nullam ille in ipsos tulerit legem, immo vero ortam tempestatem postea sedaverit.

Tum deinde Auctor noster retro adhuc ab hoc Adriano regreditur ad Vespasianum, qui pariter nullum, inquit, contra Christianos

edictum emisit, *quanquam Iudaeorum*, inquit, *debellator* (Tertullian. Apologet. cap. 5.), quos plerique omnes ethnici cum iisdem Christianis confundere solebant. Ab eo autem debellatam Iudaeorum gentem actumque Romae de illis cum Tito filio suo triumphum quis nescit? Quod nullum vero de Christianis decretum fecerit, testis est Eusebius, qui litteris mandavit excitatam fuisse a Domitiano secundam post Neronem persecutionem: *Καὶ περ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ Οὐεσπασιανῶ μηδὲν καὶ ἡμῶν ἄτοπον ἐπινοήσαντος: Quamvis pater ipsius Vespasianus nullam unquam iniuriam nobis facere tentasset* (Euseb. lib. III. Eccles. Histor. cap. 17. pag. 88.).

Quid plura? *nullas* quoque *Pius*, qui longo post Vespasianum tempore imperavit, pergit Tertullianus, adversus Christianos leges aut approbavit aut subsignavit (Tertullian. loc. cit.). Melito enim in iam citata a nobis Apologia Marcum Aurelium his apud Eusebium verbis affatur: *Ὁ δὲ πατὴρ σου, καὶ σου τὰ σύμπαντα διοικοῦντος αὐτῶ, ταῖς πόλεσι περὶ τοῦ μηδὲν νεωτερίζειν περὶ ἡμῶν ἔγραψεν· ἐν οἷς καὶ πρὸς Λαρισσαίους καὶ πρὸς Θεσσαλονικεῖς καὶ πρὸς Ἀθηναίους καὶ πρὸς πάντας Ἕλληνας: Pater quoque tuus, quo tempore cuncta simul cum ipso administrabas, scripsit ad civitates, ne contra nos tumultus concitarent, nominatim ad Larissaeos, ad Thessalonicenses, ad Athenienses, ad universos denique Graecos* (Euseb. lib. IV. Eccles. Hist. cap. 26. pag. 148.). Plures etiam eruditi nostrae aetatis viri opinantur ab illo latam fuisse in Christianorum gratiam legem, quam ab aliis tamen Marco Aurelio adscriptam paulo ante notavimus (Art. super.).

Sextus tandem et horumce aequiorum imperatorum ultimus a Tertulliano his verbis appellatur: *Nullus Verus* leges Christianis adversas *impressit* (Tertullian. loc. cit.), subaudiendum haud dubie tabulis publicis, ut eae promulgarentur. At observare hic iuvat in textu Eusebii, qui hunc Tertulliani locum graece reddidit, praetermitti haec verba: *Nullus Verus* (Euseb. lib. V. Eccles. Hist. cap. 5. pag. 170.). Et certe hic ipse Verus consors imperii a Marco Aurelio factus novem ad summum annis cum illo regnavit et ante illum mortuus est. Quamobrem quidam suspicantur hoc nomen corruptum fuisse in Tertulliani textu ac legendum *Severus*. Pamelius enim nos admonet illud in Vaticano uno et altero Leodiensi revera inveniri. Sed quia in ceteris omnibus ac melioris notae codicibus non legitur, nihil contra tot codicum auctoritatem definire audemus. Nonne etiam Tertullianus mentionem illius facere ideo potuit, quia Aurelii collegae sui et ab eo adoptati exemplum secutus nullam in Christianos legem tulit nihilque contra eos machinatus fuerat?

Si quis tamen pertinacius contendat ibi scriptum fuisse *Severi* nomen, non multum quidem repugnabimus. Nam Tertullianus alio in libro commendat singularem illius in Christianos propensionem et benevolentiam, quibus ob miraculum in eius gratiam factum illos omnes saltem primis imperii sui annis complexus est. Sed audiamus, si placet, illius verba: *Ipse*, inquit, *Severus*, *pater Antonini Caracallae*, *Christianorum memor fuit. Nam et Proculum Christianum, qui Torpacion cognominabatur, Euhodias procuratorem, qui eum per oleum*



*aliquando curaverat, requisivit et in palatio suo habuit usque ad mortem eius; quem et Antonius optime noverat, lacte Christiano educatus* (Tertullian. lib. ad Scapul. cap. 4.). Certiores itaque nos facit Severum imperatorem aegritudine quadam mirabiliter fuisse levatum oleo quod Proculus illi dederat. Ne quis autem aut pervicacior aut omnino incredulus de tanto miraculo dubium moveret, Proculi et cognomen et munus declarat. Torpacion, inquit, vocabatur et Euhodiae erat procurator. Sed quis ille fuerit iam dictu difficillimum.

Alio autem in libro Tertullianus narrat Valentinianorum errores impugnatos fuisse non solum ab Iustino Martyre, Miltiade et Irenaeo, sed etiam a Proculo, de quo hunc loquitur in modum: *Proculus virginis senectae et christianae eloquentiae dignitas, quos in omni opere fidei, quemadmodum in isto, optaverim assequi* (Idem lib. adv. Valent. cap. 5.). Quia vero hic liber a Tertulliano post suam ad Montanistas defectionem compositus est et Proculus vocatur *noster*, hinc quidam colligi posse putant ideo ita appellari, quoniam iisdem Montanistarum erroribus addictus erat. Quamobrem addunt illum his notari Hieronymi verbis: *Caius sub Antonino Severi filio disputationem adversus Proculum, Montani sectatorem, insignem habuit* (Hieron. Catal. Script. Eccl. §. 19.). Verum cum iste Montanista fuerit, non idem profecto esse videtur atque Proculus Torpacion. Praeterea hic Euhodiae procurator dicitur, ille vero christianae eloquentiae dignitate celeberrimus.

At discimus ex Dionis Epitome Evodum (*Εὐόδον*) Antonini Caracallae fuisse educatorem, *τοῦ τροφῆος αὐτοῦ* (Dio Epit. 333.). Tum autem Proculus huius Evodi seu Euhodias procurator esse poterat. Nam hoc ipso tempore in Severi palatio, ut ait Tertullianus, commorabatur, ubi eum Caracalla cognovit, atque ipso instigante *lacte Christiano educatus* est.

Ceterum quidquid de hoc Proculo Torpacione statuatur, nullus ambigendi locus est, quin Severus, ob sanitatem sibi mirandum in modum restitutam faverit Christianis. Non solum enim hunc Proculum Christianum in suo retinuit palatio, sed *et clarissimas*, uti adhuc asserit Tertullianus, *feminas et clarissimos viros Severus sciens huius sectae esse non modo non laesit, verum etiam et testimonio exornavit et populo furenti in nos palam restitit* (Tertull. lib. ad Scapul. cap. 4.). Christianis igitur revera nec parum quidem favit seque illorum non occultum, sed publicum exhibuit fautorem atque defensorum. Quidni vero eis favisset, a quibus non modo beneficium maximum acceperat, sed quorum summam quoque in se fidelitatem fuerat semper expertus? Nam inter factiones Cassii, Nigri et Albini ab ipso eius imperii, ut supra vidimus (Supra cap. 2. Art. 1.) et infra adhuc dicitur, exordio subortas nullus unquam Christianus inventus est.

Nec dixeris haec pugnare cum iis quibus superius diximus (Ibid.) commotam ab eodem Severo imperatore in Christianos persecutionem. Non enim imperii sui initio, sed post decem et amplius annos concitata fuit. Constat autem illum ad id usque tempus non parum quidem favisse Christianis.

Nullum porro aequum rerum aestimatorem esse putamus, qui ex his quae hactenus dicta sunt facile non intelligat quanti roboris sit haec Auctoris nostri argumentatio, cuius pondere ethnicos penitus obruit, qui se legibus suis ad cruciandos tollendosque Christianos obligari venditabant. Nam has et iniquissimas et ab iniquissimis principibus datas esse demonstravit. Nec minus luculenter patefecit illas a compluribus aliis probitate et aequitate praeditis correctas fuisse et emendatas. Denique qui nullam in Christianos tulerunt legem, hi proculdubio illos, quantum iniquitas temporum sinebat, tutari ac protegere conabantur.

## CAPUT XX.

De laesae divinae maiestatis criminibus, quorum Christiani tam falso quam impudenter ab ethnicis illorum reis accusabantur.

### ARTICULUS I.

Quam invicte Tertullianus demonstret Christianos immerito accusari infanticidii sive infantis in sacris eorum synaxibus occisi, comesae postea eius carnis potatque sanguinis, ac turpissimum incestus, vanasque ethnicorum cavillationes funditus evertat, ubi de Cynopennis, Sciapodibus et Antipodibus.

Nullus ad vexandos perdendosque Christianos alius supererat ethnicis praetextus, nisi ut eos capitalis alicuius criminis quoquo tandem modo accusarent. At eo furoris et dementiae processerant, ut illos non unius tantum flagitii reos dicerent, sed *omnium*, ut ait Tertullianus, *scelerum reos deorum, imperatorum, legum, morum ac totius naturae inimicos* (Tertullian. Apologet. cap. 2.). Verum quis hac plane horrenda accusatione percussus non statim obstupescat? Quo enim modo tot tantorumque criminum rei esse poterant Christiani, qui, sicut iam demonstravimus, non modo unum verumque Deum summa veneratione colebant, sed quorum etiam castissimi erant mores ac piissimum vivendi genus? Ruebat igitur se ipsa tam falsa criminatio. Verum quia christiana religio *nihil*, ut loquitur Tertullianus, *de causa sua deprecat* (Ibid. cap. 1.) nec, sicut rei solent, ullam gratiam ullumve favorem requirit, hoc idcirco unum optat et petit, ut secundum severiora legum praescripta examinetur. Quamobrem Tertullianus ad ea omnia quae Christianis obiiciebantur singulatim examinanda ac diluenda aggreditur ac manifestissime demonstrat eosdem Christianos tam falso horum flagitiorum insimulari, quam certum erat illorum reos revera esse gentiles.

Quid enim a veritate magis alienum quam eos laesae maiestatis divinae redarguere, qui verum, ut diximus, Deum et privatim et publice in suis synaxibus semper colebant malebantque atrocissimis quibuscunque se necari suppliciis, quam hunc unicum Deum negare aut falsos deos ullo vel ficto tantum et simulato cultu venerari? Contra vero huius summae impietatis evidentissime convincebantur gentiles, qui factitios, ut infra ostendemus, deos colebant, quos infames et omni turpissimorum criminum genere foedatos fuisse fatebantur.

At hi tamen nunquam non clamabant Christianos idcirco laesae

ivinitatis esse conscios, quia in suis synaxibus et inter sacratiora sua mysteria nefandissimis sceleribus sese impudentissime contaminabant. (tam dicebantur, inquit Tertullianus, *sceleratissimi de sacramento anticidii* (Ibid. cap. 7.), sive infantis quem ibi occisum devorare ferebantur. Inde et *post convivium* illud execrandum turpissimo pollui *ncesto, quod eversores luminum*, verba adhuc sunt Auctoris nostri, *anes, lenones scilicet, tenebras, tum et libidinum impiarum inverecundiam procurent* (Ibid.). In manuscriptis nostris codicibus et editionibus antiquis deest vox *tum*, nec ibi multum necessaria videtur. Censuram autem Tertulliani, isthaec brevius alio in libro enarrantis, hic est: Post lumina a canibus eversa et extincta tenebrae impurissimum lenonum munus obeuntes inverecundiam impiarum libidinum procurant (Idem lib. I. ad Nat. cap. 15. et 16.). Praecipua autem et capitalia haec crimina erant, quae ethnici, quemadmodum alibi necemel annotavimus (Dissert. in Minuc. Octav. cap. 8. Art. 1. et seq.), tandem tantaque impudentia Christianis obiiciebant, quanta facilitate ab antiquis Ecclesiae Patribus diluta confutataque sunt.

Variis vero Tertullianus noster rationum momentis falsam hanc riminationem funditus evertit. Primum enim ethnicos ipsos hunc illoquitur in modum: *Dicimur* semper a vobis tantorum scelerum rei; *ec vos, quod tandem dicimur, eruere*, investigare et retegere *curatis* Tertullian. Apoget. cap. 7.). Nullus tamen condemnari prius debet, quam sceleris convincatur: *Ergo aut eruere*, inquit ille, *si creditis, et Christianos horum scelerum convincite, aut nolite credere, quia non eruistis* (Ibid.). Enimvero hac affectata *dissimulatione* atque negligenter *praescribitur* (Ibid.) praedicioque certissimo probatur Christianorum innocentia et summa morum integritas, *quod nec ipsi audetis eruere* (Ibid.) ea crimina, quorum illos tam falso quam temere accusatis nec causa unquam, ut vidimus, audita condemnatis, torquetis et occiditis.

Praeterea eo maior erat haec ethnicorum perversitas, quo facilius promptiusque poterant investigare atque agnoscere an vera essent illa Christianorum scelera. Nam *census istius disciplinae*, ait Tertullianus, hoc est huius disseminatae in mundo Christianae disciplinae initium, *a Tiberio est* (Ibid.), aut uti explicatius alio in libro: *Principe Augusto nomen hoc Christianorum ortum est, Tiberio disciplina eius illuxit*. At certe quoniam christiana religio vera est, *cum odio sui coepit*, illius adhuc totidem sunt verba, *simul atque apparuit inimica esse*. Nostris vero in manuscriptis codicibus *inimica est*, hoc est eo ipso quo coepit tempore et mundo apparuit, omnibus inimica et invisa fuit, ac *tot hostes eius fuerunt quot extranei* (Idem lib. I. ad Nat. cap. 7.), id est omnes omnino homines praeter solos ipsosmet Christianos. Nam, ut ait adhuc Tertullianus, hostes illorum erant et primo *quidem propria ex aemulatione Iudaei*, seu sua in illos invidia, qua quidem propter abrogatos a Christo veteres suos ritus semper conflagrarunt: deinde *militēs ex concussione* (Idem Apoget. cap. 7.), hoc est, sicut nonnullis videtur, subdola furentium accusatione, sed melius, crudeli vexatione: *ex natura tandem sua ipsi etiam domestici Christianorum* (Ibid.), utpote qui conditionis suae impatientes more



*ipso*, quod poterat ab alio aliquando agnosci et puniri, aut testis aut iudex *vendit* aut conscius *redimit* (Idem lib. I. ad Nation. c. 7.)?

Nullius itaque testimonio probatum unquam fuerat Christianos reos esse horum criminum. Equis enim illa, uti urget Tertullianus, unquam prodidisset? Non ipsi quidem Christiani. Si enim ethnicis sacra sua Samothracia et Eleusinia declarare nefas erat, quanto magis Christiani divina sua mysteria reticere tenebantur (Tertullian. Apolog. loc. cit. et lib. I. ad Nation. cap. 7.)? Si ergo ab ipsis summo tegebantur silentio: *Unde*, inquit Tertullianus, *extraneis* gentilibus eorum *notitia*, cum semper etiam *piae initiationes* arceant profanos et *arbitris careant*, nisi *impii minus metuunt* (Ibid. loc. cit.)? In nostris melioris notae codicibus manu exaratis et plerisque antiquis editionibus legimus: *etiam impiae initiationes*. Nec forsitan male. Nam Tertullianus a minori, ut aiunt, ad maius sic argumentari potuit: Si impiae ethnicorum initiationes celari debent, quanto magis sacrae et piae Christianorum, nisi impii gentiles eas vulgando minus sibi quam Christiani metuant?

Instat adhuc Auctor noster atque haec execranda scelera a nemine nec perpetrari nec credi posse hoc argumento demonstrat: Christianis pie viventibus futura post hanc vitam beata aeternitas promittebatur. At cui unquam Christiano aut christiana religione initiando persuaderi aliquando potuit tot tantisque sceleribus eam posse comparari? Numquid ulli etiam summae auctoritatis viro haec dicenti vel si vis iuranti, ne unus quidem gentilis non omnino insanus fidem posset unquam habere ac tam facili credulitate tam atrocibus coinquinari flagitiis? Atqui si ethnici haec nec credere nec perpetrare possunt, quanto magis Christiani, quorum non alia est quam ceterorum hominum natura (Tertullian. Apologet. cap. 8. et lib. I. ad Nat. cap. 7.)? Non enim sunt *Cynopennae* aut *Sciapodes*, inquit Tertullianus sive, ut in alio libro, *Cynopenae aliqui vel Sciapodes vel aliqui de subterranea Antipodes* (Idem loc. cit.). Primi autem, si Ctesiae, quem Plinius citat, fides sit, *Monocoli*, inquit, *vocabantur, singulis cruribus mirae pernecitatis ad saltum, eosdemque Sciapodes vocari, quod in maiori aestu humi iacentes resupini umbra se pedum protegant* (Plin. lib. VII. Natur. Hist. cap. 2.). De his autem Solinus (Solin. Polyh. cap. 25. pag. 80.), Augustinus (August. lib. XVI. de Civit. Dei c. 8. pag. 422.), Suidas (Suid. ad v. *Σκιάποδες*), et apud Tzetzem Apollodorus (Tzetz. Chil. VII. v. 662 et seqq.). *Cynopenae* vero in quibusdam editis appellantur *Cyclopes*, in aliis *cynophanes*, sed contra manuscriptorum nostrorum codicum auctoritatem. Vossius vero legendum censet *Cynopanes*, graece *κνυοπάνες*, canes cornuti (Voss. not. in Mel. lib. III. de Situ Orb. cap. 9.). Salmasio tamen placet eorundem codicum nostrorum lectio *Cynopenae* a graeco verbo *κνυοπέλαι*, quasi canina, inquit, fame laborantes (Salmas. not. in Solin. p. 1005.) Recte quidem ad propositum Tertulliani ibi loquentis de Christianis qui occisi infantis carnibus vesci ac plusquam canina fame laborare ab ethnicis falso accusabantur. Sed quinam hi fuerint, scire parum interest. Nam de monstris Auctor noster loquitur, quae penitus ficta esse omnes ultro fatentur.



Quid ergo, inquiet aliquis, numquid et his similia monstra putavit antipodas? At nullum illorum in Apologetico, sed in libro tantum ad Nationes legitur fecisse mentionem. Nonne autem ibi eos nominavit, quia ipse, sicut alii plures alibi a nobis appellati (Dissert. in Lactant. cap. 21. Art. 6.) in animum induxerant nullos esse posse antipodes, nisi adversis, uti aiebant, vestigiis ambularent? Neque certe aliter quam monstra et falsi fictique homines ab illo hisce verbis exploduntur: *Vel aliqui de subterranea terra, instar fungorum exorti, qui aliam quam terrae nostrae homines naturam habeant. Verum ab horum aliorumque monstrorum feritate longe aberant Christiani, qui aliis hominibus nostris eo tantum dissimiles erant, quod illos humanitate et caritate superarent. Nunquam ergo cogi potuerunt, ut qualibet pietatis et religionis specie infantis a se occisi manderent carnes ac postea stupris, adulteriis et incestis contaminarentur.*

Caeca tamen obstinatione perculsi gentiles urgebant nimium credulis aut Christianis aut saltem in eorum religione tironibus impositum et illusum. Sed nihil ineptius absurdusque fingi poterat. Christianis siquidem mos erat, ut initiandi a *patre sacrorum*, id est episcopo aut aliquo eius vicario ea docerentur, quibus ad eadem sacra praeparari vel quae in illis agi deberent. Qua autem fronte episcopus aut quivis alius tironi vel Christiano dixisset: Cum ad sacras synaxes veneris, *infans* tibi necessarius, *adhuc tener, qui nesciat mortem, qui sub cultro tuo*, quo illum iugulabis, *rideat: item panis, quo sanguinis irulentiam*, vel melius alio in libro *rudem sanguinem, colligas* (Tertullian. Apologet. cap. 8. et lib. I. ad Nation. cap. 7.) Necessarii quoque canes, qui post obiectam offulam lumina extinguant ac tandem necessaria soror et mater tua, quibus mediis in tenebris stuprum afferas? Sed dic nobis, quaeso, quibus auribus quilibet Christianus aut tiro haec audire poterat? Numquid sine horrore? Nonne saltem leges vereri debebat, quibus, ut monet Cicero, cautum erat: *Incestum pontifices supremo supplicio sanciunt* (Cicer. lib. II. de Legib. pag. 335. lin. 15.)? Si vero hanc poenam fraude vel auctoritate Christianorum vitari posse arbitrabatur, quomodo ab ethnicis indicibus interrogatus crudelioribus tormentis cruciari et occidi malebat, quam haec, quibus conscientia penitus repugnat, crimina fateri? Nemini plane sani capitis homini haec credibilia sunt, aut fieri unquam potuisse persuadebitur.

Instabant gentiles se fama didicisse Christianos esse revera praefatorum scelerum conscios. At insulsa prorsus, respondet Tertullianus, et futilis est haec responsio (Tertullian. Apologet. cap. 7. et lib. I. ad Nation. cap. 7.). Negare enim non poterant verum esse quod celeberrimus poeta cecinit:

*Fama malum, quo non aliud velocius ullum.*

(Virgil. lib. IV. Aeneid. v. 174.)

Fama enim rei tantum incertae nomen est eaque saepissime oritur, aut ingenio aemulationis, sive invidia, aut arbitrio suspicionis, seu suspitione gratis conficta, aut mentiendi voluptate. Tam malo igitur ex principio atque ex unius dumtaxat ore exorta plerumque mentitur, aut si quid veri unquam renuntiat, vel tum aliquid adiicit vel

detrahit vel immutat. Tamdiu vero viget, quamdiu nihil probat. Ubi enim res probata est, tunc eo ipso illa cessat et excidit. Merito igitur vir sapiens nullam illi fidem habet, multo magis cum ipsa sola index et nuntia est scelerum prorsus occultorum, quae nemo mentis suae compos homo aut perpetrare audet aut potest. Nos vero alibi animadvertimus hanc Tertulliani responsionem a Minucio Felice paucioribus quidem, sed non minus efficacibus verbis plane confirmari (Dissert. in Minuc. Octav. cap. 8. Art. 2.). Denique Tertullianus addidit tammae tam veloci quam mendaci non credendum, sed veritatem investigandam; quoniam, uti ferebat vulgatum ab ethnicis proverbium: *Omnia tempus revelat* (Tertull. ibid.). Quod quidem adagium Aulus Gellius (Gell. lib. XII. Noct. Att. cap. 11.) his Sophoclis versibus decantatum citavit:

Πρὸς ταῦτα, κρύπτει μηδὲν, ὡς ἅπανθ' ὁρῶν

Καὶ πάντ' ἀκούων πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος.

*Ad haec, nihil occulta, quandoquidem omnia videns*

*Et omnia audiens cuncta revelat tempus.*

Seneca vero: *Quaedam, inquit, falsa veri speciem habent. Dandum semper est tempus: veritatem dies aperit* (Senec. lib. II. de Ira cap. 540.). Sed plura de hoc proverbio congerit Erasmus, quem consulere poteris (Erasm. Adag. Chil. II. Centur. 4. Adag. 17.). Quis autem falsa sub veri specie crebrius quam fama adnuntiat? Solo igitur, si non falso, saltem incerto eius testimonio gentiles ad vexandos Christianos niti non debebant, sed capere tempus, quo examinata eorum causa veritas cognosceretur.

#### ARTICULES II.

Quam invicte Tertullianus ostendat gentiles homicidii, cuius Christianos falso accusabant, esse reos, utpote qui in Africa infantes Saturno usque ad proconsulatum Tiberii immolabant, huncque morem secreto perseverasse, tametsi Saturni sacerdotes in arboribus templi eius obumbratricibus, teste militia patriae nostrae, suspensi poenas morte dederint.

Nihil sane impudentius excogitari potest quam alium gravissimi criminis falso accusare cuius ipsemet accusator reus esse palam vincitur. At tales tamen erant ethnici, qui Christianos infanticidii et incestus impudentissime redargebant. Nam hoc ipsum est, sicuti eosdem compellendo ait Tertullianus, per quod *forsitan de nobis credidistis* alia (Tertullian. Apologet. cap. 9.), quae recensuimus, longe graviora scelera a nobis perpetrari. Sed consulto ibi adiecit *forsitan*, quia paulo ante dixerat adeo atrociam esse illa scelera quorum Christianos arguebant, ut vix ab ullo homine credi potuerint, nisi quaedam similia fecissent. Primum autem illos vario modo homicidas fuisse ostendit, quia *infantes*, sicuti loquitur, *penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad proconsulatum Tiberii, qui ipsos sacerdotes in eisdem arboribus templi sui obumbratricibus scelerum suorum votivis crucibus exposuit, teste militia patriae nostrae, quae id ipsum munus illi proconsuli functa est* (Ibid. et seq.). De hac autem detestabili et contra omnia naturae ipsius iura immolatione infantium in superioribus nostris dissertationibus plura observavimus (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 9. Art. 2. et Dissert. in Lactant.

cap. 34. Art. 3.). Superest igitur ut ea, quae Tertulliano nostro peculiaria sunt, nunc sigillatim expendamus.

Narrat itaque primo hunc morem crudelissimum perseverasse *usque ad proconsulatum Tiberii*. Quidam autem suspicati sunt ibi legendum *usque ad proconsulem Tiberii*, id est proconsulem quempiam, aut a Tiberio imperatore missum, aut cui Tiberio cognomen et alius omnino erat, quam hic Tiberius imperator illoque posterior. Sed quia haec qualiscunque emendatio non sufficiebat, alteram addidere ac postea legendum putaverunt *teste militia patris nostri*, hoc est, sicut illi ominabantur, patris Tertulliani, qui proconsul fuit post Tiberii Caesaris mortem. At probare prius debebant patrem Tertulliani proprio Tiberii nomine fuisse appellatum. Deinde vero huic coniecturae refragantur omnes cum editi tum manuscripti codices.

Quid vero impedit quominus Tiberius imperator dirissimum illud infantium sacrificium in Africa prohibuerit? Nonne Plinius memoriae prodidit anno DCLVII. Urbis conditae ac Cn. Lentulo et P. Licinio Crasso consulibus interdictum fuisse senatusconsulto, ne homo immolaretur: sed quia haec immanissima consuetudo postea adhuc apud Gallos perseverabat: *Tiberii Caesaris*, inquit, *principatus sustulit Druidas eorum . . . . . nec satis aestimari potest quantum Romanis debeatur, qui sustulere monstra, in quibus hominem occidere religiosissimum videbatur, mandi vero etiam saluberrimum* (Plin. lib. XXX. Natur. Hist. cap. 1.). Audisne impiissimo sacrificio non solum occisos a gentilibus homines, sed comesas etiam illorum carnes? At Tiberius Caesar illud in Gallia et alibi sustulisse perhibetur. Quidni et in Africa, sicuti Tertullianus tam disserte pronuntiat? Si quid autem in huius opinionis confirmationem exemplum simile conferre valeat, illud Iosephus nobis suggeret (Ioseph. Antiq. Iud. lib. XVIII. cap. 4. pag. 622.). Testatum quippe facit ab eodem Tiberio dirutum Isidis templum proiectamque in Tiberim eius statuam, eo quod Paulina nobilis mulier a Decio Mundo iuvene deum Anubin simulante in illo Isidis templo malis sacerdotum artibus constuprata fuisset. Cur ergo magis horribili infantium Saturno immolatorum sacrificio potius in Africa quam in Gallia, uti diximus, et aliis in regionibus percisisset?

Sed qua, inquires, ratione dictum a Tertulliano *usque ad proconsulatum Tiberii*? Numquid Tiberius, antequam Romani imperii gubernaculum teneret, proconsul in Africa fuerat? Sed quid, amabo te, vetat quominus illuc ab Augusto Caesare aut antea renuntiatum sit Africae proconsul? Si quis tamen recte probaverit Tertullianum de alio intelligendum esse Tiberio Africae proconsule, huic facile assentiamur.

Subiunxit autem ille crudelissimos Saturni sacerdotes iussu eiusdem Tiberii expositos fuisse in illius templi arboribus, tantorum scelerum obumbratricibus. Circa gentilium enim templa plantatae erant arbores, singulari cuiusque templi Deo consecratae, de quibus, ut alios omittamus, haec Apuleius de quodam fano litteris mandavit: *Videt dona speciosa et lacinias auro litteratas, ramis arborum postibusque suffixas, quae cum gratia facti nomen deae cui fuerant dicatae testa-*



*bantur* (Apul. *Metamorph.* lib. VI. paulo post init. pag. 92.). Vides igitur in his arboribus appensa fuisse dona iisque praefixum nomen dei cui templum illud nuncupatum erat. At ex his arboribus templum Saturni, ait Auctor noster, obumbrantibus factae sunt votivae ac dicatae cruces, quibus inhumanissimi illi sacerdotes suspensi laqueo vitam finire coacti sunt. Utrum autem horum Tertulliani verborum, quae eruditorum ingenium haud parum exercuerunt, verus sit sensus, expendas velim, vel alium nobis proferas meliorem. At nobiscum proculdubio fateberis huic loco aliquam lucem afferri posse his versibus Ausonii, quibus Amorem stipiti myrti suspensum cecinit:

*Eligitur moesto myrtus notissima luco,  
Invidiosa deum poenis. Cruciaverat illic  
Spreta olim memorem Veneris Proserpina Adonim.  
Huius in excelso suspensum stipite Amorem,  
Devinctum post terga manus substrictaque plantis  
Vincula moerentem nullo moderamine poenae  
Adficiunt.* (Auson. *Idyll.* II. v. 55 et seqq.)

Ne qui porro dubitaret de sumpta ab illis Saturni sacerdotibus poena, testem Auctor noster appellat militiam patriae suae, quae *id-ipsam*, inquit, *munus illi proconsuli Tiberio functa est* (Tertull. *Apologet.* cap. 9.), quibus haud dubie verbis significat milites Africae, qui tunc sub Tiberio proconsule merebant, dum suo munere fungerentur, vidisse sacerdotes in illis arboribus suspendi et strangulari. Verum gentiles eorum exemplo territi quidem fuerunt, sed non penitus expugnati. Non enim amplius audebant infantes Saturno palam immolare, verum *nunc in occulto*, ait Tertullianus, *perseveratur hoc sacrum facinus* (Idem *ibid.*). Falsae igitur pietatis specie adversus innocentes filios suos armati illos secreto et occulte ac spretis imperatorum suorum legibus mactare non destiterunt. Atque ita quidem Saturnus, qui filiis suis, ut ait Auctor noster et nos alibi vidimus (*ibid.* et *Dissert.* in Minuc. *Octav.* cap. 9. Art. 2.), non pepercit, pristinam non deposuit crudelitatem voluitque aliorum hominum gnatos sibi adhuc immolari.

Quamvis ergo Christiani infantem aliquem, quod falsissimum tamen erat, in synaxibus suis occidissent, non debent ab ethnicis idcirco argui et condemnari, qui proprios filios suos immanissima inhumanitate hostias Saturno, uti opinabantur, gratissimas sacrificabant.

## ARTICULUS II.

Ostenditur homicidii quoque reos fuisse Gallos, qui Mercurio, Tauros, qui Dianae homines immolabant; item Romanos, qui in Aeneadarum urbe Iovem ludis suis humano protuebant sanguine, atque alios qui liberorum suorum recens natorum spiritum in aqua extorquebant, vel eos exponebant morti haud prorsus incertae; quantum vero Christiani ab omni homicidio abhorrent, quibus nec in utero conceptum dissolvere licet, dum adhuc sanguis in hominem delibatur.

Prosequitur Tertullianus ac gentiles paricidii et homicidii reos esse demonstrat. Nam *maior* quam infantium *aetas*, inquit, *apud Gallos in suis quoque sacris Mercurio prosecabatur*; et id quidem alio in libro repetit (Tertullian. *Apologet.* cap. 9. et *Scorpiac.* cap. 7.).

Nos vero de hoc prorsus execrando sacrificio plura alibi annotavimus (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 9. Art. 2.), ubi quoque enodatus ea explicavimus quae continuo subnectit: *Remitto Tauricas fabulas theatris suis* (Ibid.), sive quemadmodum ipse in alio libro loquitur: *Nihil illic nisi feritas calet, illa scilicet, quae fabulas dedit de sacrificiis Taurorum* (Tertullian. loc. cit. et lib. I. advers. Marcion. cap. 1.), qui videlicet Dianae hospites suos immolabant.

Pergit autem: *Ecce in illa religiosissima urbe Aeneadarum piorum est Iupiter quidem, nimirum Latiaris, quem ludis suis circensibus et gladiatorii humano proluunt sanguine.* Alibi vero scriptum ab eo legimus: *Latio ad hodiernum Iovi media in Urbe humanus sanguis ingustatur nec quisquam retractat aut non rationem praesumat aliquam aut inaestimabilem dei sui voluntatem* (Idem Apologet. cap. 9. Scorpiac. cap. 7.). Quis autem non videt ab illo *religiosissimae urbis* et *Aeneadarum piorum* nomine non magna sine ironia appellari Romanos, qui ab Aenea, quem ubique passim Virgilius *pium patrem* vocat, suam se originem duxisse gloriabantur? Qui autem magis impii et minus religiosi esse poterant quam hi Romani, qui in ludis et muneribus Iovi Latiari, deo suo optimo et maximo consecratis, gladiatores sese mutuo interficientes aut a bestiis quibuscum pugnabant horrendum in modum laceratos et occisos non siccis tantum, sed laetis oculis intuebantur? Sed de hoc crudeli cum homicidio tum spectaculo alia in dissertatione egimus (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 8. Art. 2.).

Respondentur ethnici tum quidem effundi sanguinem, sed hominum aut bestiariorum aut *noxiorum iugulatorum* (Tertullian. Apologet. cap. 9.). Atqui primi, sicuti aiebant, vilissimi erant homines, qui lucro conducti operam bestiis trucidandis ultro locabant. Secundi vero sua propter scelera, sicut infra dicendum, adversus bestias lata iudicium sententia pugnare cogebantur. Nihil ergo, inquiebant ethnici, horumce hominum caedes mali habebat.

Sed Tertullianus vanum illud effugium facile citoque evertit (Ibid.). Bestiarius enim, quantumlibet vilis faexque infima civitatis, non idcirco tamen minus homo est parique homicidio vita illi, sicut ditiori, eripitur. Si vero sceleratus morte damnatus sit, is certe quo iniquior, eo indignior qui Iovi immolaretur, sive ut ipsiusmet Tertulliani verbis utamur: *Hoc turpius, quod mali hominis* (Ibid.) sanguis in summi, veluti aiebant, dei honorem funditur. Quamobrem ibi ille de ethnicis et eorum Iove haud illepide iocando exclamabat: *O Iovem christianum* (Ibid.)! Qui homicidii, cuius Christiani falso insimulabantur, causa auctorque fuit et eo titulo *solum patris sui Saturni*, qui filios suos voraverat, *filium de crudelitate*, qua videlicet illi fuit similis.

Urget Tertullianus ac maius illo homicidio crimen eorum esse asserit *qui natos sibi liberos* enecabant. Visne illum ethnicos urgentem et alloquentem audire? Ecce ipsamet eius verba: *Utique crudelius in aqua spiritum extorquetis aut frigori et fami et canibus exponitis.* Sed inquires cur crudelius mortis genus ab illo dicitur infantium spiritum in aqua extingui. Respondent nonnulli philosophos, quibus accessit Servius, docuisse animam hominis igneam esse, quae idcirco in

aqua difficilius extinguitur aut redigitur in nihilum (Serv. in lib. I. Aeneid. Virgil. v. 95.). Omnium autem hanc revera crudelissimam esse mortem probari posse putant his Ovidii carminibus:

*Non lethum timeo, genus est miserabile mortis:*

*Demite naufragium, mors mihi munus erit.*

(Ovid. lib. I. Trist. Eleg. II. v. 57 et seqq.)

Verum haec canebat poëta amore sepulcri, quo naufragus caruisset. Ad philosophos autem quod attinet, si aliqui animam hominis ignem, alii certe aquam, alii corpus, alii spiritum, alii aliud, sicut alibi ostendimus (Dissertat. in Lactant. cap. 23. Art. 2.), esse existimaverunt. Tertullianus porro non unius philisophi potius, quam alterius opinionem notavit.

Nobis itaque parum soliditatis videtur habere illorum responsio, qui dum curiosius, quam par erat, verborum Tertulliani rationem perscrutati sunt, in scripo nodum quaesiere. Non alio enim ille modo loquitur de infantibus, quorum spiritus in aqua extinguitur, quam de aliis, qui exponebantur frigori, fami et canibus. At horum omnium infantium crudeliorem, quam aliorum hominum necem esse asseverat, quia infantes certae morti expositi omni prorsus, quo alii se tueri poterant, destituti erant auxilio atque idcirco crudelius quam natu grandiores necabantur. At hunc esse Tertulliani sensum non obscure significant subsequencia eius verba: *Ferro enim mori aetas quoque maior optaverit* (Tertullian. Apologet. cap. 9.), malebat quippe uno gladii ictu quam diuturno ac languido miserandorum infantium modo interfici. De hoc porro infantium expositione huiusque argumentationis viribus a nobis in nostra de Minucii Felicis Octavio dissertatione et locis ibidem citatis disputatum est (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 9. Art. 12.).

Omne porro homicidii genus sic Christianis interdicebatur, *ut ipsis etiam conceptum utero*, Tertulliani verba sunt, *dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non liceret* (Tertullian. loc. cit.), id est dum foetus in matris utero nondum humanam figuram acceperat. Non enim omnia hominis membra simul formantur nec anima statim foetui infunditur, sed post multos a conceptu dies, uti putant philosophi nosque alibi ostendimus (Dissertat. in Lactant. cap. 27. Art. 2. et cap. 40. Art. 6.). Atqui eiusmodi abortiones provocare Christianis nefas erat, quanto magis quoslibet occidere homines! Quis igitur non indigne ferat illos homicidii tam temere postulari ab ethnicis, qui tam frequenter alios homines crudelissime occidebant, ut iam dictum et adhuc dicendum est?

#### ARTICULUS IV.

Quam certo Tertullianus asserat epotum ab ethnicis humanum sanguinem publicis in ludis Iovi dantis et ab his qui comitali morbo remedium quaerebant, atque ab aliis, qui sicut

Catilina foedus cum aliquibus inibant; item in Africa Bellonae sacros hausto signatos fuisse sanguine atque ab aliis crimen his magis execrandum perpetrari.

Qua Tertullianus evidentia demonstravit nihil esse falsius quam infantis a Christianis sacra sua mysteria celebrantibus occisi sanguinem potari, eadem certitudine ostendit tanti flagitii conscios reipsa esse gentiles. In ludis etenim Latiaribus, de quibus in superiori articulo



egimus, humano, ait Tertullianus, *proluunt sanguine* (Tertullian. Apologet. cap. 9.), vel sicut in alio libro: *Latio ad hodiernum Iovi media in urbe Roma humanus sanguis ingustatur* (Scorpiac. cap. 7.). Ignotus vero libri de Spectaculis post Cypriani opera editi auctor describit quomodo impium illud sacrificium fieri solebat: *Plura, inquit, prosequi quid est necesse, vel sacrificiorum in ludis genera monstrosa describere? Inter quae nonnunquam et homo fit hostia latrocinio sacerdotis, dum cruor etiam de iugulo calidus acceptus patera, dum adhuc fervet, et quasi sitienti idolo in faciem iactatus crudeliter propinatur.* Nos vero de hoc tam absurdo quam crudeli sacrificio disputavimus in nostra de Minucii Octavii dissertatione (Dissert. in Minuc. cap. 9. Art. 3 et 4.), ubi etiam egimus de iis, qui comitali morbo laborantes potato iugulatum in his spectaculis hominum sanguine medicinam quaerebant. Nam hi, uti ait Tertullianus, *munere in arena noxiorum iugulatum sanguinem recentem avida siti comitali morbo medentes auferunt* (Tertullian. Apologet. cap. 9.). Quis autem, nisi immanis ac ferreus homo, tali remedio ac aliorum hominum crudeli interitu vitae suae consulere non horreat?

Ab horum vero inhumanitate non procul aberant ferae illae gentes, quae sanguinis ex membris suis elicti potu foedera inter se feriebant et confirmabant. At huius plane barbari moris testem Herodotum his Tertullianus citat verbis: *Legite necubi relatum sit (est apud Herodotum opinor) defusum brachiis sanguinem ex alterutro degustatum nationes quasdam foederi comparasse* (Ibid. et seqq.). At his ille verbis, *apud Herodotum opinor*, satis aperte significat se isthaec ex memoria ita recitasse, ut omnino securus non fuerit an illa ab ipso Herodoto vel alio scriptore litteris mandata sint. Verumtamen eundem Herodotum certo citare poterat; nam in primo suo libro haec narrat de Lydis: *Ὅρκια δὲ ποιεῖται τὰυτὰ τὰ ἔθνη, τὰ πέρ τε Ἕλληνας καὶ πρὸς τούτοις ἐπεὶ τὸν βραχίονα ἐπιτάμονται ἐς τὴν αἰμοφόρον, τὸ αἷμα ἀναλείουσι ἀλλήλων: Ineunt autem haec gentes foedera cum cetera ritu Graecorum, tum cruentando brachia vulneribus sponte susceptis et mutuum sanguinem delingendo* (Herodot. lib. I. cap. 74.). De Scythis autem alio in libro: *Ὅρκια δὲ, ineunt, ποιεῖται Σκύθαι ὡς πρὸς τῶν ἄν ποιέωνται: ἐς κύλικα μεγάλην κεραμένην οἶνον ἐγγέαντες αἷμα συμμίσγουσι τῶν τὰ ὄρκια ταμνομένων, τύψαντες ὑπέσται ἢ ἐπιταμόντες μαχαίρη σμικρὸν τοῦ σώματος καὶ ἔπειτα ἀποβάψαντες ἐς τὴν κύλικα ἀκινάχεια καὶ οἰστοὺς καὶ σάγαριν καὶ ἀκόντιον: ἐπεὶ δὲ τὰυτὰ ποιήσωσι, κατεύχονται πόλλα καὶ ἔπειτα ἀποπίνουσι αὐτοὶ τε οἱ τὸ ὄρκιον ποιεόμενοι καὶ τῶν ἐπομένων οἱ πλείστου ἄξιοι: Foedera cum quibuscunque Scythae hoc modo ineunt: infuso in grandem calicem fictilem vino commiscunt eorum sanguinem qui ferunt foedus, percussientes cultello aut incidentes gladio aliquantulum corporis. Deinde in calice tingunt acinacem, sagittas, securim, iaculum. Haec ubi fecerunt, sese multis verbis devotent, postea vinum epotant non modo ii qui foedus fecerunt, sed etiam comites ii qui sunt maximae dignitatis* (Idem lib. IV. cap. 70.).

Poterat ergo Tertullianus hunc antiquum scriptorem haud dubitanter opinionis suae assertorem advocare, atque eo potiori iure, quod

suffragatorem habeat Lucianum (Lucian. Toxar. seu de Amicit. p. 630.). Nam testatum hic facit Scythas in calicem ex incisus digitis sanguinem distilasse ac intincta gladiatorum suorum cuspidem simul bibisse atque ita pepigisse foedus, quod postea dirimere nemini licebat. De quibusdam vero populis, Axiacarum vicinis, haec Pomponius Mela memoriae prodidit: *Bella caedesque amant mosque est bellantibus cruorem eius, quem primum interemerunt, ipsis e vulneribus ebibere . . . . . Ne foedera quidem incruenta sunt. Sauciant se qui paciscuntur, exemptumque sanguinem ubi permiscuere, degustant Id putant mansurae fidei pignus certissimum* (Pompon. Mela lib. II. de Situ Orb. cap. 1. p. 27.).

Ad haec vero Cornelius Tacitus, ubi de foedere inter Rhadamistum et Mithridatem: *Mos est, inquit, regibus, quoties in societatem coeunt, implicare dexteras pollicesque inter se vincire nodoque praestingere. Mox ubi sanguis in artus extremos se effuderit, levi ictu cruorem eliciunt atque invicem lambunt. Id foedus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sacratum* (Corn. Tacit. lib. XII. Annal. post. med.).

Quid plura? Valerius Maximus de Sariastrae seu Tigrane Minore, qui relicto patre suo ad Pompeium Magnum ac deinde ab eodem Pompeio ad patrem suum defecerat, haec scribit: *Sariastrae adversus patrem suum Tigranem, Armeniae regem, ita cum amicis consensit, ut omnes dextris manibus sanguinem mitterent atque eum invicem sorberent* (Val. Max. lib. IX. cap. 11. Exter. §. 3.).

Neque humaniores Romani ab hac barbarie ferisque moribus longe aberant. Etenim nescio quid, ait Tertullianus, et sub *Catilina tale degustatum est* (Tertullian. Apologet. cap. 9.), nimirum quando contra rempublicam coniuravit, ut alibi ostendimus (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 9. Art. 4.).

Mos porro ille humanitatis plane expers viguit non modo in profanis, sed sacris etiam gentilium coetibus, nec tantum in remotis a Tertulliano barbaris gentibus, sed in ipsa quoque Africa eoque ipso tempore, quo hunc Apologeticum scribebat. De iis enimvero, qui Bellonae mysteriis initiabantur, hunc loquitur in modum: *Hodie istic Bellonae sacratos sanguis de femore proscisso in palmulam exceptus esui datus signat* (Tertullian. ibid.). At in omnibus nostris exemplaribus manuscriptis pro *sacratos . . . . esui* legimus *sacratu . . . . et sui*. Sed nullus horum verborum sensus. In editionibus Rigaltio vetustioribus *sacratu . . . . et suis datu signatis*. Sed vix meliorem inde sensum efficias. Corruptus igitur fuit hic Tertulliani locus et ad illum sanandum quidam pro *et sui* vel *et suis* sive *esui* legi volunt *haustui*. Et id quidem de sanguine in palmulam excepto melius quam *esui* dici potest. Neque nos quidem huic coniecturae multum repugnabimus, si adhuc *sacratos* pro *sacratu* emendandum esse ostendas. Nam Minucius Felix (Minuc. Octav.), qui plura ex hoc libro delibavit, Tertulliani sensum his expressit verbis, ubi sicut ille ethnicis obiecat: *Bellonam sacrum suum haustu humani cruoris imbueret*. Videsis quae in nostra de huius libro dissertatione annotavimus (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 9. Art. 4. et cap. 20. Art. 3.).

Ethnicos porro ut falsi criminis accusare Christianos magis, si

unquam fieri poterat, magisque puderet, iis horrendum aliud crimen honestis, prout res postulabat, verbis exprobravit. Sed illud nec a nobis nominandum, multo minus explicandum, quod satirici tamen poëtae manifestum satis faciunt et passim insectantur (Tertullian. Apolog. cap. 9. et lib. I. ad Nation. cap. 15.).

## ARTICULUS V.

Ostenditur quomodo humanis carnibus vescerentur gladiatores, Scythae, Massagetae et Derbices, qui suscepta religione christiana ab his discesserunt feris moribus.

Pergit Tertullianus planumque omnibus facit ethnicos non solum bibisse hominum sanguinem, sed illorum etiam pastos esse carnibus. Primum enim gladiatores post finita spectacula *de arena*, inquit, *ferinis obsoniis coenant* (Tertullian. Apolog. cap. 9.), id est coenantes vescuntur carnibus ferarum, quas paulo ante in circo interfecerant. Atqui ferae illae crudas hominum a se in iisdem spectaculis trucidatorum carnes proxime devoratas nondum digerere potuerant. Ab his itaque crudelissimis gladiatoribus *ipsorum ursorum*, sicut Auctor noster loquitur, *alvei appetuntur, cruditantes adhuc de visceribus humanis* (Ibid.). Et ita quidem in Rigaltii editione: sed in antiquioribus pro verbo *cruditantes* legimus *trucidantibus*; mendose omnino: in manuscriptis vero nostris et aliis codicibus constanter habetur *cruditantibus adhuc de visceribus humanis*, sive adhuc crudis nondumque in ursorum, qui ea voraverant, alvo et ventre digestis. Utrum autem haec vera sit lectio, quis certo sine correctioris alicuius codicis ope definire audeat? At quaecunque sit, satis patet Tertullianum nihil aliud significasse, nisi a gladiatoribus appeti ac mandi carnes ursorum, qui paulo ante hominum viscera et carnes devoraverant et idcirco in eorum stomacho erant adhuc indigesta.

At nonne, inquires, corruptum quoque est nomen *alvei* ac scribendum potius *alvi*, qui ciborum sunt receptacula? Non absurde quidem, si dixeris meliorem partem pro toto a Tertulliani accipi hancque emendationem quodam saltem codice probaveris. Non enim ursorum dumtaxat *alvi*, sed aliae etiam illorum carnes comedi solebant, quemadmodum colligi potest ex Apuleii verbis, quibus magnificentissimum gladiatorii ludi apparatus describit: *Ursam*, inquit, *quae ceteris sarcina corporis praevalebat, quasi cibo parandam portamus ad nostrum receptaculum* (Apuleii lib. IV. Metamorph. p. 59.). Quid ergo vetat quominus communem omnium codicum retineamus vocem *alvei*, qua significantur vasa in quibus semicoctae tantum erant ursorum carnes quas gladiatores tanta aviditate appetitas comedebant? Quamobrem Tertullianus inde concludit: *Ructatur proinde ab homine caro ursi pasta de homine* (Tertullian. Apolog. cap. 9.), a quo paulo antea occisus fuerat.

Verum hisce gladiatoribus longe immaniores alii proculdubio erant, de quibus ille non ita quidem affirmate, sed hunc dumtaxat in modum loquitur: *Atunt et apud quosdam gentiles Scytharum defunctum quemque a suis comedi* (Ibid.). At sane istud haud dubitanter pronuntiare poterat. Ex Strabone enimvero discimus hospites immolatos fuisse a



Scythis, qui illorum carnes mandebant ac poculorum loco utebantur eorum calvariis (Strab. lib. VII. Geogr. pag. 298.). Tum paulo post de Massagetis, Scytharum aut populis aut vicinis, haec memorat: *Θάνατος δὲ νομίζεται παρ' αὐτοῖς ἄριστος, ὅταν γηράσαντες κατακοπῶσι μετὰ τῶν προβατείων κρεῶν καὶ ἀναμίξῃ βρωθῶσι: Mortis genus optimum censent, si senio confecti cum carnibus ovillis concidantur unaque devorentur* (Ibid. p. 513.). Strabonem vero sequitur Eusebius, qui Massagetis adiunxit Derbices tradiditque ab utrisque immolatos, quos cariores habebant, aetate iam effoetos parentes, eorumque usos carnibus tanquam epulis lautissimis (Euseb. lib. III. Praepar. Evang. cap. 4. p. 11.). Si quid vero clarius expressum desideras, adi Plinium (Plin. lib. VI. Natur. Hist. cap. 17.) et qui eum sequitur Solinum (Solin. cap. 15. p. 34.), qui diserte affirmant antropophagos esse Scythas, *humanis corporibus vescentes*. Ab Herodoto quoque disces Melanchaenos, a nigra veste sic dictos, Scythicis vixisse institutis solitosque carne vesci humana (Herodot. lib. IV. cap. 107.). Huc accedit Mela, quem audire poteris haec narrantem: *Pocula ut Essedones parentum, ita inimicissimorum capitibus expoliunt. Apud antropophagos ipsae etiam epulae visceribus humanis apparantur* (Mel. lib. II. de Situ Orb. cap. 1. p. 27.).

Eusebius porro, iam a nobis laudatus, ibidem asseruit Massagetas ac Derbices, ubi primum christianae religioni nomen dederunt, ab his discessisse feris inhumanisque moribus (Euseb. loco cit.). Ceterum in nostra de Minucii Felicis libro dissertatione (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 9. Art. 2.) et aliis locis ibi citatis ostendimus Christianos nunquam huius antropophagiae, sed solos gentiles reipsa conscios fuisse et reos.

#### ARTICULUS VI.

Quam perspicue Tertullianus ostendat Christianos secreti in sacris suis synaxibus incesti falso falsius accusari, quo gentiles Iovis exemplo palam ac saepius contaminabantur.

Manifestum unicuique iam facinus quibus ac quam validis rationum momentis Tertullianus noster penitus obriverit insulsam plane ethnicorum calumniam, qua ethnici Christianos infami suis in synaxibus incestu contaminari impudentissime mentiebantur. Quo enim pacto illi sacra sua mysteria incestu tam saepe repetito coinquinare voluissent, qui praeceptam sibi a Christo coniugum castitatem aut perpetuam virginitatem, tametsi non imperatam, summo, sicut alibi patefecimus, studio servabant? Verum ea tamen fuit ethnicorum impudentia, ut eis falsissime obiecerent secreti incestus crimen, quod reipsa ab illis ipsis non solum occulte, sed *luce omni*, ut ait Tertullianus, *et nocte omni ac toto conscio caelo* (Tertullian. lib. I. ad Nat. cap. 16.) tam impune quam audacter perpetrabatur. Quidni vero tantum scelus perpetrassent, quos, ut ille iure prorsus merito urget, *Iupiter ipse docuit* (Idem Apologet. cap. 9.), suo videlicet exemplo, incestus facere? Quis enim nescit quam vere Athenagoras (Athenag. Leg. pro Christian.) allicque Ecclesiae Patres iisdem ethnicis obiecerint, quod ab illorum scriptoribus palam praedicabatur, hunc ipsum Iovem ex matre sua et

filia Core, seu Proserpina, suscepisse liberos? Quis etiam vel primoribus labris editos a profanis poëtis libros attigit nec illico exhorruit ab illis lunonem induci, quae se eiusdem Iovis sororem et uxorem esse iactitabat? Atqui *μιμητὰς θεῶν*, ait Iustinus Martyr, *καλὸν εἶναι πάντες ἠγοῦνται: Omnes pulchrum autumant se deorum esse imitatores* (Iustin. Apologet. I.). Quamvis autem ethnici se illum revera imitatos fuisse negassent, vitio tamen Christianis dare non poterant, quod a Iove summo, ut aiebant, deo actum fatebantur. De his porro illius sceleribus nos satis superque in superioribus nostris dissertationibus disputavimus.

Summum porro, vel potius summe impium illum Iovem imitabantur Persae, quos *cum suis*, ait Auctor noster, *matribus misceri Ctesias* testificatur (Tertullian. Apologet. cap. 9.). Antiquiores manuscripti nostri codices *Chtesias*, in libro ad Nationes *Thesias* scriptum exhibent (Lib. I. ad Nation. cap. 16.). De hoc autem nomine Ctesias et nefando illo Persarum scelere in aliis nostris dissertationibus egimus (Tom. I. Appar. p. 1259. et Dissertat. in Arnob. cap. 24. Art. 2. tom. I. Appar. p. 1239. et Dissertat. in Minuc. cap. 20. Art. 2.).

Tum dehinc Tertullianus Macedones in magnam incestus suspicionem, aut certe comprobationem, venisse hinc colligit: *Quia cum primum*, inquit, *Oedipum tragoediam audissent, videntes incesti dolorem ἔλαυνε dicebant εἰς τὴν μητέρα* (Tertullian. Apologet. cap. 9.). Mirum autem quam corrupte et varie haec graeca verba in manuscriptis nostris codicibus et aliis editis scripta sint. In tribus enim vetustioribus legitur *ελαυνε εἰς τὴν αἰγέρα* vel *τὴν αἰγέρα*, in aliis duobus *ελλίνα εἰστένα λίγερὰ*: in prima editione Basileae anno MDXII.: *ἔμειν εἰς τὴν μετέρα*. In secunda anno MDXXVIII. legitur caractere latino tantum *emene* et alia verba ommissa sunt. Denique in libro ad Nationes latinis etiam litteris habetur: *Elaune ten metera*. A librariis igitur graece nescientibus corrupta fuerunt graeca illa verba, nec facile dixeris, quae reapse a Tertulliano scripta sint.

Gothofredus tamen, qui primus hosce libros typis edendos curavit, nullus plane dubitat veram esse hanc posteriorem Agobardini codicis lectionem, atque ab eodem Tertulliano graecis litteris scriptum: *ἔλαυνε εἰς τὴν μητέρα*: Rigaltius vero in antiquis codicibus scriptum asserit *ἔλαυνε εἰς τὴν μητέρα*. Sed qui hi codices et utrum a nostris diversi sint, indicare debebat. Nam praeter iam notatos et a nobis lectos codices nullum alium habuit, sed quasdam tantum non omnino certas Fuldenses lectiones. Sed quid de graecorum verborum a librariis corruptorum vera lectione statuere poteris, nisi sanos codices ad manum habeas? Expende tamen utrum Tertulliani sensus exprimitur his latinis verbis: *Age duc in matrem*. Nam introductus in scenam Oedipus rex bellator cum fingeretur flere incestum quem cum matre inscius fecerat, tum Macedones hunc bellicosi regis fletum deridentes, hoc dicerio pupugerunt: *Age duc in matrem*, quasi metropolim quandam subacturus. Hunc autem esse Auctoris nostri sensum haud inepte forsan colligi potest ex illius ad Nationes libro, ubi haec uberius hisque verbis explicat: *Cum primus scenam eorum Macedonum Oedipus intravit trucidatus oculos, risu ac derisu exceperunt. Tragoe-*



*du* consternatus retracta persona, Numquid, ait, domini, displicui vobis? Responderunt Macedones: Immo tu quidem pulchre (manuscriptus codex pulcher). Inde autem sic argumentatur: Aut scriptor vanissimus, si finxit, aut Oedipus dementissimus, si ita fecit: atque exinde alter ad alterum: *elaune ten matera dicebatis* (Tertull. lib. I. ad Nat. cap. 16.). Audis sane Tertullianum narrantem a Macedonibus primo quidem risu ac derisu exceptum fuisse personatum Oedipum, quem tamen sibi non displicere postea confessi sunt; tum deinde secum colloquentes haec vicissim protulisse verba *Elaune ten metera*. Quae quidem si genuina sint, his significatur, alterum Macedonem dixisse alteri: Agita, instiga, stimula, impelle matrem et imitare Oedipum. Eo enim sensu verbum *ἐλαύνω* ab Aristophane (Aristoph. Electr. v. 735 et 740.), Homero et aliis graecis scriptoribus accipitur. Quoquo autem verbo usus sit Tertullianus, eo plane incesti haud immerito arguit Macedones, qui illud aut in Oedipo laudaverunt aut eius exemplo ad perpetrandum sese invicem provocabant.

Denique non solos Macedones, sed quoslibet alios etiam ethnicos huius flagitii conscios esse inde convincit, quod filios, uti diximus, recens natos exponerent. Parentes siquidem illos alienae misericordiae antea expositos postea non agnoscebant nec ab illis agnoscebantur. Plerumque igitur contingebat, ut hac ignoracione libidinosi illi parentes stuprum incestumque filiis suis inferrent (Tertull. Apologet. cap. 9. et lib. I. ad Nat. cap. 16.). Infaustissimo autem id Tertullianus probat exemplo, quod paulo antequam libros ad Nationes conscriberet atque, uti videtur, imperante Commodo Romae acciderat. Tum enim Fuscianus, sicut ille ait, Urbi praefectus erat, cum puer quidam ex paternae domus limine egressus rapitur a Graeculo quodam et in Asiam ducitur. Puer autem grandior factus Romam reducitur, ubi a patre suo illum amplius non agnoscente constupratus est. Postea illum parentes quibusdam corporis maculis recognoverunt *ac laqueo*, inquit Tertullianus, *sibi medentur*. Fuscianus vero horum bona puero adscripsit, *non ad haereditatem*, uti ait ille, *sed ad stipendium stupri et incesti* (Idem lib. I. ad Nation. cap. 16.).

Dubitandi porro locus dari videtur utrum improbus ille pater non solum a Fusciano, sed etiam senatu damnatus fuerit. Nam historiae huius initium in Agobardi codice sic legitur: *Talis tragoedia erupit Fusciano praefecto Urbi, iudicata punitione senatus. Fortuita negligentia comitum ultra ianuam progressus iter praetereuntibus tractus domo excidit. Qui eum nutrierat Graeculus, vel a limine graeculo more captaverat intrans. Inde mutatus* (Ibid.). Sed plura ibi redarguuntur librarii errata. Primum enim Rigaltio persuasum adeo fuit pro *senatus* ibi legendum *reatus*, ut illud reposuerit in ipso Tertulliani textu. Deinde ex eo resecauit haec verba: *Qui eum nutrierat* et haec *vel a limine* ac praeterea verbum *intrans* auferendum adhuc arbitratur. Primae autem emendationis hanc affert rationem, quia haec causa si a senatu iudicata fuisset, a Fusciano non debuit amplius iudicari. Potius itaque legendum Fusciano *iudicata punitione reatus*. Nec parum quidem probabilis videtur haec coniectura. Quid tamen si aliquid ibi desit et Tertullianus significare voluerit sententiam Fusciani



a senatu probatam fuisse? At ipse Rigaltius nobis non edixit, cur ex Auctoris nostri textu penitus abstulerit haec verba: *Qui eum nutrierat*. Numquid ibi tam inutilia sunt, ut nemine monito amputari debuerint? Nonne postea dixit: *Alumnus in pueritia?* Denique ista *vel a limine et intrans* detrahenda suspicatur, quia posterius prioris interpretatio est. Sed de his alii iudicent. Nobis autem si coniciendi locus daretur, pro his verbis *progressus iter* legendum suspicaremur *progressus puer*, de quo nimirum ibi agitur et cuius pueritia paulo post memoratur.

Quantumvis autem depravatus sit hic locus, non tamen minus certa est huius nefarii incestus historia. Recte ergo concludit inde Tertullianus plures alios fuisse parentes eiusdem reos criminis, quod quidem quia occultum fuit, debitas culpa gravissimae poenas effugerunt. Quis porro diffitebitur non ex hac tantum historia, sed plurimis aliis exemplis, quae retulimus (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 10. Art. 2.), gentiles apertissime convinci incestus, cuius Christianos impudentissimo mendacio accusabant? Iam itaque ad alias non minus falsas eorum criminationes veniamus.

## ARTICULUS VII.

Quam absurde ethnici obiecerint a Christianis adorari caput asini: quis huic fabulae occasionem dederit: quanta impudentia nebulo quidam Iudaeus illius asini cum ridicula prorsus inscriptione picturam circumtulerit, ac quam vere iidem ethnici asinos totos alias que belluas aut vivas aut depictas adoraverint.

Alia ethnici nec ceteris minore calumnia Christianos ideo infamare frustra moliti sunt, quasi *caput*, uti ait Tertullianus, *asininum* tanquam deum adorarent. Sed illud, inquit, merum erat vigilantium et invidorum hominum somnium, qui conabantur quoquo modo Christianos calumniari. Non diffitetur tamen falsae huic criminationi datam a Cornelio Tacito occasionem. Tam temere enimvero quam falso suis in historiis scripserat Iudaeis, qui in vastissimis Arabiae desertis errantes siti laborabant, indicatos fuisse a quibusdam onagris aquarum fontes, quibus eam sedaverunt, quapropter in grati animi testificationem, sicuti inquebat, asini consecraverunt imaginem. Quia autem religio christiana iudaicae erat proxima, hinc finxerunt gentiles a Christianis quoque asini caput adorari (Tertullian. Apologet. cap. 16. et lib. I. ad Nation. cap. 11.). Verum nos alibi hanc insulsissimam criminationem, non solum quatenus Iudaeos, sed etiam Christianos spectat, funditus evertimus (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 11. Art. 1.).

Reliquum itaque est, ut singulare aliquod factum expendamus, quod a Tertulliano nostro duobus in libris sic describitur: *Nova tam Dei nostri in ista proxime civitate editio publicata est, ex quo quidam frustrandis bestiis mercenarius noxius picturam proposuit cum eiusmodi inscriptione: DEUS CHRISTIANORUM ONOCHOETES. Is erat auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans et togatus* (Tertullian. Apologet. cap. 16.). Alio autem in libro id paulo fusius explicat: *Iam de nostro Deo fama suggestit. Adeo nuper quidam perditissimus in ista civitate etiam suae religionis desertor, solo detrimento cutis*

*Iudaeus, utique magis, quod bestiarum morsus, ad quas se locando quotidie toto iam corpore decutit, cum incidit, picturam in nos proposuit sub ista proscriptioe: ONOCHOETES. Is erat auribus cante-riorum et in toga cum libro, altero pede ungulato (Idem lib. I. ad Nation. cap. 14.).*

Primum ergo dixit hoc factum esse *nuper*, sive paulo antea quam utrumque librum composuit, atque *proxime* in ista civitate, in qua commorabatur. De huius igitur facti veritate nullus dubitandi locus est. Deinde illius auctorem fuisse Iudaeum quendam, *suae*, id est iudaicae, religionis desertorem quique tunc *solo detrimento cutis*, hoc est sola circumcissione, iudaeus impios ethnicorum cultus profitebatur: sed hunc fuisse hominem perditissimum ac plurium criminum publico iudicio convictum et propterea ad bestias damnatum, ut cum eis nimirum suo ordine pugnaret. Verum quia fas illi erat ab hac pugna aliquando vacare, ut lucrum maius faceret, sese *quotidie frustrandis bestiis*, hoc est ad illarum impetus ac morsus dimicando declinandos, ultro locabat. Nam ut adprime Cassiodorus observat: *Actus detestabilis, certamen infelix cum feris velle contendere, quas fortiores se non dubitat invenire. Sola est ergo in fallendo praesumptio unicum in deceptione solatium. Qui si feram non mereatur effugere, interdum nec sepulturam poterit invenire* (Cassiod. lib. V. Variar. Epist. 42. p. 94.). Talis erat Iudaeus ille recutitus, cui praeter circumcissionem, *quotidie*, ait Tertullianus, *toto iam corpore decutit*, id est plures singulis diebus plagas morsibus bestiarum accipiebat. At id genus hominum bestiarii cognominabantur, de quibus paulo ante disseruimus (Super. cap.).

In ludis itaque publicis nebulo ille Pseudo-iudaeus ut christianam religionem ludificaretur, illam circumtulit descriptam a Tertulliano ridiculam plane imaginem, cuius haec erat inscriptio: DEUS CHRISTIANORUM ONOCHOETES (Tertullian. Apologet. cap. 16.), sive ut in codicibus nostris manuscriptis et aliis, *Onochitis*, in aliis *Onochorsitis* vel *Onochortissis* aut *Onochotasis*, in antiquis editionibus *Onychites*, in quibusdam tandem *Όνοχήλος*. In libri autem ad Nationes inedito exemplari et aliis editis hoc nomen scribitur triplici modo ac primo quidem *Onocholtes*, secundo *Onochoites*, tertio *Onochooste* (Idem lib. I. ad Nation. cap. 14.). At quam variae discrepantesque sunt huius unius nominis lectiones, tam clare patet illud esse corruptum. Quamobrem eruditi plures viri in eo sanando non parum desudaverunt. Quidam enim putant legendum *Onochoetes*, ita ut hac voce significetur asinus sacrorum magister et sacerdos, a quo alii imitandi erant. Makent alii scriptum *Onochorsites*, ab asinino capite, alii *Onocoites*, id est asininae originis et prosapiae. Alii etiam *Onotacustes*, graece *Όνωτακόστης*. Sed quid in uno huius inscriptionis nomine iuveniundo laborandum, cui haec duo latina *Deus Christianorum* praeposita in Apologetico libro indicantur? Quid enim si posterius illud nomen a scelerato nugatore confictum et a librariis deinde corruptum fuerit? Quid etiam, si vulgare quoddam Punicum nomen sit iamque penitus obsoletum? Nonne nobis sufficere debet data ab Auctore nostro huius nominis et picturae explicatio: *Is, inquit, erat auribus asininis, altero*

*pede unguatus, librum gestans et togatus.* Quod quidem aliis verbis in libro ad Nationes, sed idem omnino significantibus edixit.

Pictus autem asinus illè erat *togatus*, sive toga contactus, et *librum gestans* in derisum videlicet Christianorum, qui sacra evangelia summo habebant in honore eaque secum ferre ac suis in synaxibus palam legere consueverant.

At Christiani et Tertullianus illud divinitatis monstrum ex impii nebulonis cerebro ortum ac nomen eius et formam riserunt. Quidni risissent illud *auctoritate temporis*, ut ille ait, *destitutum et qualitate auctoris infirmum* (Idem Apologet. cap. 16. et lib. I. ad Nation. cap. 14.)?

Nec est sane quod nobis aliquis obiiciat non tam longe Gnosticos hinc recessisse, qui multo antea, sicut post Epiphanium (Epiph. Haer. 26. p. 91.) observavimus (Tom. I. Appar. p. 244. Dissertat. in Minuc. cap. 11. Art. 1.), finxerant Sabaoth, septimum Aeonum, caeli et terrae esse conditorem, quem alii asini, alii porci figuram prae se ferre effutiebant. Nam haec ridicula Sabaoth imago omnino diversa erat ab horrida Dei Christianorum figura, quam nequissimus et flagitiosissimus iudaicae religionis proditor insulsissime excogitaverat.

Ad eam fortasse propius accedebat asinus albus, quem, uti Suidas narrat (Suid. ad v. Ζήνων) et nos alibi annotavimus (Dissertat. in Minuc. loco cit.), Zeno quidam Alexandrinus, iudaicae religionis desertor, per Iudaeorum synagogam die sabbati traduxisse perhibetur. Verum tametsi id ante Tertulliani tempus actum fuisse probaretur, multum tamen ab illa pictura discrepabat, quam Pseudo-iudaeus in Christianorum Dei derisionem non in synagoga, sed in publicis gentilium spectaculis circumtulit. At non omnino absurde dici posset unum ex his pseudo-iudaeis nebulonibus alteri haec faciendi dedisse occasionem.

Quamvis autem detestabile prorsus fuerit utrumque illud divinitatis portentum, gentiles tamen neutrum plane penitusque reprobare poterant, quin semetipsos nequitiae et amentiae protinus condemnarent. Tertullianus enim id perspicue probat his quibus eos compellat verbis: *Vos non negabitis et iumenta omnia et totos cantherios cum suis Epona coli a vobis* (Tertullian. Apologet. cap. 16.). Rursus autem in primo ad Nationes libro: *Sane vos totos asinos colitis et cum suis Epona et omnia iumenta et pecora bestiasque perinde cum suis praesepibus consecratis.* Quamobrem illos sic urget: *Sed illi ethnici debebant adorare statim biforme numen illud a Iudaeo confictum* (Lib. I. ad Nation. cap. 11.): *Quia canino et leonino capite commistos et de capro et de ariete cornutos et a lumbis hircos et a cruribus serpentes et planta vel tergo alites deos receperunt* (Idem Apologet. ibid.). Similiter in suo libro ad Nationes: *Sunt penes vos et canino capite et leonino et de bove et de ariete et de hirco cornuti dii, caprigenae vel anguini et alites planta, fronte et tergo* (lib. I. ad Nation. cap. 14.). Nos vero haec omnia in aliis dissertationibus enucleavimus et Minucium audivimus adversus ethnicos simili modo disputantem (Dis-

sertat. in Minuc. Octav. cap. 14. Art. 2. et Dissertat. in Arnob. cap. 20. Art. 1.).

At Tertullianus illos ipsorummet gladio sic iugulat. Si vitio, inquit, nobis vertitis, quod asini caput tanquam Deum colamus, multo certe vos nequiores esse convincitis. Non enim asini tantum caput vel quasdam bestiarum partes, sed totos asinos aliasque quamplures totas bestias dicitis esse deos et revera adoratis. Quae autem, amabo te, maior insulitas quam unius criminis aliquem iusimulari ab alio qui eiusdem et plurium graviorum seipsum reum esse fatetur? Verum haec, ait Tertullianus *ex abundantia*. Quam certum quippe erat bestias ab ethnicis, tam falsum erat a Christianis caput asini vel asinos adorari. Unum siquidem hi adorabant summum Deum, qui omnia creavit nec ab ullo potest aut videri aut comprehendi.

#### ARTICULUS VIII.

Quam inconsiderate ethnici vitio Christianis verterint cultum crucis Christi, cum illi ipsi quaslibet in deorum suorum simulacris, tropaeis, vexillis et militarium signorum ornatu cruces adorarent; quibus partibus crucem Christi compositam Tertullianus putaverit; cur siphara appellaverit stolas crucis, cuius homo expansis manibus figuram exhibet.

Urgebant adhuc ethnici laesam violatamque a Christianis supremam Dei maiestatem religioso cultu crucis, cui Christus affixus fuerat. Sed qua, putas, ratione hanc saepe saepius ab illis repetitam criminationem Tertullianus diluit? Non alia profecto, quam intortum ab ethnicis telum in ipsosmet retorquendo. Tacet enim utrum Christiani crucem illam revera colerent ac variis tantummodo rationum momentis ostendit illos omnino imprudenter huiusce cultus redargui ab ethnicis, qui cruces quaslibet passim venerabantur.

Quid ergo, inquires, numquid fallaci aliquo silentio negavit aut dissimulavit crucem Christi ab ipsius discipulis honorari? Minime gentium. Quam enimvero ob causam id negare aut dissimulare potuisset qui fatetur illos ad omnes fere vitae suae actus frontem suam crucis munivisse signaculo? Cur autem, obsecro, sacrum illud signum frontibus suis tam saepe imponebant, nisi persuasum omnino habuissent aliquid in illo sibi praesidii esse ac veneratione sua digni (Tertullian. lib. de Corona cap. 3. et lib. II. ad Uxor. cap. 5.). At de hoc antiquissimo colendi crucem Christi more plura in aliis dissertationibus nostris contra haereticos disputavimus (Dissertat. in Minuc. cap. 11. Art. 3. et in Lactant. cap. 19. Art. 1. et in Lucil. Caecil. cap. 5. Art. 2.). Non poterat ergo Tertullianus hoc negare, quod suo tempore omnibus Christianis quotidie usitatum ac ipsis etiam gentilibus satis compertum erat (Tertullian. Apologet. cap. 16.).

Quamobrem his crucis Christi cultum obiicientibus non aliud quam hoc brevissimum dedit responsum: *Qui crucis nos religiosos putat, consecraneus erit noster*; vel sicut in alio libro: *Qui nos crucis antistites affirmat, consecraneus erit noster* (Idem lib. I. ad Nation. cap. 12.). Nomen vero *consecraneus*, quemadmodum in veteribus glossis annotatur, idem sonat ac sacrorum socius. Palam ergo

ille asseverat prorsus inconsideratos esse gentiles, qui cum plurimas cruces adorarent, Christianos tamen ideo huius superstitiosi et impii cultus arguere audebant, quia crucem Christi venerabantur.

Antequam vero argumenta, quibus illud probare contendit, examinemus, animadvertendum est quam ille dixerit esse crucis Christi figuram. *Nobis, inquit, tota crux imputatur, cum antenna scilicet sua et cum illo sedilis excessu* (Id. lib. I. ad Nation. loco cit.). Nos itaque docet crucem Christi integram fuisse ac perfectam, utpote quae tribus partibus composita erat, ligno videlicet recto, et antenna sive transverso altero ligno, atque sedili sive scabellulo, cruci imposito et eam excedente. Nos vero alibi observavimus (Tom. I. Appar. p. 597.) ortam inter eruditos controversiam utrum illud scabellum seu lignum excedens toti hominis crucifixi corpori vel eius tantum pedibus supponeretur. Sed cum *sedile* a Tertulliano nostro appellatur, hoc proculdubio nomine satis aperte innuit illud in crucis medio positum ac in eo requiesse crucifixi hominis corpus, ne graviore sua mole dilaberetur aut fractis manibus caderet. Nonnulli autem putant hoc sedile designari his eiusdem Tertulliani nostri alio in libro verbis: *Cornus crucis extrema; nam et in antenna navis, quae crucis pars est, cornua extremitates vocantur, unicornis autem media stipitis palus* (Tertull. lib. ad Iudaeos cap. 2.). Fatentur tamen non plane incorruptum esse hunc locum nec proinde certo definiri posse utrum his posterioribus verbis rectam crucis lignum non denotetur. At extra dubium esse videtur integram ac perfectam ab illo appellari Christi crucem utroque ligno recto et transverso ac sedili compositam.

Ethnicorum autem Christianis huius crucis cultum exprobrantium ut temeritatem comprimat, conglobatis argumentis ostendit plures alias cruces non solum integras, sed earum etiam partes ab illis adorari. Non enim, uti ait, *distinguitur a crucis stipite Pallas Attica et Ceres Pharia, quae sine effigie rudi palo et informi ligno prostat* (Tertullian. Apologet. cap. 16.). Atque haec iisdem paene verbis in libro ad Nationes repetit (lib. I. ad Nation. cap. 11.). Sed in nostris manuscriptis exemplaribus scriptum est *Ceres Fariam*, in antiquioribus editis *Ceres Farrea*, quae lectio pluribus placet, quia Cereri hoc nomen ideo impositum censent, quod illa far frugesque invenisse perhibeatur. Alii vero legendum malunt *Pharia* seu *Faria*, sicuti in libro ad Nationes. Eo enim cognomine Cererem appellatam autumant, quia in Pharo Aegypti insula colebatur. De ea porro aliquid in nostra de Minucii Felicis Octavio dissertatione observatum a nobis fuit (Dissertat. in Minuc. cap. 14. Art. 4.).

Non semel autem in aliis dissertationibus (Tom. I. Appar. pag. 734 et seqq. ac Dissertat. in Arnob. cap. 20. Art. 1.) adnotavimus antequam gentiles deorum suorum simulacra ad hominis effigiem finxissent, a quibusdam acinacem, ab aliis gladium, ensam, hastam, a nonnullis lapidem, ab aliis rude lignum et stipitem non elaboratum pro diis habita fuisse et adorata. Qui quidem mos apud quasdam gentes diutius perseveravit. Tertullianus autem significare videtur suo adhuc tempore extitisse aliquod Palladis in Attica regione et Cereris in Pharo insula simulacrum, quod rudis duntaxat palus et informe ac

sine ulla effigie lignum erat. At id profecto ex his, quae in citatis nostris dissertationibus retulimus, confirmari atque potest. Ethnici ergo palmam huiusmodi terrae defixum tanquam sacra numina adorantes partem crucis profecto adorabant.

Integras autem cruces venerabantur in deorum suorum simulacris, humanam effigiem repraesentantibus. Fabricari siquidem a plasticis et artificibus non poterant, nisi prius argilla aut alia quaedam materia sustentaculis in crucis integrae modum apposisis revera superponeretur. Quapropter recte Tertullianus: *Diximus, inquit, originem deorum vestrorum a plasticis de cruce induci* (Tertullian. Apologet. cap. 16.). Antea vero dixerat: *Simulacrum prius argilla deformat* (Ibid. cap. 12.), id est formare incipit, cruci et stipiti *superstructa*. Rursus autem alio in libro: *Huic exordio et velut statumini argilla desuper intexta paulatim membra complet et corpus struit et habitum quem placuit argillae intus cruci ingerit . . . a cruce argilla, ab argilla deus quodam modo transit, crux in deum per argillam. Crucem igitur consecratis, a qua incipitur consecrari* (lib. I. ad Nation. cap. 12.).

De his autem iam egimus in nostra de Minucii Felicis libro dissertatione (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 4. Art. 12.), nec non etiam de tropaeis, cantabris et vexillis. Eadem vero ratione his omnibus ab Auctore nostro adiciuntur: *Siphara illa vexillorum et cantabrorum* (Tertullian. Apologet. cap. 16.). At sipharum sive sypharium, supparus et supparum vocabatur varium vestimenti et veli genus, puta navium et theatri; sed ibi a Tertulliano, uti satis liquet, sumitur pro velamento signorum militarium, cruci vel lignae vel alterius materiae imposito. Continenter enim, haec *siphara, inquit, stolae crucum sunt* (Ibid.), id est amictus sunt et velamenta, quibus crux velabatur tegebatur. Siphari igitur nomine designat velum illud ex transversa crucis parte appensum, quo vexilla et cantabra decorabantur. Quamobrem ethnicos hisce verbis irridet: *Laudo diligentiam. Nobuistis nudas et incultas cruces consecrare* (Ibid.). In altero etiam libro: *Siphara illa vestes crucum sunt. Erubescitis, optinor, incultas et nudas cruces colere* (Idem lib. I. ad Nation. cap. 12.).

Instat adhuc ille: *Victorias adoratis, cum in tropaeis cruces intestina sunt tropaeorum* (Idem Apologet. loco cit.), id est tropaeis subiectae sunt. Paulo vero aliter in alio libro: *Victorias ut numina, et quidem augustiora, quanto laetiora veneramini con . . . one quid melius extollant, cruces erunt intestina quodam modo tropaeorum* (Idem lib. ad Nation. loco cit.). Constat sane Victoriam ab illis in dearum positam fuisse numero: quod quidem, vix ulli incognitum, probasse sufficiat his Tullii verbis: *Quid concordiae templum, libertatis et victoriae, quarum omnium rerum, quia vis erat tanta, ut sine deo regi non posset, ipsa res deorum nomen obtinuit* (Cic. lib. II. de Natur. Deor. p. 223. lin. 5.). De illa vero eiusque effigie Claudianus hos fecit versus:

*Ipsa duci sacras Victoria panderet aedes.  
O palma viridi gaudens et amicta tropaeis,*



*Custos imperii virgo, quae sola mederis  
Vulneribus nullumque doces sentire laborem.*

(Claudian. lib. III. de Laudib. Stilicon. v. 204 et seqq.)

Effigies igitur illius fulgebat in tropaeis sive captis hostium spoliis, quae summo stipiti et in crucis figuram erecto superposita solebant solemni pompa deferri. Ethnici itaque Victoriam non solum in suo templo, sed in his etiam tropaeis adorantes crucem quoque adorabant. Nam *tropaea victricia*, inquit Minucius Felix (Minuc. p. 287.), *non tantum simplicis crucis, verum etiam affixi in ea hominis figuram imitantur.*

Sed acrius adhuc urgentem Tertullianum subsequamur: *Religio Romanorum*, inquit, *tota castrensium signa veneratur, signa iurat, signa omnibus diis praeposit.* Omnes illi imaginum suggestus insignes monilia crucum sunt (Tertullian. Apologet. cap. 16.). Ita quidem in nostris codicibus manu exaratis et editis antiquioribus. Verum Rigaltius ibi nomen *Romanorum* nulla reddita ratione sustulit. Suspiciamus tamen eam fuisse, quia in libro ad Nationes eadem, sed omissis illo *Romanorum* nomine, his verbis repetit: *In victoriis et crucibus colit castrensium religio, signa adorant, signa detestantur, signa ipsi Iovi conferunt: sed ille imaginum suggestus et totus auri cultus monilia crucum sunt* (Idem lib. I. ad Nation. cap. 12.). At Rigaltius animadvertisse satis non videtur illud *Romanorum* nomen potuisse in hoc libro, ad omnes generatim nationes directo, praetermitti, non autem in Apologetico, qui ad omnes antistites ac in primis Romanos missus fuit. Mos autem militaria signa adorandi apud istos ita invaluerat, ut Artabanus Parthorum rex ad Caligulae, inquit Suetonius, legatum veniens: *Aquilas et signa Romana Caesarumque imagines adoraverit* (Sueton. Vita Calig. cap. 14.).

Cur autem religio castrensium vocetur ac signa sua iuraret, his intelligere est Senecae verbis: *Primum militiae vinculum est religio et signorum amor et deserendi nefas; tunc deinde facile cetera exiguntur mandanturque ad iusiurandum adactis* (Senec. Epist. 95.). Primum itaque illud erat militum iusiurandum, quo se militiae addicebant, de quo plura Schelius in suis ad Polybium notis (Schelius cap. 1. de Sacram.), Brissonius (Brisson. init. lib. IV. de Formul.), Iustus Lipsius (Lips. l. I. de Milit. Romana dialog. 6. pag. 26.) et alii. At praeter hoc sacramentum milites etiam sua per signa iurabant. Nam Lucanus centurionem Caesari per ea iurantem sic induxit:

— — *Per signa decem felicia castris,*

*Perque tuos iuro quocumque ex hoste triumphos.*

(Lucan. lib. II. v. 278.).

Nec mirum sane, quandoquidem (Lucan. lib. II. v. 370.) signa sua et aquilas putabant, ut ex Cornelio Tacito discimus, *propria legionum esse numina* (Tacit. lib. II. Annal. post init. p. 20.). Alibi vero de Antonio seditionem compescente: *Mox conversus, inquit, ad signa et bellorum deos, hostium potius exercitibus illum furorem, illam discordiam iniicerent, orabat, donec fatisceret seditio* (Idem lib. III.

Histor. post init. p. 180.). At clarius certe Dionysius Halicarnasseus: *Σημεῖα τιμωμένα Ῥωμαίοις ταῦτα ἐπὶ στρατείας καὶ ὡσπερ ἰδρύματα θεῶν ἕρῃ νομιζόνται: Nihil in Romana militia signis habetur venerabilius nec minus sacra iudicantur quam deorum simulacra* (Dionys. Halic. lib. VI. Antiquit. Roman. p. 375.).

Quapropter adiecit Tertullianus *signa omnibus diis praeponit* (Tertullian. Apologet. cap. 16.), videlicet castrensis illa religio, quia milites ea, quemadmodum vexilla, maiori cultu quam alios omnes deos suos venerabantur. Non deerit fortasse qui existimet his verbis Tertullianum significasse signa militaria in exercitu et acie ante deorum simulacra et imagines ab antesignanis fuisse adsportata; sed prior sensus dictis illius ac menti magis congruere videtur. In alio enim libro dixit: *Signa ipsi Iovi*, etsi deorum suorum maximo, *praefert* (Idem lib. I. ad Nat. cap. 12.).

Atqui *omnes illi imaginum*, inquit, *suggestus insignes monilia crucum sunt*. Nos autem ibi quidam monitos esse voluerunt in nonnullis manuscriptis legi *in signis non insignes*, nec prorsus quidem absurde. De militum quippe signis ibidem agitur. Verum quia in longe pluribus meliorisque notae exemplaribus habetur *insignes*, hanc lectionem explodere non audemus. Nihil vero ad huius potius quam alterius lectionis confirmationem erui potest ex libro ad Nationes, ubi hoc nomen Tertullianus praetermisit haecque verba subiunxit: *Ille imaginum suggestus et totius auri cultus monilia crucum sunt* (Ibid.). Nonnulli quidem opinantur nomen *suggestus* ibi accipi pro vestitu et ornamento, sed id probare debuissent. Quid enim si sumatur pro ipso actu suggerendi seu subtu gerendi hasce imagines, quae pendebant ex altiori hastae sive ligni oblongi parte et crucum monilia et ornamenta erant, quia ab illis supra se positae velabantur et decorabantur. Ceterum de his omnibus iam disputavimus in nostra de Minucii Felicis Octavio dissertatione (Dissertat. in Minuc. cap. 12. Art. 4), ubi adhuc ostendimus *hominem*, sicuti tandem Auctor noster ait, *manibus expansis* prae se ferre crucis imaginem (Tertull. lib. I. ad Nation. cap. 12.).

Sed aliquem audire nobis videtur qui obiiciet infirmam omnino esse haec Tertulliani argumentationem. Gentiles enim, inquiet, deorum suorum simulacra, signa, tropaea, victorias ac quaelibet eiusmodi alia adorantes nihil plane cogitabant de crucibus, quae illis erant suppositae aut eas velabant. Verum animadvertere is debet hanc Tertulliani aliorumque religionis christianae defensorum argumentationem illa niti ethnicorum opinione, qua deorum suorum simulacra et signa veros deos esse arbitrabantur. Ea igitur tota et omnes illorum partes, quarum praecipuae cruces erant, reipsa adorabant. Non enim existimabant ex simulacri tantum forma, habitu et qualitate, sed ex eius etiam materia factum esse deum, quem solebant totum omnibusque suis partibus compositum venerari. Dicendum ergo tam cruces velis et monilibus signorum militarium suppositas, quam alias eorundem signorum partes, de quibus fortasse tum nihil expresse cogitabant, ab iis religioso cultu honoratas.

## CAPUT XXI.

De laesae maiestatis humanae criminibus, quorum reos agere Christianos ethnici perperam conabantur.

## ARTICULUS I.

Quam evidenter Tertullianus ostendat Christianos laesae maiestatis humanae immerito accusari, qui toto mentis affectu non falsos deos, sed verum et omnipotentem Deum orabant pro salute imperatoris illiusque prosperitate et diuturnitate Romani imperii, quod Tertullianus et alii plures cum toto mundo finem accepturum opinabantur.

Omnia hactenus exposuimus atque explanavimus argumenta quibus Tertullianus luculentissime demonstrat Christianos false omnino et impudentissime ab ethnicis laesae inculsari divinae maiestatis, cuius illi ipsimet accusatores multis nominibus rei prorsus erant. Iam itaque examinandum est quibus ille rationum momentis simili modo ostendat ethnicos laesae humanae maiestatis esse revera conscios, tametsi summa adhuc temeritate Christianos huius criminis insimulare non vererentur. Nam ut eius verbis utamur: *Ventum est ad secundum titulum laesae augustioris maiestatis* (Tertullian. Apologet. cap. 28.), videlicet imperatorum. Augustior autem eorum maiestas idcirco vocatur, quia gentiles imperatoris viventis longe magis quam Iovis aliorumque mortuorum deorum maiestatem, ut paulo post dicemus, laedere reformidabant. At Christiani imperatorem debita reverentia colentes pro illius salute non mortuos fictitiosque deos precabantur, sed verum vivumque Deum, a quo iidem imperatores supremam et secundam ab illo potestatem, lucis usuram et quidquid ipsi erant reipsa acceperant (Ibid. cap. 30.).

Ab hoc enim solo omnipotentique Deo quotidianis Christiani precibus efflagitabant vitam eorundem imperatorum, uti ait Tertullianus, *prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, sensum fidelem, populum probum, quietum et quaecunque hominis et Caesaris vota sunt* (Ibid.), hoc est quaecunque imperatores pro privata sua vita et imperiali dignitate poterant secundum aequitatis et iustitiae leges optare. Nec minus asseveranter hoc praedicarunt alii eximii christianae religionis defensores: *Θεὸν μὲν μόνον*, inquit Iustinus Martyr, *προσκυνοῦμεν, ὑμῖν δὲ πρὸς τὰ ἄλλα χαίροντες ἐπιηρητοῦμεν, βασιλεῖς καὶ ἄρχοντας ἀνθρώπων ὁμολογοῦντες καὶ εὐχόμενοι μετὰ τῆς βασιλικῆς δυνάμεως καὶ σώφρονα τὸν λογισμὸν ἔχοντας εὐφροδῆναι: Solum Deum adoramus et vobis in rebus aliis inservimus, imperatores ac principes hominum esse profitentes et simul precantes, ut cum imperiali potestate sanam mentem obtinere comperimini* (Iustin. Apolog. ad Anton. pag. 64.). Athenagoras vero in fine suae pro Christianis legationis palam declarat eodem Christianos Deum precatos esse pro Augusti imperio utque illud magis ac magis augetur, omnia illi eveniant ex animi sententia ac filius eius et haeres in eius succedat locum (Athenag. Legat. pro Christian. p. 40.). Sed haec, quae omnibus satis nota sunt, fusius prosequi nihil necesse est. Manifestum quoque omnibus fecimus (Supra c. 14. Art. 3.) quam sincero mentis affectu, quam innocente anima, quam humili et abiecto corpo-

ris motu haec fisis et privatis et publicis precibus ab omnipotente Deo suo impetrare niterentur. Quamobrem nihil amplius adiciemus, nisi quod ille ad Scapulam ethnicum praesidem scripsit: *Colimus et imperatorem sic quomodo et nobis licet et ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum. . . . Itaque sacrificamus pro salute imperatoris, sed Deo nostro et ipsius, sed quomodo praecepit Deus, pura prece. Non enim eget Deus, conditor universitatis, odoris aut sanguinis alicuius. Haec enim daemoniorum pabula sunt* (Tertullian. lib. ad Scapul. cap. 2.).

Nam respondere poterant ethnici falsa esse ac mendacia haec Christianorum pro salute imperatoris vota aut fallaces illorum preces, qui ne debitos cruciatibus experirentur, eas ore tenus fundebant. Nam hac fatili responsione ethnici, uti ait Tertullianus, concedebant Christianos Deo suo pro salute imperatorum preces revera fuisse (Idem Apologet. cap. 31.). Quis autem unquam probaverit illas non ex intimo cordis sensu, sed ore tantum profectas? At sinceram omnino finisse hinc ille plane convincit, quod in sacris, quas ethnicis ipsis non esse incognitas ostendimus, nostris Scripturis praecipiat singularis et omnibus Christianis: *Ad redundantiam, inquit, benignitatis etiam pro inimicis Deum orare et persecutoribus suis bona precari* (Ibid.). Quis autem non videt his verbis ab illo designari illud Christi praeceptum: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum; ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (Math. cap. 5. v. 43 et seqq.). Christus enim his verbis iubet, ut Christiani inimicos uos non amplius, sicut Iudaei, odio habeant, sed ad redundantiam benignitatis christianae illos diligant, illis benefaciant, pro persequentibus et calumniantibus intimo sinceroque cordis affectu Deum precentur.

At qui magis, pergit ille, inimici et persecutores Christianorum, quam imperatores, de quorum laesa maiestate convenimur in crimen, id est accusamur (Tertullian. loco cit.)? Alibi vero nec semel hoc verbo utitur (Ibid. cap. 35.). Superius quippe dixerat: *sacrilegii et maiestatis rei convenimur*. Infra autem: *De secunda post Deum scilicet maiestate in secundum sacrilegium convenimur*. Quod iuriconsultorum est verbum, quo idem significatur atque in ius vocari. Lata igitur a Christo lege Christiani tenebantur pro imperatoribus quantumlibet inimicis ac persecutoribus suis illorumque salute Deo supplicare.

Quid vero, quod Christiani alia adhuc data ab Apostolo lege Deum rogare debebant *nominatim pro regibus et pro principibus et potestatibus, ut omnia tranquilla sint* (Ibid. cap. 31.). Paucis autem ibi verbis ac tacito eiusdem Pauli nomine ea complectitur quas ab illo ad Timotheum sic scripta et a nobis iam citata sunt (Supra cap. 12. Art. 1.): *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt; ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate* (Paul. Epist. I. ad Timoth. cap. II. v. 1 et seq.).

Non sola autem Scripturae Sacrae auctoritate et lata Christianis lege id probat Tertullianus, sed hac etiam ratione, contra quam nemo sane ne mutire quidem poterat: *Cum concutitur, inquit, imperium, concussis etiam ceteris membris eius utique et nos, licet extranei a turbis aestimemur, in aliquo loco casus invenimur* (Tertullian. Apologet. loc. cit.). At ibi contra codicum nostrorum et editorum fidem in Rigaltii editione sublaturum est verbum *aestimemur*. Qua autem an oscitantia typographorum vel Rigaltii propria auctoritate, sicuti nescimus, ita certe nulli dubitamus, illud recte ab Auctore nostro additum. Prius namque, uti vidimus, asseruit Christianos cum ethnicis ubique in rebus publicis omnibus fuisse permixtos. Verumtamen aestimabantur *extranei* a turbis gentilium, quia ab eorum mysteriis et superstitioso cultu omnino erant alieni. Cetera cum ethnicis vivebant atque idcirco concusso imperio et ipsos concuti necesse erat. Pro imperii igitur tranquillitate et incolumitate imperatorum Deum aequo totoque animo non solum privatim, sed in suis etiam, quemadmodum superius observavimus, synaxibus publice precabantur (Supra cap. 15. Art. 1.).

Quid vero, quod maior necessitas, si Tertulliano credimus, flagitabat ut Christiani has preces ex animo funderent (Tertullian. Apolog. cap. 32.). Per eorum quippe animos opinio pervaserat proxime futurum mundi finem variis portentis tum praenuntiari: sed eum tamen, sicut iam observavimus (Supra cap. 15. Art. 1.), non antea destruendum, quam Romanum imperium everteretur. Rogabant igitur pro huius diuturnitate et ut retardaretur mundi finis, quem experiri nolebant. At quamvis illa Christianorum opinio, ut supra vidimus (Dissertat. in Lactant. cap. 29. Art. 1 et seqq.), vera non sit, non inde tamen minus certo conficitur illos sinceris precibus a Deo expositis et salutem imperatorum et tranquillam imperii eorum diuturnitatem.

#### ARTICULUS II.

Christianos immerito laesae maiestatis humanae accusari, quia nolebant pro imperatoris salute sacrificare diis gentilium aut eos precari, qui nec sua templa nec se ipsos tutari poterant nec imperatoris dare aut conservare salutem, sed solus Deus omnipotens, a quo Christiani poterant eam suis impetrare precibus.

Tot rationum momentis satis demonstratum est Christianos, qui toto animo Deum pro imperatorum salute quotidie orabant, laesae eorum maiestatis non esse reos. Quid ergo contra opponere poterant gentiles, nisi imbecillia prorsus argumenta absurdasque cavillationes, quae ruunt se ipsis et funditus concidunt? Ne quid tamen, sicuti Tertullianus noster, intactum relinquamus, ea examinanda sunt, ut manifestius cuilibet fiat quanta iniquitate iidem Christiani suam propter religionem vexarentur atque opprimerentur.

Obiiciebant itaque ethnici illos laesae maiestatis humanae convinci, quia pro imperatorum salute falsis illorum diis sacrificare vel eos precari pertinaciter recusabant. Sed quibusnam, ait Tertullianus, ita sacrificandum est (Tertullian. Apologet. cap. 29.)? Nonne iis qui possunt salutem cuilibet homini atque etiam imperatoribus impertiri? Atqui eorundem ethnicorum dii neque imperatoribus neque ulli ho-

mini illam conferre possunt. Nam hi dii vel daemones sunt atque, ut superius dictum, pessimi spiritus, perditum ac damnatum, vel potius mortui homines, quemadmodum ethnici propria conscientia compertum habebant et nos infra ostendemus. Christiani igitur a neutris salutem imperatorum nec poterant sperare nec petere debebant.

Quo enim modo falsi illi dii eam dare poterant, qui nunquam potuerunt aut se ipsos aut sua templa et simulacra a furibus aut temporum iniuriis tutari? Quapropter ad ea servanda indigebant militum, uti ait Auctor noster, excubiis id est diurna nocturnaue illorum custodia. Tertulliano autem plane suffragatur auctor epistolae ad Diognetum, haec ethnicis iure ac merito sic exprobrantem; *Τοὺς μὲν λίθινους καὶ ὀστρακίνοὺς σέβοντες ἀφυλάκτους, τοὺς δὲ ἀργυρέους καὶ χρυσοῦς ἐγκλιόντες ταῖς νύξιν, καὶ ταῖς ἡμέραις φύλακας παρκαθίσταντες, ἵνα μὴ κλαπῶσιν: Deos lapideos quidem et testaceos veneramini, custodibus carentes; argenteos autem et aureos includitis noctu ac interdium custodes apponitis, ne furto auferantur* (Epist. ad Diogn. post init. pag. 495.). Recte ergo Tertullianus hasce excubias christiano militi vetitas esse sic pronuntiat: *Excubabit pro templis quibus renuntiavit, et coenabit illic ubi apostolo non placet, et quos interdium exorcismis fugavit*, nimirum daemones et gentilium deos, *noctibus defensabit incumbens et requiescens super pilum* (Tertullian. de Corona cap. 11.). Aliae editiones *super luncho* sive lancea, *qua perfossum est latus Christi*. Cernis profecto qua ethnici ratione pro diis suis excubarent vigilarentque. Sed hi custodes, quantumlibet vigiles, impedire non potuerunt quominus illorum templa et simulacra spoliata, rapta ac plurimis ludibrio despectuique fuerint. Verumtamen gentiles persuasum utique habebant haec simulacra ipsosmet deos suos esse aut eorum certe domicilium, sedem et habitationem. Plura autem de iis alibi annotavimus (Dissertat. in Arnob. cap. 20. Art. 5. et in Lactant. cap. 35. Art. 5.) et adhuc infra dicemus.

Fac tamen, si velis, gentiles non credidisse haec simulacra esse deos, sed iis tantum repraesentari, quid inde proficies? Constat enim hos ipsosmet gentilium deos, quicumque fuerint, ad nutum arbitrumque pendisse imperatoris. Et id quidem multi ut superius ostendimus, experti sunt. Quin etiam plures dii, sicuti aiebat Tertullianus, *habuerunt Caesarem iratum* (Tertullian. Apologet. cap. 29.), qui videlicet non solum illorum fana et statuas aedificari, sed ipsos pro diis haberi prohibuerat. Nihil autem absurdius quam a diis imperatori subiectis salutem illius petere, qui suam potius ab illo quam hic ab illis poterat obtinere. Quapropter Tertullianus eosdem ethnicos his compellat verbis: *Sed vos irreligiosi, qui eam salutem quaeritis ubi non est, petitis a quibus dari non potest* (Ibid.). Ita quidem in nostris codicibus et editionibus antiquis. At Rigaltius contra illorum omnium auctoritatem scribi iussit *religiosi*, haud dubie quia putabat illos ibi religiosos ironice appellari. Sed licetne hanc ob coniecturam auctoritate propria textum auctoris immutare, atque tum maxime, quando utriusque lectionis idem est sensus?

Rursus autem ille demonstrat Christianos magis quam gentiles de imperatoris sui salute esse sollicitos (Ibid. cap. 33.), utpote qui ex-



ploratum habebant illum a vero Deo suo fuisse electum. Etenim *inde*, inquit, *potestas illi, unde spiritus et vita* (Ibid. cap. 30.). At illud non tantum naturali lumine agnoscerat, sed a divino spiritu afflatus nostris scriptoribus (Idem lib. de Praescript. cap. 2.). Reges namque ipsos Salomon, in Sapientiae, sicut ille ait, libro sic alloquitur: *Datus est a Domino potestas vobis et virtus ab Altissimo* (Sapient. cap. 6. 4.). Paulus vero ad Romanos scripsit: *Non est potestas, nisi a Deo, quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt* (ad Rom. cap. 13.). Tertullianus igitur iure sane merito hinc concludit: *Noster est magis Caesar, a nostro Deo constitutus* (Tertullian. Apologet. cap. 33.), quam ulli gentilium dii, qui nullum Caesarem aut imperatorem facere unquam potuerunt. Plus igitur ad imperatoris salutem confert Christianus Deum suum, a quo ille institutus est, rogando, quam ethnicus orando commentitios deos suos, qui nec imperatori nec ulli homini possunt vel minimum quidem beneficium tribuere.

## ARTICULUS III.

Quam frustra gentiles obicerent Christianos laesae maiestatis humanae esse reos, quia per imperatoris genium iurare recusabant, sed iurabant tamen per illius salutem, quamvis alia prorsus quam gentiles ratione.

Instabant ethnici Christianos Caesareanae maiestatis reos ideo redargui, quia per eorum genios iurare detrectabant vel sicuti Auctor noster alibi loquitur: *Inreligiosi dicimur in Caesares, neque imagines eorum propitiando neque genios deserendo* (Tertull. lib. I. ad Nation. cap. 17.). Ethnici autem genium, teste Festo (Fest. lib. XX. de Signific. Verb. ad v. Genius.), appellabant non modo uniuscuiusque loci deum, sed eum etiam qui vim obtinebat rerum omnium gerendarum ibique in opinionis suae confirmationem refert haec Aufustii verba: *Genius est deorum filius et parens hominum, ex quo homines gignuntur et propterea genius meus nominatur, quis me genuit*. Servius vero alicubi observat genium ab antiquis vocari naturalem deum uniuscuiusque loci vel rei vel hominis, et alibi manes a Virgilio appellari genios, quos cum vita omnes sortiuntur (Serv. in lib. I. Georg. pag. 85. et in lib. VI. Aeneid. pag. 440.). Varro quoque, ab Augustino citatus (August. lib. VII. de Civit. Dei cap. 13.), dixerat genium esse deum *qui praepositus, ac vim habet rerum omnium gignendarum*. Plura autem de genio Lipsius (Lips. lib. I. Physiolog. cap. 19. pag. 554 et seqq. tom. IV.), Natalis Comes (Nat. Com. lib. IV. Mytholog. cap. 3.), Vossius (Voss. lib. I. Orig. et Progr. Idolol. cap. 18.) et alii, nosque in superioribus nostris dissertationibus.

Quae vero ibi leviter attigimus, satis superque demonstrant ethnices persuasum habuisse genium imperatoris esse singularem illum deum, a quo ipsum genitum ac regi arbitrabantur. Non mirum itaque si per eum iurarent ac Christianos iurare renuentes laesae accusarent maiestatis.

Verum hi ad impium hoc iusiurandum modo blanditis, modo minis ac cruciatibus saepissime ab ethnicis provocati dare illud nunquam veluerunt. Cupisne id tibi aliquo exemplo comprobari? Praesto adest

Eusebius, qui semel et iterum narrat sanctissimum martyrem Polycarpum a proconsule lacessitum fuisse, ut per Caesaris genium iuraret: Ὁμοσον, inquit, τὴν Καίσαρος τύχην (Euseb. lib. IV. Eccles. Histor. cap. 15. pag. 132.). At non aliud, pergit Eusebius, ab eo proconsul nisi hoc accepit responsum: Fingis te ignorare me esse Christianum, cui iusiurandum illud plane penitusque prohibetur. Nos quidem non fugit graeco nomine τύχη significari fortunam, sed ea Caesaris fortuna ibi designatur, quam ethnici ab illius genio gubernari existimabant. At de hoc ethnicorum et negata a Christianis iureiurando in superiori de Minucii Octavio dissertatione disputavimus (Dissert. in Minuc. Octav. cap. 12. Art. 3.).

Christiani itaque detestabantur omne iusiurandum per imperatorum genios, quandoquidem hi aut nulli aut daemones erant, iisdem subiecti Christianis, qui illos Christi nomine adiuratos de obsessorum corporibus eiciebant (Tertullian. Apologet. cap. 32.). Fas ergo illis non erat per eos iurare, in quos summam habebant potestatem. Praeterea ethnici per genium Caesaris iurantes frequentissime peierabant. Perduelles enimvero ac periure frangere solebant datam hoc sacramento Caesari fidem (Idem lib. I. ad Nation. cap. 17.). Equis ergo laesae maiestatis conscius? Num is qui impio iureiurando aut infami periurio tenetur, an alius, qui iniquissimum illud iusiurandum dare constanter recusat?

Christiani ergo hoc respuentes eo minus laesae maiestatis humanae rei erant, quo libentius iurabant per imperatoris salutem, quae angustior est, inquit Auctor noster, omnibus geniis, quemadmodum paulo ante exposuimus. Testem vero huius iurisiurandi habemus Athanasium, qui ad Constantium imperatorem de Syriano haud dubie Christiano haec scripsit: Ματυροῦμένος τὴν σὴν σωτηρίαν, τὸν ἐμὸν contestatus salutem (Athanas. Apol. ad Const. pag. 310. tom. I.), pollicitus est se nihil conturbaturum amplius, sed longe maiori solemnitate rem ad eius delaturam religionem. In Carthaginiensi autem Collatione Marcellinus comes eodem sacramento sese his verbis obstrinxit: Sive cum alio sive solus in hoc negotio iudicaturus intererem, nihil aliud me, nisi quod allegationes partium examinatas potuerint demonstrare et quod veri invenerit fides, per admirabile mysterium Trinitatis, per incarnationis dominicae sacramentum et per salutem supra memoratorum principum, Honorii et Theodosii, audientium me esse promitto (Collat. Carthag. post Optat. lib. p. 481.). Vides sane quanti momenti sit hoc sacramentum, quod duobus aliis, quibus nihil sacratius esse poterat, in celebri episcoporum coetu coniungitur. Plura autem huius iurisiurandi sive in publicis sive in privatis rebus et imperatorum legibus confirmati exempla omnibus satis obvia saepius occurrunt (Cod. Theodos. leg. VIII. de Pact. et Transact.). Nihil itaque a nobis adiciendum, nisi antiquissimum esse dandi huius sacramenti movem. In Sacris siquidem Scripturis (Genes. cap. XLII. 15. 16.), Ioseph Patriarcha per salutem Pharaonis bis iurasse narratur. Nos tamen Basilius monitos esse voluit illud etiamsi quandam prae se ferat iurisiurandi speciem, non proprie dictum esse iusiurandum, sed aliquid potius remedium, quo res aliqua possit audito-

ribus facilius persuaderi (Basil. Homil. in Psalm XIV. 2.). At Tertullianus aperte pronuntiat ideo Christianos iurasse per salutem imperatoris, quia *salvum*, inquit, *volumus esse, quod Deus voluit et pro magno id iuramento habemus* (Tertullian. Apologet. cap. 32.). Intelligentis igitur quantum inter Christianos et ethnicos sic iurantes erat discrimen. Christiani quippe hac publica iurandi religione affirmabant sincero se animo imperatoris, qui a Deo ipsis praepositus erat, optare ac petere salutem. Ethnici vero impia adulatione imperatorem, quem mortuum optabant, contestabantur esse Deum et verae divinitatis participem. Tam nefariae autem assentationis testis profecto et conscius fuit Horatius, qui ad Caesarem Augustum, ut alibi annotavimus (Dissert. in Minuc. cap. 12. Art. 3.), haec scripsit carmina:

*Praesenti tibi maturos largimur honores,  
Iurandasque tuum per nomen ponimus aras.*

(Horat. lib. I. Epist. 1. v. 15 et 16.).

#### ARTICULUS IV.

Christianos perperam ab ethnicis laesae maiestatis humanae idcirco insimulari, quod imperatores vocare deos nollent, ipsum imperatorem suae infirmitatis admonitum fuisse in maxima triumphi gloria, recusatum ab Augusto Caesare dei ac domini cognomen, imperatores a Christianis dominos voce communi appellatos; nefas gentilibus fuisse imperatorem ante mortem et apotheosim deum dicere.

Nulla certe maior erat perversitas quam gentiliū, qui Christianis dicam laesae maiestatis idcirco scribebant, quod imperatores deos vocare aut divinis afficere honoribus plane recusarent. Nam ut scite Tertullianus arguit: *Negat illum imperatorem qui deum dicit. Nisi homo non est imperator* (Tertullian. Apologet. cap. 33.). Inificari enim quis potest ex patre ac matre homine gentium imperatorem esse non posse Deum, qui aeternus sit omnino oportet? Christiani ergo, qui foedissimam ethnicorum imperatores suos deos appellantium adulationem merito detestabantur, non poterant laesae maiestatis humanae hanc ob causam ab ullo postulari.

Quin etiam Tertullianus celeberrimo triumphantis imperatoris exemplo ethnicos, qui illum vocare deum consueverant, turpissimi mendacii apertissime convincit. Etenim in hoc summo humanae gloriae apice, sive ut ille loquitur, *in triumphi sui sublimissimo curru*, infirmitatis suae *admonetur. Suggestur enim ei a tergo: Respice post te: hominem te memento* (Ibid.). Tacet autem quis fuerit ille qui haec suggererat; haud dubie quia tunc tam cunctis notus erat, quam paucis hodie cognitus. At is Tzetze vocatur famulus, servus et minister publicus. De triumphali enimvero curru illoque monitore haec cecinit:

*Καὶ πῶς ἐπὶ τοῦ ἄρκτος δημόσιος οἰκέτης,  
Ὅπισθεν τοῦτον ἴσταται τὸν στέφανον ἀνέγων,  
Καὶ λέγων τούτῳ πρὸς τὸ οὖς· καὶ τὸ κατόπιον βλέπει.  
Et quomodo in curru publicus minister,  
Pone hunc stat, coronam sustinens,  
Et dicens huic in aurem: et quid a tergo est, respice.*

(Tzetz. Chiliad. XIII. §. 461.)

Plinius vero illum appellat invidiae et gloriae medicum: *Currus*, inquit, *triumphantium sub his pendens, defendit medicus invidiae iubetque eosdem respicere similis medicina linguae, ne sit exorata a tergo fortuna, gloriae carnifex* (Plin. lib. XXVIII. Natur. Hist. c. 4.). At si sanus et integer sit hic Plinii locus, ibi significat invidiam, quam triumphantes facere aliis solebant, aut vanae gloriae vitium, quo fascinari poterant, sanari *medicina linguae* adstantis servi, qui triumphantem humanae suae conditionis admonebat. Nam idem Plinius alibi aperte dixit coronam triumphantis a servo sustineri (Ibid. lib. XXXIII. cap. 1.).

Verum quia priori loco *fortuna* vocatur *gloriae carnifex*, hinc fortasse Isidorus in animum induxit monitorem illum non servum fuisse, sed carnificem: Triumphantes a *carnifice*, inquit, *contingebantur, ut ad tantum fastigium eveci mediocritatis humanae commonerentur* (Isidor. lib. XVIII. Origin. cap. 2. p. 156.). Sed melius proculdubio ab Hieronymo simpliciter nuncupatur *comes*, qui medias inter populorum acclamationes in aurem triumphantis memorata a Tertulliano verba suggerebat. Ad Paulam quippe scripsit: *Triumphantibus in curru retro comes adhaerebat, per singulas acclamationes civium dicens: Hominem te momento* (Hieronym. Epist. 22. ad Paul.). Atqui si imperator in tanta triumphis pompa debebat humanitatis suae reminisci, quanto magis per totum viae suae cursum. Non poterant ergo Christiani ullum imperatorem vocare Deum, quandoquidem, ut recte ait Tertullianus, nesciebant mentiri aut illum deridere non audebant (Tertullian. Apologet. cap. 33.).

Instat adhuc: *Augustus*, tametsi Romani imperii, iam a Iulio Caesare fundati, *formator, ne dominum quidem, multo minus deum, dici se volebat*. (Ibid. cap. 34.). Testem vero huiusce moderationis si desideres, Suetonium advocabimus, qui haec de eodem Augusto memoriae prodidit: *Domini appellationem ut maledictum et opprobrium semper exhorruit. Cum spectante eo ludos pronuntiatum esset in mimo: O Dominum aequum et bonum! et universi quasi de ipso dictum exultantes comprobassent et statim manu vultuque indecoras salutationes repressit et in sequenti die gravissimo corripuit edicto, dominumque se post haec appellari ne a liberis quidem aut nepotibus suis vel serio vel ioco passus est, atque huiusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit* (Sueton. in Vita Augusti c. 53.).

Sed contra insurget aliquis nobisque alium citabit testem Cornelium Tacitum, qui litteris quoque mandavit varios post eiusdem Augusti mortem sparsos fuisse rumores, atque ab illo *nihil deorum honoribus relictum, cum se templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli voluit* (Cornel. Tacit. lib. I. Annal. post init.). Verum huic utique responderi potest aliis Suetonii verbis: *Templa quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia, nisi communi suo Romaeque nomine recepit. Nam in urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore* (Sueton. in Vita Augusti c. 52.). Itaque etiamsi id, de quo postea agendum, ille passus sit, non minus tamen constat reiectam ab ipso domini appellationem, quam eius successores avidissime corripuerunt. Nam Plinius Secundus, quamvis eth-

nicus, in suo ad Traianum imperatorem Panegyrico palam asseruit elapsum esse tempus, quo imperatori tanquam deo et numini adulatoribus ignavi blandiebantur: *Non enim de tyranno, inquit, sed de cive, non de domino, sed de parente loquimur* (Plin. Panegyri. Traian. init.). Christiani igitur potiori iure nolebant imperatorem vocari deum; quia, sicut ait Auctor noster, *hoc solius veri Dei est cognomen* (Tertull. Apolog. cap. 34.), quemadmodum alibi animadvertimus (Dissertat. in Lactant. cap. 12. Art. 1.).

Quia vero iam longo usu receptum erat, ut domini nomen imperatoribus aliisque tribueretur, hinc Tertullianus: *Dicam plane, inquit, imperatorem dominum, sed voce communi, quando non cogor ut dominum Dei vice dicam* (Tertull. ibid.). Sed Rigaltius haec duo verba voce communi abstulit, tum quia acceperat ea in codice Fuldensi non haberi, tum quia notam, ut ipsi videtur, sapiunt de margine excerptam. At illa verba in omnibus nostris et aliis sive editis sive manuscriptis exemplaribus occurrunt. Nullus autem dubitandi locus est, quin plures antiquitate sua Fuldensem superent. Quomodo igitur ex margine in textum illa intradi potuerunt? Nonne etiam optimum sensum et Auctoris proposito convenientem efficiunt? Imperatorem, inquit, appello dominum, quando non cogor hoc nomine illum tanquam Deum agnoscere, sed quando nomen illud profero voce communi seu vulgari significato, quo filius patrem, herum servus aliique alios homines vocare solent. Quam communis autem ac popularis esset haec appellatio, vel ex solo Martiale discas:

*E serva scis te genitum blandeque fateris,*

*Cum dicis dominum, Sosibiane, patrem.*

Alibi vero:

*Cum voco te dominum, noli tibi, Cinna, placere, .*

*Saepe etiam servum sic resaluto meum.*

(Martial. lib. I. Epigram. 82.)

Sed haec trita omnibusque passim obvia fusius probare prorsus taederet. Eo igitur sensu vulgari et communi imperatorem, pergit Auctor noster, appello Dominum, sed *ceterum liber sum illi* nec illius servus. Nam *Dominus meus*, inquit, *unus est Deus, omnipotens et aeternus, idem qui et ipsius imperatoris Dominus*, et cui proinde tam ille quam ceteri homines servire debent (Tertullian. Apologet. cap. 34.).

Patris porro nomen Auctor noster longe gratius esse fatetur quam domini, quia hoc potestatis, illud pietatis nomen est. Quapropter hanc ille ex iam dictis elicit conclusionem: *Tanto abest ut imperator deus debeat dici, quod credi non potest, non modo turpissima, sed et perniciose adulatione, sed tanquam si habens imperatorem, alterum appelles* (Ibid.). Verum haec verba quod credi non potest inutilia haud dubie visa sunt Rigaltio, qui illa contra omnium codicum sive editorum sive ineditorum fidem excidit. Siccine igitur fas est fuit sua auctoritate ex Tertulliani textu ea omnia amputare quae superflua sibi videbantur? Nonne hic est illius sensus: imperator patriae esse debet, at hoc nomen longe gratius est quam domini. Imperatorem ergo Deum, quod eum esse credi non potest, dicere non debes. Nam hac turpissima et perniciose adulatione significas, te

alterum habere imperatorem, qui Deus non sit, sed homo, qui tibi homini imperet.

Denique si gentiles legibus moribusque suis stetissent, fas illis non erat ullum imperatorem vocare deum, nisi post eius mortem et apotheosin, sive in deos senatusconsulto, ut supra vidimus, relationem. Etenim *maledictum est*, ait Tertullianus, *ante apotheosin deum Caesarem nuncupare* (Ibid.). Solemnem vero huius apotheosis pompam praeter ceteros accurate descripsit Herodianus nosque prius admonet in Romanorum more positum ut imperatores a successoribus suis consecrarentur atque ita declararentur inter deos relati (Herodian. Histor. pag. 540.). Antea igitur fas nulli erat illos vocare deos. Quocirca Cornelius Tacitus decimo quinto Annalium suorum libro finem his verbis imponit: *Deum honor principi non ante habetur quam agere inter mortales desierit* (Tacit. lib. XV. Annal. fin.). Recte ergo Tertullianus alio in libro: *Sed non dicimus, inquit, deum imperatorem. Super hoc enim, quod vulgo aiunt, sannam facitis. Imo qui deum Caesarem dicitis et deridetis dicendo quod non est et male dicitis, quia non vult esse quod dicitis, mavult enim vivere, quam deus fieri* (Tertullian. lib. I. ad Nation. cap. 17.). Quia enim post suam tantum mortem deus esse poterat, malebat utique vivere quam vitam ponere, ac postea fieri deus, sive potius hoc mendaci prorsus titulo decorari. Christiani ergo laesae maiestatis humanae rei vel publici hostes summa sine iniustitia dici ideo non poterant, quod nollent imperatorem appellare Deum. Nam haec appellatio illi soli competit, qui non homo, sed aeternus et immortalis est.

## CAPUT XXII.

Christianos nec publicos esse hostes nec factiosos, sed gentiles, qui illos horum criminum accusabant.

### ARTICULUS I.

Publicos hostes non esse Christianos, qui illatas sibi ab ethnicis iniurias nunquam ulcisci voluerunt, tametsi id facillime possent, vel civitate clam incensa vel indicto palam bello vel se ab iisdem ethnicis, quorum minor erat numerus, separando vel daemones ab obsessorum corporibus non eiciendo.

Quanta temeritate ethnici Christianos laesae maiestatis humanae reos esse effutiebant, tanta profecto impudentia illos publicos ac totius humani generis hostes esse criminabantur. Nihil quippe hac calumnia putidius fingi unquam potuit. Divina siquidem lege (Matth. c. V. v. 39. Luc. c. I. v. 28.) prohibitum illis erat ulli *male*, uti ait Tertullianus (Tertull. Apolog. cap. 36. et lib. I. ad Nation. cap. 17.), *velle, male facere, male dicere, male cogitare de quoquam et laedenti vicem referre*. At his praeceptis accuratissime obsequebantur, quemadmodum patet ex his, quae de sanctissimis illorum moribus antea diximus (Supra cap. 12. Art. 1 et seqq.). Non ergo publici, immo ne



ullius quidem hominis, multo minus imperatoris et totius generis humani hostes erant. Et certe quamvis omni contumeliarum tormentorumque genere ab imperatoribus aliisque ethnicis excarnificarentur, inter plurimos tamen, de quibus paulo post agendum, qui contra eosdem imperatores et rempublicam coniuraverant, nullus unquam ex illis inventus est.

Neque tamen illud eorundem Christianorum aut infirmitati aut impotentiae erat adscribendum. Poterant enim factas sibi a gentilibus iniurias non solum clam ac tectis cuniculis, sed palam et aperto Marte ulcisci. Et occulte quidem: *quando vel una nox*, sicut ait Tertullianus, *pauculis faculis largiter ultionis posset operari* (Tertullian. Apologet. cap. 37.), id est poterant per obscurae noctis silentia paucissimis faculis minimoque pretio emptis urbes incendere. Verum *absit*, pergit ille, *ut aut igni humano vindicetur divina secta aut doleat pati in quo probetur* (Ibid.), sive ut ipse ad Scapulam scribebat: *Absit ut indigne feramus ea nos pati quae optamus, ut ultionem a nobis aliquam machinemur, quam a Deo expectamus* (Idem lib. ad Scapul. cap. 2.). Tres igitur affert rationes, propter quas Christiani offensas suas, sicut promptum illis erat, clam vindicare noluerint. Primo quidem, quia *divina* est illorum *secta*, cuius legibus ultionem prohibentibus non obedire nefas putabant. Secundo, illam ultionem expectabant ab omnipotente Deo suo, aequissimo scelerum vindice. Tertio, omnes cruciatus sibi ab ethnicis inflictos libentissime patiebantur, quia noverant iis se non laedi, sed probari utrum aeterna digni essent mercede.

Solis itaque his rationibus, non autem ulla infirmitate vel impotentia a sumenda de ethnicis hostibus suis ultione abstinebant. Nihil enim illis magis facile expeditumque erat. Nam superius ostendimus (Supra cap. 12. Art. 1.) illos omnia totius terrarum orbis loca exceptis solis falsorum deorum templis implevisse ac longe maiorem illorum quam gentilium fuisse numerum. Quid ergo prohibere eos poterat, quominus indicto bello ethnicos vincerent victosque meritis adficerent suppliciis (Tertullian. Apologet. cap. 37.)? Fac tamen, si velis, illos et numero et copiis fuisse illis impares, numquid idcirco ad bellum gerendum et hostes vincendos minus idonei erant? Nonne fitebantur ethnici mortem ab illis non timeri (Ibid.)? At certe quanto minus eam verebantur, tanto acrius quolibet incerto belli eventu depugnassent sicque potuissent debitas de hostibus suis poenas repetere. Verum religione sua obstricti illud nunquam sive armati sive inermes tentare voluerunt.

Nulla praeterea ad vindictam bello nullaque vi opus habebant (Ibid.). Ad eam namque sufficiebat illorum ab ethnicis divortium et secessio. Hi quippe tunc solitudine sua obstupefacti plures habuissent hostes quam cives ac quibus imperarent certe paucissimos: *Nunc enim*, ait Tertullianus, *pauciores hostes habetis prae multitudine Christianorum (paene omnium civium, paene omnes cives Christianos habendos; et hostes maluistis vocare generis humani potius quam erroris humani)* (Ibid.). Ita quidem in nostris codicibus manuscriptis et edi-

tis Rigaltio antiquioribus, nisi quod in quibusdam ex illis legitur *habendo pro habendos*, atque haec ultima verba *potius quam erroris humani* resecata sunt. Sed Rigaltius audacior ea omnia amputavit, quae uncinis includi iussimus. Tanta tamen amputationis ne unum quidem verbum fecit. Numquid ergo arbitratus est rationem illius cunctis notam esse, quia paulo post Tertullianus dixit: *Hostes iudicare maluistis, qui sumus plane non generis humani tamen, sed potius erroris* (Ibid.)? Sed numquid auctori nunquam licuit iisdem verbis eandem ex duobus argumentis deductam inferre conclusionem? Tertullianus autem concludit gentiles maluisse Christianos iudicari non quidem erroris, sed humani generis hostes, quia non satis animadvertenter illos primo quidem ab eis secedendo: secundo autem, daemones, ut mox dicetur, non eiiciendo, plures ipsis hostes quam cives futuros. De industria vero cives dixit, quia communem cum illis, ut vidimus, vitam agendo eorum cives erant.

At nobis aliquis forsitan obiiciet totam hanc Tertulliani argumentationem niti intolerabili multitudinis Christianorum exaggeratione. Sed ab hoc petimus quid Tertulliano prodesse poterat intempestiva hyperbole? Ethnicos siquidem ibi compellat, quibus ignotus non erat numerus Christianorum et qui illi cito citius mendacii convicto fidem aliis in omnibus derogassent. Deinde vero superius ostendimus (Supra cap. 12. Art. 1.) quam haec vera sint quae ille de ingenti Christianorum numero tam diserte et ibi et alibi tradidit.

Alia demum ratione demonstrat quam facile Christiani ulcisci se poterant. Penes ipsos, inquit, solos erat potestas daemones ex obsessis, sicut antea vidimus (Supra cap. 8. Art. 6.), ethnicorum corporibus eiiciendi (Tertullian. Apologet. cap. 37.). Atqui si illos non exegissent: *Suffecisset hoc solum*, ipsamet eius verba sunt, *nostrae ultioni, quod vacua exinde possessio immundis spiritibus pateret* (Tertullian. loco cit.). Ibi autem Rigaltius serio nos admonet se ab aliis accepisse in codice Fuldensi pro *pateret* scriptum *pateretis*. Miraberis proculdubio summam illius diligentiam, qui hanc diversam tam levis momenti lectionem aliorum testimonio annotat et superiorem aliasque longe maioris momenti, tametsi omnium codicum auctoritate munitas, penitus omisit. At illud verbum *pateretis* Tertulliani, inquit, stylum sapit. Numquid vero aliae omnes quas praetermisit lectiones illius stylum minus sapiunt? Nemo sane nec ipse Rigaltius id serio affirmare audebit. Ad haec vero vulgata cunctorum solo Fuldensi excepto librorum lectio, non minus Tertullianea est eundemque sensum hunc efficit: Nisi Christiani fugarent daemones, corpora gentilium tanquam vacua possessio istis ad libitum pateret.

Quid autem hoc adhuc sese ulciscendi modo promptius et expeditius? Verum ab omni vindicta illi sic abhorrebant, ut daemones ex hostium suorum gentilium corporibus expellere mallent, quam hos non expellendo de illis non bene mereri. Ingratissimi ergo erant gentiles, qui tantum, ait Tertullianus, praesidium flocci facientes clamitabant Christianos, sibi adeo necessarios, esse publicos generis humani hostes (Ibid.).

## ARTICULUS II.

Quam absurde ethnici obicerent Christianos esse publicos hostes, quia imperatorum solemnina non sicut illi celebrabant focos et toros educendo in publicum, epulando vicatim, tabernae habitu abolefaciendo civitatem, vino lutum cogendo, cursitando catervatim ad iniurias, ad impudentias illecebrasque voluptatis, ac domus suae non secus ac novi lupanaris postibus lauros lucernasque affigendo.

Cum Christiani ab omni vindicta prorsus abhorrent et de omnibus bene mererentur, quo dementi, inquires, furore ethnici illos hostes publicos esse tam audacter vociferabantur? Nulla sane, nisi plane absurda ratione, uti ex his intelliges Tertulliani verbis: *Propterea publici hostes Christiani, quia imperatoribus neque vanos neque mentientes neque temerarios honores dicant, quia verae religionis homines etiam solemnina eorum conscientia potius quam lascivia celebrant* (Tertullian. Apologet. cap. 35.). Totum igitur grande illud Christianorum scelus erat, quod imperatorum solemnina suo tantum pio ac sancto, non corruptissimo gentilium ritu agebant.

Quae autem fuerint ea solemnina si quis primum scire aveat, is meminisse debet haec ab ipso Auctore nostro appellari *solemnnes dies principum ac vota et gaudia Caesarum* (Ibid.), quae solebat variis temporibus celebrari. Nam singulis annis *post calendis ianuariis die tertio*, sicuti ait Caius, *pro salute principum vota suscipiantur* (Digest. lib. L. tit. 16. leg. 233.); vel quemadmodum ipse Tertullianus scripsit, *incipiente anno, incipiente mense* (Tertull. ad Uxor. cap. 6.). Praeterea agebantur quotannis natali, sive ipso die quo creati fuerant imperatores, ac potissimum quinto, decimo, quintodecimo et vigesimo abhinc anno. Quae quidem festa quinquennalia, decennalia, quindecennalia et vicennalia vocabantur. De his autem nos aliquid perstrinximus alia in dissertatione (Dissertat. in Luc. Caecil. cap. 11. Art. 3.) ubi Pagium (Pagius in Dissert. Hypat. Part. 2. cap. 2.) et alios qui plura de his disputant citatos invenies.

Tum autem illis in solemnibus ethnici fictos deos suos precabantur pro imperatorum civiumque salute, pro aeternitate imperii florentisque illius statu, sicuti a Plinio (Plin. Secund. Epist. 36. 37. 101. 106 et Panegy. Traian. post med.), Brissonio (Brisson. lib. II. de Formul. pag. 110.) aliisque observatum est. Christiani itaque, qui verum et unicum colebant Deum nec poterant alios quam veros et sacris religionis suae legibus praescriptos honores imperatoribus deferre, celebrabant quidem eorum solemnina non eadem utique qua ethnici lascivia, sed *conscientia*, ait Tertullianus (Tertullian. Apologet. cap. 35.) id est vero sinceroque mentis adfectu, prout noverant a Deo postulari. Quamobrem ille alibi: *Quod attinet ad honores regum et imperatorum, satis praescriptum habemus in omni obsequio nos esse oportere secundum Apostoli praeceptum subditos magistratibus et principibus, et potestatibus, sed intra limites disciplinae, quousque ab idololatria separamur* (Idem lib. de Idololat. cap. 15.).

Fatetur itaque solemnina imperatorum a Christianis celebrata fuisse secundum hanc Apostoli legem, ac fuis ad Deum intimo cordis adfectu, ut supra vidimus, pro imperatore et imperio precibus, non autem gentilium more, quem, uti ipse eos adloquendo ait, *nec modestia nec*



*verecundia nec pudicitia permittunt (sed occasio voluptatis magis quam digna ratio persuasit) fidem et veritatem vestram demonstrare* (Idem Apologet. cap. 35.). Quae in hoc textu uncinis inclusa vides, ea omnia contra codicum editorum et ineditorum fidem Rigaltius eiusque sequaces penitus sustulerunt. Nullam tamen huius amputationis rationem ab eis datam reperies, nisi suo silentio haec ab imperito quodam scriptore adiecta sibi videri significare voluerint. Sed quis illis ita tacentibus fidem habebit? Genuina enimvero Tertulliani verba esse evidenter probat communis codicum omnium consensus. Praeterea totum illius ingenium et loquendi modus in eis satis deprehenduntur. Sensus autem eius est: Christiani et imperatorum ac reipublicae hostes proclamantur, quia eorundem imperatorum solemnina non agunt gentilium more, quem nec modestia nec verecundia nec pudicitia illis permittunt, ac quae iisdem gentilibus celebrare persuasit occasio voluptatis potius quam digna ratio, qua suam erga imperatores *fidem et veritatem* demonstrent. Palam itaque adseverat in his solemnibus festis nullam fuisse ethnicorum fidem et veritatem. Nam falsissima tum vota faciebant pro salute imperatorum, quos cito et saepius, ut in sequentibus articulis videbimus, mori optabant.

Tres quoque virtutes, modestiam, verecundiam, pudicitiam tunc pessumdatas fuisse merito conqueritur. Quid enim his virtutibus magis contrarium, quam magnifica et splendida, non quidem occulte, privatisque in domibus, sed palam ac publicis in plateis agere convivia, quae epulantium temulentia, ebrietate, impudicitia, lascivia, libidine aliisque flagitiis contaminabantur? Sed ipsummet, si lubet, Tertullianum audiamus: *Grande*, inquit, ethnicorum illa principum solemnina agentium *videlicet officium focos et toros in publicum educere* (Ibid.). In antiquioribus editionibus legitur *choros*, sed melius haud dubie *toros*. Nam ibi ille loquitur de publicis conviviiis, quibus ethnici ad mensam accumbebant. Quamobrem paulo post adiecit: *Quam cultissimis et superbissimis toris forum sibi dividebant* (Ibid.). Tanta igitur magnificentia tantoque numero lectos sternebant in foro, ut illud inter se divisisse et implevisse viderentur.

Sed quia forum, tantum quantum esset, omnibus non sufficebat, alii *vicatim* (Ibid.), hoc est in civitatis cuiuslibet vicis publicisque viis et compitis epulabantur. Expende itaque, obsecro, utrum ad hunc morem nonnihil conducant haec Ciceronis verba, quibus palam renuntiat Apronium *imperasse ut in foro sibi medio lecti sternerentur: quotidie solitum esse non modo in publico, sed de publico convivari, cum in eis symphonia caneret, maximisque poculis ministraretur* (Cicer. lib. III. in Verr. pag. 136. lin. 43.). Memoriae etiam Cornelius Tacitus alicubi prodidit Neroni imperatori *nihil usquam perinde laetum, sibi publicis locis struere convivia, totaque urbe quasi domo uti* (Tacit. lib. XV. Annal. ante med. pag. 127.); ethnici vero his festis principum diebus omnia sibi licere arbitrati tum solebant non solum tota urbe quasi domo uti, sed *civitatem*, inquit Tertullianus, *tabernae habitu abolefacere* (Tertullian. Apologet. cap. 35.), ita ut tota civitas tabernae ac cauponae speciem haberet. Non desunt autem qui in hunc locum explicationis ergo hos adducunt Martialis versus:

*Tonsor, caupo, coquus, lanius sua limina servant,  
Nunc Roma est, nuper magna taberna fuit.*

(Martial. lib. VII. Epigramm. 60.)

Sed alii censent tabernae nomen ibi a Martiale sumi non quidem pro caupona, sed mercatu vel loco ubi merces venundari solebant. At quoquo modo accipiatur, constat tantam fuisse gentilium in his publicis conviviis intemperantiam, impudentiam et lasciviam, ut cibis sese non solum ingurgitarent, sed *vino*, ut ait Auctor noster, per medias civitatis vias effuso terraeque immisto *lutum cogere* (Tertull. Apolog. cap. 35.). Tum autem videre erat temulentos ebriosque homines *cateruatim cursitare ad iniurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras*, vel sicut postea loquitur (Ibid. cap. 39.), *in catervas caesionum*, qui alios verberibus et flagris caedebant, *in classes discursationum*, sive hominum qui bacchantium more per totam discurrebant urbem. Quanto porro in hisce publicis conviviis fuerit intemperantia, ex his coniiice, quae de privatis scripsit Seneca: *Vides, inquit, hos eosdem e lectis suis spectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes. Mollibus lenibusque fomentis totum lacessitur eorum corpus et, ne nares interim cessent, odoribus variis inficitur locus ipse in quo luxuriae parentatur* (Sen. lib. de Vita Beata cap. 11. pag. 624.). Nam si talia erant privata illorum convivia, quanto magis publica in honorem imperatorum acta, quibus omnia etiam atrociora et turpiora sibi licita esse credebant.

Iure ergo merito Christiani haec homine, cui pudoris veraeque religionis vel quid minimum reliqui fuerit, indigna prorsus detestabantur. Casti itaque et sobrii festos solemnisque illos Caesarum dies agitabant. Procul igitur a corruptis gentilium moribus remoti *non laureis*, inquit Auctor noster, *postes obumbramus nec lucernis diem infringimus* (Tertullian. Apologet. cap. 35.). Nam occulti perduelles, ut suum adversus imperatorem odium et simultatem securius tegerent, tunc *recentissimis et ramosissimis laureis postes praestruebant, elatissimis et clarissimis lucernis vestibula nebulabant* (Ibid.). Cur autem hoc ultimo verbo utatur, intelligi potest his Persii de Herode versibus:

*Herodis venere dies cunctaque fenestra,  
Dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae.*

(Pers. Satir. V. sub. fin.)

De iisdem autem lucernis et lauro, quibus domorum postes ornabantur, haec sunt Iuvenalis carmina:

*Cuncta nitent, longos erexit janua lauros,  
Et matutinis operatur festa lucernis.*

(Iuvenal. Satir. XII. v. 96 et seqq.)

Cur ergo Christiani has superstitiones penitus reproarent, hanc Tertullianus reddit rationem: *Accendunt quotidie lucernas quibus lux nulla est, nimirum verae religionis, affigunt postibus lauros postmodum arsuras, quibus ignes imminent: illis competunt et testimonis tenebrarum et auspicia poenarum* (Tertullian. lib. de Idololat. c. 15.), ignis videlicet aeterni, quo impii homines post hanc vitam puniendi

sunt. Tum deinde Christianum sic alloquitur: *Si templis renuntiasti, ne feceris templum, falsi scilicet dei alicuius, ianuam tuam* (Ibid.). De Iovis siquidem templo cecinit Ovidius:

*Cur tamen apposita velatur ianua lauro,  
Cingit et augustas arbor opaca domos?  
An quia perpetuos meruit domus ista triumphos?  
Aut quia Leucadio semper amata deo?  
Ipsane quod festa est? an quod facit omnia festa?  
Quam tribuit terris pacis an ista nota est?*

(Ovid lib. III. Trist. Eleg. I. v. 41 et seqq.)

Ad reiiciendum itaque profanum hunc ritum sola haec ratio Christianis sufficiebat. Sed aliam adhuc Tertullianus suggerit: *Si lupanaribus renuntiasti, ne indueris domui tuae faciem novi lupanaris* (Tertull. lib. de Idololat. loco cit.). Nam infamis huius domus ianuis solebant non solum lauri, sed lucernae etiam appendi. Unde haec apud Propertium ianuae querimonia:

*Non ego nocturnis potorum saucia rixis  
Pulsata indignis saepe queror manibus:  
Et mihi non desunt turpes pendere corollae,  
Semper et exclusis signa iacere faces.*

(Propert. lib. I. Eleg. 16.)

Suam itaque uxorem Tertullianus serio admonet fas nec illi nec ulli Christianae esse, ut *omnibus solemnibus regum procedat de ianua laureata et lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum* (Tertullian. lib. I. ad Uxor. cap. 6.). Quamobrem in suo Apologetico recte concludit neque honestum esse neque licitum *solemnitate publica exigente induere domui tuae habitum alicuius novi lupanaris* (Idem Apologet. cap. 35.).

Neminem porro sanae mentis hominem esse putamus, qui ex haectenus dictis non intelligat quosdam heterodoxos homines hoc Auctoris testimonio plane penitusque abuti, qui inde inferunt vetitum esse iisdem Christianis in suis ecclesiis usum cereorum et luminum. Non de his enimvero, de quibus nos supra (cap. 15. Art. 4 et Dissert. in Lactant. cap. 25. Art. 2.), sed de aliis cereis et luminibus profano gentilique ritu adhiberi solitis ibi disputat. At sane inde manifestissime colligitur Christianos nec reipublicae nec imperatorum hostes esse publicos, propterea quod horum solemnia pio suo, sed non illo gentilium prorsus damnando ac detestabili more celebrabant.

### ARTICULUS III.

Ostenditur ethnicos fuisse revera publicos hostes imperatoris, quem palam vexabant dieteriis ac conviciis, quorum testis erat Tiberis et schola bestiarum, et qui novi ac novi Caesaris scenam semper optabant ac tum etiam cum ei acclamarent: De nostris annis  
augeat tibi Iuppiter annos.

Satis Tertullianus non habuit ipse luce clarius demonstrasse Christianos non esse publicos aut imperatoris aut reipublicae hostes: sed palam ac perspicue ostendit ipsosmet gentiles in hoc ipso genere offendisse, in quo alios plane immerito reprehendebant. Neque alienos quidem vel longe remotos testes advocat: sed *ipsos*, inquit,



*Quirites, Romanos, ipsam vernaculam septem collium, hoc est urbis Romae plebem convenio, an alicui Caesari parcat lingua Romana* (Tertullian. Apologet. cap. 35.), id est parcat diceriis, sannis, conviciis et contumeliis, quibus imperatores suos insectabantur. Tantorum enimvero *contumeliarum*, ait ille, *testis est Tiberis et schola bestiarum* (Ibid.). Sed quodnam, rogabit aliquis, potuit esse istud Tiberis fluvii testimonium? Respondent nonnulli eo nomine designari nautas ripam huius fluvii incolentes, feros procacesque homines, qui penuriae tempore et deficiente frumento solebant in ipsum Caesarem petulantissima lingua invehi. Verum haec explicatio vix ulli probabitur nec menti Tertulliani videtur convenire. Alii opinantur Tiberis nomine denotari pontem vel locum quendam, ex quo maledici et obtractatores proiiciebantur in Tiberim; sed id forsitan non melius. Nobis itaque facilius persuadebis Tertullianum alludere ad statuas quasdam in publicis Romae locis et in Tiberis ripa positas, ad quas mordaces huiusmodi libelli affigebantur. Alibi siquidem ipse Tertullianus: *Vanitatis, ait, sacrilegia conveniam et ipsius vernaculae gentis irreverentiam recognoscam et festivos libellos, quos statuariae sciunt et illa obliqua nonnunquam dicta a concilio atque maledicta quae circi sonant: si non armis, lingua semper rebelles estis* (Idem lib. I. ad Nation. cap. 17.). Nonne enim ibi aliis verbis illa duo indicat, quae ab eo *Tiberis et schola bestiarum* in Apologetico vocantur? Festivi quippe libelli in imperatoris contumeliam appendebantur statuis, quae in publicis locis, Tiberi proculdubio vicinis, collocatae fuerant. Atque hinc Tiberis horum festive et contumeliose dictorum testis dici potuit.

At bestiarum autem scholam quod spectat, non deerunt fortasse qui putent eo nomine designari illarum caveam, in cuius ianua inscribebantur illa facete et acute dicta, quibus imperatores pungebant. Quid tamen si schola bestiarum seu forte bestiariorum sumatur pro toto circo, de quo mox a Tertulliano dictum audivimus: *Maledicta circi sonant?* Vix enim alibi gentiles maiore licentia, amarioribus diceriis ac magis scurrili dicacitate imperatores suos laedere consueverant. Visne id, quod satis tamen notum est, aliquibus exemplis probari? Audi haec Suetonii de Augusto Caesare, etsi optimo principe, verba: *Populus quondam universus ludorum die et accepit in contumeliam eius et assensu maximo comprobavit versum in scena pronuntiatum de gallo Matris Deum tympanizante* (Sueton. in Vita Augusti cap. 68.):

*Videsne ut cinaedus orbem digito temperet.*

Postea vero de Tiberio imperatore: *Urebant insuper anxiam mentem varia undique convicia, nullo non damnatorum omne probri genus coram vel per libellos in orchestra positos ingerente* (Idem in Vita Tiberii cap. 66.). Iulius autem Capitolinus haec de Vero imperatore narrat: *Circensium tantam curam habuit, ut frequenter provincialibus litteras causa circensium et miserit et acceperit. Denique etiam praesens et cum Marco sedens multas a Venetianis est passus iniurias, quod turpissime contra eos faceret* (Iul. Capitol. in Vita Veri pag. 306.). Sed haec, quae tam saepe obtigerunt, fusius prosequi quid necesse est?

Urget Tertullianus: Si quae cordis animique humani fenestra ad scrutandos sensus eius intimos pateret, tunc certe agnosceremus quantis omnes votis optabant *novi ac novi Caesaris* scenam, hoc est frequentem Caesaris mortem et electionem alterius *congiario dividendo praesidentis* (Tertullian. Apologet. cap. 35.). Quidam autem legi velent *praesideruntis*, sed levi coniectura et contra codicum fidem. Tertullianus enim significat ethnicos semper optasse scenam novi Caesaris, qui congiario sive muneri, plerumque pecuniario, plebi aut militibus dividendo praesesset aut se praesente dividi iuberet. Mos quippe erat Caesaribus recens electis aut ut eligi possent, huiusmodi munera populo largiri. Plura autem huius largitionis exempla apud Romanæ historiae scriptores passim reperire est. Si quis tamen aliqua desiderat, ex his pauca seligemus. Claudius postero die, quo ad imperium a militibus raptus potius quam electus fuit *armatos*, ait Suetonius, *pro concione iurare in nomen suum passus est promisitque singulis quinadena sextertia, primus Caesarum fidem militis etiam praemio pigneratus* (Sueton. in Vita Claudii cap. 10.). Claudio autem mortuo *illatus est castris Nero*, Cornelii Taciti verba sunt, *et congruentia tempori praefatus promisso donativo ad exemplum paternae largitionis imperator consalutatur* (Tacit. in fine lib. XII. Annal.). Testatum vero Spartianus facit ab Adriano datum militibus duplicem ob imperii auspiciâ largitionem (Spartian. in Vita Adriani post. init.), et Lampridius alias ab Macrino, cum Antoninum Diadumenum imperatorem renuntiavit (Lamprid. init. Vitae Anton. Diadum.). Cui autem haec satis non erunt, hic adeat Robertellum (Robert. de Commod. Praem. Don. Milit.), Pancirolum (Pancirol. in Notit. Imper. Orient. cap. 74.) et alios. Gentiles igitur lucro semper ducti, ut donativum saepius acciperent, regnantis Caesaris mortem ac novi, cito tamen morituri, scenam optabant.

Urget adhuc Auctor noster eo tempore ipsaque hora hanc scenam mortemque Caesaris ab illis cupidius expetitam, cum ipsi acclamabant:

*De nostris annis tibi Iuppiter augeat annos.*

Sed in nostris codicibus et editis vetustioribus legimus rupta metri forma: *De . . . . augeat tibi Iuppiter annos* (Tertullian. Apologet. cap. 35.). At quoquo modo legatur, ibi Tertullianus innuit simulatam planeque mendacem fuisse hanc acclamationem gentilium, qui tum Caesaris mortem toto animo appetebant. Nec ullus ambigendi locus esse videtur, quin simili mendacio Ovidius Augusto Caesari acclamaverit hoc carmine:

*Augeat imperium nostri ducis, augeat annos.*

(Ovid. lib. I. Fastor. v. 611.)

Verum si haec gentilium acclamatio simulata plane fuit, constat sincerissimum fuisse illud Ambrosii pro Valentiniano imperatore, licet mortuo, votum: *Nec ego abnuo immatura obiisse aetate, quem nostrae vitae temporibus fulcire cuperemus, ut de nostris annis viveret qui fungi non potuit suis* (Ambros. de Obitu Valent. §. 43. pag. 1186.). Nos vero olim observavimus ibi Ambrosium his verbis alluisse ad notatum a Tertulliano solemnem acclamandi formulam. Plures porro

his similes, quibus longam Caesarum vitam optare ethnici videbantur, saepius legimus in eorum libris qui vitas imperatorum Commodi, Pertinacis, Probi, Balbini aliorumque scripserunt. Sed adire praeterea poteris Brissonium (Brisson. libr. I. de Formul. p. 95 et seqq.) et Bernardini Ferrarii primum de acclamationibus et plausu librum (Ferrar. lib. II. de Aclam. cap. 19 et 20 et seqq.). Ceterum Tertullianus recte ex dictis colligit gentiles, qui huiusmodi vota de proxima imperatoris morte faciebant, reipsa fuisse et illius et reipublicae hostes publicos, uti adhuc ex iis patebit quae in sequenti articulo dicenda sunt.

## ARTICULUS IV.

Maiores imperatorum hostes fuisse ethnicos proditores, Cassios, Nigros, Albinos et alios, qui inter duas laurus Caesarem obsederunt, qui faucibus eius exprimendis exercuerunt palaestricam, qui irruerunt in palatium, omnibus Sigeriis atque Partheniis audaciores, qui scelestorum partium socii ac plausores quotidie revelabantur, ac tandem qui astrologos, aruspices, augures et magos de imperatorum capite consultabant ac tam falsa pro eorum salute faciebant vota quam sincera Christiani.

Si laesae maiestatis humanae rei fuerunt gentiles, qui mortem Caesarum et imperatorum tam nefariis votis efflagitabant, longe gravius proculdubio in illos peccabant alii perduelles atque ignavi proditores, qui vel ab eorum partibus defecerant vel vita illis erepta tentarunt occupare tyrannidem. Ex illorum proculdubio numero fuerunt memorati a Tertulliano (Tertullian. Apologet. cap. 35.) *Cassii et Nigri et Albini*, id est Cassius Clemens, Pescennius Niger et Albinus, qui moti sunt in Severi imperatoris, ut supra vidimus (Supra cap. 2. Art. 1.), imperium invadere. Publici ergo hostes erant et laesae maiestatis humanae rei.

Eiusdem quoque sceleris ii aperte convincuntur qui inter duas laurus, Tertulliani adhuc verba sunt, *obsident Caesarem, qui faucibus eius exprimendis palaestricam exercent* (Tertullian. loc. cit.). Non obscure autem loqui videtur de Commodio imperatore, cuius vitae non semel insidiae instructae sunt. Primo enim Pompeianus sive, ut alii volunt, Quadratus vitae eius insidiatus est *in angusto quodam introitu*, sicuti in Dionis Epitome legitur (Dion. Epit. p. 284.), aut ut ait Ammianus Marcellinus, *in amphitheatri cavea* (Marcell. libr. XXXIX. p. 550.) aut, quemadmodum Herodianus tradidit, *in aditu amphitheatri et obscuro loco* (Herodian. lib. I. Hist. p. 472.). At si in hoc amphitheatri aditu plantatae erant laurus, haud difficiliter intelligere est eum Commodus inter duas lauros obsessus dicatur. Verum quia id rigidioribus criticis facile non probatur, opinatus est Rigaltius his Auctoris nostri verbis designari lauretum variis (Idem ibid.), teste Herodiano, arboribus ac pulchra copiosaque lauro obsitum, quo, dum pestis Romae grassaretur, Commodus medicorum consilio secesserat. Non omnino forsitan inepte, nisi Herodianus dixisset non ibi, sed in amphitheatri aditu paratas fuisse eidem Commodio insidias. Quidam itaque suspicantur *laurus* nomine significari duo Commodi palatia, inter quae insidiator eum aggressus est. *Laurus* quippe, uti observat Plinius, *ianitrix erat Caesarum* (Plin. lib. XV. Hist. Natur. cap. 30.). Expende, quaeso, quae ex his tribus explicationibus tibi magis arri-



deat, ac te pronuntiantem libenter audiemus. Quaecunque porro illa sit, evidentissime inde conficietur hunc vitae Caesaris insidiatorem fuisse hostem publicum.

Facilius haud dubie explicari possunt haec subsequencia Tertulliani verba: *Qui faucibus eius exprimentis palaesticam exercent* (Tertullian. Apologet. cap. 35.). Nam denuo structae sunt eidem Commodo insidiae, quibus a *Narcisso* athleta, ut ait Xiphilinus (Dion. Epit. p. 384 et seqq.) vel, sicut scribit Herodianus (Herodian. Hist. lib. I. p. 486 et seqq.), a *Narcisso* audaci ac strenuo adolescente sive, quemadmodum narrat Aurelius Victor (Aur. Vict. in Vita Commodi), *validissimo athleta* seu, veluti Lampridius testificatur, *per atletam eum quo exerceri solebat* (Lamprid. in Vita Commodi p. 315.) compressis faucibus strangulatus est.

Addit Tertullianus alios quoque ethnicos esse publicos hostes reosque maiestatis, *qui in palatium irrumpunt* (Tertullian. Apologet. cap. 35.), ii videlicet perduelles sicarii, a quibus crudeliter occisus est Pertinax imperator, quemadmodum Herodianus (Herodian. lib. II. Hist. p. 598.), Capitolinus (Capitol. in Vita Pertin. p. 318.) ac Xiphilinus (Dion. Epit. p. 390.) litteris consignarunt. *At hi*, inquit Auctor noster, *omnibus Sigeriis atque Partheniis audaciores* (Tertullian. loc. cit.), a quibus scilicet occisus fuit Domitianus imperator, sicut alibi ostendimus (Dissertat. in Luc. Caecil. cap. 6. Art. 2.). Quapropter nihil nobis superest observandum, nisi ea Tertulliani verba plane incorrupta non videri. In antiquioribus enim nostris codicibus habetur *tot Sigeriis*, in quibusdam editionibus *Stephanis*; haud dubie quia Suetonius (Sueton. in Vita Domitiani cap. 17.) nulla Sigerii facta mentione narrat Domitianum primo quidem sauciatum fuisse a Stephano ac postea a Clodiano, Parthenio et Saturio interemptum. Sed dictu difficile, cur ibi omissum fuerit nomen Sigerii, cuius diserte meminit non modo Xiphilinus (Xiphil. Epit. Dion. pag. 335.), verum etiam Martialis duobus his carminibus:

*Et sacro decies repetis palatia clivo*

*Sigeriosque modos, Partheniosque sonas.*

(Martial. lib. IV. Epigram. 79.)

Valeat ergo Heraldi coniectura, qui primum quidem suspicatus est in Tertulliani textu legendum *Sergiis*, et melius, uti ipse ait, deinceps consultus *Chaereis* aut *Corneliis*. Nam his lectionibus adversatur nostrorum melioris notae codicum confirmata Martialis aliorumque testimonio auctoritas.

Praeterea Tertullianus asseverat illos etiam publicos hostes esse: *Qui nunc scelestarum partium socii aut plausores quotidie revelantur* (Tertullian. Apologet. cap. 35.). Et certe iam a nobis supra (Supra cap. 2. Art. 2.) annotatum est his verbis designari Albinianae factionis conscios fautoresque, qui in Severi imperatoris perniciem coniuraverant. Plenius quoque illud ibi enucleavimus quod Auctor noster adiecit: *Eadem officia dependunt et qui astrologos et aruspices et augures et magos de Caesarum capite consultant* (Tertullian. loc. cit.). Cur enim eos tanta curiositate consulebant, nisi quia aut cogitabant de futura Caesarum morte, quam certe cupiebant brevi tempore futu-

ram. Nam continenter ille dixit: *Non ea mente de caris*, id est consanguineis atque parentibus, *consultitur qua de dominis* (Tertullian. loc. cit.), quos sincere non diligimus. De primis siquidem *curiosa est*, ait ille, *sollicitudo sanguinis*, hoc est illorum quibus sanguine coniuncti sumus, quos quidem cupimus esse incolumes: alia vero *servitutis*, cuius iugum sublato domino quilibet servus cito citius discutere exoptat. Tuum tamen ne induxeris in animum primam de propinquorum salute consultationem Tertulliano probari. Non aliud quippe significat, nisi posteriorem de Caesarum interitu esse hac longe peiorem. Omnes enimvero magorum consultationes plane penitusque condemnat, utpote *ab Angelis*, inquit (Ibid.), *desertoribus*, ut supra vidimus, *proditas et a Deo interdictas*.

Quis porro non horreat immanem horum omnium perfidiam, qui *sub ipsa usque impietatis eruptione et sacra faciebant pro salute imperatoris . . . ut vota propria iam edicerent in aliena*, nimirum imperatoris, *solemnitate et exemplum atque imaginem spei suae inaugurarent, nomen principis in corde mutant* (Tertullian. Apologet. cap. 35.), id est ficta prorsus pro salute imperatoris ac vera pro illius morte et proximo eius successore vota nuncupantes, illius nomen ore tenus, alterius autem intimo corde appellabant? Quid autem hac perfidia magis detestandum?

Mirari itaque satis non possumus temeritatem ethnicorum, qui cum tot exemplis hostes publici et laesae maiestatis rei fuerint, huiusce criminis Christianos plane innocentes impudentissime accusabant. Nullus enimvero inter tot perduelles hostesque publicos Christianus unquam deprehensus est. Quocirca ad Scapulam Africae praesidem haec Tertullianus noster scripsit in verba: *Circa maiestatem imperatoris infamamur: tamen nunquam Albiniani nec Nigriani vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani, sed iidem ipsi qui per genios eorum*, sicut supra ostendimus, *in pridie usque iuraverant, qui pro salute eorum hostias et fecerant et voverant, qui Christianos saepe damnaverant, hostes eorum sunt reperti. Christianus nullius est hostis, nedum imperatoris, quem sciens a Deo constitutum necesse est ut et ipsum diligit et revereatur et honoret et salvum velit cum toto Romano imperio* (Idem lib. ad Scapul. cap. 2.). Sed haec satis a nobis supra explanata sunt.

Tam vera itaque erant Christianorum pro imperatorum salute, quam falsa gentilium vota ac tanto studio et honore imperatores colebant, quanto iidem ethnici odio eos prosequerantur. Etenim *pietas et religio et fides*, inquit Auctor noster, *imperatoribus debita non in huiusmodi officiis consistit, quibus hostilitas magis ad velamentum sui potest fungi* (Idem Apologet. cap. 36.), id est quibus religio sub umbratili falsae pietatis larva potest perfidum hostilemque occultare animum. At pietas et religio residet *in iis moribus quibus civilitas tam vere in imperatorem quam circa omnes habet exhiberi*. Ita quidem ex Woveriano codice et quibusdam recentioribus editionibus. In antiquioribus vero et nostris codicibus manuscriptis legitur *iis moribus quibus divinitas imperat tam vere quam circa omnes etc.* (Ibid.). Nonne autem tot vetustioris meliorisque notae codicum auctoritas ma-



ioris quam unius Woveriani est ponderis? Neque dixeris nomen *civilitas*, quo civium societas et concordia significatur, magis convenire Tertulliani proposito. De moribus enimvero loquitur a Deo imperatis, quibus religio et pietas in imperatorem omnesque alios exhiberi debet. Nam inde etiam evidentius demonstratur Christianos, qui Dei sui legibus non parere nefas ducebant, sincero animo imperatorem honoravisse ac proinde nec hostes fuisse publicos nec reos laesae maiestatis humanae.

ARTICULUS V.

Quae sint illicitae factiones ac quantum ab eis discrepet pia vivendi ratio Christianorum, qui immerito factiosi dicebantur, quia spectaculorum fugiebant voluptates tamque licitas sectabantur quam aliis prohibitis Epicurei et alii indulgebant.

Nullis unquam rationibus, etiam validissimis, sedari potuit implacabile gentiliū in Christianos odium, sed magis magisque clamitabant illorum factionem et imperatoribus et reipublicae plane contrariam evellendam esse radicitus. Non obscure autem Tertullianus innuit factionis nomen in bonam malamque partem accipi (Tertullian. Apologet. cap. 38.). Festus quoque: *Factio*, inquit, *et factiosus initio honesta vocabula erant. Unde etiam factiones histrionum et quadrigarum dicuntur. Modo autem nomine factionis seditio et arma vocantur* (Fest. de Signif. Verb. cap. 2. ad v. Factio). Circensium etiam factionum, quas ethnici malas esse non putabant, mentio saepius facta est in Suetonii (Sueton. Claud. cap. 5. Domit. cap. 7.), Cassiodori (Cassiod. lib. III. Variar. Epist. 41. p. 56. col. 2.) aliorumque libris et diversis inscriptionibus.

Tertullianus itaque ethnicos gravissimis hisce verbis castigat: *Proinde nec paulo lenius inter licitas factiones sectam istam Christianorum deputari oportebat, a qua nihil tale committitur quale de illicitis factionibus timeri solet* (Tertullian. Apologet. cap. 38.). Heraldus autem contra omnium sive editorum sive manuscriptorum codicum reclamationem legendum auguratur *illicitas*, non vero *licitas* factiones. Non enim aliud, inquit, sibi Tertullianus voluit nisi leniorem videri quorundam ethnicorum sententiam, qui existimabant Christianorum sectam legibus contra factiones promulgatis prohiberi, in hoc tamen illos errasse, quod hanc sectam in factionum illicitarum numero collocabant. Sed quid audeas contra unanimem codicum omnium consensum? Quid vero, si transposita sit particula *nec*, aut referenda ad nomen *licitas*, ita ut sit hic Auctoris nostri sensus: Ethnici falsissime Christianos hostes publicos esse clamabant. Nec paulo lenius ii cum illis agebant, a quibus numero adscribebantur non licitarum factionum, quibuscum nihil habebant commune et a quibus *nihil tale committitur quale de illicitis factionibus timeri solet* (Ibid.).

Quo autem modo sectam Christianorum non esse illicitam probaverit, consideremus: *Prohibendarum*, ait, *factionum causa de providentia constat modestiae publicae, ne civitas in partes scinderetur* (Ibid.). In antiquioribus editis legimus *de providentia et modestia publica*. Sed non ita bene, quandoquidem Auctor noster declarat prohibendarum factionum hanc causam esse, ut modestiae publicae



provideatur ac consulatur. Modestia vero a latino oratore sic definitur: *Scientia earum rerum quae agentur aut dicuntur loco suo collocandarum. Itaque videtur eadem vis ordinis et collocationis fore . . . Sicut modestia haec, quam interpretamur, ut dixi, scientia sit opportunitatis idoneorum ad agendum temporum* (Cicer. lib. I. de Offic. p. 370. lin. 47 et seqq.). Eo autem sensu nomen modestiae sumptum videtur a Tertulliano nostro, qui idcirco malas factiones veritas esse asseverat, ne turbato ordine rerum, loco et tempore agendarum aut dicendarum, civitas scindatur in partes. Nam ea divisio ac dissensio *inquietat*, uti loquitur, sive perturbat *comitia*, id est generales omnium ordinum coetus et *concilia* (Tertullian. Apologet. cap. 38.), hoc est illorum partem congregatam. Laelius enim Felix ab Aulo Gellio citatus: *Is, inquit, qui non universum populum, sed partem aliquam adesse iubet, non comitia, non concilium adhibere iubet* (Gell. lib. XV. Noct. Attic. cap. 7.). Turbat etiam *curias*, quibus olim sacerdotes, ut Varro observat (Varr. lib. IV. de Ling. Latin. pag. 51.), res divinas et senatus humanas curabant, turbat *conciones* sive publicas patronorum orationes et ad eas audiendas hominum conventus, denique turbat *spectacula* circensium aliorumque ludorum publicorum, uti paulo antea dicebamus.

At ea omnia, pergit Tertullianus, tunc potissimum timenda erant, *cum iam et in quaestu habere coepissent venalem et mercenarium violentiae suae operam* (Tertull. loco cit.), ad excitandas adversus imperatorem, quemadmodum animadvertimus, turbas atque seditiones. Contra illum quippe coniurati alios perditos homines pretio ac mercede in partes trahebant suas.

Nihil autem tale vel quid his minimum simile a Christianis timendum erat. Primo enim in publicis suis synaxibus nihil agebatur nisi pium et sanctum, atque ibi, sicut alibi, Deum toto corde orabant pro imperatoribus ac tranquillo imperii statu, pro suis inimicis ac ceteris omnibus (Ibid. cap. 39.). Quae quidem omnia iam a nobis abunde demonstrata sunt (Supra cap. 14. Art. 3. et cap. 21. Art. 1.).

Secundo his ab omni ambitione ac dignitatum honorumque cupiditate prorsus abhorrentibus, sive ut Auctoris nostri verbis utamur, *nobis ab omni gloriae et dignitatis ardore frigentibus nulla est necessitas coetus* (Tertullian, ibid.), id est ut memoratis ethnicorum coetibus intersimus, ubi dignitates, magistratus et honorum insignia cupidis ambitiosisque tribui solebant. Ad haec vero, ab actibus publicis alicui unam dumtaxat agnoscimus omnium hominum rempublicam, videlicet mundum, quem tranquillum et pacatum optamus. In unam igitur partem non magis inclinati quam alteram procul ab omni omnino turbulenta, seditiosa et illicita factione absumus.

Praeterea Christiani publica ethnicorum spectacula, quae frequentissima factionum incitamenta erant, plane penitusque fugiebant et detestabantur. Non aliam quippe illa habent originem, nisi de *superstitione*, uti ait, sive impio falsorum numinum cultu, sicut alio ipse in libro fusius et singulatim demonstrat. Recte ergo in Apologetico suo hanc inde elicit conclusionem: *Nihil est nobis dictu, visu, auditu cum insaniam circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenae,*

*cum xysti vanitate.* Atque ita in omnibus manuscriptis codicibus et antiquis editionibus: sed a Rigaltio eiusque sequacibus haec verba *dictu, visu, auditu* sublata sunt, an recte, te iudicem appello. Ea enim genuina et consultissime ab illo addita sunt, ut ostenderet haec spectacula ideo a Christianis devitari, quia praeter idololatriae crimen nefas ducebant illicitas dictu, visu et auditu capere voluptates (Tertullian. loco cit. et lib. de Spectac. cap. 6 et 7 et seqq.). Quam autem istae noxiae ac pestiferae essent, his disces eius verbis, quibus illas alibi appellat: *Solemnes voluptates circi furentis et caveae saevientis et scenae lascivientis* (Idem lib. I. advers. Marcion. cap. 27.). Alibi vero: *Perit et fidelis elapsus in spectaculum quadrigarii furoris et gladiatorii cruoris et scenicae foeditatis et xysticae vanitatis* (Idem lib. de Pudicit. cap. 7.). Sed de his plura in libro de Spectaculis, nosque in hac et aliis dissertationibus nostris.

Obliciebant tamen gentiles vel eo ipso nomine prohibendam damnandamque Christianorum sectam, quod illi ceterorum hominum coetus adspernarentur ac publicorum spectaculorum oblectamenta, quibus imperatores antiquioresque humanae leges favebant, non secus ac pestem publicam devitarent. Sed his Tertullianus respondet: Esto tam licitae quam nefariae sint hae voluptates: *Quo vos, inquit, offendimus, si alias praesumimus sectamurque voluptates?* Quid vero, *si oblectari novisse nolumus* ac omne respuimus voluptatis genus? Certe *nostra iniuria est, si forte, non vestra* (Idem Apologet. cap. 38.), hoc est nobis tantummodo damnum inferimus, nequaquam autem vobis, nisi forte et vestrum damnum sit tam nefariis vos totos dedere voluptatibus.

Neque urgeatis ea nos reprobare *quae placent vobis* (Ibid.). Non diffitemur enim, immo inde gloriamur. Sed quid vestra illud interest? Nonne etiam *nec vos nostra delectant?* Si ergo nostras licitas castasque delectationes repudiatis, cur vestras plane libidinosas atque homine rationis compote prorsus indignas reicere nobis non licebit?

Prosequitur Tertullianus illudque confirmat Epicureorum exemplo, quod his totidem codicum nostrorum verbis proponit: *Licuit Epicureis aliquam decernere voluptatis veritatem, id est animi aequitatem et ampla negotia Christianae* (Ibid.). Eadem quoque in antiquis editionibus habentur, si tamen excipias ultimum nomen *Christianae*, quod quidem librorum oscitantia adiectum nemo sane negaverit. Verum Rigaltius, uti supra monuimus (Sup. cap. 3. Art. 1.), haec tantum retinuit: *Licuit Epicureis aliquam decernere voluptatis veritatem*, eaque loco suo mota istis praeposuit: *Quo vos offendimus.* Nos autem ibi monitos esse voluit se hanc emendationem ab iis collegisse qui Fuldensem codicem viderant. Sed etsi res ita se habeat, numquid idcirco unius Fuldensis libri auctoritas ceteris omnibus, quorum plures longe vetustiores sunt, debuit anteferri? Nonne ea verba, si nomen *Christianae*, quemadmodum diximus, tanquam superfluum ademeris, Auctoris nostri proposito ac menti satis belle conveniunt?

Eum enimvero in modum argumentatur: Cur Christianis non liceat quam honestam existimant sequi voluptatem, cum Epicureis licerit illam seligere quae praestat *animi aequitatem*, sive potius aequabili-

tatem et tranquillitatem, quae nullò motu iniucundo nec amplis negotiis turbetur? Nam *summa*, inquiebat Cicero, *voluptas est, ut Epicuro placet, nihil dolere* (Cicer. lib. I. de Finib. p. 45. lin. 28.), vel sicuti tradidit Theodoretus, ea voluptas, quae omne curarum fastidii-que genus ac proinde *ampla negotia* excludit (Theodoret. Serm. 12. de Vita Beata p. 675.). Si autem hic ipse est Tertulliani sensus, in eius textu scribi debet *nec*, non vero *et ampla negotia*, nisi hoc nomine ea negotia intellexerit quae amplitudine sua nullam commovent animi perturbationem. De illa porro Epicuri sectatorumque eius opinione alibi nec semel disputavimus. Tertullianus porro ex his omnibus rationum momentis recte concludit Christianorum, qui illicitas gentiliū voluptates repudiabant, sectam non esse factionem illicitam ac prohibendam, sed optimam sane et aliis omnibus praestantiorē. Contra vero factiosi plane et seditiosi erant gentiles, qui, ut articulis superioribus vidimus, imperatores suos scurrili dicacitate, conviciis ac contumeliis palam insequabantur, mortem eorum optabant, contra illos conspirabant violentasque eis inferebant manus.

## CAPUT XXIII.

Christianos publicarum cladum non esse causam.

## ARTICULUS I.

Quae sint publicae clades quarum Christianos auctores esse tam saepe quam falso ethnici conquerebantur, ac quomodo Tertullianus eos refellat.

Observatum a nobis fuit in superioribus dissertationibus nostris (Dissertat. in Arnob. cap. 6. Art. 1 et 2.), nullam fuisse criminationem ea saepius repetitam, qua ethnici conquerebantur Christianis *omnis*, sicut ait Tertullianus, *publicae cladis, omnis popularis incommodi esse causam*. Taederet nos sane cramben tam saepe recoctam iterum recoquere hanc rursus refellendo insulsam omnino argumentationem, si ethnicos illam tam inepte obtrudere aliquando poenituisset. Sed homines vesani immanique in Christianos odio furentes vix aliud ad perdendos Christianos hac calumnia aptius excogitasse arbitrabantur (Tertullian. Apologet. cap. 40. et lib. I. ad Nation. cap. 9.). Quamobrem Tertullianum nostrum sequamur ac quid eam exponendo atque evertendo aut singulare aut paulo obscurius dixerit enucleare tentemus.

A Romanis autem sic ille orditur: *Si Tiberis ascendit ad moenia* (Ibidem), aut ut alio in libro: *Si Tiberis redundaverit*, id est si nimium exundans Urbis moenibus ac terrarum etiam fertilitati nocuerit, contra vero: *si Nilus non ascendit ad arva, nec agros solita inundatione, sive ut canit Virgilius:*

. . . . *Nigra non foecundat arena.*

(Virgil. lib. IV. Georg. v. 290.)

Praeterea *si caelum*, addit Auctor noster, *stetit*, sive ut postea, *cum ab imbris aestiva hiberna suspendunt* (Tertullian. loco cit.), et ibi caeli nomine quid denotet, si postules, tibi respondebimus his Tullii



veabis: *Caelum hoc, in quo nubes, imbres ventique coguntur* (Cicer. lib. II. Tuscul. pag. 122. lin. 14.), ex hoc caelo si imbres opportuno hiemis vel aestatis tempore non effluant terramque non reddant fertilem; quod Cyprianus Tertullianum secutus hoc ita expressit: *Cum dicas plurimos conqueri quod imbres et pluvias serena longa suspendunt*; et alibi: *quando imbrem nubila serena suspendunt* (Cyprian. ad Demetr. et libr. de Mortalit.), item *si terra movit* eiusque insolito motu oppida corruerint, aut eius hiatu absorpti sint homines, uti paulo post videbimus, denique *si fames et lues* (ibi supplendum *saeviant atque grassentur*), aut ut alibi clarius, *si fames afflixit* (Tertullian. Apologet. cap. 40 et lib. I. ad Nation. cap. 9.): in his, inquit Tertullianus, omnibus publicis calamitatibus, una omnium gentilium voce: *Christianos Ad Leonem acclamatur* (Idem Apologet. ibid.). Sed hoc ultimum verbum, quod in nostris codicibus manuscriptis et antiquis editionibus reperitur, a Rigaltio amputatum est. At etiamsi absit, subaudiri utique debet. Illa vero acclamatio, de qua nos supra egimus, in circo potissimum fieri consueverat. Verum ea sola, quantumvis iniquissima, rapiabantur Christiani ac confestim leonibus aliisque belluis devorandi exponebantur. Tertullianus vero illam tribus tantum his verbis irridendo explodit: *Tantos ad unum* (Ibid.)! perinde ac si dixisset: *Papae!* Numquid putatis infantiam propemodum, sicut antea observabamus, Christianorum multitudinem exponi potuisse leoni unico atque ab illo devorari?

Tum post haec ille gravibus rationum momentis demonstrat nihil falsius fingi potuisse quam Christianos publicarum aut aliarum calamitatum esse auctores: *Nam ante Tiberium*, inquit, id est ante Christi adventum, *quantae clades orbem et urbes ceciderunt* (Ibid.)? Non eo autem sensu dixit *ante Tiberium*, quo significet Christum non antea in hunc mundum venisse, sed adventum eius mundo patefactum cum ille regnante Tiberio edidit miracula suamque Ecclesiam fundavit. Nam in libro ad Nationes: *Principe*, ait, *Augusto nomen hoc ortum est, Tiberio disciplina eius illuxit* (Idem lib. I. ad Nation. cap. 7.). Quocirca ille postea dixit: *Aetatis nostrae nondum anni trecenti: quantae clades ante id spatium supra universum orbem ad singulas urbes et provincias ceciderunt? Quanta bella externa et intestina? Quot pestes, fames, ignes, hiatus motusque terrarum saeculum digessit? Ubi tunc Christiani, cum res Romana tot historias laborum suorum subministravit* (Ibid. cap. 9.)? Quibus autem exemplis haec demonstraverit, cum sine aliqua explicatione praeterire non possimus, ad ea singillatim exponenda, si placet, aggrediamur.

## ARTICULUS II.

Quomodo Tertullianus demonstret Christianos ideo publicarum cladum non esse auctores, quia ante Christi ortum plurimis terrarum inundationibus ac motibus pessum abierunt Hieria, Anaphe, Delos, Rhodos, Cos, item maior Asiae vel Africae pars, et epotum mare Corinthium, atque ex Lucania Italiae abscissa facta est Sicilia, omnesque homines cataclysmo non tantum campestri, sed universali perierunt.

Nulla certe validiori argumento probari potest Christianos auctores non esse publicarum cladum, quam plurimarum exemplis, quae

ante Christi ortum contigerunt. Atqui nullus, qui vel primoribus digitis historias veterum temporum attingit, ignorare potest, quam frequentem illarum mentionem scriptores plerique omnes fecerint. Parum itaque necesse videbatur plura huiusmodi exempla a Tertulliano congeri, nisi ad conterendam gentilium pervicaciam proferenda esse censuisset. Ea itaque a nobis discutienda sunt, tum propter diversas codicam lectiones, quibus propria nomina deformantur, tum propter quasdam difficultates, quae nonnullis negotium facessere possunt.

Primum autem exemplum his in Rigaltii editione verbis proponitur: *Legimus Hierannapen et Delon et Rhodon et Co insulas multis cum millibus hominum pessum abiisse* (Tertullian. Apologet. cap. 40.). At in nostris exemplaribus scriptum est: *Hieranapean et Delon et Rhodon et Co*, excepto tamen uno exemplari, in quo habetur *Hierantpean*, in Bongarsiano *Iherrapean*, in uno Vaticano *Hieramapeam* et in altero itidem Vaticano *Hiera Niepaeam*, in Fuldensi *Hierearranda penes*, in editis ante Rigaltium *Hierapolis*, sed mendose. Non enim haec urbs cecidisse perhibetur ante christianae religionis primordia. Cernis certe quantum et quam a longo tempore hic locus corruptus fuerit. In libro tamen ad Nationes aperte legitur *Hierennape et Delphos et Rhodos et Creta insulae multis cum millibus hominum pessum ierant* (Idem lib. I. ad Nation. cap. 9.). Sed haec verba difficultatem neque tollunt neque etiam minuunt. Nec magis sana sunt haec eiusdem Tertulliani alio in libro verba: *Nulla iam Delos, Rhene, Samos* (Idem lib. de Pall. cap. 2.). Plures quippe ibi pro *Rhene* legendum volunt *Herenae*, tametsi Plinius (Plin. lib. IV. Natur. Hist. cap. 12.) alique *Rhene* insulae meminerint. Videamus igitur utrum aliunde ad explicandum illum obscurum et corruptum Tertulliani locum luminis aliquid mutuari possimus.

Primus autem nobis occurrit Plinius, mox citatus, ubi de locis unde maria recesserant et enatis insulis disserit: *Clarae, inquit, iam pridem insulae Delos et Rhodos memoriae produntur enatae. Postea minores ultra Melon Anaphe; inter Lemnum et Hellespontum Nea; inter Lebedon et Teon Hanelo; inter Cycladas olympiadis CXXXV. anno quarto Thera et Theresia; inter easdem post annos CXXX. Hiera eademque Automate* (Plin. lib. II. ibid. cap. 87.). Huc etiam accedit Ammianus Marcellinus, ubi motuum terrae causas investigat: *Brasmatiae, ait, qui humum molestius suscitantes propellunt immensissimas moles, ut in Asia Delos emersit et Hiera et Anaphane* (Marcell. lib. XVII. cap. 7. pag. 456.). Videsne in his locis memorari Delon et Rhodon, quemadmodum ab ipsomet Tertulliano? Nonne autem suspicioni locus datur ex duabus aliis insulis *Hiera* et *Anaphe*, sicuti Plinius vel *Hiera* et *Anaphane*, ut Marcellinus scribit, factum fuisse ab imperitis librariis corruptum illud vocabulum *Hierannapen*. Verum iis facile cedemus, qui meliora suggesserint.

Superest ultima insula a Tertulliano nominata *Co* vel *Cho*, ut in nostris codicibus ac iam citato libro primo ad Nationes, aut *Cors*, veluti in antiquis editionibus, vel *Coon*, sicut in editione Heraldii. At Pamelius corrigendum autumat *Coo*, quia in Eusebii Chronico legitur: *in insula Coo terrae motu plurima conciderunt* (Chron. Euseb. ad



XXXVIII. ann. Aug.). Non omnino forsitan male; nam Strabo mentionem facit insulae *Kōs* (Strabo lib. II. Geogr. pag. 124 et lib. X. pag. 489.), sicut et alii. Verum quidam nos monuerunt in Eusebiani Chronici textu scriptum in *Cypro*, idque Senecae testimonio confirmare nituntur. Denique quidam suspicati sunt Tertullianum scripsisse *Cea*, hancque emendationem probari posse putant his Plinii verbis: *ex insula Cea amplius triginta millia passuum abrupta subito cum plurimis mortalium rapuit* (Plin. lib. II. Natur. Hist. cap. 92.). Nonne autem huic coniecturae roboris aliquid inde accedet, quod postea idem Plinius observat *Cos* a Staphylo *Ceam* appellari (Ibid. lib. V. cap. 9.)? Sed certius proculdubio id stabilietur, si probari possit Tertullianum ad Plinii respexisse libros.

At certe ad eum collineasse videtur cum dixit: *Memorat Plato maiorem Asiae vel Africae terram Atlantico mari ereptam* (Tertull. Apolog. cap. 40.). Et alio rursus in libro: *Plato memorat maiorem Asiam aut Africam in Atlantico mari mersam* (lib. I. ad Nation. c. 9.). Scriptum siquidem ab eodem Plinio vidimus: *In totum abstulit terras, primum omnium, ubi Atlanticum mare est, si Platoni credimus, immenso spatium* (Plin. lib. II. Hist. Natur. cap. 90.). Citatus porro ab utroque Platonis locus in eius Timaeo invenitur (Plato. Tim. tom. III. pag. 25.), quemadmodum alibi observavimus (Dissertat. in Arnob. cap. 6. Art. 3.). Ceterum etsi Tertullianus nihil unquam de Plinio haec scribendo cogitasset, non minus tamen inde confirmatur, quod ille alibi adhuc repetit in Atlantico mari adaequatam Lybiam aut Asiam.

Sed eum adhuc sequamur, nisi tot exemplis satis iam probatum dixeris Christianos publicarum calamitatum causam non fuisse teque aliis adhuc probari non taedeat. Pergit autem ille et ait: *Mare Corinthium terrae motus ebibit* (Tertullian. lib. de Pall. cap. 2.) et in libro *ad Nationes*: *Terrae motu mare Corinthium ereptum est*. Opinantur nonnulli eum ibi alluisse ad urbium Elicae et Burae ruinam, de quibus rursus Plinius: *Pontus abstulit Elicen et Buram in sinu Corinthio, quarum in alto vestigia apparent* (Plin. lib. II. Natur. Hist. cap. 92.). Plura si velis, consule Strabonem (Strab. lib. I. Geogr. pag. 59.), Pausaniam (Pausan. lib. VII. pag. 212 et 231.), Senecam (Senec. lib. VI. Natur. Quaest. cap. 23.), ac missis aliis Ovidium, qui canebat:

*Si quaeras Helicen et Buram, Acheidas urbes,  
Invenies sub aquis, et adhuc ostendere nautae  
Inclinata solent cum moenibus oppida summis.*

(Ovid. Metamorph. lib. XV. v. 293 sqq.)

At paulo antea ille non quidem de urbibus, sed de terris, quas Auctor noster nominavit, hosce fecit versus:

*Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus,  
Esse fretum, vidi factas ex aequore terras,  
Et procul a pelago conchae iacuere marinae,  
Et vetus inventa est in montibus ancora summis.*

Videsis quae in superiore dissertatione a nobis in Arnobium annotata sunt (Dissertat. in Arnob. cap. 6. Art. 3.). Sed arguet aliquis haec ad Tertulliani propositum non sufficere, nisi ratione aliqua ostendatur



mare Corinthium, sicut ille ait, motu terrae ereptum et epotum. At huic plene satisfaciet iam citatus a nobis post Senecam Callisthenes, qui docet urbes terrasque ab exundantibus aquis posse facile absorberi, cum spiritus per occulta foramina illapsus terram concutit (Senec. lib. VI. Natur. Quaest. cap. 85.). Tum etenim fit hiatus, quo omnia absumuntur. Quapropter idem Seneca rursus dixit: *Vasta concussio duas suppressit urbes Helicen et Burim.* At Buris et Helice isthmi Peloponnesiaci seu Corinthii urbes erant, quae aquis mergi non potuerunt quin simili casu mare Corinthium absorptum fuerit. Non totum tamen absorptum est, sed duplex effecit mare de quo Ovidius:

*Quique maris gemini distinet isthmus aquas.*

(Ovid. Epist. XII. v. 104.)

Et Lucanus:

*Qualiter undas*

*Qui secat et geminum graciles mare separat isthmos,*

*Nec patitur conferre fretum, si terra recedat,*

*Ionicum Aegaeo franget mare.*

(Lucan. lib. II. v. 99.)

Omnes porro ea cognitu longe faciliora sunt, quae Tertullianus subiunxit: *Vis undarum Lucaniam Italiae abscissam in Siciliae nomen relegavit* (Tertullian. Apologet. cap. 40.). Paulo autem fusius alio in libro: *Italiae quondam latus Adria Tyrrhenoque quassantibus mediotenus interceptum reliquias Siciliam facit, cum tota illa plaga discidium contentiosos aequorum coitus angustis retorquens novum vitii mari induit, non exspuentis naufragia, sed devorantis* (Idem lib. de Pall. cap. 2.). Quae quidem a compluribus geographis, poetis aliisque memoriae prodita sunt. Ovidius autem eodem quem paulo ante citavimus loco de Zancle una Siciliae urbe cantavit:

*Zancle quoque iuncta fuisse*

*Dicitur Italiae, donec confinia pontus*

*Abstulit et media tellurem repulit unda.*

(Ovid. lib. XV. Metamorph. v. 290 seqq.)

Laudatus etiam a nobis Lucanus eadem de tota Sicilia nec semel quidem cecinit (Lucan. lib. II. v. 543 et lib. III. v. 58 et seqq.), quemadmodum Virgilius his versibus:

*Haec loca vi quondam et vasta convulsa ruina,*

*Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas,*

*Dissiluisse ferunt, cum protinus utraque tellus*

*Una foret, venit medio vi pontus et undis*

*Hesperium Siculo latus abscidit, arvaeque et urbes*

*Littore deductas angusto interluit aestu.*

(Virgil. lib. III. Aeneid. v. 414 et seqq.)

Citatis autem his versibus Seneca addidit: *Sic hac inundatione, quam poetarum maximi celebrant, ab Italia Sicilia reiecta est* (Senec. lib. IV. Natur. Quaest. cap. 29.). Videsis Plinium (Plin. lib. II. Natur. Hist. cap. 87.), Statum (Stat. lib. III. Thebaid. et lib. I. Silvar.), Silium Italicum, Cluverium et alios.

Quid plura? Ante Saturnum aliosque omnes gentilium deos eve-

nerat is, qui *totum orbem*, sicut ait Tertullianus, *cataclysmus abolevit vel, ut Plato putavit, campestre solummodo* (Tertullian. Apologet. cap. 40.). Brevius in libro ad Nationes: *Totum orbem cataclysmus abolevit* (lib. I. ad Nation. cap. 9.); sed uberius alio in libro: *Adhuc maris conchae, inquit, et buccinae peregrinantur in montibus, cupientes Platoni probare etiam ardua fluitasse* (Idem lib. de Pall. cap. 2.). Nemo est autem qui non intelligat illum ibi loqui de diluvio universali, quod in sacro Geneseos libro describitur (Genes. cap. 6 et 7.). Platonem vero ibi corripit, qui arbitratus est huius diluvii aquas ad summa non pervenisse montium cacumina, in quae, uti ille somniaverat, pastores plurimi convolantes, cum aliis non fecere naufragium (Platon. tom. II. lib. III. de Legib. pag. 677. et tom. III. Tim. pag. 22.). Falsam vero hanc opinionem inde Auctor noster refellit, quod in montibus inventae fuerint *conchae et buccinae*, sive buccina, ut ait Plinius, qui ibidem observat hoc minus esse concharum genus, in buccini seu tubae similitudinem (Plin. lib. IX. Natur. Hist. cap. 36 et cap. 33.). At paulo antea Ovidium citavimus, qui conchas et ancoram in summis montibus inventas fuisse testificatur. Atqui generalis illius diluvii tempore nondum erant Saturnus alique dii ab ethnicis deinceps conficti, uti plane demonstrant urbes ab iis conditae, aut in quibus nati et mortui vel, sicuti in libro ad Nationes, *nati, morati et sepulti sunt* (Tertullian. loco cit.). De his porro ac de deorum et idololatriae origine in superioribus dissertationibus disputavimus et adhuc aliqua inferius dicentur.

### ARTICULUS III.

De cladibus, quae ante christianae religionis primordia excitatae sunt igne caelesti et hominum armis: de Sodoma et Gomorrha exustis, atque illorum terra, quae conantur poma ac deinde contacta cinerescunt; de Volsiniis, Pompeiis seu Tarpeiis, igne assumptis; de clade Cannensi post quam Annibal Romanorum caedes raptorum annulorum medio mensus est, ac de Capitolio a Senonibus occupato.

Ad alias clades igne caelesti et hominum armis excitatas venit Tertullianus, ac *Sodoma*, inquit, *et Gomorrha igneus imber exussit* (Tertullian. Apologet. cap. 40.), antequam Israelitae ex Aegypto migrassent in Palaestinam, ac proinde longe pluribus saeculis prius quam Christiani ex illis orti venissent in mundum. Utriusque autem huius urbis ruina certissimo Sacrae Scripturae testimonio comprobatur (Genes. cap. XIX. v. 24.). Sed quamvis illud nobis deesset, cladis illius indicium haud dubium ipsa etiam daret, quae uti Tertullianus loqui amat: *Olet adhuc incendio terra, et si qua illic arborum poma conantur oculis tenus, ceterum contacta cinerescunt* (Tertullian. loco cit.). Ita quidem in manuscriptis nostris codicibus et aliis. Male vero in quibusdam *orientur et cernuntur*. Nam ellipsis est et ibi subaudiendum *maturescere conantur*. Alio autem in libro: *Impietas*, inquit, *ignium meruit imbres. Hactenus Sodoma et nulla Gomorrha, et civis omnia, et propinquitatis maris iuxta cum solo mortem vivit* (Idem lib. de Pall. cap. 2.). Verumeninvero narrat Iosephus ibi adhuc videri reliquias ignis divini et quinque oppidorum imagines cineresque renascentes ex fructibus, qui tametsi edulibus similes manibus tamen attacki in fumum

et cinerem dissolvuntur (Ioseph. lib. V. de Bello Iudaico cap. 5. pag. 892.). Quin etiam Augustinus asserit illud gentilium scriptorum auctoritate corroborari (August. lib. XXI. de Civit. Dei cap. 7. pag. 629.). Si quis vero aliquem sibi citari velit, cito quidem dabimus Cornelium Tacitum, cuius haec sunt verba: *Haud procul inde, a mortuo scilicet mari, campi, quos ferunt olim uberes magnisque urbibus habitatos, fulminum iactu arsisse, et manere vestigia, terramque specie torridam vim frugiferam perdidisse: nam cuncta sponte edita aut manu sata sive herba tenuis aut flore, seu solitam in speciem adolevere, atra et tænia velut in cinerem vanescunt* (Tacit. lib. V. Histor. paulo post init.). Sed ethnicus homo et Sacrae Scripturae ignarus hanc fructuum immaturitatem oriri suspicatur ex lacus halitu; quo superflusus terrae spiritus primum corrumpitur terramque deinde corrumpit. Nec minus erravit Solinus, qui similiter hunc divinae vindictae effectum soli tribuit caelesti, quo terram hanc tactam fuisse sic enarrat: *Longo ab Hierosolymis recessu tristis sinus panditur, quem de caelo tactum testatur humus nigra et in cinerem soluta. Duo ibi oppida Sodomum nominatum, alterum Gomorrhum, apud quae pomum quod gignitur, habeat licet speciem maturitatis, mandi tamen non potest, fuliginem intrinsecum favillaceam ambitio tantum estimae cutis cohibet, quae vel levi pressa tactu fumum exhalat et fatiscit in vagum pulverem* (Solin. Polyhist. cap. 35. pag. 65.).

Postea vero Tertullianus: *Sed nec Tuscia, inquit, iam tunc atque Campania de Christianis querebatur, cum Vulsinios de caelo, Pompeios de suo monte perfudit ignis* (Tertullian. Apologet. cap. 40.). Rursus autem alio in libro: *Ex huiusmodi nubilo et Tuscia Vulsinios pristinos devasta, quo magis de montibus suis Campania speret, erepta Pompeios* (lib. de Pallio cap. 2.). Sed haec difficultate sua non carent. Nam in libro ad Nationes legimus: *Vulsinios de caelo, Tarpeios de suo monte perfudit ignis* (Idem lib. I. ad Nation. cap. 9.). Qui enim ibi Tarpeii, hi in aliis duobus libris Pompeii vocantur, tametsi Tertullianus videatur de iisdem populis facere sermonem. At Pompeii non parum distabant a Tarpeiis, qui Tarpeium ex septem Romae montibus unum incolebant. De hoc autem monte canit Virgilius:

*Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit,  
Aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis.*

(Virgil. lib. VII. Aeneid. v. 347.)

Et rursum postea:

*In summo custos Tarpeiae Manlius arcis  
Stabat pro templo et Capitolia celsa tenebat.*

(Ibid. v. 662.)

Ovidium (Ovid. lib. I. Fastor. v. 79.) aliosque in re satis nota citare nihil necesse est.

Pompeii vero oppidum erat in ora Campaniae: *Haud procul, inquit Plinius, adspectante monte Vesuvio, alluente vero Sarno amne* (Plin. lib. III. Natur. Hist. cap. 4.). Plinio suffragatur hisce verbis Pomponius Mela: *Vesuvii montis adspectus Pompeii, Neapolis, Puteoli Mela de Situ Orb. lib. II. cap. 4. §. 65.).* Eadem etiam tradunt Strabo (Strab. lib. V. Geogr. pag. 247.) alique geographi. Seneca



autem non solum huius urbis situm, sed illius quoque ruinam sic descripsit: *Pompeios celebrem Campaniae urbem, in quam ab altera parte Surrentinum Sabinianumque littus, ab altera Herculanense conveniunt mareque ex aperto conductum cingit, desedisse terrae motu, vexatis quaecunque adiacebant regionibus, audivimus et quidem diebus hibernis Nonis Februarii motus hic, Regulo et Virginio consulibus* (Senec. lib. VI. Natural. Quaest. cap. 1.). Paucioribus tandem verbis Cornelius Tacitus, ubi de Nerone imperatore: *Motu terrae celebre Campaniae oppidum Pompeii magna ex parte proruit* (Tacit. lib. XV. Annal. non longe post init.). Verum haec non plane conducunt ad Tertulliani propositum, qui huius urbis excidium non terrae motu, sed igne, nec regnante Nerone, sed ante Christi tempora contigisse asserit. Quapropter si quis illum non de hoc Pompeiorum oppido, sed de Tarpeia arce caelesti igne eversa locutum esse demonstraverit, non multum quidem reclamabimus. Sed observa, quaeso, Pompeiorum urbem in altero, quam Vesuvio monte fuisse positam. Atqui si erumpentibus ex illo Vesuvio monte flammis ante divulgatam christianam religionem aliquando exusta est, nonne hoc tanquam extraordinarium factum a Tertulliano nostro notari potuit?

Minor porro difficultas est de Vulsiniis sive Volsiniis, quos alibi (Tertullian. Apologet. cap. 24.), uti infra dicemus (Infra cap. 27. Art. 2.), Volsinienses nominavit. De his siquidem canit Iuvenalis:

*Quis timet aut timuit gelida Praeneste ruinam,  
Aut positis nemorosa inter iuga Volsiniis.*

(Iuvenal. Satir. III. v. 181.)

Oppidum autem illorum a Strabone appellatur *Ὀῦλσίνιον*, quod, sicut ait Tertullianus, igne perfusum his Plinius totidemque verbis memorat: *Volsinii oppidum Tuscorum nobilissimum concrematum est fulmine* (Plin. lib. II. Natur. Hist. c. 52.). Tacet tamen ibi quo tempore id contigerit: sed persuasum plerique omnes habent utrumque de eodem intelligendum incendio quod ante ortos Christianos contigit.

Instat adhuc Tertullianus alioque notissimo omnibus exemplo ethnicos sic urget: *Nemo adhuc Romae Deum verum adorabat, cum Annibal apud Cannas per Romanos annulos caedes suas modio metiebatur* (Tertullian. Apologet. cap. 40.). Eccui enim ignota est Cannensis pugna, post quam victor Annibal, uti narrat Livius, *effundi in vestibulo curiae iussit annulos aureos, qui tantus acervus fuit, ut metientibus dimidium super tres modios explesse sint quidam auctores. Fama tenuit, quae propior vero est, haud plus fuisse modio* (Liv. lib. XXIII. cap. 12.). Sed etsi unum tantummodo modium fuisset, id haud dubie sufficit, ut hos annulos, sicut ait Auctor noster, modio metirentur. Plinius tamen scribit trimodia annulorum ab Annibale missa Carthaginem (Plin. lib. XXXII. Natur. Hist. cap. 1.), totidemque Augustinus (August. lib. III. de Civit. Dei cap. 19.).

At hic tacere omnino non possumus in Rigaltii editione contra codicum nostrorum et antiquorum editorum auctoritatem in Tertulliani textu omissum *per*, et scriptum *caede sua*. Qua autem ratione, penitus ille siluit. Quam enim habere poterat? Nonne satis ibi deprehenditur Tertulliani stylus et hic eius sensus: Annibal post victo-

riam numerum Romanorum in praelio occisorum singulatim non recensuit, sed modio per eorum annulos metiebatur? Quapropter iam laudatus a nobis Augustinus: *Tres modios annulorum aureorum*, inquit, *Carthaginem misit, quo intelligerent tantum in illo praelio dignitatem cecidisse Romanam, ut facilius eam caperet mensura, quam numerus: atque hinc strages turbae ceterae tanto utique numerosioris, quanto infirmioris, videlicet hominum, quae sine annulis iacebat, conicienda potius quam numeranda putaretur* (August. loco cit.). Sed te non pigeat hunc Augustini adire librum, ubi ex hac et aliis cladibus in ethnicos, quemadmodum Auctor noster, argumentatur.

Antiquior sane, sed non minus celebris notaque omnibus fuit alia Romanorum clades, cum *Capitolium*, ut rursus Tertullianus scribit, *Senones occupaverunt* (Tertullian. Apologet. cap. 40.), sive ut in codicibus nostris legitur, *occupaverant*. Sed quid sibi, inquires, vult cum dixit *occupaverunt*? Nonne Livius (Liv. lib. V. cap. 41 et seq.), Augustinus (August. lib. II. de Civit. Dei cap. 22.), atque alii, certe quam plurimi, constanter asserunt neutiquam expugnatum a Senonibus *Capitolium*, sed Romam tantum ab eis captam? Nihil certe verius. Quamobrem verbum *occupaverant* ibi accipitur pro *tenuerant obsessum*. Atqui tunc Saturnus aliique gentilium dii, uti ait Tertullianus, ab omnibus tam obsidentibus quam obsessis colebantur. Christiani igitur, qui tunc non erant, neque huius calamitatis neque aliarum quas hactenus retulimus auctores esse potuerunt.

## ARTICULUS IV.

Quam perspicue Tertullianus ostendat publicarum calamitatum auctores non esse Christianos, qui illis imminentibus veri Dei misericordiam duris poenitentiae laboribus implorabant, sed gentiles, qui ebrios balneis, cauponis, lupanaribus operantibus aquilicia Iovi immedabant, nudipedalia denuntiabant populo et nubila de laquearibus expectabant.

Ethnicis inquirentibus qui, nisi Christiani, deorum hostes infestissimi, publicarum cladum causa esse poterant, respondet Tertullianus eam in ipsomet tantum gentiles esse refundendam (Tertullian. Apologet. cap. 40.). Etenim: *Semper humana*, inquit, *gens male de Deo*, vero et unico, *meruit*, duplicem ob rationem. Ac primo quidem, *ut inofficiosa eius, quem cum intelligeret ex parte, non requisivit* (Ibid.), id est cum solo lumine naturali ex parte saltem cognovisset illum revera existere nec alium esse posse Deum, non curavit amplius investigare quis ille esset, nec proinde debita illi officia honorumque debitos persolvere.

Secundo, eadem gens humana *alios deos sibi insuper commentata est, quos coleret*. Non amplius itaque *quaerendo magistrum innocentiae* (Ibid.) et scelerum vindicem eo derelicto in idololatriam et omne flagitiorum genus sese praecipitem dedit. Deum ergo ethnici, quem recognoscendo ac, sicut par erat, colendo propitium habere poterant, sua ob crimina iratum experti sunt. Non Christiani igitur, qui Deum verum cultu debito et piis operibus semper coluere, publicarum calamitatum causa erant, sed ingrata ipsorummet ethnicorum gens, quae illum adspersa est et idololatria aliisque sceleribus gravissime offendit. Totam autem hanc argumentationem his corroborat,



quae orta clade aliqua aut imminente ab utrisque Christianis et gentilibus agebantur. Cum enim *ab imbris*, inquit, *aestiva hiberna suspendunt* fecundos, ut paulo antea diximus (Ibid.), ac desideratos maxime imbres, *et annus in cura est*, sive de illius timetur sterilitate, aut sicut alibi ipse loquitur, *cum stupet caelum et aret annus* (Tertullian. Apologet. loco cit. et lib. de Ieiun. cap. 16.), tum Christiani ieiuniis aliisque durissimis poenitentiae laboribus, de quibus supra egimus (Supra cap. 14. Art. 1 et 2. cap. 15. Art. 1.), infinitam Dei misericordiam grata vi exorabant. Quo quidem factum est, quemadmodum ille iure merito animadvertit (Tertullian. Apologet. cap. 40.), ut ab eo tempore, quo Christiani vitae sanctimonia et hisce piis operibus iniquitates saeculi temperavere, multo leviora fuerint incommoda quibus solebant homines antea affligi ac vexari.

Contra vero ethnici impendente aliqua vel exorta calamitate magis formidanda Deum verum comessionibus, ebrietate, stupris, adulteriis et impia falsorum deorum invocatione irritabant. Tum enim *quotidie pasti*, uti Tertullianus eos allocutus ait, *statimque pransuri balneis et cauponis et lupanaribus operantibus aquilicia Iovi immolatis* (Ibid.). Et haec quidem totidem eius verba in nostris manuscriptis libris, nisi quod in eis scriptum est *cauponis*, quo nomine Iustinus historicus utitur, sed addidit *artibus* (Iustin. lib. I.). Eadem legimus in antiquis eiusdem Apologetici editionibus, nisi quod scriptum est *cauponis operati*, sed in aliis melius *operantibus*, hoc est operam suam subministrantibus. Verum Rigaltius nullo codice citato ac propria proculdubio auctoritate penitus delevit priora haec verba *quotidie pasti statimque pransuri*. Itane ergo editori licet auctoris sui textum nulla ratione allata corrigere vel potius corumpere? Tertullianus enim Christianos opponit ethnicis ostenditque quam diverso utriusque modo ingruentem publicam calamitatem a se deprecarentur. Tum vero Christiani, inquit, sacco et cinere sorditati nullum totis diebus capiebant cibum. Ethnici e contrario non expectata hora prandii cibos antea praegustabant, mox lautius in cauponis pransuri. Postea balnearum recreabantur voluptate atque in omni stupro sese in lupanaribus volutabant.

Alio praeterea idololatriae crimine verum irritabant Deum. Nam eo repudiato immolabant *aquilicia Iovi*. Aquilicium autem sive aquaelicium, teste Festo, *dicitur, cum aqua pluvialis remediis quibusdam elicitur, ut quondam, si creditur, manali lapide in Urbem ducto* (Fest. cap. 20. de Verbor. Signif. ad v. Aqualicium.). Quis vero sit manalis ille lapis, si quaeras, tibi idem Festus respondebit: *Manalem lapidem vocabant petram quandam, quae erat extra portam Capenam iuxta aedem Martis, quam cum propter nimiam siccitatem in Urbem protraherent, insequeretur pluvia statim, eumque quod aquas manaret, manalem lapidem dixere* (Idem ad v. Manualis). Siccitatis itaque tempore hunc lapidem ex Martis aede protrahentes sacra faciebant Iovi, haud dubie Pluvio sive Pluviali, qui a Pausania *ἕτιος* (Pausan. lib. II. pag. 61. lin. 44.), ab aliis *ὄμβριος Ζεὺς* appellatur. Unde Tibullus de Aegypto haec canebat:



*Te propter nullos tellus tua postulat imbres,  
Arida nec Pluvio supplicat herba Iovi.*

(Tibull. lib. I. Eleg. 7. v. 25 et 26.).

Ad haec vero, ethnici illo siccitatis tempore nudipedalia populo denuntiabant. Mos enim illis fuit quibusdam diebus festis aut solemnibus templa nudis pedibus adire. Ovidius enim Vestalia hisce versibus celebrat:

*Forte revertebar festis Vestalibus illa  
Quae nova Romano nunc via iuncta foro est.  
Huc pede matronam nudo descendere vidi.  
Obstupui tacitus, sustinuique gradum.*

(Ovid. lib. VI. Fastor. v. 9 et seqq.).

Postea vero quam mortuum Augusti imperatoris corpus solemnium pompa crematum est: Reliquias, uti narrat Suetonius, legerunt primorum equestris ordinis tunicati et discincti pedibusque nudis ac in mausoleo condiderunt (Suet. in Vita Augusti cap. 100.). Quidam insuper opinati sunt ad hunc ritum spectasse Iuvenalem, ubi de gallis Matris deum sacerdotibus haec cecinit:

— — — *Inde superbi  
Totum regis agrum, nuda ac tremebunda cruentis  
Erumpet genibus.*

(Iuvenal. Satir. VI. v. 466.).

Simili quoque modo Seneca scripto tradidit: Cum *sistrum aliquis concutens ex imperio mentitur, cum aliquis secandi lacertos suos arifex brachia atque humeros suspensa manu cruentat, cum aliqua genibus per viam repens ululat* (Seneca de Vita Beata cap. 27.). Sed hic, sicut Iuvenalis, de iis potius disserit qui genibus nixi gradiebantur, quam qui pedibus nudis ibant in templum, ubi deos suos precarentur. Magis igitur ad Tertulliani propositum citata Ovidii verba conducunt.

Nudis itaque pedibus incedentes ethnici veniebant in *Capitolium*, ait Tertullianus, id est templum Iovis Capitolini, ibique quaerebant caelum pluvium, ac nebula fecundis imbribus gravida expectabant de laquearibus illius nimirum templi, in quo summum Iovem suum habitare perperam arbitrabantur.

Quamvis autem ibi Auctor noster dixerit hoc ipso calamitoso tempore nullum ab illis praetermissum intemperantiae libidinisque crimen, alio nihilominus in libro testificatur quosdam non solum pedibus nudis, verum positis etiam dignitatum insignibus quandam praetulisse poenitentiae speciem. Nam alio in libro: *Cum stupet, inquit, caelum et aeternus annus, nudipedalia denuntiantur, magistratus purpuras ponunt, fasces retro avertunt, precem indignant, hostiam instaurant* (Tertull. lib. de Ieiun. cap. 16.).

Verum his idololatriae operibus nihil plane nec a diis suis, qui nulli erant, nec a vero et omnipotente Deo, qui solus omnium bonorum largitor est, impetrare unquam poterant. Quis autem iam non intelligit quam vera certaue sit Tertulliani nostri eosdem gentiles alloquentis conclusio: *Vos igitur importuni rebus humanis, vos rei publicorum incommodorum illices semper, apud quos Deus spernitur,*

*statuae adorantur* (Idem Apologet. cap. 41.). In quibusdam editionibus: *incommodorum, vos malorum illices semper*. Summa enimvero impietate falsos deos statuasque adoratis ac verum repudiatis Deum, qui impios et sceleratos homines publicis calamitatibus merito castigat. Ipsimet ergo ethnici publicarum calamitatum revera auctores erant, minime vero Christiani, qui verum Deum adorantes poterant utique ab eo postulata obtinere.

ARTICULUS V.

Examinantur allatae a Tertulliano rationes, ob quas Deus patitur Christianos publicis calamitatibus affligi et cur eae pro ethnicis valere non possint.

Gravissimo tot tantorumque argumentorum pondere obruti gentiles mira pertinacia cedere nunquam volebant, sed intorta a Christianis tela in ipsos retorquere quoquo modo conabantur. Si Christiani, inquietabant, publicarum cladum non sunt revera auctores, cur illorum Deus, si omnipotens sit et iustus, adeo tranquille patitur eos iisdem calamitatibus ac ceteros homines noxios ac sceleratos vexari, laedi et opprimi? Respondet Tertullianus hoc telum retorqueri plumbea plane et hebeti caecutientium hominum manu, qui aeternas summi Dei *dispositiones* omnino ignorabant (Tertullian. Apologet. cap. 41.). Nam hic supremo post mundi finem iudicio bonos discernet a malis, hosque pro merito sempiternis aut suppliciiis aut praemiis afficiet. Interim vero voluit omnibus communia esse huius vitae commoda et incommoda: *ut pari, inquit, consortio omnes experirentur* (Ibid.), aut lenitatem eius aut severitatem, illamque diligerent et hanc metuerent. Publicae igitur calamitates Christianis erant in admonitionem officii, ethnicis vero in scelerum castigationem. Nec urgere hi poterant id ab ipsis Christianis perperam fictum. Nam *haec*, pergit ille, *ita didicimus apud ipsum Deum* (Ibid.), hoc est in sacris Veteris et Novi Testamenti libris (Matth. cap. V. v. 45 et cap. XIII. v. 49 et cap. XXV. v. 32 et seqq.), quorum summam, ut superius vidimus (Supra cap. 8. Art. 1 et 5.), demonstraverat auctoritatem.

Secundo respondet Christianos nullis rebus adversis in hoc mundo affligi, sed potius laetari (Tertullian. loco cit.), quandoquidem nihil gratius cariusque habebant quam de hoc mundo exire, ut citius aeternam illam consequerentur felicitatem, quam certissimis ac divinis oraculis sibi nec aliis promissam fuisse certo certius noverant. Ethnici vero nequibant simili modo huius argumenti, quod in eos solos valebat, vim unquam infirmare. Nam si illorum dii mundum propter Christianos, hostes suos, publicis premebant calamitatibus, non sine ingrati animi vitio patiebantur illos cultores suos iisdem cladibus involvi: *Quos, ut recte ait Tertullianus, separare debent a meritis Christianorum* (Tertull. ibid.). Postquam vero expositas a nobis in eorundem Christianorum gratiam rationes protulit, ethnicos his affatur verbis: *Si vero ab eis, quos colitis, omnia vobis mala eveniunt nostri causa, quid colere perseveratis tam ingratos, tam iniustos, qui magis vos in dolorem* (MSS. nostri *in dolore*) *Christianorum adjuvare et asserere debuerunt, quos separare deberent a meritis Christianorum* (Ibid.)? Vides haec posteriora verba bis repeti, quae idcirco Rigaltius

tanquam praepostere addita in sua editione contra codicum omnium sive editorum sive manuscriptorum fidem penitus abstulit. Verum quid, amabo te, prohibuit quominus Tertullianus adversus ethnicos disputando eadem verba quibus thesin suam proposuit post allatas ad eam probandam rationes iterum repeteret?

At haec, inquiet aliquis, tanti non sunt momenti, quanti scire interest unde ille conficere potuerit deos gentilium, si quis in eis grati et aequi animi sensus fuisset, debuisse illos in publicis calamitatibus secernere a Christianis. Sed id inde ab eo recte colligitur, quia ethnicis nulla plane certa ratio suppetebat, qua sperare possent fore, ut, postquam ex hac vita excessissent, aeternum a diis suis, qui nulli erant, acciperent virtutum suarum mercedem. Christiani vero illam, ut diximus, ab omnipotente Deo suo certissime expectabant. Non debebant igitur ethnici hos deos colere, si persuasum habebant se ab illis ob Christianos publicis calamitatibus vexari. Si enim cultoribus suis, qui aliorum causa publicas calamitates in hac vita perpassi sunt, nihil post mortem conferre possint, ingrati prorsus et iniusti sunt, aut certe infirmi ac proinde divinitatis prorsus expertes, Tertullianus itaque recte concludit horum deorum cultores, minime vero Christianos, publicarum calamitatum esse auctores. Palam vero nos alibi fecimus (Dissert. in Arnob. cap. 6. Art. 4 et seq.) quomodo haec criminatio tam saepe, quam insulse ab ethnicis repetita, ab Arnobio confutata fuerit, ac quomodo Minucius Felix et Lactantius demonstrent imbecilla plane et futilia esse illorum argumenta, qui inde divinam providentiam habefactare conati sunt (Dissert. in Minuc. cap. 6. Art. 3. et in Lactant. cap. 14. Art. 3.). Sed iam ad ultimum eorundem gentilium contra christianae religionis veritatem argumentum accedamus.

#### CAPUT XXIV.

Quam absurde ethnici conquerebantur Christianos reipublicae esse inutiles atque idcirco exterminandos.

##### ARTICULUS I.

Quomodo Tertullianus probaverit Christianos non fuisse Brachmanas, nec Indorum gymnosophistas, nec silvicolas, sed reipublicae plurimum utiles.

Ethnici nullum non moventes in Christianos lapidem adhuc obiectabant illos reipublicae prorsus esse inutiles eoque solo nomine penitus exterminandos. Sed hi, inquit Tertullianus, *neque Brachmanae aut Indorum gymnosophistae, silvicolae et exules vitae sunt* (Tertullian. Apologet. cap. 42.). Sed quinam, inquiet fortasse aliquis, erant illi Brachmanae et gymnosophistae? Numquid iidem, aut diversi a se invicem populi fuerunt? Nam Apollonius Tyanaeus et Damides a Philostrato citati (Philostr. lib. III. de Vita Apollon. cap. 4. pag. 119 et lib. VI. cap. 4. pag. 265.) asseverant Brachmanes Indiae incolae fuisse eosque, uti alibi dixit, *γυμνοῦς* (nudos) seu gymnosophistas collem habitantes parum a Nili ripis distantem. Ab Hieronymo autem alicubi *Indorum Brachmanae et Aegyptiorum gymnosophistae* (Hiero-



nym. Epist. 57. ad Laet. et lib. I. adv. Iovin.), alibi vero et ab illo et aliis, quos alia in dissertatione citavimus, gymnosophistae Indiae appellantur (Tom. I. Appar. lib. III. Dissert. 2. cap. 19. Art. 1. pag. 1160 et seqq.). At ibidem insuper annotavimus duplex saltem fuisse illorum genus. Si quis porro probaverit illos non solum in India, sed Aegypto etiam suas posuisse sedes, is facile Tertullianum aliosque a Philostrato laudatos inter se conciliabit. Ceterum illi, sicuti et Brachmanes ab aliis hominibus seiuncti durissimam consecrabantur vivendi et a cibis abstinendi rationem, a nobis loco iam citato explicatam.

Sed longe dissimilis, ut recte Tertullianus noster asseverat, erat abstinentia Christianorum, qui cibos sibi a Deo datos cum gratiarum actione sumebant, sed servatis semper temperantiae legibus. Neque enim ullum *fructum*, inquit ille, *operum Dei repudiamus; plane temperamus, ne ultra modum aut perperam utamur* (Tertullian. Apologet. cap. 42.). Neque etiam iidem Christiani erant silvarum incolae, ac veluti Brachmanes et gymnosophistae, *exules vitae communis* (Ibid.), et a ceterorum hominum consortio plane separati. In oppidis siquidem et urbibus cum ethnicis, sicut iam diximus, commisti habitabant ac communes cum illis ubique miscebant operas *in foro, macello, nudinis, agris, balneis, tabernis* (Ibid.), non quidem vinariis, sed aedificiis, quae, ut ait Festus (Fest. ad v. Tabernacula), ex tabulis constructa *usui*, teste Nonio, erant *populari* (Nonius ad v. Tabern.). Artes etiam suas exercebant in *officiis* cuilibet patentibus, ac commorabantur in *stabulis* (Tertullian. ibid.), seu diversoriis et hospitiiis, ubi hospites et peregrinos excipiebant, seu potius habitationibus et privatis quorundam, veluti agricoliarum, domibus, de quibus ita canit Virgilius:

*Ardua tecta petit stabuli et de culmine summo  
Pastorale canit signum.*

(Virgil. lib. VII. Aeneid. v. 512.).

Atque ita Christiani, ait Auctor noster, cohabitabant *hoc saeculum*, sive sicut in manuscriptis nostris legitur, *in hoc saeculo*.

Quamobrem gentiles ipsos sic urget: *Navigamus et nos vobiscum et vobiscum* (hoc ultimum verbum a manuscriptis nostris libris abest) *militamus et rusticamur et mercamur, proinde miscemus artes, operas nostras* (manuscripti et ante Rigaltium editi codices *opera nostra*) *publicamus usui vestro*, atque ita mutuis operibus nos invicem adjuvamus. Atqui ea omnia eo maiorem toti reipublicae afferebant utilitatem, quo maior tunc, sicut antea vidimus, erat eorundem Christianorum numerus. Nihil ergo a veritate magis alienum excogitari potuit, quam Christianos publicis rebus esse inutiles.

## ARTICULUS II.

Nullum reipublicae damnum inferri a Christianis, qui ethnicorum ceremonias non frequentabant nec Saturnalibus lavabant diluculo, sed hora debita, nec liberalibus discumbentibus in publico, sicut bestiariis supremum coenantibus mos est.

Quantumvis clare et certo Tertullianus demonstraverit Christianos rebus publicis maximae esse utilitati, gentiles tamen contra reclamare

non verebantur illos reipublicae ideo non esse fructuosos, quia omnes ipsorum ceremonias sacratioresque religionis actus adspersati iis interesse plane penitusque recusabant. Sed hoc Tertullianus concessio prorsus negat eosdem Christianos nulli idcirco reipublicae esse usui et emolumento. Quemlibet itaque gentilem sic compellat: *Si ceremonias tuas non frequento, attamen et illa die homo sum* (Tertullian. Apologet. cap. 42.), qui quidem, ut mox dictum est, una cum ethnicis vivendo measque commiscendo artes tibi aliisque plurima, quae ad tuam ac ceterorum hominum vitam et societatem necessaria sunt, ita suppedito, ut maximum ex operibus meis fructum unusquisque percipiat.

Nemo est autem qui non fateatur hoc cuneo funditus everti insulsam omnino gentilium accusationem. Verumtamen Tertullianus ultra, quam satis sit, manifestum pluribus exemplis cuilibet facit, a Christianis, etiamsi gentilium mysteriis non affuerint, aut nihil inde detrimenti rebus importari publicis, aut si quod importatum, aliunde illud ab iis affatim resarcitum fuisse.

Sed illum, si lubet, a Saturnalibus ethnicorum festis incipientem audiamus: Non *lavor*, inquit, *diluculo Saturnalibus, ne et noctem et diem perdam* (Ibid.). Atque ita quidem haec verba in nostris exemplaribus manuscriptis et editis antiquioribus exhibentur. Verum Rigaltius reiecit adverbium *diluculo* et scribi iussit *Lavor sub noctem*: sed meras nugas, genuino Auctoris nostri textui (Idem lib. de Idolol. cap. 10.) mentique repugnantes nobis vendit. Ab omnibus autem, ut facilius id dignosci queat, observandum est Saturnalia festa, ut ipse alibi et Varro (Varro lib. V. de Ling. Lat. pag. 51.) ac Festus (Fest. ad v. Saturnia) testificantur, instituta fuisse in Saturni, agrorum, sicuti opinabantur, praesidis, honorem. Livius vero illorum originem et statutum eorum celebrandorum diem his pandit verbis: *Decembri iam mense ad aedem Saturni Romae immolatum est lectisterniumque imperatum, et eum lectum senatores straverunt, et convivium publicum, ac per Urbem Saturnalia diem ac noctem clamatum, populusque eum diem festum habere ac servare in perpetuum iussus* (Liv. lib. II. c. 1.). Sed Macrobius (Macrobius lib. I. Saturnal. c. 8 et 10.) ac postea Lipsius (Lips. lib. I. Saturn. c. 3. tom. III.) disputarunt utrum haec uno dumtaxat, an septem, ut probabilius putant, continuis diebus agerentur. Tum autem, teste Luciano (Lucian. Dial. Saturn. p. 1021.), non licebat serium aliquod privatum aut publicum negotium transigi, sed potare, inebriari, vociferari, ludere, certare tesseris, nudos canere, saltare lascivo corporis motu, sese vultu fuligine oblito in aquam aliquando dare, ac famulos adhiberi in convivium, quemadmodum Accius his a Macrobio transcriptis versibus cecinit:

*Maxima pars Gratium Saturno et maxime Athenae,  
Conficiunt sacra, quae Cronia iterantur ab illis,  
Cumque diem celebrant, per agros urbesque fere omnes  
Exercent epulis laeti famulosque procurant  
Quisque suos nostrisque itidem et mos traditus illinc  
Iste, ut cum dominis famuli tum epulentur ibidem.*

(Macrobius lib. I. Saturnal. cap. 7.).

Non mirum itaque si Christiani hos nefarios idololatriae, lasciviae, ebrietatis aliosque, quos ex citatis superius scriptoribus recensuimus, detestandos actus improbaverint noluerintque noctem et diem perdere tam impia festa celebrando. Quamobrem *non lavo*, inquit Tertullianus, *diluculo Saturnalibus* (Tertullian. Apologet. cap. 42.), ut ad illa agenda me praeparem. Quis enim nesciat morem ethnicorum fuisse se ante convivium lavandi? Sed Christiani fas sibi esse non credebant sese ad illa nefanda convivia et mysteria agenda *diluculo*, cum hiems saeviebat, intempestivo balneo praeparare.

Nullum tamen rebus publicis detrimentum idcirco importabant. Etenim *lavo*, ait Auctor noster, *honesta hora et salubri*. Rigaltius vero scribi maluit *debita*, quam *honesta hora*: sed contra codicum omnium reclamationem. Nonne autem Auctor noster dicere potuit Christianos non respuisse balneas, sed lavatum abiisse *hora honesta et salubri*, qua videlicet cum honestate et salubritate omnes se lavare consueverant. Haec autem *hieme*, ut ait Plinius, *erat nona hora, aestate octava* (Plin. lib. III. Epist. 1.), aut ut alii observant, a meridie ad vesperam. Horatius autem canebat:

*Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum  
Admonuit, fugio rabiosi tempora signi.*

(Horat. lib. 1. Satir. VI. v. 125.)

Nonne ergo Tertullianus designare videtur meridianam horam, quae mense Decembri, quo Saturnalia agebantur, honesta et salubris erat, ut *mihî*, inquit, *calorem et sanguinem servet*. Non his igitur frigidis, pergit ille, impiorum Saturnaliorum diebus *lavor diluculo*, quandoquidem *rigere et pallere post lavacrum mortuus possum*. Quibus ille verbis alludit proculdubio ad alium antiquum morem mortua hominum corpora lavandi, ac forte ad haec Virgîlii de Miseni funere carmina:

*Pars calidos latices et athena undantia flammis  
Expediunt corpusque lavant frigentis et unguent.*

(Virgil. lib. VI. Aeneid. v. 217 et seqq.)

Servius vero in suis ad haec carmina animadversionibus citat illud ab Ennio compositum:

*Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit.*

(Serv. pag. 411.)

Dicit itaque Tertullianus posse quidem post mortem eo lavacro rigere et pallere, nolle autem, dum viveret, illud praevertere intempestivo hiemali balneo, quo Saturnalia iuchoabantur. Quamvis autem haec ratio sit mere naturalis, eo tamen acrius ethnicos pungebat, quo absurdius obiciebant Christianos ideo reipublicae esse inutiles quia hoc balneum atque impias ceremonias illud subsequentes meritissimo iure fugiebant et execrabantur.

Ad Liberalia deinde, sive ad dies ludosque Libero sive Baccho dicatos, sic transit: *Non in publico Liberalibus discumbo* (Tertullian. Apologet. cap. 42.). Rationem ab eo si postules, alio in libro eam



his verbis datam videbis: *Cum promiscue ludi Liberalia vocarentur, honorem Liberi patris manifeste sonabant. Libero enim a rusticis primo fiebant, ob beneficium quod ei adscribunt demonstrata gratia vini* (Idem lib. de Spectac. cap. 5.). Qua de re non semel quidem disseruimus. Quoniam ergo haec festa in falsi dei honorem non sine idololatriae aliisque ac potissimum crapulae et ebrietatis criminibus celebrabantur, summo Christianis erant horrori. Addidit Auctor noster: *Non in publico Liberalibus discumbo, quod bestiariis supremum coenantibus mos est* (Idem Apolog. loco cit.). Sic autem legimus in manuscripto Puteaneo et primo Colbertino, sed in Harleano et Colbertino secundo *supremam*. At Iunius scriptum suspicatur *sub primam*, quia bestiarii, de quibus antea egimus, meridie, inquit, certabant. Bulengerus vero hanc coniecturam non sine risu ideo explodit (Buleng. lib. de Venat. Circ. c. 34.), quia bestiarii non solum meridie pugnabant, sed tempore etiam matutino. Quid enim his Suetonii de Claudio imperatore verbis clarius: *Bestiariis meridianisque adeo delectabatur, ut etiam prima luce ad spectaculum descenderet et meridie dimisso populo persederet* (Sueton. in Vita Claud. cap. 34.). Seneca vero: *Mane leonibus et ursis homines, meridie spectatoribus suis obiiciuntur* (Seneca Epist. 70. p. 295.). Visne et alia non minus perspicua illius verba? En haec ipsa sunt, *Casu in meridianum spectaculum incidi, lusus expectans. . . Mane leonibus et ursis homines, meridie spectatoribus suis obiiciuntur. Interfectores ab interfecturis iubentur obiici et victorem in aliam detinent mortem* (Lib. III. de Ira cap. 43. pag. 583.). Rursus alibi: *Nuper in ludo bestiariorum unus e Germanis cum ad matutina spectacula pararetur, secessit* (Idem Epist. 7. pag. 172 et 173.). Denique illa nec semel quidem vocat *matutina arenae spectacula* (Lib. de Ira cap. 43. pag. 683.). Nec difficile foret huc plura alia congerere: sed quia haec sufficiunt, nihil aliud addemus nisi hoc Martialis carmen:

*In matutina nuper spectatus arena*

*Mucius.*

(Martial. lib. X. Epigr. 25.).

Nihil ergo mutandum in textu Tertulliani, qui scite *supremam*, sive ultimam, appellat bestiariorum coenam, quia postridie cum aliis gladiatoribus aut bestiis pugnaturi necem potius quam victoriam sperare debebant. Etenim *pugnantium*, sicuti monet iam laudatus Seneca, *exitus mors est* (Seneca Epist. 7. pag. 173.). Si quid enimvero inde incolumes evadebant, hoc tamen sperare non ausi *supremam* coenam pridie se carpere arbitrabantur. Ab auctore porro Actorum SS. Perpetuae et Felicitatis discimus hanc coenam *liberam* vocitari, haud dubie quia lautissima erat, ac gladiatores cibus ad libitum appositis sese ingurgitabant.

Christiani ergo publicas illas coenas merito repudiabant, utpote quae in Bacchi honorem ac intemperanter dabantur. Nullum tamen damnum rebus publicis inde accedebat. Nam *ubiubi*, sic Tertullianus quemlibet ethnicum alloquitur, *de copiis tuis coeno*, id est cibus, quos a tuis gentilibus in quocunque publico loco falsis diis non consecrato emere consuevi.

## ARTICULUS III.

Quam insulse ethnici obicerent Christianos ideo reipublicae fructuosos non esse, quia coronas non emebant, ad spectacula non conveniebant, thura non mercabantur, tametsi plura ac cariora a Sabaeis empta in mortuorum sepulturam insumerent quam gentiles ad deos suos fumigandos.

Fræquens proculdubio erat Tertulliani tempore coronarum usus: quandoquidem ethnici de illo a Christianis reiecto tanquam magno reipublicae damno querimoniam singularem habebant. Verum cuilibet ethnico sic ille respondet: *Non emo capiti coronam; sed quid tua interest?* Quodnam enim inde rebus publicis detrimentum? Nullum plane. Emptis siquidem floribus utor, inquit ille, sed iis, ut *puto, gratus liberis et solutis et undique vagis* (Tertull. Apolog. cap. 42.), nec compactis in coronam. Nullus quippe capillis, sed naribus tantum odor florum percipitur. Nos vero haec fusius prosecuti sumus in alia dissertatione, ubi praeterea ostendimus ideo huiuscemodi coronarum usum a Christianis reiectum quia suam ab idololatria traxerat originem (Dissertat. in Minuc. cap. 13. Art. 3.).

Urgebant ethnici Christianos magno reipublicae malo publicis spectaculis non interfuisse (Tertull. loco cit.). Grande scilicet malum erat ea lugere quae Tertullianus alio in libro esse probat *de reatu generali idololatriae, genitricis suae* (Idem lib. de Spectac. cap. 7.). Aliis autem in dissertationibus annotavimus haec spectacula non solo idololatriae, sed pluribus aliis adhuc coinquinata fuisse criminibus, quae Christiani non secus ac pestem publicam iure merito fugiebant. Quae ergo inde boni publici iactura? Magna quidem, inquebant gentiles. In longum enimvero tempus spectacula illa producebantur, atque idcirco spectatores in amphitheatri aditu plura eduliorum emebant genera, quibus possent interdum refici. Christiani itaque nullos plane faciebant huiusmodi sumptus.

Sed si nihil, inquit Tertullianus, ibi mercamur: *Quae tamen apud illos coetus venditantur, si desideravero, libentius de propriis locis sumam* (Tertullian. Apologet. cap. 42.). Quaedam antiquae editiones *sumo*: aliae quaedam recentiores *sumentur*. Melius in nostris codicibus et ceteris editionibus *sumam*. Nihil ergo de bono publico deperditum, si Christiani aliis licitis sibi in locis ea emebant quae apud ethnicorum illicitos coetus venditabantur.

Nihil etiam, quidquid adhuc iidem causarentur, reipublicae deperit, si thura, inquit Tertullianus, *non emimus* (Ibid.), quae ethnici falsis diis adolebant. Nam id nobis omnino vetitum erat thurisque pretium minus erat, quam ethnici de hoc detrimento conqueri unquam deberint. Etenim *Arabiae*, perguit ille, potiori iure *queruntur*. Verum si quae sit Arabum de cariore suo thure non vendito querimonia, *scient*, ait, sive pro nobis respondebunt, *Sabaei pluris et carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari quam diis fumigandis* (Ibid.). De Sabaeo autem thure Virgilius:

*India mittit ebur, molles sua thura Sabaei.*

(Virgil. lib. I. Georg. v. 57.)

Et alio in libro de Venere:

— — *Ubi templum illi, centumque sabaeo*

*Thure calent arae.* (Idem lib. I. Aeneid. v. 420.)

Quos quidem in versus haec a Servio notantur: *Sabaei populi sunt iuxta Syriam et Arabiam, dicti Sabaei ἀπὸ τοῦ σάβου, quod apud eos thus nascitur, quo deos placamus.*

Neque porro Tertullianus huius tantum Sabaei thuris, de quo plura Plinius memorat (Plin. lib. VI. Nat. Hist. cap. 28.), sermonem fecit, sed de aliis, uti ex mox dicendis patebit, etiam illorum mercibus, seu aromatibus. Tanta enimvero in eorum regione erat horum abundantia, ut iis, sicuti Strabo narrat (Strabo lib. XVI. Geogr. pag. 776.), pro sarmentis atque ignis faciendi materia cinnamomo, casia et aliis huiusmodi suave olentibus uterentur. Scriptum quoque a Plinio legimus: *Cibos Sabaei coquunt thuris ligno* (Plin. lib. XII. Hist. Natur. c. 17.). At Tertullianus noster suo non solum in Apologetico, sed alio etiam in libro aperte declarat Sabaeorum thus ad sepelienda inprimis mortuorum corpora a Christianis adhibitum: *Corpora, inquit, medicata condimentis, sepulturae, mausoleis et monumentis sequestrantur; processura inde ad secundam vitam, cum iusserit Dominus* (Tertull. lib. de Resurrect. Carn. cap. 27.). Alibi vero magisque ad nostrum propositum: *Viderint ethnici, inquit, si eadem merces, thura dico et cetera peregrinitatis ad sacrificium idolorum, etiam hominibus ad pigmenta medicinalia, nobis quoque insuper ad solatia sepulturae usui sunt* (Idem lib. de Idolol. cap. 11.).

Esto, arguet aliquis, ac meridiana luce clarius demonstratum habeatur Christianos usos fuisse ad sepelienda mortuorum corpora Sabaeo thure, ceterorum omnium pretiosissimo, numquid Tertullianus magna sine hyperbole asserere potuit Sabaeos thuris sui *merces pluris et carioris* ad Christianorum sepulturam vendidisse quam gentibus ad deos suos fumigandos? Nonne plurimi, inquiet, gentiles thus Sabaeum plena prodigaque manu diis suis incendebant? Sed qui haec obiectabit, is advertere debet hos aliis ditiores fuisse et longe minori numero quam ceteri pauperiores, qui thus adolebant aut tribus tantum digitis, aut unius assis, quemadmodum infra dicitur (Infra cap. 29. Art. 2.). Ad haec vero, observavimus maiorem fuisse Christianorum multitudinem quam gentilium. Christiani igitur si thure Sabaeo mortuorum condiebant corpora, ad hoc pietatis officium Sabaei debebant plura illis sua thura vendere quam gentilibus, quorum plurima pars pauca admodum vilioris et communis grana diis suis dare consueverat.

#### ARTICULUS IV.

Quam immerito ethnici conquerebantur templorum suorum vectigalia decoqui ex quo orti erant Christiani, qui diis illorum hominibusque mendicantibus non sufficiebant, ac vectigalia solvebant tanta cura, quantis dolis ab iisdem ethnicis fraudabantur: neminem de sterilitate Christianorum conqueri potuisse praeter infames lenones, perductores, aquariolos, sicarios, venenarios, magos, aruspices, ariolos, mathematicos; ac si quid forte malum reipublicae a Christianis illatum fuerat, illud cum foenore ab illis aliunde resarcitum.

Quae hactenus retulimus, quantumvis clara et omnibus perspicua sint, non potuerunt tamen caecos comprimere ethnicorum impetus nec effraenatum in Christianos furorem extinguere. Magno enim adhuc



clamore ubique vociferabantur illos in reipublicae ortos esse perniciem. Ex quo enim eorum religio in mundum disseminata est: *Templorum* nostrorum, inquebant, *vectigalia quotidie decoquunt* (Tertullian. Apologet. cap. 42.), hoc est paulatim minuuntur. Cuilibet enim Christiano, uti ipsemet Tertullianus fatetur, prohibitum erat, *ne curas templorum deleget aut vectigalia eorum procuret* (Idem lib. de Idololat. c. 17.). Cum maior itaque, uti saepius diximus, esset Christianorum quam ethnicorum numerus, profecto longe pauciores templorum vectigalia pendebant.

Verum etsi res ita sit, ethnici non de Christianis tantum, sed de suis etiam sectatoribus expostulare debebant. Ab eis quippe Tertullianus petit: *Stipes quotusquisque iam iactat* (Idem Apologet. loco cit.)? Stipes autem nummus erat signatus. Qui enim *diis cum thesauris*, ait Varro, *asses dant, stipem dicunt* (Varr. lib. IV. de Lingua Lat. sub. fin.). Quamobrem Ovidius canebat:

*Contulit aes populus: de quo delubra Metellus*

*Fecit, ait: dandae mos stipis inde manet.*

(Ovid. lib. IV. Fastor. §. 3.)

Ethnici ergo si stipem templis non dabant, non minus certe quam Christiani iis faciebant detrimentum.

Instabant gentiles atque, ut ait Arnobius, coniectores, arioli, vates et alii amarissime deplorabant in templis suis *raritatem* (Arnob. lib. II. Advers. Gent.), ac nec exiguas quidem stipes posse a paucissimis consultoribus extorqueri. Scimus quidem Plinium Secundum in sua ad Traianum imperatorem epistola scripsisse templa et sacra solemnia coepisse suo tempore repeti. Totidem enim haec illius verba legimus: *Certe satis constat prope iam desolata templa coepisse celebrari et sacra solemnia diu intermissa repeti passimque venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur* (Plin. lib. X. Epist. 101.). Sed quod fatetur prope desolata fuisse ethnicorum templa et sacra, hoc verissimum est. Quod vero subiungit illa coepisse repeti, his verbis inepte adolatus est Traiano, cuius clementiam per fas et nefas extollere volebat. Nam crescente numero Christianorum minus frequentabantur ethnicorum templa minusque vectigalia solvebantur.

Tertullianus itaque id ultro fatetur et gentilibus respondet quantumcunque fuerit illud damnum, a Christianis abunde restitui. Nos enim non sufficimus, inquit, *et hominibus et diis vestris mendicantibus opem ferre* (Tertullian. Apologet. cap. 42); hoc est omnia bona nostra omnesque nostrae facultates non sufficiunt, ut mendicantibus vestris cum diis tum hominibus, de quibus alibi a nobis actum est (Tom. I. Appar. pag. 784.), opem feramus. In aerarium ergo templorum vestrorum, in quae nos vobiscum convenire nefas est, etsi nullam stipem iactemus, alibi tamen quibuslibet petentibus saepius et longe abundantius eam impertimus (Dissert. in Minuc. Octav. cap. 20. Art. 30.). Plus enimvero, ait ille, *nostra misericordia insumit vicatim*, seu plura quibuslibet per vicos et vias civitatum mendicantibus.

largitur *quam vestra religio templatim* (Tertull. loco cit.), sive in singulis templis vestris tribuit.

Deinde vero vectigalia ab imperatoribus imposita Christiani multo maiore cura et meliori fide quam gentiles solvebant. Quin etiam haec *vectigalia*, inquit, *gratias agent Christianis ex fide dependentibus debitum qua alieno fraudando abstinemus* (Ibid.). Noverant quippe illud Christi praeceptum: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari* (Matth. cap. XXII. 21.). Atque inde Iustinus Martyr ethnicis palam dicebat: *Φόρους καὶ εἰσφορὰς τοῖς ἐφ' ὑμῶν τεταγμένοις πανταχοῦ πρὸ πάντων πειρώμεθα φέρειν*: *Vectigalia sane et collationes eis qui a vobis sunt ordinati exactoribus prae omnibus ubique inferre contendimus* (Iustin. Apolog. ad Anton.). Ea vero ethnici sic fraudabant, ut, *si ineatur*, Tertulliani verba sunt, *quantum vectigalibus pereat fraude et mendacio vestrarum professionum, facile ratio haberi possit unius speciei querela compensata pro commodo ceterarum rationum* (Tertullian. Apologet. cap. 42.). Ibi certe professionis nomen accipitur pro publica bonorum omnium quae unusquisque possidebat expositione seu declaratione. Sed non inde tollitur tota difficultas obscurioris huiusce phrasid, quae duplici modo a sagacioribus explicatur. Quidam enim putant hunc esse Tertulliani sensum: si perpendatur quantum gentiles malum reipublicae importent *fraude et mendacio professionum* (Ibid.), sive falsa bonorum suorum declaratione, confestim vel hac *specie*, sive hoc solo exemplo, agnosceretur illud malum esse maius quam quicquid boni aliis rationibus afferunt. Alii vero Tertulliani mentem sic explicant: Christiani tanta cura tantaque fide solvunt tributa, quantis dolis ac mendaciis a gentilibus fraudantur, hocque solo exemplo plane conficitur iniquissimam esse horum de Christianorum inutilitate querelam, quia vectigalia ceteris omnibus accuratius pendebant, ac si quid aliunde afferrent detrimenti, *ceterarum* quae indicatae sunt *rationum commodo* affatim compensabatur. At sane si ibi Tertullianus ethnicos non componit cum Christianis, potior videtur prima interpretatio, qua colligitur illos de allato ab his reipublicae damno prorsus immerito expostulasse, quandoquidem aliud maius bonum conferebant. Si vero ibi utrosque Christianos et gentiles inter se contulit, secundam expositionem praeferas per nos licet.

Ceterum ut Auctor noster ethnicos pressius urgeat (Idem ibid.), illis ultro concedit quosdam apud eos reperiri qui de Christianorum, ut ipse ait, sterilitate conquerebantur. Sed quinam, Deus bone, hi erant? Non alii profecto, nisi homines perditii, suis vitiis et sceleribus infames, quibus nec placere nec favere summa est reipublicae utilitas. Triplicem autem eos distinguit in classem, quorum prima erat turpissimorum nefandae libidinis ministrorum, qui ab illo appellantur *lenones, perductores, aquarioli*. Duos autem priores commemorat Cicero, ubi contra Verrem sic invehitur: *Sileatur de nocturnis eius bacchationibus et vigiliis, lenonum, aleatorum, perductorum nulla mentio fiat* (Cicer. lib. II. in Verr. pag. 68. lin. 3.). Lenones vero inter et perductores hoc erat discrimen, quod primi mulieres non relictantes, secundi invitas ad stuprum adducerent. Quapropter cecinit Horatius:

*Laudato. Scortator ait, cave te roget: ultro  
Penelopen facilis potiori trade. Putasne  
Perduci poterit tam frugi tamque pudica.*

(Horat. lib. II. Satir. V. v. 75 et seqq.)

Eiusdem farinae erant *aquarioli*, qui, ut ait Festus, *dicebantur mulierum impudicarum sordidi asseclae* (Fest. lib. XX. de Signific. Verb. ad v. Aquarioli). Quamobrem ab Apuleio memoratur *exacerbatus aquariolus uxoris suae* impudicae et meretricis (Apul. Apolog. ante med. pag. 366.). Spurcissimi autem huiusmodi homines mulieribus aquam ad sordes abluendas adportabant. At vide, quaeso, utrum huic impurissimo hominum gregi adscribendus sit Commodus imperator, de quo haec Lampridius memoriae prodidit: *Gladiatoribus convixit, aquam gessit, ut lenonum minister* (Lamprid. in Vita Commodi). Quorundam tamen opinio est aquarioli nomine significari balneatorem, qui lavantium vestes custodiebat ac lenocinabatur. Inde canebat Martialis:

*Cum te lucerna balneator extincta  
Admittat inter bustuarias moechas.*

(Martial. lib. III. Epigram. 62.)

At talium certe hominum de Christianorum sterilitate et inutilitate expostulatio, horum erat et virtutis et utilitatis commendatio ac praeconium.

Nec aliud sane ferri potest iudicium de sicariis, venenariis et magis, qui secundam Tertulliani classem conficiunt (Tertullian. Apologet. cap. 43.). Nam hi aliorum vitae insidiabantur eamque saepe saepius eripiebant. Sicarii enim nuncupati sunt a *sica*, seu gladio breviori, quem ad interficiendos ex insidiis homines gerebant. Quam frequenter vero ab his truculentis hominibus alii clam et insidiose necarentur, his paucis disces Ciceronis verbis: *Haec quotidiana, sicae, venena* (Cicer. lib. III. de Natur. Deor. pag. 251. lin. 16.). Sed ut propius ad Tertulliani accedamus tempora: *Inde, inquit Cyprianus, venefici, inde sicarii, tam ad peccandum praecipites quam impune peccantes* (Cyprian. libr. ad Demetr.).

Iam autem praesentes cur deinde ab Auctore nostro appellantur *venenarii*, qui venenum aliis propinant aut conficiunt aut vendunt. Nec his proculdubio dissimiles erant *magi*, quibus tertius in hac classe locus datur. Diabolicis siquidem artibus, maleficiis et praestigiis nocere aliis eosque occidere nitebantur. At hi sunt, quos Horatius hisce notat carminibus:

*Quae saga, quis te solvere Thessalis  
Magus venenis, quis poterit deus?*

(Horat. lib. I. Od. XXVII. v. 21 et 22.)

Tertia demum in classe reponuntur a Tertulliano *aruspices, arioli, mathematici* (Tertullian. Apologet. cap. 43.); quos quidem Arnobius a nobis paulo ante citatus vanos coniectores nuncupat. Suis enim execrandis artibus, dolis atque praestigiis futura se praenuntiare posse venditabant. Arioli autem sive farioli, de quibus supra egimus



gingebant se divino afflatu et aruspices ad spectu victimarum vaticinari. At Terentius utrosque pungit horum versuum aculeis:

*Gallina cecinit, interdixit ariolus:  
Aruspex vetuit ante brumam aliquid novi  
Negotii incipere.*

(Terent. Phorm. act. IV. scen. 4.)

Neque his sane aliisque Cicero magis pepercit ubi haec scribebat: *Μαντινῆ* vestra, quae latine divinatio dicitur, qua tanta imbueremur superstitione, si vos audire vellemus, ut aruspices, augures, arioli, vates, coniectores nobis essent colendi (Cicero lib. I. de Nat. Deor. pag. 203. lin. 36.). Sed de his alibi dictum et adhuc postea dicendum.

Scelestum illud ac reipublicae infestum omninoque perniciosum agmen claudunt *mathematici*. Hos autem *vulgus*, inquit A. Gellius, quos gentilitio vocabulo *Chaldaeos* dicere oportet, *mathematicos* dicit (A. Gell. lib. I. Noct. Attic. cap. 9.). Et prius quidem Cicero illorum artem et professionem his verbis explicaverat: *Non ex artis, sed gentis vocabulo nominati diuturna observatione siderum scientiam putantur effecisse, ut praedici posset quid unicuique eventurum et quo quisque fato natus esset* (Cicer. lib. I. de Divin. init. pag. 255. lin. 4.). Unde Iuvenalis:

*Nota mathematicis genesis tua.*

(Iuvenal. Satir. XIV. post med.)

Verum illos eorumque scientiam idem ipse Cicero Chaldaeorum monstra vocat nosque monet ab Eudoxo, ipsorum antesignano, scriptis traditum: *Chaldaeis in praedictione et in notatione cuiusque vitae ex natali die minime esse credendum* (Cicer. lib. II. de Divin. pag. 291. lin. 49.). Plura autem ut missa faciamus, alio in libro Tertullianus noster haud dubitanter asserit pravos angelos, seu daemones, huius impiae artis fuisse magistros, ac deinde haec subiunxit: *Expellantur mathematici, sicut angeli eorum: eadem poena est exilii discipulis et magistris* (Tertullian. lib. de Idololat. cap. 9.). Narrat autem Suetonius hos mathematicos ab imperatore Vitellio pulsos fuisse Urbe et Italia, ac postea capite damnatos (Sueton. Vitell. cap. 14.). Sed prius, teste Tacito, facta fuerant de hoc mathematicorum exilio senatus-consulta (Tacit. lib. II. Annal. ante med.). Ulpianus tandem plura de his memorat, quem consulere poteris (Ulpian. lib. VII. de Offic. Praetor.).

Atque hi erant triplicis classis homines qui Christianos reipublicae inutiles esse idcirco querebantur, quia a nefariis illorum operibus abhorrebant nullumque eis ferebant fructum. Sed perditissimis hominibus *infructuosos esse*, ait Tertullianus, *magnus proculdubio reipublicae fructus est* (Tertullian. Apologet. cap. 43.).

Denique Christianos ethnicis maximo esse emolumento hac adhuc ratione demonstrat: *Quanti editiones veteres Quantos, Lacerda Quando) habetis, non dico qui iam de vobis daemonia excutiunt, non dico iam qui pro vobis quoque vero Deo preces sternant, quia forte*

*non creditis, sed a quibus nihil timere possitis* (Ibid.). Rigaltius vero propria auctoritate et contra exemplarium manuscriptorum atque editorum fidem haec verba *quia forte non creditis* tanquam supervacua aut sibi non placita sustulit. Sed quid, amabo te, nocebant ea verba, quibus Auctor significat ethnicis persuasum omnino non fuisse Christianos pro ipsis Deum verum precari? At id tamen, inquit, tam erat certum quam plane constabat daemonia ab illis ex eorundem gentilium eiecta fuisse corporibus, sicuti a nobis evidentissime probatum est.

Quanti ergo, arguit Tertullianus, vos ethnici *habetis*, hoc est quanto pretio aestimatis hoc maximum certe beneficium quod Christiani vobis impertiuntur? Nonne eo solo nomine vobis summae profecto, ut supra diximus (Supra cap. 22. Art. 1.), erant utilitati?

Verum instat adhuc ille et intortum ab ethnicis telum in illos retorquendo plane demonstrat ab illis summum reipublicae detrimentum fieri. Nam cum longe maior, sicut haud semel diximus, esset Christianorum quam illorum numerus, nonne respublica damnum certe maximum ab his ipsis accipiebat, quorum crudelitate *tot iusti* Christiani, sicut Auctor noster ait, *impendimur*, id est consumimur et occidimur? Eo enim sensu scripsit latinus epistolarum Pauli interpres: *Ego autem lubentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris* (Paul. Epist. II. ad Corinth. cap. XII. 15.). Addit vero Tertullianus: *Cum innocentes erogamur* (Tertullian. lib. de Praescript. Haeret. cap. 2.). Pamelius vero mallet *erodimur*: sed saepius Auctor noster verbo *erogare* utitur, quam ut invitis manuscriptis omnibus credatur illud ibi corruptum esse. Eodem itaque significatu ibi accipitur quo alibi dixit *febrem erogando homini deputatam*. Et revera homo erogatur feбри, cuius mortiferi sunt exitus. Alibi etiam scripsit gladiatores, qui occidi didicerant, edicto die inferiarum *erogari* (lib. de Spectac. cap. 12.). Denique de inferni igne, uti animadvertimus (Supra cap. 11. Art. 4.), ab eo dictum: *Dum erogat, reparat*.

Porro autem quid, quaeso, in maius reipublicae damnum verti potuit, quam contra humanas divinasque leges innumeros Christianos non solum suo numero reipublicae utiles, sed cives etiam optimos morum vitaeque integritate venerandos, nullius hostes, nullius criminis reos, suum, sicut superius ostendimus (Supra cap. 14. Art. 3.), dumtaxat ob nomen vexare ac quibuslibet exquisitissimis cruciatibus excarnificare et occidere? Ethnici ergo vel hanc solam propter rationem magnum utique toti reipublicae inferebant malum. Contra vero Christiani nullum profecto importabant, aut si quid ab eis unquam factum designari potuerit, illud certe magno cum foenore ab ipsis aliunde et vario modo resarciebatur.

Atque hactenus quidem exposuimus et enucleavimus omnia ac singula argumenta, quibus Tertullianus christianae religionis veritatem, sanctitatem, sincera eius documenta et iniquissimam Christianorum vexationem demonstrat. Iam itaque examinandum superest, quomodo probaverit falsam esse gentilium religionem.

## CAPUT XXV.

Quibus argumentis Tertullianus demonstrat falsam esse gentilium religionem ac falsos omnes illorum deos.

## ARTICULUS I.

Quam aperte falsitas religionis ethnicorum demonstratur ex christianae veritate, eiectis ex obsessorum corpore daemonibus, certa hominum conscientia; potiori et notiori, sed plane falsa divinitate Saturni, qui homo fuit et a Iano in Italia exceptus suum nomen dedit civitati quam depalaverat, totique Italiae, quae prius Oenotria vocabatur; item Thalli, Cassii et Nepotis testimonio ac proinde falsam esse ipsam quoque Iovis aliorumque venditatem ab ethnicis divinitatem.

Quibus rationum momentis invictissime assertam vindicatamque a Tertulliano vidimus christianae religionis veritatem, iisdem funditus evertuntur omnes gentilium dii et superstitionis religiones. Nam si vera est Christi divinitas, sicuti Tertullianus noster scite observat, sequitur *ut falsa renuntietur quaevis alia contraria reperta* (Tertullian. Apologet. cap. 21.). Praeterea manifestissime cum illo ostendimus (Supra cap. 7. Art. 1.) unum tantummodo esse posse Deum ac proinde falsos alios omnes, quotquot ab ethnicis fingi potuerunt.

Nec minus perspicue a nobis demonstratum est (Supra cap. 8. Art. 1.) daemones a Christianis eiectos fuisse ab eorum quae obsidebant corporibus, illosque tum coactos palam fateri se non deos, sicuti putabant ethnici, sed immundos esse spiritus, unicum vero, quem Christiani praedicabant, esse Deum, ac Christum huius esse Virtutem, Sapientiam, Rationem et Filium, cuius nomine ac virtute fugabantur. Nihil ergo necesse erat alia plura a Tertulliano (Tertullian. Apologet. cap. 23.) congeri argumenta, quibus amplius comprobaret plane commentitios fictosque esse ethnicorum deos ac proinde falsam illorum religionem. Verum et eosdem ethnicos impii deorum suorum cultus ac perversae religionis tandem aliquando, si fieri poterat, omnino punderet, variis adhuc rationum momentis manifestissimum cuilibet facit tam apertas falsae illius religionis notas deprehendi, ut qui eas non perspiciat, se ipsum penitus excaecare velit.

Primo itaque ipsammet gentilium conscientiam testem appellat, qua constricti fateri, ut supra vidimus, cogeantur unicum esse Deum eosque omnes, quos vocabant colebantque deos revera fuisse homines. Si quis vero sceleratus certissimo conscientiae suae testimonio repugnare ausus fuisset, is plane revincebatur elingui quidem, sed eloquentissimo civitatum omnium clamore, in quibus hi dii, sicuti haud semel observavimus (Supra cap. 7. Art. 1.), nati, versati, mortui et sepulti sunt. Quoniam vero infinita erat illorum multitudo ac singulos recensere vel etiam nominibus suis appellare longius foret, ipsum Tertullianus petit illorum caput et magis notam omnibus originem (Ibid. cap. 11 et 29. et lib. II. ad Nation. cap. 1.).

Ethnicos itaque sic urget et alloquitur: *Ante Saturnum Deus penes vos nemo est: ab illo census totius vel potioris vel notioris divinitatis* (Tertullian. Apologet. cap. 11 et lib. I. ad Nation.



cap. 12.). Dixit autem *potioris vel notioris* (Ibid.), aut ut in manu exaratis nostris exemplaribus *et notioris*; nec prorsus quidem male. Significat etenim se deorum primordia non a prima idololatriae origine, quam alibi obscuram esse nec a cunctis eandem assignari vidimus (Tom. I. Appar. p. 717 et seqq. et Dissert. super. c. 30 et seqq.), sed ab ipsa divinitate Saturni enarraturum, qui omnibus aliis diis potior et notior habebatur. Quid vero mirum, si ab illo ordiatur, cum Varro, qui tot libros de diis suis composuerat, omnium deorum *antiquissimos venditet Iovem, Iunonem et Minervam* (Tertull. lib. II. ad Nation. cap. 12.). At Iupiter genitus ferebatur a Saturno, qui proinde illo antiquior erat. Ab huius autem parentibus Caelo, sive Chrono, et Terra incipiendum esse non censuit, tum quia Saturnus, unicus eorum filius, his ac ceteris omnibus diis notior erat et potior credebatur, tum quia haec ridicula poëtarum de illius ex Coelo et Terra ortu commenta et fabulae sunt. Natus siquidem ex illis fingebatur, quoniam parentes eius ignoti fuerunt. Nam *ex consuetudine humana*, ait Tertullianus, *ignoti vel ex inopinato apparentes de caelo supervenisse dicuntur* (Tertullian. Apologet. cap. 10. et lib. II. ad Nation. cap. 12.), sicut et vulgus filios terrae vocat, quorum incertum erat genus. Sed haec omnia in superioribus nostris dissertationibus explanavimus (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 15. Art. 1. et Dissert. in Lactant. cap. 30. Art. 1. et cap. 31. Art. 2.).

Praeterea cuilibet perspicuum ibidem fecimus quam recte ille asseruerit hominem fuisse Saturnum, qui post multas expeditiones in Italiam appulit ac postquam ibi a Iano susceptus fuisset, *mons*, inquit, quem incoluit, *Saturnius dictus; civitas, quam depalaverat, Saturnia usque nunc est*. In antiqua et altera recentiori editione legimus *debellaverat*; sed Tertullianeum verbum est *depalaverat* (Tertullian. loco cit.). Ubi enim de mundi creatione adversus Hermogenem disputat: *Omnia, inquit, opera sua Deus ordine consummavit, incultis primo elementis depalans quodammodo mundum* (Idem lib. adv. Hermog. cap. 29.). Rursus vero contra Marcionem: *Quod architectum se prudentem affirmat, hoc invenimus significari depalatorem disciplinae divinae a creatore* (Idem lib. V. advers. Marcion. cap. 6.). Itaque dixit a Saturno depalatam civitatem, id est conditam vel positam palis fundatam, sive ut aliis placet, palis instructam. Et hi quidem explicationem suam firmare conantur his Hermae verbis: *Cum depalasset vineam* (Herm. lib. III. Similit. 5. §. 2. p. 61.).

Tum deinde Tertullianus: *Consedit Saturnus exceptus ab Iano vel Iane* (MSS. nostri *Ianae*), *ut Salii volunt* (Tertullian. Apologet. cap. 10.). In duobus autem manu recentiori exaratis exemplaribus nostris et in primo ad Nationes libro, ubi eadem repetuntur: *Etsi alii vocant* (Lib. I. ad Nation. cap. 12.); melius forsitan *sicut alii*. Quorum enim ibi Saliorum mentio? Numquid ab illis aut solis aut primis Saturnus dictus est a Iane, non autem Iano exceptus? Sed haec aliorum iudicio permittimus.

Postquam vero Saturnus datam sibi a Iano sedem fixisset: *Tota Italia*, ait Auctor noster, *post Oenotriam Saturnia cognominabatur* (Tertull. ibid.): et in libro ad Nationes: *Tota Italia de Saturno voca-*

*batur.* Italiae autem primum Oenotriae nomen fuisse aperte docet Virgilius his versibus:

*Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,  
Terra antiqua, potens armis atque ubere glebae,  
Oenotrii coluere viri, nunc fama minores  
Italiam duxisse ducis de nomine gentem.*

(Virgil. lib. I. Aeneid. v. 534 et seqq.)

Nec id semel cecinisse contentus iisdem verbis alio in libro repetit (lib. III. v. 163 et seqq.). Videsis Servii in haec carmina annotationes, Antiochum a Strabone citatum (Strab. lib. III. Geogr. p. 254.) et alios. Italia itaque a Saturno nuncupata prius fuit Saturnia, ut liquet his Ovidii carminibus:

*Hac ego Saturnum memini tellure receptum;  
Caelitibus regnis a Iove pulsus erat.  
Inde diu genti mansit Saturnia nomen;  
Dicta quoque est Latium terra, latente Deo.*

(Ovid. lib. II. Fastor. v. 235.)

Quamobrem a poëtis ut vidimus (Dissertat. in Minuc. c. 16. Art. 1.), vocatur tellus terraque Saturnia et a Virgilio, ubi cecinit:

*Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus!*

(Virgil. lib. II. Georg. v. 174.)

Nonne autem ea omnia satis evidenter probant Saturnum fuisse hominem? Quod quidem Tertullianus tam in Apologetico quam in secundo ad Nationes libro adhuc confirmat testimonio Diodori, Thalli, Cassii Severi et Cornelii Nepotis, de quibus alibi egimus (Dissertat. in Minuc. cap. ult. Art. 2. et in Lactant. c. 41. Art. 3.). Non sine aliqua tamen observatione praemittere possumus in priore libro scriptum *Cassius Severus*. Duo autem eo nomine insigniti fuerunt: alter, uti in Eusebiano Chronico legimus, *orator egregius* (Chron. Euseb. ad ann. MMXLVII.), qui Augusti imperatoris tempore in exilium missus est, alter vero poëta Parmensis, qui ex iis unus fuit, qui cum Bruto Iulium Caesarem interfecerunt, de quo plura Lilius Gyraldus (Gyrald. Dial. IV. de Poët. Hist. p. 160.), Vossius (Voss. de Poët. Latin. c. 2.), Scaliger (Scalig. in cit. Chron. Euseb.) et alii (Fabius lib. X. et Seneca Epist. 79.). Uterque porro a nonnullis *Cornelius Severus* vocatur. Sed in Tertulliani textu forsitan additum est cognomen *Severus*, a Minucio Felice et Lactantio, sicut alibi vidimus, omissum. Nam quae ille de Saturno narrat, haec potius a Cassio Hemina, quemadmodum etiam annotavimus, quam a Cassio Severo scriptis tradita videntur. In illius quoque ad Nationes libro ab oscitante librario scriptum est: *Cornelios Nepotes et Tacitum*. Ad quid enim ibi *Taciti* mentio, cuius nulla in Apologetico, neque a Minucio et Lactantio facta est (Dissertat. in Minuc. cap. ult. Art. 2.)? Nonne ibi sicut in illorum libris legendum est *Graecum Thallum*?

Quidquid autem ea de re peritiores pronuntiant, quorum iudicio semper stabimus, haud dubitanter Tertullianus affirmat nullum ab ullo gentili inveniri aut citari posse auctorem, qui unquam negaverit Saturnum fuisse hominem, qui ab alio homine et vitam accepit et regnum ac proinde Deus esse non potest (Tertullian. Apologet. cap. 10. et

lib. II. ad Nation. c. 12.). Verus enim Deus, ut saepius diximus (Dissertat. in Minuc. cap. ult. Art. 2.), a se ipso solo est et ideo omnipotens, qui homines ceteraque omnia creavit, qui omnibus dominatur, qui omnia regna dispensat.

Post haec ille: *Satis iam*, inquit, *de Saturno* (Tertull. Apologet. c. 10.), ad cuilibet hebetiori atque obstinatori demonstrandum falsam omnino esse illius divinitatem. Data autem opera ibi adiecit *licet paucis*. Nam in secundo ad Nationes libro falsitatem eius variis demonstrat argumentis (lib. II. ad Nation. c. 7. et cap. 16.), quae in superioribus nostris dissertationibus explicata non amplius hic repetenda sunt.

Saturnus porro si deus nec fuit nec esse potuit, quia homo erat, ceteris hominibus similis, multo magis divinitate carent Iupiter, eius filius, totaque aliorum pene innumerabilium caterva, quos ab eodem Saturno aut saltem post illum esse constat (Idem Apologet. c. 10.). Quis enim nesciat Iovem, quem ethnici deum optimum, maximum vocabant, ex eiusdem Saturni cum Ope seu Rhea, sorore sua connubio sive potius incestu natum perhiberi? Adultus autem pulso patre suo in illius invasit regnum atque assumptis, uti ait Tertullianus, squammatis, cornuti, plumati, imbris aurei figuris filios infamibus stupris et adulteriis procreavit (Tertullian. Apologet. cap. 21. et lib. II. ad Nat. cap. 13.).

Quis ergo expensis his omnibus, quae aliis nostris in dissertationibus enucleavimus (Dissertat. in Minuc. cap. 15. Art. 1. et Dissertat. in Arnob. cap. 11. Art. 4. et in Lactant. cap. 3. Art. 1 et seqq.), diffiteri unquam poterit illum deum non esse, sed sceleratum hominem qui omnem humanitatis et pudoris sensum exuerat?

#### ARTICULUS II.

Quam praepostere ethnici venditarent suos post mortalem hanc vitam factos esse deos ab alio superiore mancipio divinitatis; unum dumtaxat esse deum, qui mundum ante omnes gentilium deos ac fruges et ante Cererem, Bacchum et Minervam creaverat; nec magis deos dici posse illarum frugum inventores quam Lucullum, qui cerasa, et Catonem, qui ficum viridem in Italiam primi attulerunt.

Fatebantur quidem ethnici, quod negare nunquam potuerunt, Saturnum aliosque, quos deos esse somniaverant, reipsa fuisse homines, sed cum Varrone contendebant illis huius vitae mortalis munere rite functis datam divinitatem (Tertullian. Apologet. cap. 11.). Verum absurdam opinionem suam alio absurdiori commento tueri frustra conabantur. Neque enim homines post mortem suam dii fieri potuerunt, nisi vel a se ipsis aut alio aliquo iis potentiore deo. Atqui utrumque falsum est. Non ipsi siquidem potestatem habuerunt divinitatem sibi mortuis conferendi. Si quando namque id potuissent, nunquam fuissent homines, mortalium infirmitatibus et vitiis obnoxii. Cuius hanc Auctor noster rationem reddit: *Nunquam homines fuissent, possidentes scilicet melioris, quam fragilis humanae, conditionis potestatem* (Ibid.). Solus quippe Dei Filius, ab aeterno Deus, assumpta quidem, sed modo prorsus admirabili et absque ulla vitii aut peccati labe natura hominis mortalem vitam egit.



Neque etiam ficti gentilium dii ab ullo alio divinitatem accipere potuerunt, nisi illis maior potentiorque fuerit; aut ut Tertulliani ad ethnicos verbis utamur: *Necessæ est concedatis esse aliquem sublimiorem Deum et mancipem quendam divinitatis* (Ibid.). Nomen autem *manceps* a politioris latinitatis scriptoribus pro eo sumitur qui aliquid publice conducit, vendit et redimit. At nunc ab Auctore nostro accipi potius videtur pro aliquo divinitatis custode, curatore ac praefecto (Idem lib. de Idolol. cap. 1. et lib. de Pudicit. cap. 14.); quo sensu in codice Theodosiano thesaurarum aliarumque rerum *mancipes* vocantur (Cod. Theodos. leg. Un. de Mancipib. tit. V. p. 183.). At quicumque dixerint Saturnum aliosque mortuos homines suam divinitatem accepisse ab alio illius mancipe, hoc ipso non esse deos palam confitentur. Verus siquidem Deus a se solo et aeternus sit, necesse omnino est.

Praeterea nullus unquam, nisi plane desipiat, dixerit ab omnipotente ac sapientissimo Deo aliquid inconsiderate, temere ac sine causa factum. Atqui nulla prorsus causa assignari potest cur ille suam cum mortuis hominibus communicaret divinitatem (Tertullian. Apologet. cap. 11.). Duplex quippe tantum haec causa esse vel potius excogitari potuit. Ac primo quidem, quia Deus horum indiguerit officiis et auxilio, secundo, quia illa eximiis suis factis et virtutibus divinitatem meruerunt. At utrumque falso falsius esse convincitur.

Qua enim aut mortuorum aut etiam vivorum hominum ope Deus omnipotens unquam indiguit? Numquid ad condendum mundum? At quicumque gentiles id asseruerint, repugnantem habebunt Pythagoram, qui, ut supra vidimus (Dissertat. in Lactant. cap. 21. Art. 2.), mundum increatum praedicabat. Tametsi vero mundus, ut Plato alique philosophi, quemadmodum adhuc annotatum est, recte docuerunt, reipsa creatus sit, verus nihilominus Deus, cuius infinita potestas est, nullius plane ad illum fabricandum subsidio eguit.

Quid vero, quod constat ante Saturnum ac quoslibet alios gentilium deos, *pluvias*, sicut ait Tertullianus, *de caelo ruisse et sidera* (Tertullian. loco cit.), puta solem ac lunam, *radiasse et lumina*, videlicet stellarum, *floruisse*? Alio siquidem in libro scripsit: *Caelum luminibus floruisse, magis sol radiis insultasset* (lib. IV. ad Marcion. cap. 42.). Quam igitur opem ad mundum creandum Deo ferre Saturnus aut quilibet alius poterant, qui longo post solem, lunam et stellas tempore orti sunt? Addit Tertullianus ante omnes gentilium deos *tonitrua mugisse et ipsum Iovem, quæ in manu eius ponitis* (sive, ut in antiquioribus editis et ineditis codicibus, *imponitis*) *fulgura timuisse* (Tertullian. Apologet. cap. 11.). Et vero cum certum sit tonitrua mugisse, antequam Iupiter extitisset, dubium nemini esse debet, quin insito omnibus hominibus timore fulmina nunquam audita primum saltem timuerit. Quamobrem Tertullianus iure merito ridet ethnicos, qui fulgura et fulmina in eius manu esse et ab eo, licet non facta, vibrari effutiebant.

Sed acrius adhuc urget nihil imperfectum ab omnipotente fieri atque idcirco mundum omnibus absolutum numeris ab eo conditum fuisse. Omnia igitur, quæ ad sustentandam hominis vitam necessaria

sunt, ante quoslibet gentilium deos omnesque homines creaverat. Itaque *nihil*, ait ipse Tertullianus, *continendo*, id est conservando, *homini* ac cohibendo ne moreretur *et sustinendo*, sive sustentando, alendo, reficiendo, *prospectum* ac datum *post hominem* creatum *potuit inferri* (Ibid.). Sed haec eius verba non ita ad vivum resecanda sunt, ut dixisse credatur nihil post conditum hominem potuisse a Deo creari, quo vita hominis contineretur et sustineretur. Non enim sibi aliud voluit, nisi cuncta, sine quibus humana vita conservari non potest, a Deo creata fuisse ante conditos quoscunque homines ac multo magis ante Saturnum ac Iovem, aliosque omnes ethnicorum deos. Tam certo igitur quam evidenter ille inde concludit Deum verum nullius ad mundum faciendum indiguisse auxilio. Non ergo dii aliqui hanc ob causam facti sunt.

Instat adhuc *de terra exuberasse omnem frugem ante Liberum et Cererem et Minervam, immo ante illum aliquem principem hominem* (Ibid.), sive Saturnum, quem ethnici potiore primoque omnium, uti paulo ante dicebamus, deorum esse garriebant. Ethnicos autem ibi castigat, qui opinabantur Liberum ob vini, Cererem ob frumenti, Minervam propter oleae adinventionem numero adscriptos fuisse deorum. Prius enimvero hae fruges creari debuerunt, quam inveniri. Atqui ille tantum Deus est, a quo creata institutaque fuerunt. Neque urgeas Lucretium de his loquentem usum esse verbo *instituisse*, ubi cecinit:

*Namque Ceres fertur fruges Liberque liquores  
Vitigeni laticem mortalibus instituisse,  
Cum tamen his posset sine rebus vita manere,  
Ut fama est aliquas etiam nunc vivere gentes.*

(Lucret. lib. V. v. 14 et seqq.)

Poëta enim ibi de his loquitur, quae aliquorum arte et ingenio reperta fuerant. Verbum ergo *instituisse* non alio quam *invenisse* sensu accipit. Si quis vero contendat ab illo *instituisse* dictum, quia Bacchus et Ceres panis ex frugibus vinique ex uvis conficiendi modum docuisse ferebantur, non multum repugnabimus. Verum his ne hilum quidem inde proficiet. Nobis enim plane sufficit certo certius esse nullas fruges a Baccho, Cerere et Minerva creatas. Nemo quippe ob eas aut indicatas aut repertas aut fieri aut esse deus potest.

Neque alius deinceps audiendus qui obiicere audeat frugum inventionem tantae hominibus esse utilitati, ut propter solum hoc beneficium Ceres, Bacchus et Minerva in deorum grege annumerari meruerint. Iam enim haec ratio satis confutata est. Deinde vero si alicuius ea esset momenti, Lucullus debuit etiam deus fieri, *qui primas*, uti Tertullianus ait *cerasa* (MSS. *cerasia*) *ex Ponto Italiae promulgavit* (Tertullian. ibid.). Ex Plinio autem discimus anno urbis conditae DCLXXX. post victoriam Mithridaticam *cerasa* ab hoc Lucullo transportata fuisse in Italiam *ex Ponto* (Plin. lib. XV. Natur. Hist. cap. 25.), sive ut ait Hieronymus, *de Cerapunto* (Hieronym. Epist. 23. ad Eustoch. p. 60.), unde nomen suum traxerunt. Horum itaque praestantium virorum auctoritate corrigendus est alius Tertulliani in

secundo ad Nationes libro locus, ubi scriptum legimus: *Cn. Pompeius de Ponto . . . Italiae promulgavit* (Tertull. lib. II. ad Nat. cap. 16.).

Instat ille ficum viridem Romae cognitam non fuisse, antequam *Cato* eam senatui intulit (Ibid.) Tota autem haec historia a Plinio iam citato descripta est (Plin. lib. XV. Natur. Hist. cap. 18.), et ex illa, sicut ex superiori, Tertullianus concludit iniquos esse gentiles, qui Cererem, Bacchum et Minervam ob fruges inventas in deorum suorum reposuere numero et Lucillum ac Catonem, qui alias hactenus incognitas in Italiam Romamque attulerant, apud *inferos reliquerunt*. Sed haec fusius prosecuti sumus in aliis nostris dissertationibus (Dissertat. in Minuc. Oct. cap. 14. Art. 2. in Arnob. cap. 9. Art. 2. et Dissert. in Lactant. cap. 30. Art. 5.), ubi refellimus eosdem gentiles, qui homines ob collata aliis hominibus beneficia deos post mortem suam factos esse garriebant.

### ARTICULUS III.

Quanta insulsi- tate gentiles venditabant Saturnum, Iovem aliosque ob merita praeclaraque facinora factos esse deos, et alios illis praestantiores relictos in inferis, nimirum Socratem, Aristidem, Themistoclem, Alexandrum Magnum, Pompeium, Polycratem, Syllam, Croesum, Crassum, Demosthenem, Ciceronem: atque ostenditur divinitatem a gentilibus eadem qua diis suis ratione tribuendam Laidi, Phrynae, Larentiae, atque ipsis sive mortuis sive vivis Caesaribus.

Altera tribuendae mortuis hominibus divinitatis ratio ab ethnicis desumebatur ex illorum meritis factisque eximiis, quibus eam assecutos esse audacter venditabant. At quicumque id serio asseverabant, hi, ut recte observat Tertullianus, fateri cogebantur aliquem esse *Deum deificum* (Tertullian. Apologet. cap. 11.), id est qui alios ob quaedam praeclara facta deos faciat. Praecellens ergo ille Deus debuit aequissima iustitiae lance aliorum merita ponderare et omnipotentia sua illos debito praemio remunerari. Atqui huic soli aequissimo et omnipotentis competit divinitas, quam nulli alteri aut natura aut quibuslibet meritis a se distincto dare potest. Suprema enim divinitas dividi nequit atque, ut saepius diximus, Deus aut unus aut nullus est.

Sed age dicque nobis, obsecro, quaenam fuerint Saturni, Iovis, Iunonis aliorumque virtutes eximiaque merita, quibus potuerint divinitatem emereri? Nonne gentiles palam praedicabant insolenterque gloriabantur illos vitam vixisse stupris, adulteriis ac quibuslibet, ut alibi ostendimus (Dissertat. in Arnob. cap. 12. Art. 1 et seqq.), maximis sceleribus et flagitiis infamem ac contaminatam? Fac tamen eos tot tantisque virtutibus cumulosos fuisse, quot quantisque vitiis coinquinabantur, cur ergo his, ait Tertullianus, in caelum sublatis ac divinitate donatis alii virtute pares atque etiam praestantiores *apud inferos relictis* sunt (Tertull. ibid.)? Nullus enim gentilis quantumvis ad audendum proiectus id negare poterat, quod manifestissime probatur illustrium exemplis virorum quorum egregias singularesque virtutes ipsimet ethnici summis extulerunt laudibus.

Nam ut proposita a Tertulliano (Ibid.) exempla percurramus, quis gentilium deus sapientior Socrate, qui Apollinis oraculo, a nobis alibi citato (Dissert. in Minuc. Octav. cap. 3. Art. 2.), mortalium omnium

sapientissimus renuntiatus est? At tantum abest, ut deus dictus sit, quin Atheniensium iudicio fuerit condemnatus, ac *cuius morti*, inquietabat Cicero, *illacrymari soleo Platonem legens* (Cicer. lib. III. de Nat. Deor. p. 251. lin. 29.). De illa autem Socratis morte disputavimus in superioribus nostris dissertationibus (Dissertat. in Minuc. cap. 3. Art. 2. et in Lactant. cap. 14. Art. 1.), et paulo post adhuc aliquid dicendum (Infra cap. 26. Art. 4.).

Quis gentilium deus iustior Aristide (Tertullian. Apologet. cap. 11.), *quo totius Graeciae*, ut ait Valerius Maximus, *iustitia censetur* (Val. Max. lib. V. cap. 3. §. 3. ext.). Quamobrem a Cicerone per antonomasiam *Aristides iustus* (Cicer. lib. III. de Offic. p. 339. lin. 7.) ac graece a Plutarcho *Ἀριστοειδης ὁ δίκαιος* cognominatur (Plut. tom I. p. 318. et tom. II. p. 186.). Verumtamen ethnici non solum datam aliis iniquissimis divinitatem ei negaverunt, sed improborum factione, ut idem Valerius Maximus testatur, *patria excedere iussus est*. Continentér vero adiecit: *Felices Athenas, quae post illius exilium invenire aliquem potuerunt aut virum bonum aut amantem sui, cum quo tunc ipsa sanctitas migravit* (Val. Max. loc cit.).

Quis ex bellicosis diis militari gloria magis quam Themistocles claruit (Tertullian. Apolog. cap. 11.). At ille nihilominus multis, quae Thucydides (Thucyd. lib. I. Hist. p. 62 et seqq.), et Plutarchus (Plutarch. in Vita Themist. p. 113 et seqq.) memoriae prodiderunt, bello praeclare gestis *cum patriam claram, incolumem*, ut ait adhuc Valerius Maximus, *opulentam, principem Graeciae reddidisset* (Val. Max. lib. V. cap. 3. Ext. §. 3.), plane ingrattam expertus est. Proditionis enim falso accusatus primum Argos, inde Corcyram, postea ad Admetum, Colossorum regem; ac deinde ad Artaxerxem, filium Xerxis, confugit; exul tandem hausto sanguine bovis, ut quidam putant, sive ut alii plures narrant, veneno, ex corporis vinculis tanquam ex quodam evolavit carcere.

Quis gentilium deus, pergit Auctor noster, Alexandro et Pompeio sublimior? — Utrique enim res armis belloque gestae cognomen Magni pepererunt. Quam autem infelici exitu ambo ex hac vita migraverint, nemo certe ignorare potest, qui libros a Quinto Curtio et Plutarcho de illorum vita conscriptos levi manu attigerit? Non minus tamen quam Mars, Romulus et alii divinitatis praemium eximiis rebus gestis meruerant.

Quis praeterea gentilium deus Graeco Polycrate et Sylla Romano felicior (Tertullian. loc. cit.)? Multi *siquidem*, ut ait Sallustius, *dubitaverunt fortior an felicior esset Sylla* (Sallustius de Bello Iugurth. cap. 17.). Testatum insuper Plutarchus facit illum transacto triumpho cum pro concione res a se tam fortiter quam feliciter gestas recensisset, iussisse se felicem cognominari (Plutarch. in Vita Syllae tom. I. p. 453 et seqq.) Sed haec illum ad divinitatem non perduxerunt. Deliciis enim corruptus pediculari morbo vitam finivit. Polycratis vero felicitas his Valerii Maximi describitur verbis: *Omnes conatus eius placido accipiebantur itinere; spes certum cupitae rei fructum apprehendebant, vota nuncupabantur simul et solvebantur, velle ac posse ex aequo positum erat* (Val. Max. lib. VI. cap. 8. §. 5. Ext.). Et

vero secundis rebus ita utebatur, ut maximi pretii annulum, cum in mare ad felicitatis suae experimentum proiecisset, in capto postea pisce repertus fuerit. Testem huius aliarumque eius prosperitatum habes Strabonem (Strab. lib. XIV. Geogr. p. 657.), Herodotum (Herodot. lib. III. cap. 39 et seqq.), et alios quamplures. At tot tantarumque prosperitatum cursum non excepto divinitatis titulo, sed uti Valerius Maximus adhuc memorat, crucis supplicio absolvit.

Quid plura? Nullus fuit deus gentilis Croeso Crassoque ditior (Tertullian. Apologet. cap. 11.). De primo namque Ovidius cecinit:

*Divitis audita est cui non opulentia Croesi?*

(Ovid. lib. IV. de Pont.)

De Crasso autem Tullius: *Negabat, inquit, ullum satis magnam pecuniam esse ei, qui in republica princeps esse vellet, qui suis fructibus exercitum alere non posset* (Cicer. lib. I. de Offic. p. 354. lin. 3.). Atque ortum inde illud adagium: *Croeso et Crasso ditior*, de quo plura apud Erasmm legere poteris (Erasm. Adag. Chil. I. Centur VI. Adag. 74.). Victus tamen a Cyro captusque Croesus servitutem, postremum, inquit Cicero, malorum omnium, illi servire coactus est (Cicer. Philipp. II. p. 606. lin. 12.). Videsis Herodotum (Herodot. lib. I. cap. 86 et seqq.), Thucydidem, Iustinum historicum et alios. Quis etiam ignorat infelicem Crassi caedem, qui postquam a Parthis cum maiore Romani exercitus parte fusus ac profligatus fuisset, ipsi amputato capite illusus est? Multa de illo Plutarchus in eius vita (Plutarch. in Vita Crassi tom. I. p. 564 et seqq.), quem sicuti Florum, Velleium Paterculum, Justinum historicum aliosque Romanae historiae scriptores adire poteris.

Quis porro gentilium deus graecum Demosthenem, Ciceronem latinum eloquentia, ait Tertullianus, unquam superavit? Sed quale fuit tantae graecae latinaeque eloquentiae, nemini prorsus incognitae, praemium? Non divinitas sane, sed infelicissimus crudeli nece interitus? Verum haec omnibus satis comperta iam probasse sufficit quinque Iuvenalis, post decantatos Crassum et Pompeium, hisce carminibus:

*Eloquium ac famam Demosthenis aut Ciceronis*

*Incipit optare et totis quinquatribus optat,*

*Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam.*

*Eloquio sed uterque perit orator, utrumque*

*Largus et exundans letho dedit ingenii fons.*

(Iuvenal. Satir. X. v. 113 et seqq.)

Ethnicis ergo, arguit Tertullianus, quis non succenseat, qui cum tot viros virtute et meritis adeo excellentes in inferis reliquerunt ac tot alios scelestos et improbissimos post eorum mortem ob quaedam egregia facinora deos renuntiatos esse garriebant (Tertullian. Apologet. cap. 11.)?

Urget adhuc ille (Ibid. cap. 13.), ac: Quae, inquit, fuerunt deae Larentinae virtutes et merita? *Nonne publicum scortum erat?* Satis profecto id alibi probavimus (Dissertat. in Minuc. cap. 18. Art. 1. et in Lactant. cap. 32. Art. 1.). Numquid autem magis pudicas dixeris Iunones, Cereres ac Dianae? Sed ipsimet gentiles, sicuti in superio-

ribus dissertationibus ostendimus, effraenatam illarum libidinem et impudicitiam promulgaverunt? Quamobrem Auctor noster insanam gentilium impietatem, qui has deas adorabant, sic irridet: *Velim saltem Laidem ac Phrynen inter Iunones et Cereres et Dianas adoretis* (Tertullian. Apologet. cap. 13.). Meretriciam vero artem Lais publice exercebat, de qua Propertius:

*Non ita complebant Ephyreae Laidis aedes*

*Ad cuius iacuit Graecia tota fores.*

(Propert. lib. II. Eleg. 6. v. 1 et 2.)

Nullum autem illa admittebat, nisi accepta, quam poscebat, pecuniae summa. Quia vero Corinthi commorabatur, inde factum illud adagium, Horatii expressum carmine:

*Non cuivis homini contingit adire Corinthum.*

(Horat. lib. I. Epist. 17. v. 36.)

Sotion porro, ab A. Gellio citatus (Gell. lib. I. Noct. Attic. cap. 8.), narrat Demosthenem respondisse se tanti non emere poenitentiam. De ea nos aliquid alibi annotavimus (Tom. I. Appar. p. 1241.), ac plura si velis, adi Pausaniam (Pausan. lib. II. p. 42.), Athenaeum (Athen. lib. XIII. cap. 6. p. 587.), Ovidium (Ovid. lib. I. Amor. Eleg. 5. v. 12.) aliosque. Callistratus vero ab eodem Athenaeo laudatus nos admonuit memoratam adhuc a Tertulliano Phrynen adeo fuisse divitem, ut pollicita sit se Thebarum moenia constructuram, si adscriberetur: *Ἀλέξανδρος μὲν κατέσκαψεν, ἀέσκησε δὲ Φρυγὴ ἡ ἑταίρα: Alexander quidem fecit, Phryne autem scortum refecit.* Sed de illa nos plura alibi observavimus (Tom. I. Appar. p. 550 et 744 et Dissert. in Arnob. c. 22. Art. 3.).

Denique Auctor noster, ut acriori stimulo confodiat ethnicos, ab eis sciscitatur cur pessimos homines et alios, quos recensuimus, illustribus viris longe peiores deos fecerint. Numquid aliquando clausum, inquit, fuit caelum, ut illud optimi viri non potuerint deinceps ingredi? Cur ergo illud postea aperuerunt suis Caesaribus, non modo mortuis, sed etiam viventibus omnique flagitiorum genere perditis ac dissolutis? Numquid, perguit ille, vobis, o ethnici, *accepto ferent dii vestri, imo gratulabuntur, quod pares fiant eis domini sui* (Tertullian. Apologet. cap. 13.)? Iocari eum profecto sentis, et imperatores ab illo decorum dominos appellari, quia in eorum; ut iam diximus, potestate erat aut novos facere deos aut iam factos tollere de medio. Nec minus perspicuum est, quam validis ille rationibus demonstret nihil ab ethnicis fingi potuisse insulsius quam homines ob quaedam merita aut nonnulla eximia facinora factos esse deos.

#### ARTICULUS IV.

Refellitur fictum a Varrone triplex deorum genus, physicum seu naturale, mythicum sive fabulosum, et gentile sive civile et populare.

Gentilium de diis Nationes errores, ut Tertullianus radicibus evellat, in secundo suo ad Nationes libro (Tertullian. lib. II. ad Nation.



cap. 1 et seqq.) ea omnia refellit quae de illis a Varrone in ciuitatis ab Augustino sexdecim de diuinis rebus libris tradita fuerant (August. lib. VI. de Civit. Dei cap. 2.). Illum autem nominatim confutandum esse arbitratus est, quia omnium scriptorum, ut suo loco ostendimus (Dissertat. in Lactant. cap. ult. Art. 3.), acutissimus doctissimusque existimabatur.

Triplex autem ille distinxerat gentilis theologiae seu deorum genus; et primum quidem physicum sive naturale, quod philosophi gentiles in scholis suis innumerisque paene in commentationibus asserere frustra conati sunt. Nam haec sunt huiusce Varronis citata ab Augustino verba: *Multos libros philosophi reliquerunt, in quibus est: Dii qui sint, ubi sint, quod genus, quale, a quonam tempore, an a sempiterno fuerint, an ex igne sint, ut credit Heraclitus, an ex numeris, ut Pythagoras, an ex atomis, ut Epicurus, sic alia quae facilius intra parietes in schola quam extra in foro ferre possunt aures* (August. lib. VI. de Civit. Dei cap. 5.). Sed hae philosophorum de diis dissensiones et controversiae apertissime demonstrant falsas absurdasque penitus fuisse illorum de diis suis opiniones.

Secundum deorum genus Varro mythicum seu fabulosum vocavit: *A fabulis enim, ait Augustinus, mythicon dictum est; quoniam μῦθος graece fabula dicitur* (Ibid.). At fictum illud fuerat a poëtis, qui deorum generationes, stupra, adulteria ac quaelibet alia nefanda facinora decantavere. Verumtamen ipse Varro teste adhuc Augustino lib. IV. cap. 31. palam confessus est maiores seu veteres Romanos illis horrenda illa deorum flagitia ac coniugia venditantibus fidem habuisse, quia imperitae plebis multitudo ad hos poetas magis inclinabatur quam ad physicos. Quis autem maximam profecto utramque impietatem non detestetur? Nam populi hos quantumvis infames ridiculosque deos serio colebant. Alii vero iis sapientiores malis daemonum dolis ac fraudibus incitati incautos vulgi animos in sua ipsa religione, quae summa rerum est, fallebant aut falli patiebantur.

Tertium porro theologiae seu deorum genus appellatur civile seu civium et populorum, id est illorum deorum quos populi sibi pro arbitrio et libidine adoptaverant. Sed praeterquam quod hoc deorum genus ad secundum et fabulosum, uti iam laudatus a nobis Augustinus docet lib. VI. cap. 7., plane refertur, quid absurdius quam deos illos credere, quos caecum insanumque vulgus post vitae huius mortalis tempus omni scelerum genere, uti saepius diximus, decursum numero deorum adscribi finxerant?

Triplex autem illud deorum genus Tertullianus noster variis rationum momentis ac postea Augustinus funditus evertunt (August. lib. VI. cap. 5 et seqq.). Necesse igitur non est, ut ea quae ab hoc tanto doctore examinata enucleataque sunt (August. lib. IV. cap. 31 et seqq. et lib. VIII. cap. 1 et seqq.) singillatim a nobis nunc explicentur. Deinde vero si quid in eis difficultatis occurrit, id in hac aliisque nostris dissertationibus pro virili parte nostra complanatum est.

## CAPUT XXVI.

Quam luculenter Tertullianus ethnicorum litteris scriptisque ostendat falsos esse omnes illorum deos.

## ARTICULUS I.

Quomodo Tertullianus demonstret falsos esse gentilium deos ex litteris, quibus ad prudentiam et liberalia officia informabantur atque docebantur varias deorum inter se pugnas, Venerem sauciata, Martem vinculis diu adstrictum, Iovem a monstro liberatum vel easum Sarpedonis flentem vel subantem in sororis amorem; item Apollinis et Neptuni servitutum, iudicatum fulmine Aesculapium ac tragoediis poetarum, nominatim vero Lentuli et Hostilii, aliisque masculum Lunam irradientibus.

Ea est erroris natura, ut diu sibi ipse non constet seque ipsum tum etiam destruat, cum audacius caput attollit. Non mirum itaque, si ethnici datam mortuis hominibus divinitatem ibi everterint, ubi eam firmius stabilire debebant. Nullibi enim clarius et enodatius exponenda erat quam in iis litteris quibus adolescentes informabantur, uti ait Tertullianus, ad *prudentiam* (Tertullian. Apologet. cap. 14.), quae, teste Cicerone, *constat ex scientia rerum bonarum et malarum et nec bonarum nec malarum, et liberalia officia* (Cicer. lib. III. de Natur. Deor. pag. 245. lin. 15.), quae videlicet liberum, inquit Terentius et ingenuum hominem scire omnino aequum est (Terent. Eunuch. act. III. scen. 2. v. 24.). At in his litteris quanta, ut loquitur Auctor noster, *invenio ludibria*, quibus numinum suorum infamabant divinitatem?

Si quis vero inquirat quae sint eae litterae et commentationes, respondebimus eo nomine poemata Homeri designari. Quae enim Auctor noster ibidem narrat, haec ab eodem poeta delibavit. Sibi autem illud si quis alicuius auctoritate firmari velit, en praesto est Minucius Felix, qui postquam varia illa deorum ludibria ex Homeri, suo nomine appellati, carminibus recensuit, sic prosequitur: *His atque huiusmodi figmentis et mendaciis dulcioribus corrumpuntur ingenia puerorum, et iisdem fabulis inhaerentibus ad usque summae aetatis robur adolescent, et in iisdem opinionibus miseri consenescent.* Sed haec in superiori de hoc Minucii libro dissertatione fusius explicare conati sumus (Dissertat. in Minuc. cap. 17. Art. 4.).

Quo autem modo haec a Tertulliano probentur, iam si placet consideremus: *Ab ipso*, inquit, *exordi . . . vestro, eius unde oma et omne aequore, cui quantum honorem additis, tantum deis vestris derogastis, magnificando qui de eis lusit* (Tertull. lib. I. ad Nat. cap. 10.). Et haec quidem verba sic descripta sunt in Agobardi codice et in editione Gothofredi, qui deleta ibi verba sic supplenda opinatur: *Ab ipso exordiar studio vestro, unde omnis materia et omne aequor.* Rigaltius vero nulla reddita ratione ac tanquam de vera Tertulliani lectione securus in eius textu scriptum voluit: *Ab ipso rdiar Homero vestro, eius unda et omne aequor.*

Sed haec coniectura debuit aliqua saltem ratione fulciri. Nobis tamen probabile satis videtur a Tertulliano, qui de gentilium litteris loquitur, quandam citari celeberrimum illorum scriptorem, cui quantum honorem ethnici tribuebant, tantum diis suis eum laudando detra-

hebant. At is procul dubio est Homerus, tum quia omnium vetustior, ut alibi vidimus, scriptor est, tum quia scripta illius tanti faciebant, ut adolescentes iis ad prudentiam, sicut mox dicebamus et liberalia officia erudirentur. Si quis tamen sagacior alium a Tertulliano indicari ostendat, hunc lubenter audiemus. Animadvertite tamen, quaeso, ipsum Homerum nominatim appellari his subsequentibus Auctoris nostri verbis: *Adhuc meminimus Homeri; ille opinor est qui divinam maiestatem humana conditione tractavit casibus et passionibus humanis deos imbuens* (Ibid.), id est omnibus etiam foedissimis humanis affectibus ac vitiis corruptos.

Et certe ille graecorum poëtarum coryphaeus libros suos hisce deorum infamiis passim ubique foedavit. Nonnulla autem Auctor noster, ne foret longior, selegit exempla, ac illud quidem primum quo decantat deos *inter se propter Troianos et Achivos, ut gladiatorum paria, congressos depugnasse* (Idem Apologet. cap. 14.), sive sicut in libro ad Nationes: *Qui de illis favore diversis gladiatoria quodam modo paria commisit* (lib. I. ad Nation. cap. 10.). Sed quis nescit quam saepius ille in Iliade cecinerit hasce deorum pugnas, et Venerem, sicuti pergit Tertullianus (Ibid.), humana sagitta sauciatam, Martem in vinculis paene consumptum, Iovem nunc cuiusdam monstri opera liberatum, modo flentem Sarpedonis casum, nunc obscœnissimo porcorum more subantem prurientemque libidine in sororem uxoremque suam Iunonem, dum illi turpem suum in amicas anorem commemorabat. At ibi obiter observandum in Rigaltii editione simpliciter scriptum: *Venerem humana sagitta sauciatam*. In nostris vero manu scriptis et antiquioribus editis codicibus legi: *Venerem sauciatam, quod filium suum Aeneam paene interfectum ab eodem Diomede rapere voluerit: Martem, etc.* Tacet quidem Rigaltius cur haec verba abstulerit, sed arbitratus est haud dubie haec explicationis causa ab aliquo librario adiecta fuisse et posthaec intrusa in textum. Nam haec in libro ad Nationes, ubi eadem repetuntur, non occurrunt. Neque etiam dictu facile est cur ibi adiecta sint illa verba *ab eodem Diomede*, cuius nulla prius mentio facta fuerat? Verum quia haec in plurimis antiquissimis manuscriptis exemplaribus habentur, non sine praevia, ut supra diximus (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 17. Art. 4.), admonitione amputari debebant. Ceterum alibi Homeri loca indicavimus et explanavimus (Dissertat. in Arnob. cap. 12. Art. 1 et 3.), quae Tertullianus de illa Venere, de Iove ac Marte citasse haud immerito videtur.

Simili etiam modo in iisdem dissertationibus ostendimus quantis alii quoque poëtae probris ac contumeliis deos suos insecuti sunt. Non magno enim sine illorum dedecore finxerant, uti notat adhuc Tertullianus (Tertullian. Apologet. cap. 14.), Apollinem greges pascentem Admeti regis, Neptunum *structorias* operas Laomedonti locantem, atque Aesculapium fulmine Iovis ictum, quemadmodum Pindarus etiam cecinit.

Maiore adhuc ludibrio probroque, uti pergit Tertullianus (lib. I. ad Nation. cap. 10. et lib. II. cap. 14.), nosque alibi etiam annotavimus (Dissertat. in Arnob. cap. 14. Art. 1.), dii exhibentur in scenis,

tragoediis ludisque ethnicorum. Quibus enim, obsecro te, conviciis et contumeliis ab comoediarum tragoediarumque actoribus vexati non fuerunt? Soli earum tituli solaque argumenta satis hoc manifestum omnibus faciebant. Ex iis autem pauca recenset Tertullianus (Tertullian. Apologet. cap. 15.), videlicet moechum Anubim, Dianam flagellatam, Iovis mortui testamentum, tres famelicos Hercules irrisos et masculum Lunam. Quid ergo, inquires? Numquid inter comoediarum titulos Luna masculini generis? Ita sane. Nam plures profecto ethnici persuasum stulte habebant quosdam saltem deos suos mares simul esse et feminas (Dissertat. in Lactant. cap. 27. Art. 3 et 4. et aliis ibi cit.). Servius siquidem in hunc Virgilii versum, quo Aeneam, ardente Ilio, loquentem sic inducit:

*Descendo, ac ducente deo flammam inter et hostes  
Expedior.*

(Virgil. Aeneid. lib. II. v. 632.)

haec animadvertit: *Secundum deos qui dicunt utriusque sexus participationem habere numina. Nam Calvus:*

*Pollentemque Deum Venerem.*

Item Virgilius:

*Nec dextrae erranti Deus abfuit,*

*cum aut Iuno fuerit, aut Alecto. Est etiam in Cypro simulacrum Veneris Barbatae* (Serv. p. 252.). Alios si testes desideras, plures tibi dabit Macrobius, qui observat in citato Virgilii carmine legendum *deo non autem dea* (Macrob. lib. III. Saturnal. cap. 8.). Quod quidem ille probat non solum iam citatis a Servio Calvi verbis ac Veneris Barbatae simulacro, verum etiam testimonio Aristophanis, qui eam *Ἀφροδίτην* vocat, et Levini, qui illam adorabat, sive mas sive femina sit. Addit vero Philochorum asseruisse eandem esse Lunam, cui virum cum veste muliebri, mulieres autem virili sacrificium faciunt. Quod vero ad Tertulliani propositum propius adhuc accedit, Spartianus narrat Caracallam imperatorem venisse Carras *Luni Dei gratia* (Spartian. in Vita Carac.). Atque ibi nos monet memoriae a doctissimis quibusque illud mandatum, quod a Carrenis praecipue observabatur, illum, qui lunam feminam esse arbitrabatur, mulieribus semper inservire; qui vero marem deum credebat, hunc dominari uxori suae neque ullas pati muliebres insidias.

Quid ergo mirum, si poetae in deorum irrisionem tragoedias composuerint ridiculis deorum titulis inscriptas? Duos autem ex iis Auctor noster nominat, Lentulum et Hostilium (Tertullian. Apologet. cap. 15. et lib. I. ad Nation. cap. 10.): sed rara apud alios occurrit illorum mentio. Alio tamen ille in libro de eodem Lentulo dixit: *pugil Cleomachus . . . inter fullones iam Novianos coronandus meritoque mimographo Lentulo in Catinensibus commemoratus* (Id. de Pall. c. 4.). Ibi autem ille Lentulum, cuius Hieronymus etiam meminit (Hieronym. lib. II. Apolog. advers. Ruffin.), diserte vocat mimographum seu fabulae auctorem, cui titulum *Catinenses* praefixerat. Paulo post vero Auctor noster citat Lentuli auguris consulta (Tertull. lib. de Pall. cap. 4.). Sed hic a mimographo diversus fuit. Maior itaque ambiendi ratio

est utrum is sit mimographus poëta, qui a Iuvenale duobus his carminibus acriter castigatur:

*Laureolam velox etiam bene Lentulus egit,  
Iudice me dignus vera cruce.*

(Iuvenal. Satir. VIII. v. 184.)

Quamvis enim nemo diffiteatur *laureolam* fabulam fuisse, nonnulli tamen suspicantur verbo *egit* significari illam actam potius a Lentulo histrione quam ab huius nominis poëta litteris consignatam. Quid vero, si ille et histrio et poëta hanc scripserit et egerit? Deinde vero ea fabula non ab uno tantum histrione acta est. Cur ergo Lentulus solus nominatur, nisi illam scripto quoque tradidisset?

Ceterum minus adhuc frequens Hostilii mimographi in aliorum libris commemoratio. Prisciano tamen si fidem habeas, Hostilii Ennii exemplum secutus annales Romani populi stricto sermone ediderat. Potuit ergo scribere etiam comoedias. Si quis porro de illo et Lentulo meliora suggesserit, pergratum nobis faciet.

#### ARTICULUS II.

Quam perspicue Tertullianus demonstrat falsos esse gentilium deos ex litteris histrionum, a quibus voce, gestu, motu, cantu representabantur Sol lugens filium, Cybele pastorem suspirans, Iovis elogia, Iunonis, Veneris et Minervae iudicium, atque ignominiosa Minervae et Herculis imago.

Ad histriones transit Tertullianus palamque facit ab his deos suos non minori quam a poëtis ludibrio haberi. Nam *histrionum litterae*, ait ille, *omnem foeditatem eorum designant* (Tertullian. Apologet. cap. 15.), illamque voce, facie, corporis motibus, veste et insignibus exprimunt. Quis enimvero nescit histriones, de quibus plura Valerius Maximus tradidit (Val. Max. lib. II. cap. 4. §. 4.), actores fuisse traegodiarum ac comoediarum, qui deorum aliorumque representabant personas? At cur, inquiet aliquis, Tertullianus non hoc tantum, sed alio adhuc in libro, non dixit *histriones*, sed *histrionum litteras* (Tertullian. lib. I. ad Nat. cap. 10.)? Quae sunt hae histrionum litterae? Quidam vero opinati sunt ibi legendum *latera*: sed mera suspicio est, nullius codicis fulta auctoritate. Quid autem, si litterarum nomine significare voluerit ea, quae histrionum voce et corporis motibus exhibebantur, sed prius a poëtis scripto et litteris tradita? Nam, uti Augustinus ait: *Quid sunt ad hoc malum Mercurii furta, Veneris lascivia, supra ac turpitudines ceterorum, quae proferremus de libris, nisi quotidie cantarentur et saltarentur in theatris* (August. lib. VII. de Civit. Dei cap. 26.). A quibus autem nisi ab histrionibus cantabantur et saltabantur, postquam a poëtis scriptis mandata fuerant?

Tertullianus autem eorum, quae ab histrionibus illis in deorum suorum contumeliam summumque dedecus agebantur, haec profert exempla: *Luget Sol filium detractum de caelo* (Tertullian. Apologet. cap. 15.). In membranis nostris et antiquioribus Rigaltio editionibus *iactatum de caelo*, haud dubie Phaëthontem, cuius nota est fabula. In primo nihilominus ad Nationes libro legimus: *Sol luget filium ful-*

*mine extinctum* (Idem lib. I. ad Nation. cap. 10.). Quod quidem Aesculapio convénit, quemadmodum in superiore articulo annotavimus. Verumtamen quia ibidem vidimus mentionem huius in Apologetico factam, inde colligi potest ibi Phaëthontem et in libro ad Nationes Aesculapium notari.

Ab histrione adhuc repraesentabatur *Cybele pastorem suspirans fastidiosum*, scilicet Atydem. Quam fabulam descriptam vidimus a Minucio Felice (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 20. Art. 2 et Dissert. in Arnob. cap. 26. Art. 1.) et ab Arnobio, qui idcirco ethnicos sic exagitat: *Tranquillior, lenior Mater Magna efficitur, si Atydis conspexerit priscam reficari ab histrionibus fabulam* (Arnob. lib. VII. advers. Gent.)? Antea vero: *Mater eum dilexit Magna: si nepotem, ut avia, res simplex: sin. theatra ut percreepant, infamis et perniciosae dilectio est* (Ibid. lib. V.).

Pergit Tertullianus, atque ethnicos his increpat verbis: *Sustinetis Iovis elogia cantari* (Tertullian. Apologet. cap. 15.) et in libro ad Nationes: *elogia modulari* (lib. I. ad Nation. cap. 10.), sive Iovis vituperationes et ignominias exprimi histrionum vocibus ac gestibus et tibiarum modulatione in comoediis, sicuti Amphitryonis et aliis certe quam plurimis similibus decantari. *Sustinetis quoque Iunonem, Minervam a pastore iudicari* (Idem Apologet. ibid.), nimirum Paride, in monte Ida educato inter pastores et pastore nuncupato, cuius de his deabus iudicium nulli incompertum est. Nihil itaque adiciemus, nisi quod scite et omnino ad rem nostram apposite Augustinus dixit: *Tametsi falsa sint, litigia vel iudicia de pluribus diis et tribus illis deabus, quae pro malo aureo adipiscendo apud iudicem Paridem de pulchritudinis excellentia certasse narrantur et ad placandos ludis deos, qui delectantur seu veris seu falsis istis criminibus inter theatricos tamen plausus cantantur atque saltantur* (August. lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 10.). Atque ita, ait Auctor noster, deorum maiestas, ethnicis non modo *non erubescitibus* (Tertullian. Apologet. cap. 15.), sed etiam sicuti in editione Rigaltii legitur, *plaudentibus*, in nostris vero membranarum et antiquis editionibus ac libro ad Nationes *laetantibus* (lib. I. ad Nation. cap. 10.), violabatur et constuprabatur.

Urget Tertullianus (Ibid.): *Quid, quod* (nostri codices manuscripti et antiquae editiones *ipsum*) *imago dei vestri ignominiosissimum* (idem alii codices *ignominiosum*) *caput et famosum vestit?* In libro autem ad Nationes: *Famosum et diminutum caput imago cuiuslibet dei vestit*, id est histrio ignominiosus et flagitiis famosus repraesentat cuiuslibet dei imaginem. Addit adhuc: *Corpus impurum et ad istam artem effoeminatione productum*, sive mima impudens *Minervam aliquam, vel petulantior mimus Herculem* (ibid.), id est turpia utriusque facta in scena exhibet. Quis autem sanae mentis homo non videat iactantiam ab ethnicis horum numinum divinitatem plane penitusque everti his histrionum actibus, illo spectantium plausu ac gaudio omnibusque illis tragoediis et comoediis, de quibus plura in superiori dissertatione et aliis locis ibi citatis disputavimus (Dissertat. in Lactant. cap. 17. Art. 3.)?



## ARTICULUS III.

Quantum gentiles personam deorum in cavea induiti divinitatem illorum pessumdederint, repraesentantes castratum Atya vel Herculem vivum ardentem vel Mercurium cauterio mortuos examinantem vel Iovis fratrem cadavera gladiatorum cum malleo deducentem, aliique in templis adulteria et lenocinia componentes, quibus deorum maiestatem obsolebant.

Ab histrionum theatro descendit Tertullianus *in caveam*, ut ipse loquitur, nec ethnicos ibi *religiosiores* invenit (Tertullian. Apologet. cap. 15 et lib. I. ad Nation. cap. 10.). Triplicem vero distinguunt *caveam* sive potius tres eius partes, quemadmodum ex Cicerone (Cicer. lib. de Senect. pag. 412. lin. 37 et lib. de Amicit. pag. 422. lin. 13.), Suetonio (Sueton. Tiber. cap. 44.). Servio (Servius in lib. V. Aeneid. v. 340 et lib. VIII. v. 635.) aliisque discimus. Summa erat, ubi feminae, media ubi populus, tertia ubi nobiliores viri sedebant spectabantque publicos ludos. Tertullianus tamen, quemadmodum Ammianus Marcellinus (Marcell. lib. XIX. pag. 550.), *caveae* nomine designat amphitheatri arenam, in qua pugnabant gladiatores. In suo quippe ad Nationes libro scripsit: *Religiosiores estis in gladiatorum cavea, ubi super sanguinem humanum, super inquinamenta poenarum proinde saltant dii vestri argumenta et historias nocentibus erogandis, aut in ipsis deis nocentes puniuntur* (Tertullian. lib. I. ad Nat. cap. 10.). In Apologetico autem simili modo: *In cavea, inquit, ubi super sanguinem humanum, super inquinamenta poenarum proinde saltant dii vestri argumenta et historias noxii ministrantes, nisi quod et ipsos deos vestros saepe noxii induunt* (Idem Apolog. cap. 15 et lib. I. ad Nat. loco cit.). Quibus ille verbis significat post gladiatorum certamen pantomimum sumpta dei alicuius larva ac persona descendisse in arenam et saltasse supra corpora occisorum aut animam exhalantium *noxiorum*, id est illorum qui ob crimina sua condemnati cum bestiis decertare cogebantur. Dic ergo, quam pulchrum ac pium erat deum personatum carnificis fungi officio aut reorum a bestiis occisorum cadaveribus illudere.

Nemo autem illud ab Auctore nostro fictum vel exaggeratum putaverit, quod ipse suismet oculis saepius vidisse testificatur: *Vidimus, ait, aliquando* (Tertull. ibid.); et in libro ad Nationes: *Vidimus saepe castratum Atya, illum deum ex Pessinunte, urbe videlicet in Phrygiae Magnae confinio, sub Agdesti monte sita, in qua Atya teste Pausania (Pausan. lib. I. pag. 4.) tumultus ferebatur. Praeterea: Qui vivus, ait ille, ardebat, Herculem induerat.* Quid autem hisce verbis sibi voluit, nisi in crudelibus illis spectaculis noxios homines et sceleratos sumpta vel Atydis vel Herculis forma repraesentasse castratum Atya et vivum Herculem combustum. De utroque egimus in nostra de Arnobii libris dissertatione (Dissertat. in Arnob. cap. 14. Art. 2 et cap. 18. Art. 1.).

Quid plura? *Risimus, inquit adhuc Tertullianus, et inter ludicras meridianorum* (Tertullian. loco cit.), gladiatorum de quibus supra egimus, *crudelitates Mercurium, id est hominem larvam Mercurii prae se ferentem, mortuos sive occisos gladiatores cauterio*

seu ferro candente *examinantem*, utrum fraus aliqua non lateret ac illi revera mortui essent.

Vidimus, pergit ille, *et Iovis fratrem*, nimirum Plutonem, *gladiatorum cadavera cum malleo* sive, ut in libro ad Nationes legitur, *exequias cum malleo deducentem*, in spoliarium videlicet, ubi gladiatores victi et lethali vulnere accepto, si quid reliqui foret spiritus, interimebantur. Quamobrem scribebat Seneca: *Numquid aliquem esse tam cupidum vitae putas, ut iugulari in spoliario quam in arena malit* (Senec. Epist. 94. sub fin. pag. 384.)? Plura autem ille alibi (Epist. VII. pag. 172.) de gladiatoribus meridianis, atque etiam Suetonius (Sueton. in Vita Claud. cap. 34 et Caligul. cap. 26 et seqq.), quos videsis, sicut Lampridium (Lamprid. in Vita Commodi), de spoliario, in quod gladios unco trahebantur.

Quosdam porro admirari subit, qui in hoc Tertulliani textu scriptum volunt: *Vidimus et ad Iovis fratrem* (Iohan. Argol. Not. in Onuphr. Panvin. de Lud. Circens cap. 2.), quasi dixerit: Vidimus eundem Mercurium, qui gladiatorum cadavera non solum cauterio examinabat, sed qui eos etiam cum malleo deducebat ad Plutonem, *Iovis fratrem* sive ad inferos. Non enim animum satis advertisse videntur ad haec eisdem Tertulliani in libro ad Nationes verba: *Dispater, Iovis frater, gladiatorum exequias cum malleo deducit, quo Mercurius in calvitio pennatulus, in caduceo ignitululus corpora exanimata iam mortemve simulantia e cauterio probat* (Tertullian. lib. I. ad Nat. cap. 10.). Utriusque igitur officium distinguit et Mercurii quidem, qui examinabat utrum gladiatorum mortui essent, et Plutonis, qui mortuos, sive eorum exequias deducebat in spoliarium. De his siquidem ille loquitur, quae in gladiatorum ludis fieri consueverant. Alias vero Mercurius ferebatur caduceo, seu virga deducere ad tartara, quemadmodum de illo canit Virgilius:

*Tum virgam cepit, hac animas ille evocat Orco  
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit,  
Dat somnos adimitque et lumina morte resignat.*  
(Virgil. Aeneid. lib. IV. v. 242 et seqq.)

Suos porro deos ethnici non in publicis tantum spectaculis et cavea irridebant, sed in illorum etiam templis, ubi sane illis; sicubi unquam, divini honores habendi erant. In iis enimvero videre erat, inquit Tertullianus, *adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipsis plerumque aedituorum ac sacerdotum tabernaculis*, non secus atque in lupanaribus, *sub iisdem vittis ipsorum et apicibus et purpuris thure flagrante libidinem expungi* (Tertullian. Apologet. cap. 15.), seu exprimi atque expleri. Nec tibi, quaeso, suspecta sit eius fides. Nam Iuvenalis, tametsi ethnicus, cum tanta flagitia ferre non posset, ea non sine summa indignatione his versibus exagitat:

*Nuper enim ut repeto fanum Isidis et Ganymedem,  
Pacis et advectae secreta palatia Matris,  
Et Cererem: nam quo non prostat femina templo?*  
(Iuvenal. Satir. IX. v. 22 et seqq.)

Et re quidem vera ille prius dixerat:

*Aut apud Istiacae potius sacraria lenae*

*Componit crinem.*

(Satir. VI. v. 4. 5.)

Sed de his iam plura diximus in aliis nostris dissertationibus (Dissert. in Minuc. cap. 13. Art. 1. et in Lactant. pag. 27. Art. 1 et 3.). Quis autem, cui sanā mens sit, sponte non subscribet Tertulliano, qui ex his omnibus quae in hoc et superioribus articulis explicata sunt recte concludit ab ipsismet ethnicis omnem plane deorum suorum, quos a Christianis aliisque agnoscere et coli volebant, divinitatem pessumdari penitusque subverti?

Tot enim tantaeque deorum contumeliae, ignominiae, irrisiones: *Honorem*, ait, *inquietant divinitatis*, id est turbant nec quietam securamque esse sinunt. Quin etiam *maiestatis fastigia obsoletant* (Tertullian. Apologet. cap. 15. et lib. I. ad Nation. cap. 10.). Atque ita quidem in nostris codicibus et omnibus ante Rigaltium editis. At is verbi *obsoletant* ineptissimam existimabat esse significationem corrigique voluit *adsolant*, quo ipse post Gothofredum censet significari, in solum et terram deprimunt. Fatetur libenter in primo Auctoris nostri ad Nationes libro scriptum: *Maiestatis fastigium adsolant* (Tertull. loco cit.): at quid prohibet quominus hoc verbum uno in libro et aliud in altero adhibuerit? Verbi autem *obsoletant* ineptissimam esse significationem qui obiicit, is certe satis non attendit eundem Tertullianum alibi dixisse: *Perituros plerosque rursum post salutem, qui vestitum obsoletassent nuptialem* (Idem Scorpiac. cap. 6.). Nonne in hoc libro idem est huius verbi atque in Apologetico sensus? Si ergo ineptissimus videatur, cur, obsecro te, Rigaltius illud in hoc libro mutatum in alio servavit? Non ergo immutari debuit unius, si in illo reperitur, Fuldensis codicis testimonio, cui tot alia antiquioris meliorisque notae exemplaria apertissime repugnant. Satis quippe est si genuinum Tertulliani verbum sit *obsoletant*, quo etiam Fortunatus usus est eodem plane significato (Fortunat. in Vita S. Albini cap. 1.) atque abrogant, antiquant, obsoletum faciunt. Sensus igitur Auctoris nostri hic est: Ethnicis, cum deos suos tantis contumeliis, probris, iniuriis in quibusque locis et sacris et profanis vexant eosque nihilominus coli et adorari volunt, illorum divinitatem una manu antiquant et destruunt, quam altera adstruere frustra nitebantur.

#### ARTICULUS IV.

Quibus argumentis Tertullianus patefecerit ethnicorum deos a philosophis ac nominatim a Socrate, Diogene et Varrone irrisos atque explosos.

Nemo sane, quisquis sit, obiicere nobis potest maiorem fuisse philosophorum gentilium quam ceterorum plebeiorum hominum in deos suos religionem (Tertullian. Apologet. cap. 14.). Nam plerique omnes a veri Dei agnitione aut agniti praedicatione sic abalienabantur, ut illos Tertullianus nunc nominibus suis appellari supervacaneum esse putaverit. Missos autem illos hic fecisse videtur, quia alibi, sicut ostendimus (Supra cap. 5. Art. 4.), vanas absurdissimasque illorum de Deo opiniones satis aperte demonstraverat.

Socratem nihilominus nominatim hoc ipso in loco appellat, nec immerito quidem. Omnium quippe mortalium, quemadmodum antea annotavimus (Dissert. in Minuc. Octav. cap. 3. Art. 2.), sapientissimus oraculo Apollinis declaratus est. Sed ille quantumvis sapiens habitus, *in deorum contumeliam*, ait Tertullianus, *quercum et hircum et canem deiebat* (Tertull. loco cit.). Nos vero Rigaltius ibi monitos esse voluit in codice Fuldensi haec verba *et canem* abesse: sed sufficit profecto ea in aliis omnibus reperiri. In libro autem ad Nationes erravit librarius *heram* pro *hircum* scribendo (Idem lib. ad Nat. cap. 10.). Plura autem nos alibi retulimus de illo Socratis iureiurando palamque fecimus illud a variis scriptoribus varie quidem, sed nunquam sine deorum contemptu et iniuria referri (Dissertat. in Lactant. cap. 30. Art. 1.).

Addit praeterea Tertullianus Socratem ab Atheniensibus morte idcirco damnatum, quia deos destruebat; sed eos tandem iniquae damnationis poenitentia sic actos, *ut criminatores Socratis*, inquit, *postea afflixerint* (Tertullian. Apologet. cap. 14.), videlicet Melitum morte atque exilio Anytum, *et imaginem eius Socratis auream in templo collocavit* (Plato Apologet. Socrat. tom. III. p. 390.). Verum a Laertio scriptis traditum legimus: *Χαλκῆς εἰκόνας ἐπιμήσαντο: aerea*, non aurea, *imaginem honoraverunt* (Laert. lib. II. in Vita Socrat. cap. 43.). Quapropter Casaubonus et Menagius in Tertulliani textu restitui volunt *aeream*, hicque miratur Rigaltium, qui huius emendationis monitum fecerit neminem. Sed minus certe mirandus ibi Rigaltius, ubi vulgatae sequitur codicum omnium lectionem quam aliis plurimis in locis, ubi contra manifestam illorum fidem sincerum Tertulliani textum immutavit et corrumpit.

Quia ergo Socrates deos gentilium negando Atheniensium odium in se concitaverat, hinc Tertullianus continenter adiecit: *Plane olim, id est semper, veritas odio est*. Sed in dubium haud prorsus immerito aliquis vocabit utrum haec verba *id est semper* huic textui postea inserta sint. Quorsum enim, inquiet, his Tertullianus verbis adverbium *olim* explicavisset? Nonne simplicius dicere poterat: *Semper veritas odio est?* Quid quod adverbium *olim* pro quovis tempore significando a Virgilio sumitur, ubi canit: *Iam tibi praevalidas olim* (Virgil. lib. II. Georg. v. 100. et lib. VIII. Aeneid. v. 391.), id est, inquit Servius, *omni tempore*. Posthaec vero idem poeta: *Non secus atque olim tonitru*, hoc est, ut adhuc observat Servius: *Fore ut solet. Nam non est adverbium temporis* (Serv. p. 511.). Verum nonne Tertullianus dicere potuit veritatem *olim*, nimirum Socratis, de quo loquebatur, tempore, et suo etiam atque adeo *semper* odio hominibus fuisse? Quidquid autem pronuntians, inde ille concludit tantum esse odium veritatis, ut Athenienses eam in Socrate fictitios deos evertente odio habuerint. De illius autem condemnatione et morte supra in superioribus dissertationibus ibi citatis disputavimus (Supra cap. 25. Art. 3.).

Socrati duos alios philosophos Tertullianus coniungit (Tertullian. Apologet. cap. 14.), graecum unum Diogenem, alterum romanum Varronem. At mirum fortasse pluribus erit cur priori testimonio adver-

sus ethnicos in hoc et primo ad Nationes libro sic disputet: *Diogenes*, inquit, *nescio quid in Herculem ludit*; in alio libro *lusit* (lib. I. ad Nation. cap. 10.). Nam tantine, arguent, ponderis est haec argumentatio, ut repeti meruerit? Si nesciebat enim Tertullianus quid Diogenes lusit in Herculem, quid inde contra falsos gentilium deos conficere poterat? Quis vero iste est Diogenes? Dictu cum id difficile sit, quidam suspicantur legendum *Diagoras*, qui quidem quia ad coquendam coenam igne carebat, ab Herculis simulacro petiisse perhibetur, ut pro decimo tertio certamine illam excoqueret. Sed huic emendationi adversantur omnes omnino codices. Nobis itaque horum auctoritati cedentibus facile persuadebitur ab illo Diogenem Cynicum, sicut ibidem Varronem Cynicum appellari. Quis enim nescit quantum in Luciano Dialogis Hercules ab hoc ipso Diogene Cynico derideatur (Lucian. Dialog. Mort. 56. p. 137. et Vitar. Auct. p. 190.)? Praeterea extat illud Ausonii epigramma, quo Diogenes Herculem sectae suae auctorem haud sine ioco fecisse traditur:

*Inventor primus Cynices ego. Quae ratio isthaec?  
Alcides multo dicitur esse prior.  
Alcide quondam fueram doctore secundus:  
Nunc ego sum Cynices primus et ille deus.*

(Auson. Epigramm. 26.)

At nonne illud est *nescio quid*, quod Tertullianus Herculis divinitatem ab hoc Diogene irrisam contestatur? Si tamen eum ad aliam aliquam, a Luciano aut alio memoratam, irrisionem respexisse ostendas, tibi non reluctabimur. Quamvis porro illud *nescio quid* vocaverit; quia tamen ethnicis incompertum non erat, hinc adversus illorum deos recte argumentatur (Dissert. in Lact. cap. 24. Art. 4.).

Dubitat forsitan aliquis utrum alter philosophus, qui ab eo vocatur Varro Cynicus, is sit cuius eruditionem tantis, ut vidimus, laudibus ethnici cumulant totque de religionibus libros composuerat. Numquid enim ille etiam de diis iocari ausus est? Quidni? Nonne in Auctoris nostri ad Nationes libris legimus *romani styli Diogenes Varro trecentos Ioves, sive Iupiteres* (manuscripti nostri codices *Iupiteres*) *dicendum est, sine capitibus inducit* (Tertullian. lib. I. ad Nation. cap. 10.). At quomodo sine irrisione tot Ioves inducere potuit? Nonne Minucius Felix, Tertullianum nostrum haud dubie secutus, dixit esse *tot Iovis monstra quot nomina*? Videsis quae in haec verba alibi animadvertimus (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 15. Art. 2.). Ceterum quidam putant haec a Varrone dicta in satiris Menippeis: cur non in aliis eius de ethnicorum religione libris, quorum tantus fuit numerus? Sed ubicunque ab eo dicta sint, inde et Iovis et aliorum falsa divinitas manifestissime demonstratur. Persuasum vero illud adeo fuit iis, in quibus aliqua adhuc supererat probitatis et aequitatis scintilla, ut Liberum Patrem, sicut supra vidimus (Supra cap. 18. Art. 9.), Serapidem et Harpocratem cum Cynocephalo suo penitus reiecerint. At unum profecto sublati aliis omnibus falsis numinibus Deum omnipotentem colere debebant.

## CAPUT XXVII.

Expenduntur alia Tertulliani argumenta, quibus falsos nullosque esse gentilium deos demonstrat.

## ARTICULUS I.

Quam nefaria fuerit provinciarum, civitatum ac praesertim Aegyptiorum peculiare deos sibi adoptandi licentia: quam parum verisimilia sint ea quae a Tertulliano tradita sunt de Iosepho patriarcha, et utrum Aegyptii eum Serapidis nomine deum dixerint et coluerint: quo iure ab illo dicatur deus Syriae Astartes, Arabiae Disares, Noricis Belenus, Africae Caelestis et dii Mauritaniae reguli sui.

Aliud evidentissimum profecto falsae religionis argumentum est data civitatibus et populis licentia quemlibet deum, ceteris saepius incognitum, sibi adoptandi ac colendi. At multae gentilium provinciae et civitates *sumptos pro libidine*, ait Tertullianus noster, *non pro notitia veritatis deos* aut ab aliis reiectos aut illis incognitos venerabantur (Tertullian. Apologet. cap. 24. et lib. II. ad Nation. cap. 8.). Aegyptios autem ibi praecipue redarguit, qui sicut in aliis nostris dissertationibus ostendimus (Dissert. in Lactant. cap. 34. Art. 2. et loco ibi cit.), tam impia quam absurda superstitione non solum oves aliasque bestias consecrabant, sed illos etiam capite damnabant qui aliquem huiusmodi deum occidissent. Accepta autem hac deos adoptandi libertate Aegyptii, inquit Tertullianus, sic abusi sunt, ut Iosephum patriarcham Serapidis nomine deum fecerint (Tertullian. loco cit.). Sed multa ibi ille turbat atque ita sane, ut mirum videatur quomodo vir in Sacris Scripturis apprime versatus plura illis sane opposita nobis venditet.

Primum enim Iosephus, inquit ille (Tertullian. lib. II. ad Nation. cap. 8.), ceteris fratribus (Beniaminum excipere debebat) iunior in Aegypto venundatus in Pharaonis Aegyptiorum regis familia serviebat. At in libro Geneseos (Genes. cap. 37. v. 18 et 36. et cap. 39. v. 1 et seqq.) legimus illum venditum fuisse Madianitis et ab his Putiphari, eunucho Pharaonis et militum magistro, cui revera servivit, donec in carcerem mitteretur. Nisi ergo hunc Putipharem, qui a Iosepho *Πετεφφης* vocatur (Ioseph. lib. II. Antiquit. Iudaic. cap. 3. p. 39 et seqq.), regiae Pharaonis familiae adscriptum fuisse probaveris, falsa videtur haec Tertulliani opinio. Nec verius est quod subiunxit, eum *a regina minus pudica desideratum* atque in carcerem idcirco regis iussu contrusum. Non enim a regina, sed a Putipharis uxore, uti in eodem sacro libro narratur, ad stuprum sollicitatus fuit et a decepto Putiphare coniectus in vincula. Asseverat insuper Tertullianus Iosephum accepisse in matrimonium filiam regis Pharaonis, cuius somnia explicaverat. Sacra vero Scriptura (Genes. cap. 41. v. 50.) et Iosephus historicus (Ioseph. loco cit.) certiores nos faciunt ab illo Iosepho patriarcha ductam Aseneth, filiam Putipharis Heliopolitani sacerdotis.

Denique nonnulli veritati in iisdem Geneseos et Iosephi libris traditae illud repugnare censent, quod Auctor noster adiecit: *Ioseph expedita de carcere edocuit, somnium regi aperit* (Tertull. Lib. II.



ad Nation. cap. 8.). Emissus siquidem ex carcere fuerat, cum regis somnia interpretatus est. Nonne tamen his verbis indicare potuit duorum Pharaonis eunuchorum somnia, quae revera explicavit in carcere atque explicandorum postea eiusdem Pharaonis somniorum dederunt occasionem? Quae porro Sacrae Scripturae contraria Tertullianus refert, haec scripsit in solo ad Nationes libro et in Apologetico penitus omisit. Quae sit autem huius praetermissionis causa, utrum quia omnino vera non esse animadvertit, quis definire audeat? Ceterum ea forsitan hauserat ex corruptis fontibus, nisi librariorum propria nomina, uti alia saepius in hoc libro describendo errasse demonstraveris.

Vero itaque similis Vossio illud videtur (Voss. lib. I. de Orig. et Progres. Idolol. cap. 29.) quod ille adhuc enarrat Aegyptios post fruges sibi a Iosepho famis tempore subministratas iussisse in tanti beneficii memoriam ac symbolum ali a sacerdotibus bovem, quem primum civili et deinde divino cultu honoraverunt. At constat sane bovem ab iisdem Aegyptiis factum esse deum Apim et exinde Serapim, de quo Ruffinus (Ruffin. lib. II. Histor. Eccl. cap. 23.) et nos alibi (tom. I. Appar. p. 1090.). Celeberrimum quoque Alexandriae fabricatum est huius Serapidis simulacrum, de quo idem Ruffinus: *Cuius, inquit, capiti modius superpositus et quidem in honorem nostri Ioseph formatum perhibent, ob dimensionem frumenti, quo famis tempore subvenit Aegyptiis.* Ruffino suffragatur Suidas (Suidas ad. v. *Σαράπις.*), nec uterque tamen diffiteri potuit alias fuisse aliorum opiniones.

Ab Aegyptiis Auctor noster ad alios delabitur populos, qui non minore licentia deos peculiare, aliis ac praesertim Romanis incognitos, sibi adsciverant: *Quanti enimvero sunt, inquit, qui norint visu vel auditu quis unicuique provinciae et civitati suus est deus, ut Syriae Astartes* (Tertullian. Apologet. cap. 24. Manuscripti nostri codices *Adstartes*) in libro II. ad Nationes cap. 8. *Atagartis Syrorum*? Quae lectio confirmari potest his Plinii verbis: *Syris vero Magog. Ibi prodigiosa Atagartis, Graecis autem Derceto dicta* (Plin. lib. V. Natur. Hist. cap. 23.). Strabo vero de Hierapoli: *ἐν ἡ τιμῶσι τὴν Συρίαν θεὸν τὴν Ἀταργατίν: in qua Atargatim Syriam deam colunt* (Strab. lib. XVI. Geogr. p. 748.). Sed postea scripsit: *Ἀταργατὴν δὲ τὴν Ἀθήραν, Δερκέτω δ' αὐτὴν Κτησίαν καλεῖ: Atargatim Atharam dixerunt, quam Ctesias Derceto vocavit* (Ibid. p. 785.). Ab aliis autem Astartes appellata est, quemadmodum a Minucio Felice, qui hoc nomen in Tertulliani nostri Apologetico, sicut et alia plura, legerat. Videsis Vossium (Voss. lib. I. de Orig. et Progr. Idolol. cap. 28.) ac ea, si placet, quae in illum Minucii locum annotavimus\* (Dissert. in Minuc. Octav. cap. 14. Art. 1.).

Sicut autem haec Syriae erat dea, ita *Arabiae*, ait Tertullianus, *Disares* (Tertullian. loco cit.), sed aliter in libro secundo ad Nationes *Obodanedussiren*. Corruptum autem putant hoc nomen ab imperito librario, qui unum ex his duobus *Obodan* et *Dusarem* fecerit. Suam autem opinionem confirmare conantur auctoritate Eusebii, a quo hos Arabum deos memoratos esse dicunt quidem, sed nec verba eius nec

librum indicant. De utroque autem illo deo plura Vossius, quem adire cuius promptum est (Voss. lib. II. de Orig. et Prog. Idol. cap. 8. p. 178.). Patrius etiam deus fuit *Noricis Belenus*, inquit Auctor noster (Idem ibid. cap. 24.), sed corrupta quoquo fuerunt in manuscriptis nostris codicibus haec nomina *Nori Cibelenus*, in quibusdam vero editis *Tibelenus*, quem Vossius suspicatur eum esse quem Tybelenum, antiqui Saxones Tebilenum et Sclavi Zeerneboch vocabant. Nonne vero longe probabilius est illum loqui de Beleno deo quem Aquileienses, uti Iulius Capitolinus (Capitol. in Vita Maximin. p. 361. col. 2.) et Herodianus (Herodian. lib. II. Hist. p. 612.) memoriae prodiderunt, summo in honore habebant et solem esse opinabantur? Praeterea Gruterus varias exhibet inscriptiones *Deo Beleno* ab Augusto Caesare editas (Gruter. tom. I. Inscript. p. 26 et 27.). Quin etiam is ab Ausonio Burdigalensium deus nec uno quidem carmine praedicatur (Auson. de Burdigal. Professor. Carm. 4. §. 145. et Carm. 10. p. 154.). Non a solis itaque Noricis, Germaniae populis, sed etiam ab aliis Belenus colebatur. At istos forsitan Tertullianus nominatim ideo appellavit, quia noverat ab ipsis hunc deum prae ceteris honorari (Tertullian. Apologet. cap. 24.). Si quem nihilominus obscuriorem Noricorum aut alterius gentis deum ab illo denotatum ostendas, tibi haud aegre assentiemur.

Nec patriam suam ille omisit, atque *Africae Caelestis*, et in libro ad Nationes, *Caelestis Afrorum* (Lib. II. ad Nation. cap. 8.), de qua nos superius disputavimus (Supra cap. 18. Art. 6.). Eiusdem porro Africae regio erat Mauritania, de qua ipse continuo haec subnectit: *Mauritanae reguli sui*. At Minucius Felix et Lactantius Iubam nominant, quem provinciae huius incolae honore divino speciatim prosequabantur. Adi, si lubet, quae in nostris de utriusque libris dissertationibus disputata sunt (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 16. Art. 2. Dissertat. in Lactant. cap. 30. Art. 2.).

## ARTICULUS II.

De aliis diis, qui Romanis incogniti in Italiae provinciis et urbibus colebantur, quemadmodum Cassinensium sive Crustumensium Delventianus, Narniensium Visidianus, Aesculanorum Ancaria seu Ancharia, Volsinensium Nursia sive Nortia, Oriculanorum Valentia et Faliscorum in honorem patris Curris et accepit nomen Iuno.

Argumentum suum prosequitur Tertullianus atque a provinciis Roma longius remotis venit in Italiam et *per ipsam*, inquit, dii *quoque municipali consecratione censentur* (Tertullian. Apologet. cap. 24.), quos Romani non colebant. Tanta quippe erat incolarum cuiuscunque civitatis caecitas ac licentia, ut non solum deos aliis incognitos habuerint, sed *quorum* etiam, uti ille ait, *ne nominum quidem dignitas humanis cognominibus distat* (Idem lib. II. ad Nat. cap. 2.). At sicut nomen hominis praeferebant, ita humanam vitam egisse et idcirco deos non esse manifestum est. Plures vero ex illis recenset (Ibid.) ac ne ulli fidem sibi derogandi esset locus, testem citat Varronem in eius haud dubie libris, quos de divinis, teste Augustino (August. lib. VI. de Civit. Dei cap. 3.), rebus ediderat.

Obscurorum autem horum deorum agmini praemittitur *Casinien-*

*siam Delventinus* (Tertullian. loco cit.), vel sicut codices nostri antiquiores manu exarati et alii *Casianensium*, vetustiores editi *Crustuminiensium*, et postea in quibusdam editionibus *Belventinus*. Cassinum vero Campaniae oppidum Samnites, ait Varro (Varr. lib. VI. de Ling. Lat. p. 77.), ex Sabinis orti primum ac Romani deinde tenuerunt. Mentionem oppidi illius fecere Plinius (Plin. lib. III. Hist. Natur. cap. 4.) et Silius (Sil. Ital. lib. XII. v. 525.), nomenque illud in variis inscriptionibus a Grutero editis occurrit (Gruter. p. 136 et 151.). Si quis tamen ibi legere malit *Crustuminiensium*, opinionem suam firmare poterit his Virgillii versibus:

— — — *Nec surculus idem  
Crustumii Syriisque pyris.*

(Virgil. lib. II. Georg. v. 88.)

Servius quippe haec ibidem observat: *Crustumia pyra sunt ex parte rubentia ab oppido Crustumio*. Agrum vero Crustuminum eiusque situm Plinius hisce verbis describit: *Citra tredecim millia passuum urbis Veientem agrum a Crustumino, dein Fidenatem Latinumque a Vaticano dirimens* (Plin. lib. III. Natur. Hist. cap. 5.). At paulo antea alium Crustuminum memoraverat (Ibid. p. 322.), qui quidem ubi situs fuerit, iam ignoratur. Meliorum porro antiquiorumque codicum auctoritati si cedendum est, Tertullianus Casiniensium oppidum designavit (Tertullian. Apologet. cap. 24. et lib. II. ad Nation. cap. 8.), quod nunc montem Casinum esse existimant.

Dehinc ille *Narniensium Visidianus*. At Plinius ubi Umbriae oppida populosque enumerat: *Narnienses*, inquit, *quod oppidum Nequinum antea vocatum est* (Plin. lib. III. Hist. Natur. cap. 14.). Et certe scriptum a Livio legimus: *Alter consul Apuleius in Umbria Nequinum oppidum circumsevit. Locus erat arduus atque in parte una praeceps, ubi nunc Narnia sita est* (Liv. lib. X. cap. 9.). Nomen autem illud sumpsit ab eo quo alluitur Nare fluvio, uti his intelliges Strabonis verbis: *Νάρνα, δι' ἧς ῥεῖ ὁ Νάρ ποταμός: Narnia, per quam fluit Nar fluvius* (Strab. lib. V. Geogr. p. 227.). Variis quoque apud Gruterum inscriptionibus Narnienses celebrantur (Gruter. p. 174. inscript. 4., p. 388. inscript. 2., p. 460. inscript. 4.).

Praeterea *Aesculanorum Ancaria*, in libro ad Nationes et nostris manuscriptis exemplaribus *Ancaria* (Tertullian. loco cit.). A Plinio autem dicitur: *Colonia Asculum Piceni nobilissima* (Plin. lib. III. Natur. Hist. cap. 15.), cuius nomine multae extant apud Gruterum inscriptiones (Gruter. p. 465. inscript. 1 et 10., p. 371. inscript. 1. et p. 427. inscript. 1.). Strabo vero *Ἄσκληον τὸ Πικρὸν*. Sed aliud est Asculum, Apuliae oppidum, Pyrrhi clade notissimum. De alterutro autem haud dubie loquitur Auctor noster, nisi eandem deam in utroque cultam fuisse probaveris. De priore tamen sermonem ab illo fieri, erit forsitan qui confici posse putabit his Lucani de Lentulo versibus:

— — — *Depellitur arce  
Lentulus Esculea.*

(Lucan. Pharsal. lib. II. v. 150.)

Quidam enim animadvertunt *Esculea* et *Asculea* indifferenter dictum: quidni et *Aesculea*, unde Aesculani, de quibus nunc agitur?

Ceterum Turnebus (Turneb. lib. XVII. Advers. cap. 24.) suspicatur *Ancariam* eam esse deam cuius furore correpti homines ancarii vocabantur, idque stabilire nititur his duobus a Nonio citatis (Non. ad v. Quiritare) Lucilii carminibus:

*Haec eadem rudet e nostris atque eiulabit,  
Concursans velut ancarius, clareque quiritans.*

In nostra quidem horum carminum editione legimus: *Hic inquam . . . veluti arenarius*. Sed corrupte proculdubio ac contra metri leges. Verumtamen mera haec est Turnebi coniectura, quae alia adhuc probatione indiget. In libro autem ad Nationes nomen *Ancariam* habetur *et quampraeverint*, quod depravatam existimantes reponi voluere *et quampraeverim*: sed nulla reddita ratione emendationis, quae adulterato textu melior non videtur. Quapropter malumus alterius codicis opem expectare, quam variis indulgere coniecturis.

Facilius itaque illud probabitur, quod adiecit Tertullianus: *Volsiniensium Nursia* (Tertullian. Apologet. cap. 24.); in libro autem ad Nationes (lib. II. ad Nation. cap. 8.) et libris nostris ineditis *Norcia* et *Nortia*, sive ut in Tacitum mox citandum notat Lipsius, *Neurscia*. At Livius semel iterumque meminit Volsinensium (Liv. V. cap. 31. et lib. IX. cap. 21.), qui etiam in quadam inscriptione a Grutero edita sic appellantur (Gruter. inscript. I. p. 385.). Verum ipsemet Tertullianus alibi illos, quemadmodum observavimus (Supra cap. 23. Art. 3.), Volsinius vocat, sicuti Propertius (Propert. lib. IV. Eleg. II. v. 2.) et Plinius (Plin. lib. II. Natur. Hist. cap. 52. et lib. III. cap. 4.), qui testificantur urbem hanc opulentissimam Tuscorum fuisse, quae nunc sub summorum pontificum ditio est.

Norciam vero eorum deam fuisse ex his iam citati Livii verbis discimus: *Volsiniis clavos, indices numeri annorum, fixos in templo Nortiae Etruscae deae comparere diligens talium monumentorum auctor Cincius affirmat* (Liv. lib. VII. cap. 3.). Iuvenalis quoque de illa haec cecinit:

— — *Idem populus, si Norcia Tusco  
Favisset, si oppressa foret secunda senectus  
Principis, hac ipsa Seianum diceret hora  
Augustum.*

(Iuvenal. Satir. X. v. 70 etc.)

Praeterea *Ocriculorum Valentia*, ait Tertullianus (Tertullian. Apologet. 24.). *Ocriculum* autem seu *Ocriculi*, Straboni *Ὀκρικλοι* (Strab. lib. V. Geogr. p. 227.), urbs est in finibus Umbriae, quae non multum Roma distat nunquam *Otricoli* vocatur. Mentionem illius faciunt Plinius (Plin. lib. III. Natur. Hist. cap. 4. et cap. 14.), Livius (Liv. lib. IX. cap. 41.), alique ac potissimum geographi. *Ocriculorum* porro deam revera fuisse *Valentiam* agnosces hac veteri inscriptione apud Gruterum (Gruter. p. 2. inscript. 12.): PRO SALUTE ITUS AC REDITUS. D. N. SANCTISSIMI . . . . TI. AUG. AEDICULAM. CONCILII DEORUM, DEARUMQUE AUG. N. EX VISU DEAE VALENTIAE S. P. E. C.

Quid plura? *Sutrinorum*, ait Auctor noster, *Nortia* (Tertullian. loco cit.). At *Sutrium*, inquit Livius, *urbs socia Romanorum, velut claustra Etruriae erat* (Liv. lib. IX. cap. 32. et lib. VI. cap. 3.). Antea vero fecerat mentionem eius, quae in variis etiam inscriptionibus a Grutero exhibitis occurrit (Gruter. p. 254. 302. 305 et 471.). Ab urbe autem Roma distat XXIV. millia passuum, sicut Marsus annotavit in haec Silius Italicus verba: *Sutria tecta* (Sil. Italic. lib. VIII. v. 408.). Videtis Erasmus in hoc proverbium: *Quasi Sutrium eant* (Erasm. Adag. Chil. IV. Centur. 4. Adag. 52. p. 841.). Huius porro urbis incolis dea, uti ait Tertullianus, erat *Norcia*. Numquid ergo eadem utrorumque dea fuit? Nonne ibi peculiare ac proprium cuiusque civitatis deos recenset? At hanc proculdubio ob causam prioris nomen paulo aliter, sicut monuimus, scriptum voluerunt. Huic tamen emendationi adversantur non solum omnes nostri codices, sed citatus quoque a nobis Livius. Verum quia Volsinium et Sutrium urbes Etruriae fuerunt et haec dea Etruriae a Livio nuncupatur, utriusque urbis dea esse potuit. Si quis vero duas ac diverso nomine vocatas fuisse ostendat, sententiae illius ultro subscribemus.

Agmen horum municipalium topicorumque deorum claudit Tertullianus his verbis: *Faliscorum in honorem patris Curris et accepit cognomen Iuno* (Tertullian. Apologet. cap. 24. et lib. II. ad Nation. cap. 8.). Falisca autem, urbs Etruriae, inter Ciminum montem et Tiberim sita est. Colonia vero Faliscorum mentio fit in Plinii libris (Plin. lib. III., Hist. Nation. cap. 4.) et Gruteri inscriptionibus (Gruter. p. 288. inscript. 1.), saepius vero in Titi Livii historiis (Liv. lib. V. cap. 17. 18. 26. et lib. VII. cap. 17 et seqq.), hisque Virgilii carminibus:

*Hi Fescenninas acies aequosque Faliscos,  
Hi Soractis habent arces Fluvinaque arva,  
Et Cimini cum monte lacum lucosque Capenos.*

(Virgil. lib. VII. Aeneid. 695 et seqq.)

Similia a Sillio Italico decantata invenies (Sil. Italic. lib. VIII. v. 406 et seq.). Ceterum Iuno plura, uti nemo nescit, habebat cognomina, ex quibus unum Curris teste Festo fuit. Si quis vero inquirat cur ita nuncupata sit, is audiat Servium: *Iuno habet multa nomina: Curetis est, quia utitur curru et hasta* (Serv. in lib. I. Aeneid. v. 6.). Alium adhuc, si velit, audiat Festum Pompeium: *Curis est Sabine hasta . . . Curitim Iunonem appellabant, quia eandem ferro hastam putabant* (Fest. ad v. Curis.). Verum sicut hi scriptores Tertulliano nostro favent asserenti Iunonem cognominatam fuisse Currim sive Curetim; ita ipsi adversantur, aperte dicentes hoc cognomen non illi datum in honorem patris Curris, sed ex hasta, quae a Sabinis curis appellabatur, aut a curru, quemadmodum innuit Servius, qui tamen a nonnullis priorem huius nominis etymologiam veriore existimantibus corripitur.

Quid ergo? Numquid responderi potest Iunonem ab hasta traxisse istud cognomen, quod postea Falisci in patris Curris honorem ei de-

derunt? Sed quis est, inquires, pater ille Curis? Nos quidem docet Ovidius Romulum ita vocatum fuisse, ubi canit:

*Proxima lux vacua est, at tertia dicta Quirino,  
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit:  
Sive quod hasta curis priscis est dicta Sabinis,  
Bellicus a telo venit in astra deus.  
Sive suo Regi nomen posuere Quirites,  
Seu quia Romanis iunxerat ille Cures.*

(Ovid. lib. II. Fastor. v. 473 seqq.)

At non solum Romulo, sed antea Iano nomen illud impositum fuerat, uti Macrobius testatum his verbis fecit: *In sacris invocamus Ianum Iunonium, Ianum Quirinum . . . patrem quasi deorum, Iunonium, quasi non solum mensis Ianuarii, sed mensium omnium ingressus tenentem. In ditione autem Iunonis sunt omnes calendae . . . Quirinum, quasi bellorum parentem, ab hasta quam Sabini curim vocant* (Macrob. lib. I. Saturnal. cap. 9.). Varia itaque fuerunt Iani nomina, quorum tria ad propositum nostrum spectant. Primum est *Pater*, secundum est *Quirinus*, a curi sive hasta derivatum et tertium *Iunonius*, quasi et Ianuarii et omnium mensium sit initium et ingressus. Nonne autem hinc confirmari potest, quod scripsit Tertullianus Iunonem a patre Curi, qui etiam *Iunonius* appellatus est, suum Curis sive Curitis accepisse cognomen? De hac tamen coniectura aliorum esto iudicium.

Ceterum duplex, pro diversa codicum nostrorum lectione, potest esse verborum Tertulliani sensus. Si enim ibi, quemadmodum in nostris manu exaratis exemplaribus et Rigaltii editione legas *Faliscorum in honorem* (MSS. *honore*) *patris Curis et accepit nomen Iuno*, sensus erit: Faliscorum dea est Iuno, quae in patris Curis honorem sortita est suam Curitis appellationem. Si vero cum ceteris editionibus legamus: *Faliscorum in honore est pater Curis, unde accepit cognomen Iuno*, his verbis significabitur divinos honores a Faliscis exhibitos fuisse patri Curi, a quo Iuno cognominata est. At si de patris Curis honore loquitur, cur, quaeso, ibi Iunonis nihil plane ad eam rem facientis inserta mentio? Nonne ad Tertulliani mentem propius accedent, qui probaverint illum intelligendum esse de Iunone Curiti, quam Falisci tanquam singularem urbis suae deam colebant? Tu vero quae verior sit lectio et interpretatio, expende ac pronuntia.

At nobis quispiam fortasse obviam veniet et obiectabit ibi humani aliquid passum esse Tertullianum, qui tam diserte affirmat his provinciarum ac civitatum diis, hactenus ab eo appellatis, nullum a Romanis redditum divinum honorem (Tertullian. Apologet. cap. 24.). Nonne enim Capitolium ab ipso antea vocatum fuerat *curia daemonum*? Nonne adhuc haec sunt illius alio in libro verba: *Pluribus et asperioribus nominibus amphitheatrum consecratur, quam* (in antiquioribus editis deest *quam*) *Capitolium omnium deorum curia est* (Idem. lib. de Spectac. cap. 12.)? Nonne Roma, ut ait Leo Primus, omnium gentium serviebat erroribus illarumque deos assumperat (Leo Serm. in Natal. SS. Petri et Pauli)? Romani igitur quarumlibet gen-



tium deos colebant. At quamvis res ita sit, illos tamen omnes generatim tantum, non vero nominatim venerabantur. Nam eos ne numerare quidem, quanto minus honorare et invocare poterant! Tertullianus autem de topicis et singularibus diis disputat, quos urbium et provinciarum incolae solebant tanquam municipes suos colere ac suis invocare nominibus.

Quid igitur mirum, si illi plerique omnibus iam incogniti sint, sicuti *Delventinus* et *Visidianus* in Apologetico nominati, ac in libro ad Nationes *Atheniensium*, sive potius *Atherniensium Numentinus* vel *Numertinus* (Tertullian. Apologet. cap. 24. et lib. II. ad Nation. cap. 8.). Horum enim et aliorum topicorum deorum, quorum infinitus fuit numerus, notitia nobis iam a longo tempore erepta est. Non minoris tamen roboris idcirco est Auctoris nostri argumentum, quo ex hactenus dictis meritissimo iure concludit iniquissimos esse gentiles, quibus cum potestas esset pro libito ac libidine falsum quemlibet et alii gentibus ignotum deum colendi, non sinebant verum Deum a Christianis adorari.

#### CAPUT XXVIII.

Quanta insulsi- tate Romani venditaverint se sua in deos pietate meruisse totius orbis imperium.

#### ARTICULUS I.

Quam falsum sit Romanos meruisse totius orbis terrae dominatum sua pietate in deos Sterculum, Mutinum, Larentiam, Cybelem, Iovem, Iunonem aliosque, qui patriam suam magis quam Romanos tueri debebant, quique omnes fato obnoxii fuerunt.

Tot tantisque rationum momentis ita eversam a Tertulliano vidimus falsam gentilium deos plane commentitios colentium religionem, ut nullus, si sani capitis sit homo, iis reluctari posse videatur. Sed quoniam ea est errantium plerorumque hominum pervicacia, ut victos se fateri nunquam velint, contra ethnici adhuc insurgabant nobisque, uti ait Tertullianus, obiciebant *Romanos pro merito religiositatis diligentissimae in tantum elatos, ut orbem occupaverint* (Tertullian. Apologet. cap. 25. et lib. II. ad Nation. cap. 17.), id est magna in deos suos pietate et religione meruerint ac consecuti sint totius terrarum orbis imperium. Existunt ergo, inquebant, hi dii debentque ab omnibus hominibus honorari. Totam autem hanc argumentationem, quam alibi fusius explicuimus (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 16. Art. 2 et 3.), Tertullianus noster plane frivolum nulliusque momenti esse haud immerito arbitratur. Ne quem tamen vel minimum ethnici praerberet mussitandi locum, variis responsionibus hoc qualecunque sit argumentum refellit ac destruit.

Dii quippe Romanorum, ait ille, aut vernaculi ipsisque proprii erant, aut peregrini et adscitii. Numquid autem dici potest a primis propagatos imperii Romani fines? *Scilicet ista merces, Tertulliani hanc opinionem irridentis verba sunt, Romanis a diis pro gratia expensa est. Sterculus et Mutinus et Larentina provexit imperium*

(Tertullian. loco cit.). In antiquioribus editis libris legitur *si pro scilicet*, sed eodem plane sensu, locutione tamen minus eleganti. Romanorum autem deos vilissimos planeque infames ibi appellat, ut acrioribus ironiae aculeis ethnicos deorum suorum potentiam insulsissime venditantes pungeret. Sterculus enim *agros*, sicut ille alibi docet, *stercoribus iuvando diligens fuit* (Idem lib. II. ad Nation. cap. 9.). At de illo, sicut et turpissimo Mutino et Larentia, quae ab eodem dicitur *publicum scortum*, antea atque in superioribus dissertationibus disputavimus (Supra cap. 25. Art. 3. et Dissert. in Minuc. Octav. cap. 17. Art. 2. et Dissert. in Lactant. cap. 32. Art. 1 et 2.). Nemo autem mentis suae compos serio affirmare unquam audebit, ab huiusmodi infamibus et vernaculis diis porrectos fuisse Romani imperii fines. Neque etiam ab aliis domesticis et peculiaribus diis suis. Diversa enimvero in pluribus esse nequit veri Dei potentia, virtus, sanctitas, sicuti nec natura. Atqui nemo unquam dixit in praefatis infamibus aut aliis domesticis Romanorum diis fuisse eandem atque in omnipotente Deo naturam et omnipotentiam, virtutem et sanctitatem. Dii ergo non sunt nec potuerunt ullum aliquod Romano imperio asferre incrementum.

Superest igitur ut peregrinorum deorum auxilio et potestate ac creverit Romani imperii magnitudo. Atqui opinio illa non minus omni prorsus verisimilitudine quam superior caret. Nam praeter modo allatam rationem: *Peregrinos deos*, ut recte Tertullianus ait, *non putem extraneae genti magis fautum voluisse et patrium solum, in quo nati, adulti, nobilitati sepultique sunt, transfretanis dedisse* (Tertullian. Apologet. cap. 25.), seu minus favisse patriae et altrici terrae suae, quam Romanis transmarinis et extraneis. Quo enim ingrati animi vitio patrium solum Romanis vastandum et eorum imperio subiiciendum tradere potuerunt?

Sed ut id quibusdam exemplis planius faciat: *Viderit*, inquit, *Cybele*, Caeli et Terrae filia, Saturni uxor et Magna Mater, *si urbem Romanam, ut memoriam Troiani generis adamavit, vernaculi sui scilicet, adversus Achivorum arma protecti, si ad ultores suos transire prospexit, quos sciebat Graeciam Phrygiae debellatricem subacturos* (Tertullian. Apologet. cap. 25.). Vis autem huiusce argumenti ut perspicatur, in memoriam revocandum est, Cybelen quibusdam videri a Cybelo Phrygiae monte cognominatam. Nullus vero dubitat celeberrimum Pessinunte, quae Phrygiae urbs erat, positum fuisse illius simulacrum, quod postea Romae, sicut alibi diximus (Dissert. in Minuc. cap. 19. Art. 1 et in Arnob. cap. 20. Art. 2. et in Lactant. cap. 31. Art. 3.), maxima cum pompa collocatum est. At Tertullianus inde sic argumentatur: Numquid Cybele propter Aeneam, Troia, Phrygiae minoris ex urbe oriundum, atque idcirco vernaculum suum, adamavit Romanos, quia ex illo postquam ex Troiano incendio et Achivorum armis ereptus fuisset, originem suam deduxerunt? Numquid vero illa sprexit patriam suam illique Romanos praetulit, quia praevidebat simulacrum suum Romam transferendum et a Romanis debellandam Graeciam, Phrygiae patriae suae debellatricem? Cur ergo passa est hanc, ubi summo honore colebatur, a Graecis expugnari? Esto tamen, illudque,

si velis, permiserit. At quomodo praescire potuit fore aliquando ut ipsa, vel quod idem est, simulacrum suum Pessinunte Romam asportaretur? Non magis enim hoc praevidebat quam diem, quo Marcus Aurelius imperator Syrmii mortuus est. At id plane, ait Tertullianus, aut nescivit aut tardiores nuntios misit ad praecipuum suum sacerdotem archigallum, qui sexta post huius imperatoris mortem die elicitum ex lacertis impurum sanguinem pro illius salute litabat. Christiani itaque talem iure merito ridebant deam aut futuri nesciam aut crudelem, quae passa est non solum archigalli sui perperam effundi sanguinem, sed patriam quoque suam penitus dirui. Nullum ergo Romanis ad dilatandos imperii sui fines auxiliū sine iniquo ingratoque animo ferre potuit.

Neque etiam Iupiter illos maiore studio ac favore complecti debebat (Tertullian. Apologet. cap. 25.). Ecquid enim oblivisci potuit Idaei illius in Creta insula antri, ubi gentiles eum natum ac sepultum fuisse praedicabant? Numquid amore patriae in odium converso passus est *Cretam suam*, ut loquitur Tertullianus (Ibid.), *Romanis fascibus et armis concuti*? Numquid ex memoria quoque illius exciderant aera Corybantia, quorum clangore ac sonitu inhumanissima patris eius Saturni devorare illum volentis feritas elusa est? Numquid tandem voluntaria oblivione obruerat *iucundissimum illic nutricis suae odorem* (Ibid.)? Sed dubitant plures quae fuerit illa nutrix illiusque odor iucundissimus. Quidam autem suspicantur Tertullianum his verbis alludere ad Amaltheae cornu, ex quo nectar et ambrosia effluebant. At vana proculdubio est haec suspicio. Agitur siquidem de Iovis nutrice, quam alii capram Amaltheam, alii Nymphas sive Melissi Cretae regis filias esse opinabantur. Posteriores itaque hanc opinionem si Auctor noster secutus est, odor Nympharum quae melle et lacte Iovem aluisse ferebantur recte dici potuit iucundissimus. Sin vero ad priorem, ut verisimilius est, respexerit, non sine ironia insulsam exagitat divinitatem Iovis, qui caprae male olentis lac suxerat nec poterat teterrimi illius odoris oblivisci. Atqui illius patriaeque suae Cretae si memor semper fuit, hanc Capitolio anteponebat ac Cretensibus potius quam Romanis dare totius mundi imperium. De illius porro ortu, nutricibus, educatione et sepulcro alibi disseruimus (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 15. Art. 2.).

Quid vero huius Iovis soror et coniux Iuno? Numquid vellet, ait Tertullianus, *Punicam urbem Carthaginem ab Aeneadarum utique gente* (Tertullian. Apologet. cap. 25. et lib. II. ad Nation. cap. 17.), id est Romanis deleri? Nonne illam urbem sibi dilectam praetulit Samo, ubi educata aut Iovi nupta fuerat, uti liquet his Virgiliti carminibus, partim tantum ac tacito auctoris nomine ab Auctore nostro citatis:

*Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam,  
Posthabita coluisse Samo. Hic illius arma,  
Hic carrus fuit: hoc regnum dea gentibus esse,  
Si qua fata sinant, iam tum tenditque fovetque.*

(Virgil. lib. I. Aeneid. v. 19 et seqq.)

Verum *misera illa*, ait adhuc Tertullianus, *coniux Iovis et soror*,

quantumvis amaverit Carthaginem, non potuit tamen impedire quominus a Romanis everteretur. Nihil quippe *adversus* funesta huius urbis *fata valuit*. Nec id sane mirandum: quia *plane fato*, pergunt Auctor noster, *stat Iupiter ipse* (Tertullian. Apologet. cap. 25.). Nonne vero effatum illud satis aperte confirmatur Apollinis Delphici ad Croesi nuntios responso, quod his totidemque verbis Herodotus retulit, *τὴν πεπωμένην ἀδύνατά ἐστιν ἀποφυγεῖν καὶ θεῶν: Sortem fato destinatam defugere deo quoque impossibile* (Herodot. lib. I. cap. 91.). De ipso autem Iove Cicero (Cicer. lib. II. de Divin. pag. 281. lin. 44.) et Homerus (Homer. Illiad. XVI. v. 434 et Odys. III. v. 137 et seqq.), ab eo citatus, haec pronuntiant: *Nihil fit extra fatum . . . . Hoc sentit Homerus, cum querentem Iovem inducit, quod Sarpedonem filium a morte eripere non posset. Hoc idem significat graecus ille in eam sententiam versus:*

*Quod fore paratum est, id summum exsuperat Iovem.*

Simili quoque modo Seneca: *Quidquid est quod nos sic vivere iussit, sic mori, eadem necessitate et deos alligat. Irrevocabilis humana pariter ac divina cursus vehit. Ille ipse omnium conditor ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur; semper parat, semel iussit* (Senec. lib. de Provid. cap. 5.). Inde graecum illud adagium: *Ἀνάγκη οὐδὲ θεοὶ μάχονται: Necessitati ne dii quidem resistunt*. Videtis Erasmi in hoc adagium et Lipsii in citata Senecae verba observationes. Vide etiam Vossium (Voss. lib. II. de Orig. et Progr. Idolol. cap. 44. pag. 276. et seqq.), et ea, si velis, quae in nostra in Minucium Felicem de fato et in sequente de Iove et Iunone animadvertimus (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 6. Art. 3. et Dissert. in Lactant. cap. 31. Art. 4.).

Si Iuno igitur atque ipse Iupiter diique omnes fatentibus ethnicis fato sint obnoxii, nullum proculdubio Romano imperio incrementum dare unquam potuerunt. Iove enim diisque omnibus si potentius sit fatum, ethnici fati, ait Tertullianus (Tertullian. Apologet. cap. 25.), *dedentibus sibi Carthaginem* maiores profecto honores deferre debebant quam Iunoni ac prostitutissimae Iupae Larentinae, de qua paulo ante disseruimus. Falsum est igitur Romanos magna in Iunonem, Iovem aliosque deos suos aut vernaculos aut adscititios pietate meruisse totius orbis terrae dominatum.

## ARTICULUS II.

Romanis datum non fuisse ob suam in deos pietatem imperium, quod fundatum fuerat, antequam Numa varios, qui explicantur, eosdem deos colendi ritus instituisset, aut fabricata fuissent deorum simulacra ulliusque Romae esset deus.

Aliis adhuc rationum momentis Tertullianus demonstrat (Tertullian. Apologet. cap. 25.) Romanos non potuisse ab ullo prorsus deo suo aut omnibus aliis accipere imperium aut ullam finium eius propagationem. Certum est enim plures Romanorum deos, Saturnum, Iovem aliosque summam consecutos fuisse regiam potestatem. Dic ergo, sodes, a quibus aliis diis quos coluerunt illam acceperint? Numquid Saturno data est a vilissimo quodam Sterculo, de quo paulo ante dicebamus? Sed is vixit post Saturnum. Nullas autem gentilis

dicere unquam potuit quis alius deus regnum illi dederit. At nulla potior est ratio cur ab aliquo deo Romanis concessum dicatur.

Deinde vero fundatum erat imperium illorum antequam deorum cultus Romae institutus fuisset. Etenim *a Numa*, inquit Tertullianus (Ibid.), *concepta est curiositas superstitiosa*, id est religio et superstitio quae prava perversaque cura falsis diis impenditur. Sed quam putas ob causam ab illo constituta est? Consule Livium (Liv. lib. I. cap. 19 et seqq.), Eutropium (Eutrop. lib. I. Breviar. pag. 64.) aliosque Romanae historiae scriptores tibi que respondebunt: ut efferatos ac militares Romanorum animos metu religionis ac deorum contineret perpoliretque. Quinam vero, amabo te, erant primi illi Romanae religionis ritus? *Nondum*, ait Auctor noster, *aut simulacris aut templis res divina apud Romanos constabat*, quemadmodum alibi explicavimus, ubi templorum simulacrorumque investigavimus originem (Tertullian. Apologet. cap. 25 et seqq. et lib. I. ad Nation. cap. 17. Tom. I. Apparatus. lib. III. Dissertat. I. cap. 7 et 8. pag. 747 et seqq.).

Tum etiam *nulla*, sicut ille pergit, *Capitolia certantia caelo*, id est nondum constructum fuerat templum Capitolinum, adeo superbum, ut suum ad caelos usque culmen attollere videretur. Neque putaveris hanc esse animi in ethnicos nimium infensi exaggerationem. Nam Martialis, et ipse ethnicus, eadem his versibus cecinit:

*Nec Capitolini summum penetrabile Tonantis,  
Quaeque nitent caelo proxima templa suo.*

(Martial. lib. II. Epigram. 51.)

Silius quoque Italicus:

*Illa etiam qua prisca fides stat regia nobis,  
Aurea Tarpeia ponet Capitolia rupe,  
Et tanget nostro templorum culmina caelo.*

(Sil. lib. III. v. 620.)

Plura in Alexandri Donati aliorumque de urbe Roma libris tradita, si velis, facile invenies (Donat. lib. II. de Urbe Roma cap. 4 et seqq.)

Ubi ergo, rogabit aliquis, res divina tunc agebatur? *Temeraria*, inquit Tertullianus, *de cespite altaria* (Tertullian. Apologet. cap. 25. et lib. II. ad Nation. cap. 17.), sive repente, subito ac fortuito casu exstructa, sicut ex Cicerone (Cicer. lib. II. de Natur. Deor. pag. 228. lin. 12.) et Apuleio (Apul. lib. de Deo Socrat. init.) discere est. Vasa vero quibus ministrabatur *sordida* erant, ait Auctor noster, *et adhuc Samia*, seu luto cretaque molli tum fabricata, de quibus alibi diximus (Dissertat. in Lactant. cap. 30. Art. 2.)

Adiecit Tertullianus (Tertullian. loc. cit.): *Et nidor ex illis*, uti in utroque illius cum Apologetico tum ad Nationes secundo libro legimus: in nostris autem codicibus manuscriptis ex duobus his verbis unum, sicuti saepius factum est scriptumque *exillis*. Atque inde forsitan Rigaltius corrigi voluit *exillis*, haud prorsus infelici coniectura, cuius tamen aliquam saltem rationem reddere debebat. Confirmari autem inde potest, quia ibidem Tertullianus asseverat, pauperes tum fuisse Romanae religionis ritus. Sed duo haec verba *ex illis* ad *vasa Samia*, quibus subnectuntur, referri quoque possunt. Nihil ergo de hac varia lectione definire audemus.

Caeterum quia Numae tempore nulla apud Romanos erant deorum simulacra, immo vero, quia ea fieri ille, ut alibi ostendimus (tom. I. Appar. pag. 733 et 1227 et seqq.), prohibuerat, inde Tertullianus intulit: *Et Deus ipse nusquam*. Persuasum siquidem, uti capite sequenti videbimus, omnino habuisse videtur eam per gentilium animos pervasisse opinionem, non alios esse deos quam illorum simulacra, vel ipsorum in eis residere divinitatem.

Vides ergo quam recte ex dictis concludat: *Ergo non ante religiosi Romani quam magni, ideoque non ob hoc magni, quia religiosi* (Tertullian. Apologet. cap. 25.). Fundatum quippe et stabilitum fuit illorum imperium, priusquam aut deos haberent aut eos saltem tot superstitionis ritibus atque inani tot caeremoniarum pompa colerent et adorarent. At certe tam ad illud imperium propagandum quam iacienda eius fundamenta pari profecto deorum ope ac subsidio indigebant, quod tamen nunquam habuisse manifestum est. Sed aliis adhuc rationibus id ab illo evidentissime demonstratur, quae a nobis examinandae sunt.

### ARTICULUS III.

Non magis datum aut propagatum ab ullis gentilium diis imperium Romanorum quam Babyloniorum, Medorum, Aegyptiorum, Assyriorum, Amazonum et Iudaeorum, qui ante eosdem Romanos regnaverunt: horum impietate et sacrilegiis propagatos imperii sui fines: ac nullis plane miraculis, divinationibus, oraculis probari posse ullos existere horum aliorumque gentilium deos.

Certum quidem est, quod et ipsi Romani palam fatebantur, terrena regna ab aliquo institui, dari et dispensari. At ea potestas penes eum dumtaxat solum esse potest, qui omnia creavit. Nulli itaque Romanorum dii regnum aliquod cultoribus suis aut aliis unquam dederunt. Et certe ante illorum pontifices, Quindecimveros, Salios, Lupercos, Vestales, de quibus nos alibi, et ante omnes Romanorum deorum ministros, immo antequam ulli dii Romae colerentur, instituta fuerant Babyloniorum, Medorum, Aegyptiorum, Assyriorum et Amazonum regna magnaue, uti nemo nescit, potestate et gloria florebant (Tertullian. Apologet. cap. 26. et lib. II. ad Nation. cap. 27.). Constat ergo has nationes nec a Romanorum diis nec ab his quos ipsi colebant accepisse regnandi potestatem: non a suis quidem, qui eos, a quibus summo in honore habebantur, defendi non potuerunt, neque a Romanorum diis, qui nondum ficti erant et a quibus eorum imperium eversum fuisse Romani opinabantur. Iam vero vidimus (Dissertat. in Minuc. cap. 18. Art. 4 et 5.), quomodo Minucius Felix hoc argumento adversus ethnicos pugnaverit.

Sed ut quibusdam exemplis manifestius id fiat, urget Tertullianus: *Cur Athenas a Xerxe Minerva non defendit, vel cur Delphos de manu Pyrrhi Apollo non eruit* (Tertull. l. II. ad Nation. loc. cit.)? Nullus enim plane ethnicorum deus neque Romae neque ullibi tanto honore divino ornatus est, quanto Minerva Athenis, ubi exstabat insigne illius notumque omnibus simulacrum. Neque maiori cultu ullus Deus honestatus est quam Apollo Delphis, ubi oracula toto terrarum orbe celebrata fundere credebatur. Verumtamen nec iste Delphos nec illa Athenas ab hostium suorum armis tuta reddidere. Quomodo ergo dii



vel peregrini vel patrii dilatare Romani imperii fines valebant? Numquid aliis diis potentiores erant? Sed verus Deus debet esse omnipotens atque idcirco unus tantum esse potest qui regna tribuit et dispensat.

Age vero, instantemque Tertullianum subsequamur (Idem. Apologet. cap. 26.). Iudaei, inquit, suos habuerunt reges, quos etiam nunc haberent, nisi horrendo Christi parricidio suas cruentassent manus. Atqui hi ipsi penitus contempserunt Romanorum deos. Non illi ergo in hos deos pietate regnum suum meruerunt. Romani vero cum his deorum suorum hostibus icto foedere honoraverunt ipsorum Deum caesis victimis ac templum donis et muneribus. At quibus, oro te, oculis dii illi facta a Romanis haec vero Deo eorumque adversario foedera, sacrificia et dona intueri poterant? Nonne illorum iram potius quam propensum ad augendos Romani imperii fines animum accendere debuerunt?

Praeterea certo certius est regna ab hominibus occupari invadique armis et victoriis (Ibid. cap. 25.). Atqui haec fieri nequeunt nisi eversis plerumque urbibus ac proinde pari templorum ac moenium strage, eadem sacerdotum caede atque civium, ac rerum sacrarum profanarumque communi ereptione ac praeda: *Tot igitur*, ait Tertullianus (Ibid.), *sacrilegia Romanorum quot tropaea*, ex sacris profanisque captarum urbium spoliis Romam asportata: *tot de diis*, qui patriam suam et urbes, in quibus colebantur, tutari non potuerunt, *quot de gentibus triumphi*. *Tot manubiae, quot manent adhuc Romae simulacra captivorum deorum*. Manubiarum autem nomen, de quo nos alibi (Dissertat. in Minuc. cap. 16. Art. 2. et in Lactant. cap. 31. Art. 4.), a Tertulliano ibi accipi videtur pro spoliis, quae Romani ex captis urbibus secum Romam detulerunt. Praecipua vero erant deorum simulacra, quae in templis solebant collocari ac deinceps adorari. Romanorum ergo imperium accrevit non quidem ulla ipsorum in deos pietate et religione, sed impietate, sceleribus et sacrilegiis.

Qua ergo ratione dii illi, pergit Auctor noster, ab hostibus suis Romanis *sustinent adorari, et illis imperium sine fine dederunt, quorum magis iniurias quam adorationes remunerasse debuerant?* In nostris manuscriptis codicibus ac variis editionibus, praesertim antiquioribus, habetur *adolationes* sive *adulationes*, quemadmodum differenter ab aliis scriptum occurrit. Quidam tamen maluerunt *adorationes*, ut hoc nomen superiori verbo *adorari* respondeat. Quid vero, si Tertullianus significare voluerit deos non potuisse patienter ferre adulationes seu vana cultus eorum blandimenta, qui tum eis adulabantur, cum impietate et sacrilegiis omnia vastabant? At quocumque modo legendum decernas, fatendum est nihil posse fingi absurdius quam Romanos sua in deos pietate auxisse imperii sui fines, quos bellis victoriisque atque idcirco non sine eorundem deorum iniuria atque contumelia propagaverant.

Quae porro hucusque exposuimus Tertulliani adversus Romanorum deos argumenta, plerisque iisdem Minucius Felix, quemadmodum in prima nostra dissertatione ostendimus (Dissertat. in Minuc. Octav.

cap. 16. Art. 2 et 3.); fictam eorundem numinum divinitatem funditus evertit.

Urgebant tamen Romani ceterique omnes ethnici veros esse deos suos, qui stupendis signis, miraculis, praedictionibus, oraculis, divinationibus ac factis quibusdam, quae cunctas creaturarum vires superare videbantur, suam divinitatem et omnipotentiam saepe saepius comprobaverant. Et haec certe quae extra solitum naturae ordinem acta esse opinabantur, illorum oculos et mentem sic fascinaverant, ut persuasum omnino habuerint ea soli deorum potestati esse tribuenda. Verum Tertullianus ostendit hanc argumentationem ab iis tantum proferri et urgeri qui veram ignorabant effectuum illorum causam. Semotis quippe inanibus praecudiciis agnoscere potuerunt ea omnia facta fuisse daemonum agilitate maxima, malis artibus, dolis, fraudibus ac praestigiis, quibus hi mendaces impurique spiritus incautis hominibus plane illudebant. Huc etiam accedit, quod ethnici inficias ire nequibant, plura extraordinariis deorum, uti putabant, suorum factis similia ab hominibus magiae deditis eorundem daemonum dolis ac fraudibus edita fuisse. Quis ergo, nisi insaniat, hos idcirco veros deos esse dixerit? Quae porro ac quanti ponderis sint haec argumenta, quibus Tertullianus illud probavit (Supra cap. 8. Art. 3 et seqq.), superius enucleare ac patefacere contendimus. In superioribus etiam dissertationibus haec et alia adhuc plura explanavimus (Dissertat. in Minuc. Octav. cap. 16. Art. 1 et seqq. et Dissert. in Arnob. cap. 18. Art. 1 et seqq. et Dissert. in Lactant. cap. 32. Art. 4.), quibus alii nostrae religionis assertores ac vindices illam gentilium opinionem et argumentationem radicatus excusserunt.

## CAPUT XXIX.

De deorum imaginibus, statuis et simulacris.

### ARTICULUS I.

Quibus argumentis Tertullianus demonstrat colenda non esse deorum simulacra, quae nulla ante Numam Pompilium ac longo deinceps tempore Romae fuerunt; quae ex eadem materia ac vilia vascula facta erant; quae ridicula consecratione fatum mutaverant suum; quae ab artificibus fabricata variis contumeliis a bestiis hominibusque affliciebantur: ac quam absurde bestiae Libero, Cybele et Caelesti applicatae sint.

Cum satis superque demonstratum sit falsos nullosque esse gentilium deos, inde necessario sequitur vana ac nullo penitus honore digna esse illorum simulacra, statuas et imagines. Quae enim falsi dei, nisi falsa imago esse potest? Nunquam ergo magna sine impietate colitur et adoratur. Tertullianus tamen hunc ethnicorum errorem peculiaribus quibusdam explodit expugnatque rationibus, quae nunc a nobis explicandae sunt.

Iam vero illum audivimus dicentem nulla Romae, regnante Numa Pompilio et ante illius aetatem facta fuisse simulacra aut imagines deorum (Cap. super Art. 1.). Etenim *nondum, inquit, tunc ingenia Graecorum atque Tuscorum fingendis simulacris Urbem inundaverant*

(Tertullian. Apologet. cap. 25.). Ibi vero alludere videtur ad Tatiani, sicut alibi animadvertimus (tom. I. Appar. pag. 543.) et aliorum opinionem, qui Tuscos artis figlinae simulacrorumque ex creta et argilla fingendorum inventores fuisse existimabant. Neque haec tamen deorum simulacra Romam asportata sunt statim atque Numa Pompilius mortuus est. Romani siquidem, ut laudatus ab Augustino Varro et Clemens Alexandrinus testantur, deos suos per centum septuaginta et amplius annos sine simulacris coluerunt. Sed de his in citato iam Apparatus nostri tomo disputavimus ibique praeterea ostendimus Numam vetuisse, ne ullum simulacrum ullave imago fieret.

Per totum itaque illud tempus, quo Romani his caruerunt: *Deus*, ait Tertullianus, *ipse nusquam* (Tertullian. Apologet. cap. 25.). Cur ergo, nisi quia ethnici in animum induxerant deorum simulacra reipsa suos esse deos? Et vero Clemens Alexandrinus, a nobis etiam alibi laudatus (tom. I. Appar. pag. 734.), haud dubitanter asseverat posterioribus illis temporibus fictos ab ethnicis deos, quos adorabant. Quamobrem Tertullianus alibi dixerat deos ab iisdem ethnicis aestimari a templis, ubi simulacra eorum posita erant (Tertullian. Apolog. cap. 10 et cap. 25.). Alibi vero eadem deorum simulacra, quae Romani, ut antea dicebamus, Romam in triumpho pompam deferebant, captivos deos appellat. Sed supervacuum est hoc pluribus probari quod ab illo ubique passim pro certo ponitur atque mox dicendis manifestius patebit.

Quanta autem caecitate *Deus verus*, inquit ille, ab ethnicis spernitur, eadem profecto deorum *statae adorantur* (Idem Apologet. cap. 41.). Quid enim in eis deprehendere erat, nisi *materias sorores esse vasculorum instrumentorumque communium, vel ex eisdem vasculis et instrumentis quasi fatum consecratione mutantis licentia artis transfigurante* (Ibid. cap. 12.)? Palam itaque pronuntiat simulacrorum *materias*, sive igne et metalla quibus illa facta erant, eadem fuisse atque vasculorum et instrumentorum, quae communi et quandoque vilissimo hominum usui destinabantur. Fatum itaque ac sortem suam mutaverant, primum quidem arbitrio et libidine artificum a quibus efflata fuerant, ac deinde ridicula consecratione, qua demum accepta tanquam veri dii a gentilibus colebantur. Sed haec alibi fusius prosecuti sumus (Dissertat. in Arnob. cap. 19. Art. 4.) planumque fecimus quam vesana et absurda sit haec ethnicorum opinio.

Quae enimvero maior infamia esse potest quam divino honore prosequi deos, *qui metallis*, inquit Tertullianus, *censentur* (Tertullian. Apologet. cap. 12.): subaudiendum haud dubie *orti et facti*? Iuvenalis namque eodem sensu hoc verbum *censeri* adhibuit, ubi canebat:

*Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pantice, longo  
Sanguine censeri? — — —*

(Iuvenal. Satir. VIII. v. 1.)

Ad haec vero, ut haec deorum simulacra ex metallis fierent, ab imperatoris, qui horum erat dominus, pendebat arbitrio (Tertullian. Apologet. cap. 29.). Pro illius ergo nutu ac voluntate dii illi fiebant vel reiciebantur. Quantis insuper contumeliis ab artificibus finguntur fabricanturque? Primum *cruci*, ait Tertullianus (Ibid. cap. 12.), *ac*

*stipiti* superstruuntur, *asciis* deinde dolantur et secantur *runcinis*, sive serris maioribus, et *scabinis*, id est limis, perpoliuntur. Quid vero, quod *ante plumbum*, addit ille, *glutinum et gomphos* (graece *γούμφος*) sive clavos quibus compinguntur, *sine capite sunt dū* (Varr. Lib. VI. de Ling. Latin. pag. 54.)? Nonne autem his verbis significat simulacri caput separatim factum impositumque postea eius corpori clavisque illi affixum?

Sed hasce ignominias, ut ille ait (Tertullian. loco cit.), hi praestantes dii sive simulacra nullo vitae flatu animata non sentiunt. Statuae eumvero et frigidae imagines mortuorum hominum simillimae, sicut fabricationis suae dedecore non tanguntur, ita nec adorantium cultu et obsequio. Huc accedit, quod istam simulacrorum stupiditatem *milvi*, inquit, *mures et aranae intelligunt* (Ibid.), cum impune in his status nidificant easque suis coinquant stercoribus. Facilius vero illam intelligebant fures aliique homines impii, a quorum rapinis et contumeliis nunquam sine Caesareorum militum excubiis haec simulacra tuta esse poterant. Sed istaec in superioribus nostris dissertationibus enucleavimus (Dissertat. in Minuc. cap. 21. Art. 1 et in Arnob. cap. 22. Art. 3 et in Lactant. cap. 33. Art. 5.).

Contra vero clamitabant ethnici impias esse has voces et convicia sacrilega: *Sed infrendite*, ait eis Auctor noster, *et inspumate*, quantum volueritis, nihil sane hi clamores vobis proderunt. Audistis enim aliquando *Senecam aliquem*, cui refragari nequitis, *pluribus et amarioribus verbis de vestra superstitione perorantem* (Tertullian. Apologet. cap. 12.). Quae vero sint haec Senecae verba indicavimus in alia nostra dissertatione, ubi et hunc Tertulliani locum citavimus (Dissertat. in Lactant. cap. 33. Art. 3.). Quamvis autem Seneca tacuisset, non minus validum est Auctoris nostri argumentum, contra quod gentiles rabiose quidem inspumare, sed eius vim infringere nequibant.

Quis igitur non deplorabit caecam illorum impietatem, qui ut maior diis suis seu simulacris haberetur veneratio: *Bestias*, inquit Tertullianus, *Liberi et Cybele et Caelesti* applicabant (Tertullian. Apolog. cap. 12.), id est illorum currui, quo vehi fingebantur? Currus enim Liberi trahebatur tigribus quemadmodum ab Ovidio (Ovid. Metamorph. fab. ult. et lib. de Arte Amandi v. 560.), aliisque pluribus discere est. Quamobrem satis erit haec citasse Virgilii carmina:

*Nec qui pampineis victor iuga flectit habenis  
Liber, agens celso Nysae de vertice tigris.*

(Virgil. lib. VI. Aeneid. v. 779.)

Cybeles vero currum vehebant leones, sicuti canit Lucretius:

*Hanc veteres Graium docti cecinere poetae  
Sedibus in curru bitugos agitare leones,  
Aëris in spatio magnam pendere docentes  
Tellurem, neque posse in terra sistere terram.*

(Lucret. lib. II. v. 600 et seqq.)

Diodorus vero Siculus scribit huius deae simulacro idcirco admotos leones et pardales, quia ab his nutrita ferebatur (Diodor. lib. III. Biblioth. pag. 135.).

Tertia porro dea, cuius currui iunctae erant bestiae, a Tertulliano vocatur *Caelestis*, uti in codicibus nostris scriptum, in quibusdam vero aliis *Cereri* legitur. At haec quidem vocabatur *Caelestis*, eiusque currus vehebatur anguibus, quemadmodum his Ovidius confirmat versibus:

— — — *Geminos dea fertilis angues  
Curribus admovit fraenisque coërcuit ora,  
Et medium caeli terraeque per aëra vecta est.*

(Ovid. lib. V. Metam. fab. ult.)

Non sola tamen Ceres, sed Venus etiam cognominabatur *Caelestis*, currumque illius oloribus et columbis trahi garriebant. Si testem petas, adest adhuc Ovidius:

*Vecta levi curru medias Cytherea per auras,  
Cypron olorinis nondum pervenerat alis.*

(Ibid. lib. X. §. ult.)

Postea vero:

*Perque leves auras iunctis invecta columbis.*

Denique Iunonis, quae *Caelestis* quoque nuncupabatur, currum equi, sicut Homerus, Virgilius, et pavones, ut alii testificantur, ducebant. Nam rursus cecinit Ovidius:

— — — — — *Habili Saturnia curru  
Ingreditur liquidum pavonibus aethera pictis.*

(Ovid. lib. II. Metam. paulo ante finem.)

Tam ergo difficile dictu quid *Caelestis* nomine a Tertulliano significetur quam probatu facile bestias a gentilibus, sicut ait Tertullianus, applicari diis suis sive illorum simulacris. At nemo sanae mentis homo unquam negabit nihil esse absurdius quam huiusmodi simulacra tanquam veros deos aut divina virtuta praeditos serio venerari et adorare.

## ARTICULUS II.

Quam absurde ethnici dixerint simulacra suos esse deos tametsi plurimi quosdam aliis incognitos et a se adoptatos colerent aut domesticos pignerent, vendiderent atque in vilissima commutarent vasa, aut publicos in hastario venales haberent eosque sanctiores existarent qui magis tributarii erant cariusque venundabantur.

Non potuit Tertullianus patienter ferre ethnicos, qui rectae rationis lumini sole meridiano clarius fulgenti oculos ultro claudentes mira pervicacia imagines, statuas, simulacra falsorum deorum retinenda colendaque esse contendebant. Pro ratione enim, inquit ille, *insulsa dumtaxat erat illa vociferatio: Haec nobis dii sunt* (Tertull. Apolog. cap. 13.). Verum mera verba erant, quibus ipsi suomet iudicio plane condemnabantur. Diffiteri quippe non poterant nullum sine senatus approbatione, ut supra vidimus (cap. 18. Art. 9.), deum potuisse nuncupari et honorari. Verumtamen in ethnici cuiuslibet potestate situm fuit quem voluisset deum sive quodcunque sibi placuisset dei simulacrum aut eligere aut reprobare. Susceptum itaque ab aliquo deum alius pro libito aspernabatur. At illud sine reprobatu iniuria fieri non

poterat, aut, ut ipse Tertullianus eos compellendo loquitur: *Cum alii alios colitis, utique quos non colitis, offenditis. Praelatio unius sine alterius contumelia non potest procedere* (Tertullian. loco cit.).

Quidam autem putant Augustinum ad haec verba respexisse, ubi totam illam argumentationem improbat sicque refellit: *Non dico quod facetius ait Tertullianus fortasse quam verius: Si dii seliguntur ut bulbi, utique ceteri reprobi iudicantur. Non hoc dico. Video enim etiam ex selectis seligi aliquos ad aliquod maius et praestantius, sicut in militia, cum tirones electi fuerint, ex his quoque eliguntur ad opus aliquod maius armorum. . . . Non opus est multa percurrere, cum res in aperto sit. Quamobrem non ex hoc quod dii ex multis quidam selecti sunt, vel is qui scripsit, vel eorum cultores, vel dii ipsi vituperandi sunt: sed advertendum potius quinam isti sint et ad quam rem selecti videantur* (August. lib. VII. de Civit. Dei cap. 1.). Verum responderi forsitan poterit ibi Augustinum de diis ethnicorum selectis, Tertullianum vero de quorumlibet deorum simulacris citato loco disputare. Sed obiiciunt alii ethnics, sicut diximus, credidisse haec ipsa simulacra suos esse deos. Ad haec vero, quamvis de utrisque non eodem semper modo loquerentur, non minoris tamen roboris videtur Augustini in Tertullianum argumentatio. Verum negari non potest longe maius esse illius pondus, si Augustinus ad ea respexerit quae Auctor noster in libris ad Nationes contra Varronis de ipsismet diis selectis sententiam fusius disputavit (Tertull. lib. II. ad Nat. cap. 9.), atque ad haec potissimum eius verba: *Si certos ethnici deos habebant, contenti esse debuerunt nec electos desiderare. In quo etiam irreligiosi deprehenduntur. Si enim dii, ut vultis, seliguntur, qui non seliguntur, reprobi pronuntiantur* (Ibid.). Nonnullis autem ita persuasum fuit hunc locum ab Augustino notari, ut eum secuti in hoc textu pro verbo vultis nomen bulbi audacter reposerint.

Contra tamen instabit aliquis Tertullianum, etsi in Apologetico de deorum simulacris disserat, ex illis nihilominus, quae ethnici deos esse opinabantur, eandem atque in libro ad Nationes de diis ipsis selectis hanc intulisse conclusionem: *Status dei cuiusque in senatus aestimatione pendeat. Deus non erat quem homo consultus noluisset* (Idem Apologet. cap. 13.). Verum is animadvertere debet his verbis non denotari deos selectos, sed quorumvis deorum simulacra, quae ethnici, uti ille ibidem adiecit, pro libito pignerare, vendere, immutare, frangere poterant. At id sine illorum probro et dedecore nequibat fieri atque tunc maxime quando uno reprobato aliud eligebatur. Nonne etiam dici potest argumenti inde a Tertulliano ducti vim in eo positam esse, quod, quicumque dii finguntur, ii aut omnipotentes esse debent aut nulli dii sunt. At non inter plures omnipotentes, sed bene quidem inter tirones et milites unus validior potius quam alter potest seligi.

Ceterum si tota haec argumentatio infirma plane tibi videatur, aliam ab illo accipe, quam proculdubio maioris ponderis esse fateberis. Constat, inquit, omnia gentilium simulacra, vel quod idem est, omnes illorum deos aut domesticos et privatos aut communes et publicos fuisse. Primi autem lares et penates vocabantur, quos unus-



quisque domi servatos ritu peculiari colere solebat (Idem Apologet. cap. 13 et lib. I. ad Nation. cap. 10.). De penetibus autem haec sunt Tibulli carmina:

*At mihi contingat patrios celebrare penates,  
Reddereque antiquo menstrua thura Lari.*

(Tibull. lib. I. Eleg. III. v. 33.)

Addamus, si lubet, et ista a Virgilio edita:

*Quinquaginta intus famulae, quibus ordine longo  
Cura penum struere et flammis adolere Penates.*

(Virgil. lib. I. Aeneid. v. 707.)

De laribus vero Iuvenalis cecinit:

*O parvi nostrique Lares, quos thure minuto,  
Aut farre aut tenui soleo exornare corona.*

(Iuvenal. Satir. IX. sub fin.)

Plura autem de utrisque saepius stricto solutoque sermone ab ethnicis decantata huc congerere nihil necesse est. Verum ea fuit eorundem gentilium mentis inconstantia isque impius deorum suorum contemptus, ut quos diu coluerant domesticam, inquit Tertullianus, in ipsos exercerent potestatem *pignerando, venditando, demutando, aliquando in cacabulum de Saturno, in trullam de Minerva* (Tertullian. Apolog. cap. 13.). Quemadmodum igitur gentiles ex vasibus vilissimo usui, ut antea vidimus, destinatis simulacra, sive deos, ita etiam ex his alia vasa posthaec fingebant, aut ea pignerabant aut venditabant. Ex Saturno enim sive Saturni simulacro formabant aliquando cacabulum, sive minus cacabum, quod teste Varrone, vas erat *ubi cibum coquebant; ab ea cacabum appellarunt* (Varr. lib. IV. de Ling. Lat. cap. 27.). Trulla vero vas potorium erat, uti ex his patet Horatii versibus:

*Qui Veientanum festis potare diebus  
Campana solitus trulla.*

(Horat. lib. II. Satir. III. v. 143.)

Quod quidem a Iuvenale confirmatur (Iuvenal. Satir. III. v. 112.). Aliquando tamen videtur ab aliis accipi pro vase, quo ventris, sicut alia in dissertatione ostendimus (Dissert. in Arnob. cap. ult. Art. ult.), onus deponebatur. Sed priore sensu a Tertulliano acceptum fuisse eo facilius nobis probabitur, quod de vase ad cibos conficiendos ibidem locutus sit. De trulla autem et cacabulo aliquid in citata dissertatione diximus.

Duas porro ob causas hi dii sive simulacra ab ethnicis immutabantur, pignerabantur et vendebantur. Ac prima quidem erat, inquit Tertullianus, *ut quisque deus contritus atque contusus est, dum diu colitur* (Tertullian. Apologet. cap. 13.). Itaque illum deum vetustate exesum aut deformatum reiiciebant aut commutabant in aliud. Altera causa erat: *Ut quisque deum sanctiorem expertus est domesticam necessitatem.* Ita quidem Rigaltius; in Frobeniana vero editione: *Et quisque dominum.* Melius in aliis editionibus et omnibus ineditis exemplaribus nostris: *Ut quisque dominus,* illius videlicet dei et simulacri, *sanctiorem expertus est domesticam necessitatem.* Sed quid, rogabit aliquis, nomen *sanctiorem* ibi significat? Respondent nonnulli

nihil aliud Tertullianum sibi voluisse, nisi hunc deum a paupere illius domino vendi, cui sua necessitas et inopia sibi *sanctior* quam deus suus videbatur. Necessitatem enim *sanctiorem* vocari putant extremam maximeque urgentem, quemadmodum Livius vocat *sanctius aerarium*, quod ad ultimos, inquit, casus servabatur (Liv. lib. XXVII. cap. 10.). Citari quoque poterat Cicero, qui ad Atticum scripsit decretum fuisse, *ut pecuniam de sanctiore aerario auferrent* (Cicer. lib. VIII. Epist. 20. ad Attic. pag. 284. lin. 5.). Verumtamen numquid a scopo is penitus aberrabit qui dixerit illud adiectivum *sanctiorem* non ad nomen *necessitatem*, sed *deum* referri? Nam ethnici quo *sanctiorem* deum esse opinabantur, eo carioris illum vendebant. Et certe ipse Tertullianus ibidem et in libro ad Nationes: *Dii, inquit, qui magis sancti, magis tributarii* (Tertull. lib. I. ad Nation. cap. 10.). Porro autem sive deus seu potius necessitas ethnicorum hoc *sanctioris* nomine designetur, illos Tertullianus merito his verbis redarguit: *Privatos deos, quos Lares et Penates domestica consecratione perhibetis, domestica licentia inculcatis, sive conculcatis, venditando, pignerando pro necessitate ac voluntate* (Ibid.).

Neque pluris faciebant deos suos publicos, quos, uti ille prosequitur, *aeque publico iure foedabant* (Idem Apologet. cap. 13 et lib. I. ad Nation. loco cit.), immo vero tractabant turpius ac contumeliosius. Nam privatos unusquisque pro arbitrio quidem, sed privatim vendebat, publicos vero publice, utpote quos habebant *in hastario vectigales* (Ibid.). Hastarium autem, si Turnebo credas (Turneb. lib. XXVIII. Advers. cap. 5.), locus erat, ubi proscriptorum bona venundabantur. Rigaltius autem putat eo nomine significari librum hastarium, seu tabularium et regestum vectigaliorum, quae sub hasta et voce praconis quinquennio quoque addici redemptoribus solebant. Et certe Auctor noster: *Quos in hastarium, inquit, regessistis publicanis sub . . . tis, omni quinquennio inter vectigalia vestra proscriptos addicitis* (Tertullian. lib. I. ad Nation. cap. 10.). Sed utrumque illud Tertullianus significare proculdubio videtur. Ait enim deos publicos in eum locum transferri, ubi, sicut alia proscriptorum bona in tabulario publico primum descripta per quinque annos asservabantur, donec venderentur publice, atque ita *sub eadem*, sicut ille ait, *hasta, sub eadem annotatione quaestoris, divinitas illorum addicitur*. Nonne autem *hastarium* et ab ea hasta et ab annotatione sive registro quaestoris nuncupari potuit?

Quidquid sit, hi dii non solum venales, sed *vectigales* quoque, inquit Tertullianus, habebantur, quia pro quinquennali in hastario mora aliquod solvebatur vectigal ac tributum (Idem Apologet. cap. 13.). Quanto igitur, amabo te, dedecore et opprobrio miseri illi dii afficiebantur? Quo enim modo ad eos vendendos et emendos illuc itum si quaeras: *Sic Capitolium*, respondebit Tertullianus, *sic olitorium forum petitur* (Idem ibid.). Minus bene in quibusdam editis: *Si . . . si, pro Sic . . . sic*. In libro quippe ad Nationes legimus: *Sic Serapeum, sic Capitolium petitur* (lib. I. ad Nation. cap. 10.); hoc est eodem modo similique tributo hastarium ad deos reponendos ac venundandos locatur, quomodo Capitolium, Serapeum et forum olitorium. Nulli

autem in haec templa ingredi, quemadmodum nec aliquid in foro alitorio vendere, nisi soluto tributo licebat. Ergo qui *magis tributarii* concludit illo, *magis sancti, immo qui magis sancti, magis tributarii* (Ibid.), id est quo deus falsa ethnicorum opinione sanctorum aestimabatur, eo maius pro illius in hastario mora et illo venumdamando exigebant pretium et tributum.

Quinam porro illi dii publici fuerint, a nobis si quis forsitan sciscitabitur, respondebimus hos triplicis potissimum fuisse generis. Alii enim erant in templis collocati, alii vel fabricati vel empti et advecti, alii tandem per vicos et plateas, ut supra animadvertimus (Supra cap. 24. Art. 4.), palam circumferebantur. At primi vel solam ob vetustatem, secundi et tertii ad ethnicorum arbitrium tributa pendere et vendi consueverant. Nonne ergo qui diis suis tantam inurebant infamiam nec illos nec eorum simulacra deos aut divino aliquo honore dignos esse etiam inviti palam fatebantur?

### ARTICULUS III.

Quam praepostere gentiles Simonem Magum, sicut alios deos suos, statua deisancti inauguraverint, eosque omnes repraesentaverint eodem habitu iisdemque insignibus, quibus aetas, ars, negotium ante mortem fuerant, ac pares statuas imperatoribus suis, seu mortuis seu vivis, statuerint; nec inde aliquid confici posse contra sanctas Christianorum imagines.

Ultimum Tertulliani adversus insanos simulacrorum cultores argumentum non omni prorsus difficultate caret. Quapropter illum parumper adhuc audiamus, ethnicos his verbis increpantem: Qua, inquit, fronte *Iunones, Cereres, Dianas*, sive illarum aliarumque vestrarum dearum ac deorum simulacra *adoratis, cum Simonem Magum statua et inscriptione Sancti Dei inauguratis* (Tertull. Apologet. cap. 13.)? Observatum autem a nobis fuit a Iustino Martyre traditum fuisse Claudio imperante statuam in insula Tiberina duos inter pontes huic Simoni Mago positam cum illa inscriptione: SIMONI SANCTO DEO (Tom. I. Appar. pag. 6.). Martyri sanctissimo suffragatur Cyrillus Hierosolymitanus (Cyrill. Catech. 6. pag. 157.), qui illam ab eodem Claudio imperatore, et Eusebius (Euseb. lib. II. Histor. Eccles. p. 52.), qui a Romanis collocatam fuisse haud dubitanter affirmant. Alios testes hic citare tam facile esset, quam supervacaneum. Omnes enim vero concedunt communem hanc fuisse veterum scriptorum opinionem.

Verum recentiores critici audacter asseverant illam crasso niti errore, qui ab eodem Iustino latinae linguae penitus ignaro profectus ceterorum deinceps animos pervasit. Cum enim ille in mentem, inquit, induxisset statuam Simonis Sanci dei Fidii eandem esse ac Simonis Magi, ipsi falsa nominis similitudine decepto alii omnes incauti subscripserunt.

Quid ergo? Numquid omnes non solum graece, sed latine scientes, atque ii etiam qui Romam post Iustinum Martyrem venerant? Numquid hunc errorem nullus ex illis deprehendit, aut illius a se agniti ne ullum quidem admonuit? Numquid quia postrema aetate Simonis Sanci statua inventa est, inde necessario sequitur Iustini tempore nullam fuisse Simonis Magi? Quid vero, quod Augustinus

testatum plane facit effictas ab eodem Simone Mago et suam et Helenes meretricis imagines, quas *discipulis*, inquit, *suis praebebat adorandas et Romae tanquam deorum simulacra auctoritate publica constituerat* (August. lib. de Haeres. cap. 1. pag. 6.)? Atqui si has imagines Romae constituit, nonne Iustini adhuc tempore aliqua extare poterat? Quid ergo prohibet quominus sanctus ille martyr et alii deinceps aliquam ex illis aut viderent aut ab aliis visam esse facti sint certiores?

Sed fac, si Deo placet, Iustinum, Augustinum et alios quam plurimos errasse, non minus tamen valida est Tertulliani adversus deorum statuas argumentatio. Cuncti enimvero saltem fatentur positum fuisse Romae Simonis Sancti simulacrum. At non minus impium erat falsi huius dei, quam Simonis Magi imaginem adorare. Praeterea idem erat in deorum, ait Tertullianus, *statuis habitus, eadem insignia, atque ut aetas, ut ars, ut negotium mortui fuit, ita deus est* (Tertullian. Apologet. cap. 13.). Quid autem absurdius, quam cum *senex de Saturno*, sicut ille alio in libro scripsit, *imberbis de Apolline, virgo de Diana figuratur, et miles in Marte et in Vulcano faber ferri consecratur* (Idem lib. I. ad Nation. cap. 10.)? Quis enim ea spectando non illico videbat illos homines fuisse, vilibus etiam artibus olim occupatos, qui dii idcirco esse nunquam potuerant? Non summa igitur sine impietate illorum tanquam deorum simulacra et imagines adorabantur.

Denique iidem gentiles non solum his aliisque veteribus diis suis, sed suis etiam imperatoribus mortuis ac quandoque adhuc viventibus, uti paulo post dicemus, extruxerant templa, in quibus posita erant eorum simulacra eaque eodem atque aliorum deorum suorum colebant honore. Quae autem maior impietas quam viventis hominis aut mortui ac dum viveret omni scelerum genere saepius conspurcati, simulacrum tanquam veri dei adorare ac venerari? At certe non insani imperitique tantum vulgi haec fuit detestanda superstitio, sed aliorum etiam, qui ingenio et auctoritate maxime pollebant. De se enim ipso et quibusdam qui se Christianos esse negabant Plinius haec ad Traianum imperatorem scripsit in verba: *Cum praeceunte me deos appellarent et imagini tuae, quam propter hoc iusseram cum simulacris numinum afferri, thure ac vino supplicarent, praeterea maledicerent Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur qui sunt revera Christiani* (Plin. lib. X. Epist. 101. ad Traian.). Nec mirum profecto si veri Christiani id plane penitusque recusarent, quod non sine maximo idololatriae crimine fieri poterat.

Non amplius ergo audiendi sunt gentiles, qui nobis obiiciebant ab huiuscemodi deorum, praesertim antiquorum, statuis et simulacris opem sibi ferri, fundi oracula aut nescio quae facta miracula. Quae enim de hisce diis seu simulacris diximus, sole meridiano evidenter demonstrant nihil ab illis, multo minus miracula potuisse fieri. Deinde vero Tertullianus, ut supra vidimus, plane ostendit si quid extra consuetum naturae ordinem ab illis factum videatur, idtribuendum malis artibus, praestigiis atque fraudibus daemonum, qui delitescunt *sub imaginum*, uti ille loquitur, *prostitutione et humanorum nominum*

*consecratione* (Tertullian. Apologet. cap. 27.), improvidas gentilium mentes falebant. Sed de his satis antea disputavimus (Supra cap. 10. Art. 3 et seqq.).

Neque porro est, quod haereticus aliquis nobis in aurem obgan-  
niat vel palam clamitet ex his quae hactenus post Tertullianum  
enucleata sunt concludi posse omnes penitus sacras Christianorum  
imagines ab illo condemnari. Non enim de aliis disputavit quam fal-  
sorum deorum, quae sine sacrilegae impietatis vitio, sicut satis pro-  
batum est, adorari nequeunt (Tertull. lib. de Idololat. cap. 5.). Neque  
potiori iure alius instabit illum asseveranter alibi affirmasse divina  
Moysis lege quaslibet statuas et imagines prohiberi. Nam ibidem ille  
non minus perspicue asseverat factas Dei iussu ab eodem Moyse ser-  
pentis aenei, Cherubinorum aliasque imagines sive statuas quae idcirco  
nihil pravi cultus et idololatriae secum importabant. Existimavit ergo  
eas non improbandas esse, quae nihil impio idolorum cultui affine ha-  
bent. Sed haec fusius in primo Apparatus nostri tomo aliisque su-  
perioribus nostris dissertationibus explicata sunt (Tom. I. Appar. p.  
748. Dissertat. in Minuc. Oct. cap. 29. Art. 1 et seqq. Dissertat. in  
Arnob. cap. 22. Art. 1 et seqq. et Dissertat. in Lactant. cap. 34. Art.  
1 et seqq.). Ea vere si cum his quae retulimus componantur, novam  
multamque lucem sibi afferent ac recipient.

### CAPUT XXX.

De gentilium templis et sacrificiis.

#### ARTICULUS I.

Quanta impietate ethnici templa et aras diis suis atque imperatoribus mortuis et vivis  
aedificaverint mercedemque exegerint pro templorum solo, pro aditu, pro ostiis et stipitibus,  
ac quam nefandis sceleribus eadem templa contaminarent, quae Christiani  
nec interdiu noverant.

Quibus argumentis Tertullianus falsorum deorum imagines et si-  
mulacra, iisdem plane illorum templa verae religioni repugnare nec  
aedificanda esse demonstrat. Nulla quippe falsi dei, multo magis mor-  
tui aut viventis hominis tanquam veri dei templa construere unquam  
licuit. Quis igitur aequo animo ferre poterit ethnicos, qui non modo  
fictis veteribus diis, sed mortuis etiam ac viventibus imperatoribus  
suis templa, aut ut Tertullianus loquitur, aedes et aras posuerant?  
Quamobrem his illos compellat irridetque verbis: *Digne imperatoribus  
defunctis honorem divinitatis dicatis, quibus et viventibus eum addi-  
citis*, vel sicuti alio in libro adiecit, sacerdotia, sacros apparatus, then-  
sas, currus, *solisternia*, id est solia et thronos, atque etiam *lectister-  
nia* exstruitis (Tertullian. Apologet. cap. 13. lib. I. ad Nation. cap. 10.).  
Ne quis autem dubitaret ea templa novis illis diis consecrari, ipsimet  
gentiles eorum liminibus et aris insignes deorum, quibus dedicabantur,  
titulos inscribi curaverant. Si quis autem aliqua templorum impera-  
toribus dedicatorum exempla sibi proferri velit, en Suetonii de Iulio  
Caesare verba: *Ampliora etiam humano fastigio sibi decerni passus*

*est templa, aras, simulacra, iuxta deos pulvinar, flamines, lupercos* (Sueton. Iul. Caes. cap. 76.). Quin etiam eo processit haec insana ethnicorum impietas, ut Valerius Maximus ausus sit hunc ipsum Iulium Caesarem his verbis precari: *Tuas aras tuaque sanctissima templa, dive Iuli, veneratus oro, ut propitio ac faventi numine tantorum casus virorum sub tui exempli praesidio ac tutela delitescere patiaris* (Val. Max. lib. I. cap. 6. §. 13.).

Modestior quidem fuit imperator Augustus, qui, teste adhuc Suetonio, *templa quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia, nisi communi suo Romaeque nomine recepit* (Sueton. Aug. cap. 52.). Sed haec tamen templa recepit, quae non sine veri summique Dei iniuria recipi poterant. Alii itaque multo magis damnandi, qui haec aliaque templa sive imperatoris sive etiam reipublicae nomine condiderunt. Quid ergo dicendum de Domitiano aliisque sceleratissimis imperatoribus, qui, ut Romanae historiae scriptoresarrant, iusserunt se appellari deos sibi que templa aedificari? Nemo certe sani capitis homo hoc summum impietatis scelus esse diffitebitur.

Sed advertite, quaeso, quam caeca et indomita fuerit gentilium pervicacia, impietas et avaritia. Non aliam sane ob causam dei cuiuslibet templum aedesque sacra construitur, nisi ut frequentetur ab omnibus atque idcirco facilis, voluntarius ac gratuitus cunctis esse debet illius aditus. Verumtamen ethnici, sicut summa iniquitate Christianos ad ea adeunda omni poenarum genere cogere nitebantur, ita maximo avaritiae vitio gentiles suos iis nisi dato pretio arcebant. Per eos enimvero nulli prorsus licebat in templum aliquod gratis ingredi, sed a quolibet introeunte exigebant, inquit Tertullianus, *mercedem pro solo templi, pro aditu sacri* (Tertullian. Apologet. cap. 13.), id est sacrae aedis ingressu. *Soli autem nomine ibi designatur locus, in quo haec sacra aedes constructa erat. Quod quidem Cicero hisce verbis clare explicat: Solum vertunt, hoc est sedem ac locum mutant* (Cicer. Orat. 12. pro Caecina p. 241.). Alibi vero: *Civitatem hanc, inquit, ante mutare non potuissent, quam huius solum civitatis mutatione vertissent* (Id. Orat. 36. pro Cornel. Balbo. p. 519. lin. 38.). Paulo utique obscurius Tertullianus in primo ad Nationes libro dixit ab ethnicis extorqueri mercedem *pro stipitibus, pro ostiis* templorum cuilibet aperiendis (Tertullian. lib. I. ad Nat. cap. 10.). Gothofredus autem opinatur corruptum esse hoc nomen *stipitibus* ac legendum *stipibus*, quia ipse Tertullianus in Apologetico scripsit: *Stipes quotusquisque iam iactat* (Idem Apologet. cap. 42.)? At priora illius verba sunt de templum ingredientibus, posteriora vero de iam ingressis. Non male ergo Rigaltius retinuit nomen *stipitibus*, sed aliquam opinionis suae rationem reddere debebat. Nobis vero facile persuadebitur Tertullianum hoc nomine *stipitibus* significare voluisse aut lapides aut forsitan deos Terminales ante ianuam templorum positos, qui stipites revera vocabantur, sicuti in citatis aliis nostris dissertationibus veterum poetarum versibus ostendimus (Dissertat. in Minuc. cap. 19. Art. 2 et 17. et Dissertat. in Lactant. p. 32. Art. 2.). Nam ibi ille distinguere videtur stipitem, ostium et aditum templi, ut his distinctis avaritiam



impietatemque ethnicorum acrius insectaretur. Quid tamen certo statuere audeas, si corruptum nomen est nec meliorem codicem nanciscaris?

Ceterum ethnici praeter has intolerandae avaritiae sordes eadem deorum suorum templa lenociniis et adulteriis, quemadmodum supra (cap. 26. Art. 4.) cum Tertulliano nostro observatum est (Tertullian. Apologet. cap. 15.), tam impudenter quam impune polluebant. Quae ergo ratione credere poterant deos suos in his habitare templis, quae saepissime tantis dedecorabant flagitiis ac sceleribus?

Nihil mirum itaque si *Christiani*, ait Tertullianus, haec *templa nec interdum norint* (Tertullian. loco cit.), id est illa non adierint per diem, multoque minus per noctem, tantorum criminum consciam. Si quando tamen ingrederentur, *spoliarent forsitan ea*, ut ille ait, *et ipsi, si ea adorarent*, hoc est si aliquando Christiani haec in templa, quemadmodum gentiles, introire potuissent, illa proculdubio, veluti Dionysius tyrannus et alii, quorum alibi fecimus mentionem, plane spoliassent, non quidem sicut illi, avaritiae causa, sed propter scelera ac sacrilegia, quae in eis patrabantur. Plura vero de ethnicorum atque etiam Christianorum templis in citatis dissertationibus nostris disputavimus (Dissertat. in Minuc. cap. 12. Art. 2. in Arnob. cap. 21. Art. 1. et in Lactant. cap. 33. Art. 1.).

#### ARTICULUS II.

Quam scelerata conscientia quantaque avaritia ethnici diis suis sacrificaverint et obulerint grana thuris unius assis, duas meri guttas, sanguinem reprobis bovis mori optantis, atque enecta, tabiosa, unguulas, capitula, plumarum setarumque praeversula ac debitam Herculi decimam defraudaverint.

Non maior profecto fuit gentilium in sacrificiis suis, quam in templis pietas ac religio nec minor etiam avaritia quaestusque aviditas. Diis enim suis sacrificantes offerebant *post omnia*, inquit Tertullianus, *inquinamenta etiam conscientiam spurcam* (Tertullian. Apologet. cap. 30.), sive contaminatam omnibus illis criminibus, quae paulo antea et passim in hac dissertatione notata sunt. Quale vero ac quantum thuris adolerent, si scire aveas, respondebit tibi Auctor noster: *grana thuris unius assis et Arabicae arboris lacrymas* (Ibid.), id est grana thuris, non quidem Sabaei, quod maiore vendebatur, sed Arabici, quod pretio emebatur vilissimo. Quin etiam avari homines non plura huius thuris quantumlibet communis grana, sed tribus tantum, ut antea observabamus (Supra cap. 24. Art. 3. et Dissertat. in Lactant. cap. 35. Art. 2.), apprehensa digitis, quibus paucissima sane capi poterant.

Quid vero, arguet aliquis, nonne plurimi plena manu totos incendebant thuris etiam pretiosi acervos, quemadmodum Tibullus his versibus cecinit:

*Natalis Iuno, sanctos cape thuris acervos,  
Quos tibi dat tenera docta puella manu.*

(Tibull. lib. IV. Eleg. 6.)

Nonne etiam Martialis cantabat:

*Consumpsi salsasque molas et thuris acervos;  
Decrevere greges, dum cadit agna frequens.*

(Martial. lib. VII. Epigram. 53.)

Sed haec proculdubio poëticae exaggerationes sunt, et Martialis ibi loquitur de somniorum interpretatione. Quis vero nesciat eos qui futura scire et maxime cupita obtinere volunt nullis parcere sumptibus? Neque minus certum et solos divites hosque paucissimos diis suis aut plurima aut pretiosiora thura adolevisse, sed tum quidem cum aliqua premebantur necessitate, aut ut inanis gloriolae rumusculos aucuparentur. Ceteri autem plerique omnes tria aut quatuor dabant thuris grana et duas, sicut addit Tertullianus, *meri guttas* (Tertullian. Apologet. cap. 30.), hoc est quam thuris et vini poterant minimum. Sed quo animi sensu, disces his Ovidii versibus de anu sacrificante:

*Vina quoque instillat, vini quodcunque relictum est,  
Aut ipsa aut comites, plus tamen ipsa bibit.  
„Hostiles linguas inimicaque vinximus ora,  
Dixit discedens, ebriaque exit anus.*

(Ovid. lib. III. Fastor. §. 15.)

Eodem plane avaritiae vitio ethnici immolabant hostias, non pingues profecto aut selectas aut integras, sed *sanguinem*, quemadmodum adhuc ait Tertullianus, *reprobi bovis mori optantis* (Tertullian. loco cit.). At quidam delicatioris critici scriptum ibi vellent non *bovis* quidem, sed *hominis*, qui solus mortem optare potest. Verum haec mera cavillatio est contra communem codicum omnium consensum. Quis namque non videt illud a Tertulliano nostro metaphorice dictum de bove, senio, macie et tabe ita confecto, ut mortem, si ita posset fieri, vitae praeferret? Quamobrem ipse adhuc Tertullianus ethnicos antea his verbis compellaverat: *Enecta et tabiosa et scabiosa quaeque mactatis . . . . ., quae domi quoque pueris, sive servis, vel canibus destinassetis* (Tertullian. Apologet. cap. 14. et lib. I. ad Nation. cap. 10.). Hostias tamen integras, optimas et decoras diis suis mactare hac tenebantur lege, quam Cicero totidem hisce retulit verbis: *Quaeque cuique divo decorae grataeque sint hostiae, providento* (Cicer. lib. II. de Legib. p. 334. lin. 46.). Eae autem, quemadmodum Vitruvius, a Macrobio citatus, docet, vocabantur *eximiae, vel quia eximuntur a grege vel quod eximia specie quasi offerendae numinibus eliguntur* (Macrobi. lib. III. Saturnal. cap. 5.). Atque inde, teste Plinio, mos erat hostias probandi ac seligendi. Meminit autem huius moris Virgilius illo versu:

— — *Mactant lectas de more bidentes.*

(Virgil. lib. IV. Aeneid. v. 57.)

Nam sicuti scite ibi annotat Servius: *moris fuit ut ad sacrificia eligerentur oves, quibus nihil deesset, ut in sexto, eiusdem nimirum poëtae, libro, ubi rursus cecinit:*

*Nunc grege de intacto septem mactare iuvencos  
Praestiterit, totidem lectas de more bidentes.*

(Idem lib. VI. v. 38 et seq.).

At sicut Virgilius eadem repetit, ita Servius in hos versus denuo haec observat: *De more antiquo, quem praetermisit quasi omnibus notum,*

*id est nec habeant caudam aculeatam nec linguam fissam nec aurem nigram: per quod docet aliud intactum, aliud lectum.*

Ethnici ergo contra datam ac morem receptum pessima quaeque offerebant et *sanguinem*, uti dictum est, *reprobi bovis*, hoc est veteri eorum lege moreque reprobati ac reiecti. Si qui vero aliquando optimas, prout iussum erat, hostias revera seligerent, non eas profecto integras et intactas praebebant, sed aliquas dumtaxat et peiores earum partes, uti *capitula*, ait Tertullianus, sive capita. Etenim ipse alio in libro vocat chamaeleontis capitulum *statim a dorso: nam deficit cervix* (Tertullian. lib. de Pall. cap. 3.), quae colli pars est posterior. Capitulum itaque ibi ab illo pro toto chamaeleontis capite sumitur. Servatis igitur melioribus hostiarum partibus caput immolabant et *ungulas* ac *plumarum* (Idem Apologet. cap. 14.), ut alibi ait, *setarumque praevulsa* (lib. I. ad Nation. cap. 10.), atque alia etiam quae domini et patres familias servis suis, immo canibus destinavissent. At si quis ibi aliquid a Tertulliano *ὑπερβολικῶς* dictum evidenter probaverit, huic non multum reluctabimur. Nemo tamen negare potest recte illum ethnicis vitio vertisse maclatas diis deteriores victimas, atque de opimis atque integris quod melius erat detractum suosque servatum in usus.

Neque hic stetit avara ethnicorum impietas. Debitam siquidem Herculi decimam bonorum suorum partem defraudare non verebantur. Quocirca Tertullianus eos alloquendo his verbis corripit: *De decima Herculis nec tertiam partem in aram eius imponitis* (Tertullian. Apologet. cap. 14.). At Cicero palam testificatur totam hanc decimam debuisse ab illis persolvi (Cicer. lib. III. de Natur. Deor. p. 253. lin. 22.). Quam sane ob causam Plautus Gelusinum quendam loquentem sic inducit:

*Huc venisse opus est, quantum potest,  
Ut decimam partem Herculi polluceam.*

(Plaut. Stich. act. I. scen. 3. v. 79 seq.)

Nec, quaeso, dubites totam bonorum decimam ab hoc poeta designari. Nam alibi dixit inde a servo facile cognosci posse quantum illius dominus auri habebat. Ecce ipsamet eius carmina:

*Sed lubet scire quantum aurum herus sibi dempsit et quid  
suo reddidit patri.*

*Si frugi est, Herculem fecit ex parte; decimam partem ei  
Dedit, sibi novem abstulit.*

(Idem Bacchid. act. IV. scen. 4. v. 14 seqq.)

Huius autem moris et instituti varias Plutarchus reddidit rationes, quas unusquisque in eius libris legere facile potest (Plutarch. Quaest. Roman. quaest. 13. p. 267. tom. II.). Verum gentiles de hoc religionis suae officio parum solliciti quidquid impune poterant ex hac decima subtrahentes nec tertiam quidem solvebant illius partem. Quam autem id verum sit, discas his adhuc eiusdem Plauti versibus:

*Non iam de hoc obsonio, de mina una diminui*

*Modo quinque nummos, mihi detraxi, partem Herculianam.*

(Plaut. Trucul. act. II. scen. 7. v. 10 sq.)

Tam lepide igitur quam iure merito Tertullianus ethnicos sic irridet:

*Laudo magis sapientiam, quod de perduto aliquid eripitis* (Tertullian. Apologet. cap. 14.). Perditum autem rite dixit, quod falsis diis ac numinibus dabatur.

Qua igitur ratione, qua fronte ethnici Christianos ad deorum suorum cultum eisque sacrificandum maiori profecto quam ferina crudelitate compellere nitebantur? Quamvis enimvero credidissent illos veros esse deos, quamvis eos tam sincero quam falso cultu honorassent, quamvis illis hostias integras, selectas et omnium optimas immolassent, nihil tamen iniquius ac perversius, nihil humanis, divinis naturaeque ipsius legibus magis adversus erat quam Christianos nec defensos nec auditos, sed suum dumtaxat ob nomen condemnare, et exquisitissimis quae hominis aut potius daemonis ingenio excogitari poterant occidere cruciatibus. Sed hi crudelissimi et iniquissimi homines verebantur, ne auditi Christiani tam evidenter veritatem suae religionis et aliarum falsitatem demonstrarent, ut nemo posset iis unquam refragari. Quam facile enim promptumque id illis omnibus erat, manifestissime tota hac in dissertatione probatum est.

In ea porro quaecunque in his, quos enucleare et illustrare contendimus, Tertulliani libris difficilia, obsoleta et barbara verba occurrunt, suis quibusque locis explicare conati sumus. Novum itaque illorum indicem hic non duximus esse retexendum.

---

IO. LAUR. MOSHEIM

## DISQUISITIO CHRONOLOGICO-CRITICA

DE VERA AETATE APOLOGETICI A TERTULLIANO CON-  
SCRIPTI INITIOQUE PERSECUTIONIS SEVERI.

- 
- §. I. Summa disquisitionum eiusmodi utilitas docetur. Occasio huius.
- §. II. Diversarum de hoc argumento opinionum duplex classis constituitur.
- §. III. Sc. producuntur primum, qui post a. CC. Apologeticum scriptum esse volunt. Contra quos
- §. IV. V. VI. Multis ostenditur, coepisse affectiones Christianorum sub Severo, antequam peculiaria is decreta eam in rem rogaret.
- §. VII. Dodwelli speciatim argutiae examinantur.
- §. VIII. Qui post mortem Severi Apologeticum prodiisse dicunt, refelluntur. Quo facto
- §. IX. Ad alteram eorum classem acceditur, qui licet concedant ante a. CC. eum esse consignatum, de anno tamen dissident.
- §. X. Nostrae sententiae proponendae initium fit ac primo sub Severo scriptum esse ostenditur. Deinde,
- §. XI. Post motus Albini. Quo vero annus recte possit constitui,
- §. XII. XIII. Hos motus a. CXCVI. coepisse, a. CXCVII. compressos fuisse novis rationibus docetur oppositaeque rationes evidenter diluuntur. Quo facto
- §. XIV. Pro a. CXCVIII. pronuntiatur ac ex illustri Tertulliani loco haec sententia diligenter confirmatur.
- §. XV. Conclusio.
- 

§. I. Si, qua se utilitate commendat certa temporum, quibus libros suos prisci doctores litteris mandavere, scientia, eo semper studio ac diligentia a viris emuditis quaesita fuisset, non dubito quin multo paucioribus hodie difficultatibus historia sacra abundaret concinniorique instructa esset ordine. At qui barbariei sordes primi abstersebant, maiores nostri, id potius agebant, ut collapsas plane litterarum res erigerent, quam ut istis, quas putabant, minutiis sibi aliisque earum conciliarent fastidium. Alia quidem iis, qui divinos illos restauratores consecuti sunt, mens fuit, quos Scaligero, Baronio, Petavio, Calvisio aliisque praeceuntibus magna in his curis stadia confecisse constat. Sed et patrum nostrorum nostraque aetas summos in hoc genere viros tulit, Norisium, Pagium, Lloydium, Dodwellum, Tillemontium, Nourrium multosque, qui Patrum edidere scripta, Benedictinae familiae socios.

Quorum omnium de laudibus quanquam ego nihil detraho, non tamen multa ab eis relictæ esse dissimulo, multa eruditius quam feliciter tractata, multa quod sectæ flagrarent amore, aut novæ cuidam nimium faverent opinioni, implicata potius quam evoluta. Nulla alia eius rei testimonia si existerent, ipsa, quibus mutuo se oppugnant, scripta, ipsi, quibus novæ subinde rationes constituunt, libri loquerentur. In historia præcipue calamitatum, quibus vetustissimi fratrum nostrorum defuncti sunt, magno id fuisset emolumento, si librorum, quos pro illis imperatoribus ac praesidibus oblatos esse accepimus, ceterorumque, quæ ferventibus istis vexationibus consignata sunt, scriptorum aetas curate definita fuisset. Sic etenim de rerum gestarum serie, malorum illorum magnitudine, confessorum numero, invicto, quo sanctissimi homines valuerunt, animi robore, certior nobis ac plenior esset notitia. Quam quidem egregiam quibuscunque utilitatem præstare posse, nulli quibus maturius est iudicium ignorare possunt. Certe miror, quum vir alioqui immortalis, Henricus Dodwellus, bono fortassis consilio, totos martyrum exercitus civitate sacra eiiceret, neminem illorum, qui adversus eum prodire, in hac sese palaestra exercuisse. Unde tamen illud peti poterat, quo ad audaciam hanc infringendam nil certius aut utilius esse potest, Patrum quamdiu verba cum aliorum pugnant locis, semper fere elabendi facultas dabitur. Nullum si aliud per fugium adsit, aut nota quaedam testibus inuritur aut novum quoddam critices genus advocatur, quod desperatis opibus auxilium ferat. Intervalla vero temporum si curate notentur, si rerum sibi succedentium ordo diligenter explicetur, aut perfrictæ frontis infamia subeunda aut vero error eiurandus est. Enimvero defuerunt huic causæ eruditi homines; sive quod molestiam his negotiis familiarem fugerent, sive quod eximium illius commodum non perspicue satis cernerent, sive denique quod non tam circumstantiarum quam ipsarum rerum rationem sibi habendam esse putarent. Fuerunt quidem, fateor, quibus partem huius laboris suscipere placuit. Nescio vero, qui factum sit, ut aut nimis indiligenter aut nimis infeliciter sese expediverint. Fuerit festinatio, fuerit taedium, fuerit sectæ studium, aut nescio quid præterea; fuisse aliquid, quod, ut pessime interdum rationes subducerent, effecerit, exploratum est. His ego de causis, etsi illis longe inferiorem me esse sentio, saxum hocce volutandi consilium ante aliquod tempus cepi ac de nova quadam afflictionum Christianarum historia, quæ quum aliis rebus tum præcipue diligentiori temporum notatione emineret, cogitavi. Specimen haud ita pridem nostra de Athenagoræ Aetate Dissertatio<sup>a</sup> exhibuit, qua me celeberrimi Dodwelli rationibus plurimum intulisse damni lectio testabitur. Usus quoque ea est felicitate spinosus licet labor, ut non displiceret iis, quorum plurimum valet apud me auctoritas quosve intelligentes harum rerum existimatores quidquid prudentiorum est agnoscit. Quapropter nunc denuo vires periclitari ac num eadem dexteritate tempus celeberrimi Apologetici, quem ingeniosissimus patrum Tertullianus reliquit, eruere queam, tentare decrevi. Excitavit me, ut citius quam constitueram id oneris mihi

a. Extat in Bibliotheca Theol. Hist. Philol. quæ Bonnae prodit t. II.



imponerem, elegantissima Apologetici illius editio, quam curis viri longe eruditissimi mihi quae in primis amici Sigeberti Havercampi debemus. Tanto eam nitore quam praeditam, tam varia elegantique eruditione munitam, tam ab omni parte illustrem ac emaculatam conspicerem, id unice statim optabam, ut eodem habitu non huius tantum, verum reliquorum etiam Patrum, potiores prodirent libri. Sic etenim statuebam, magna taedium illius parte, quod cum litteris hisce coniunctum est, hoc pacto abstersa, fore ut non amplius relictæ ferè ac orbae a cultoribus antiquitates sacrae reperirentur. Erat tamen, quod in tam exulto opere desiderarem, de aetate nimirum ac rationibus eius disquisitio. Polliceri quidem intelligebam eruditissimum virum, se in praeparatione reliquis Tertulliani adversus gentes libris praemittenda huic etiam desiderio consulturum esse. Ego vero, tantum abest, ut in his promissis adquiescerem, ut vel iis instigarer potius, quo hoc onere eum levarem. Sic enim continuo mecum: Brevior erit eorum, quae comparat, expectatio, si laboris in alium, quamvis exigua, particula devolvatur. Ponderis his adiecit cogitationibus optimi viri adhortatio, quae, ut ea, quae molirer, perficerem, cunctantem adhuc impulit. Quid multis? E vestigio posthabitis aliis manum labori admovi ac quod hic exhibeo, in chartam conieci.

Tuum iam erit dispicere, doctissime Havercampi, num tanti si opella nostra, ut novam condendi huius generis dissertationem molestia supersedere queas. Quod si minus nostra Tibi placuerint, animum, scio, qui candor est Tuus, probabis. Quis vero ille? ut commodis litterarum inservirem, historiam malorum in Christianos Severo Augusto congestorum explicarem Teque, si id addi pateris, ad alia perficienda expeditiorem paulo redderem. Sit in homine non nimis erudito temerarius, honestus tamen est. De litteris ac Tertulliano si minus bene merebor, de Te tamen nullo modo male meritis videri possum. Vulgus nimirum consilia ex eventu, boni viri ex affectu aestimant.

§. II. Circumspicienti mihi, ut fas erat, qui de eadem re ante me eruditi viri sensissent, ab his penitus relictam, ab illis parum dextre ornatam inveni. Generatim dissensiones ac sententiarum divortia etiam hic regnare videbam. Dici quid a nonnullis audiebam; ita vero, ut rationum obliviscerentur. Diligentius alios ad calculos sedisse animadvertēbam, quorum tamen conatibus non par fortuna responderat. Plurimos magni nominis viros duces potius sequi, quam in his se macerare numeris voluisse cernebam. Vel haec sententiarum varietas, quae cum veritate congrueret, ut examinarem, me commovit. Equidem tantum lucis, quantum intricati negotii natura permittit, ei conciliare conabor ac duo propterea opinionum primum genera constituam. Saecularis annus CC. terminus esto, qui utrumque disiungat. Alterum itaque eorum erit, qui ante hunc annum aut eo ipso libri nostri natales quaerunt. Alterum horum, qui elapso illo ducentesimo anno eum consignatum esse censent. De ultimo, quod quam longius a veritate abest, tum facilius confutatur, priori loco dicam. Prius, cuius rationes maiorem postulant industriam ac ex ipsis historiae arcanis excutiendae sunt, posteriori reservabo.

§. III. Princeps in iis, quos primum audiendos esse diximus, sententiam dicat Guilel. Caveus, maximae famaе et industriae vir. Pro anno is pugnat CCII. *Mihi*, ait (Historia Litter. Script. Eccles. t. I. p. 42. b. ed. Genev.), *verisimilius videtur scriptum fuisse sub persecutione sexta, circa a CCII., quo Severus aliquos Christianos fieri sub gravi poena vetuit.* Adicit his quaedam probationis instar, quae, si mihi bonum virum exagitandi animus esset, repeterem. Pars eo pertinet, ut vere imperante Severo pacem Christianorum fuisse turbatam appareat: pars non levia fuisse mala illis iniecta ostendit. Quae omnia cum a nemine unquam in dubium vocata, tum ea sunt, ut qua ratione aeram, quam defendit, confirmet, prorsus nesciam. Quocirca melius ommissa fuisset, quam subiungit, conclusio: *Nulli itaque alii epochae huius scripti annum natalem maiori veritatis specie assignare possumus.* Fundamentum eius non in omnibus quae praemiserasat, sed in hoc solo positum est, non ante a. CCII. Severum decretis suis Christianorum fortunis molestum fuisse. Quod quam lubricum ac infirmum sit, mox patebit. Scripsit certe Tertullianus cum iam malis undique fratres obsessi essent. Verumtamen hoc non sufficit, nisi et hoc doceatur, non antea quam edicta promulgarentur Augusti, calamo eum manus admovisse. Cuius quidem si ostendi potest contrarium, omnis haecce computatio nullius aestimanda est. Neque etiam hoc vir doctus attendit, etiamsi rationes eius multum valerent, aetatem tamen libri ad a. CCIII. potius differri debere. Omnia etenim cum ab aliquo iam tempore caedibus ac suppliciis Christianorum fervissent, Noster sectae suae defensor exstitit. Quare non satis credibile est, sub ipsum calamitatum exordium, eo ipso, quo natae erant, anno defensionem istam in litteras relatam esse. Ab hoc alienus tamen non erat Henricus Dodwellus. Licet enim, quid de aetate Apologetici sentiat, aperte quod sciam nusquam proponat, ex illis tamen, quae de vexationibus Christianorum sub Severo disputat, quid mente voluerit sine ulla controversia colligitur. Ante a. CCII. nimirum neminem tranquillitatem perturbasse coetus sacri sibi persuadet, idque nonnullis, quae mox discutiemus, argumentis stabilire enititur. (Dissertat. Cyprian. XI. §. 41. p. 68. S. ed. Brem.). Decebat sic eum, cui nihil minus quam martyrum copia ferenda videbatur. Quod si ergo, ut indubitatum est, non antea quam incrementa cepissent calamitates, praesides provinciarum Tertullianus compellavit, certum quoque ex eius sententia est post a. CCII. aut eo labente factum illud esse. Et quid coniecturis opus? Disertiora adsunt eruditi viri verba: *Inde*, inquit (Diss. cit. §. 42. p. 69.), *his ipsis temporibus* (de a. CCII. loquitur), *vel paulo etiam fortasse recentius, nova illa, quam appellat Tertullianus, Christianorum Dei editio cum eiusmodi inscriptione: Deus Christianorum Ononychites, auribus asininis, altero pede unguilato, librum gestantis et togati.* Leguntur ea, ad quae provocat, in Apologetico (Cap. XVI. p. 169. ed. celeb. Havercampi, qua hic semper utor), cuius res hic agitur. Quid clarius itaque, cum Caveo aliisque circa libri aetatem Dodwellum consensisse? Latius hodie viri huius de paucitate martyrum sententia serpsit ac plurimorum inter eruditos animos occupavit. Igitur, quin multorum mentibus haec de aetate

Apologetici opinio infixata sit, non dubium est. Quorum tamen longius hic recensere, quum duces indicati sint, non necessarium esse arbitror. Ad Antonium Pagium potius accedo, qui, licet omnem fere aetatem in numeris contriverit, eidem tamen se addixit sententiae. Cum Hypaticam conscriberet Dissertationem, nemo eo melius, qui pro a. CXCVIII. disertè pronuntiabat. Accipe verba (Dissert. Hypatica P. II. cap. III. §. 12. p. 117. Lugd. 1682. in 4to.): *Tertullianus Apologeticum conscripsit a. CXCVIII., quo Severus quinquennalia edidit Romae accessit, quam ob causam ad magistratus Romanos illum direxit. Nam licet nullum adhuc ab eodem imperatore adversus Christianos edictum promulgatum fuisset, Plautianus tamen, cuius auctoritas Romae omnia fiebant, Christianos vexare incipiebat. Egregie sane, quod tum legem nullam ab Augusto in Christianos latam fuisse agnoscit. Quod de Plautiano addit, Baronii debet suspicioni (Annal. Eccles. t. II. ad a. CC. n. VII. VIII. p. 198. ed. Colon. 1624. fol.), quam ipse deinceps profligavit (Critica ad Ann. Baronii. t. II. ad a. CXCIX. n. IV. p. 92.). Probatio vaga est ac generalior, quae et in alios annos quadrare posset, quibus Severum etiam urbe abfuisse novimus. Fuit vero nimis infirma: vellem nihilominus in ea sententia vir doctus persistisset. Enimvero cum Baronium castigaret, repudiandam sibi esse duxit ac aetatem Apologetici ad a. CCV. retulit. Christianorum audis Pagium (ad a. CXCIX. n. VI. p. 93.), persecutio ante a. CCII. decreta non fuit. Quare cum Tertullianus Apologeticum suum persecutione ubique iam a multo tempore flagrante, ut ex ipsomet Apologetico colligitur, scripserit, longe tardius praestantissimum illud opus promulgatum et quidem, ut conicere licet, anno ducentesimo quinto, quo Antoninus imperii Caesaris decennalia celebravit, quum persecutio magis saeviret. Nemo peioribus unquam auspiciis mentem mutavit. Dum alium levius peccantem emendare cupit, gravi sese erato contaminat. Equidem scio, saeviusse tum in Christianos nationes a veri Numinis cultu alienas, cum Noster sua consignaret. Qualis vero hinc conclusio? Ergo post emissa a Severo decreta liber exaratus est. Quasi vero tam rerum imperitus fuerit, ut vi legum antea latarum fratres nostros saepenumero excruciatos fuisse nesciverit. Aut, si minus hoc perspectum ipsi fuisset, hic ipse Apologeticus tum temporis hoc evenisse, eum non docere potuisset. Sed de hac re iam luculentius commentabor.*

§. IV. Vidimus iis, qui post a. CCII. librum in litteras relatum esse volunt, hoc praecipue obfuisse, quod usque ad a. CCII. pacatissimas fuisse res Christianorum crediderint. Haec vero ex eo nata est persuasio, quod hoc anno, quem dixi, decreta a Severo in Christianos proposita fuisse, multis ex testimoniis didicerant. Non patuit videlicet illis ratiocinationis huius imbecillitas: Sanxit a. CCII. in Christianos Severus leges: igitur non antea vexari poterunt. Quamquam Dodwellum hic excipi facile fero, qui ad alias simul argutias confugit, et quod nihil in hac ratione praesidii positum esse perspiceret. Haec quum ita sint, nulla ad hos refellendos certior via erit, quam si diu ante, quam Augusti ferrentur leges, plurima mala Christianorum incubuisse cervicibus demonstretur. Totus hicce locus a Theoderico Rai-

narto, qui Dodwellum sibi castigandum sumpsit, praetermissus est. Graviter is ac permoleste fert, afflictionem totam unius biennii spatio hunc complecti (Praef. ad Acta Martyr. Sincera Sect. II. §. 12. p. 48. ed. Wetsten.). Generaliora vero tantum, quibus eum refellat, adducit, quorum alter similia, si quaesivisset, fortassis invenisset. Diligentior inquisitionem temporumque notationem, quam negotii natura unice flagitat, frustra expectaveris. Maiorem Pagius industriam adhibuit, ut in hisce rebus plurimum possidebat scientiae (Critica in Ann. Baronii t. III. ad a. CCI. n. VII. p. 2 et ad a. CCVII. n. III. p. 7.). Neque tamen hoc momentum attingere potuit, quoniam in initio afflictionis designando ab adversario, ut ostendi, non dissidebat. In hoc igitur tantum occupatus est, ut ab a. CCII. ad mortem usque Severi pacem sancto coetui non fuisse redditam evincat. Quod illi itaque et complures alii intentatum dimiserunt, id ego mihi nunc perficiendum sumam. De anno, qui malis istis initium dederit, praecise nunc non agitur. Haud difficulter is ex iis, quae de aetate Apogetici extra dubium collocabimus, erui poterit. Hic id mihi tantum propositum est, ut ante a. CCII. quo Severi in Christianos decreta publicata esse concedo, infinitam aerumnarum vim eis exhibitam esse doceam. Primum teneat in testibus eorum ipse noster Tertullianus. Testimonium ex eo ipso libro, cuius aetatem hic constituimus, dicat. Prodiit, id quod nullus negat, cum iam crudelissimis supplicii Christiani de medio tollerentur. Idem vero de edictis imperatoris nihil prorsus tum auditum fuisse, non uno loco diserte indicat. Coniecturam nunc omitto, quam spernendam tamen esse nego: illud, quod ad praesides provinciarum directus sit, eos solos non imperatorem, malorum fuisse auctores, argumento esse. Evidentioribus res peragetur testimoniis. Primum hoc esto (C. XXXV. p. 300.): *Nec ulli magis depostulatores Christianorum, quam vulgus. Plane ceteri ordines pro auctoritate religiosi ex fide, nihil hosticum de ipso senatu, de equite, de castris, de palatiis ipsis spirat.* Quid pro nobis evidentius facere possit, equidem nescio. Palatia ipsa, quibus Augustus cum filiis continebatur, de hostium Christianorum numero eximit. Haec qua fronte scripsisset, si legum in vexandis Christianis iam adfuisset auctoritas? Tota quae cap. IV. V. VI. legitur de legibus disceptatio idem luculenter confirmat. Christianorum adversarii leges praetexebant, quae ut in eos saeviretur praeciperent. Quasnam vero? Recens editas? Minime. Edicta crepabant a mortuis iam rogata imperatoribus, quae haud sibi violare licere dicebant. Praeclare frigidis hisce ratiunculis vir acutus occurrit. Rationibus ante omnia demonstrat, tam sanctam nullam esse legem, quae non, si quid iniquitatis contineat, continuo delenda sit. Nec exemplis id carere postea docet, cum Romani vetustissimis licet decretis, quorum iniustitiam cognoverint, omnem detraxerint auctoritatem ac Severus ipse legem Papiam abrogaverit. *Nonne et vos, inquit (C. XV. p. 49.), quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis totam illam veterem et squallentem silvam legum novis principalium rescriptorum et edictorum securibus ruscatis et caeditis?* Vide vero, quibus de legibus sermo sit? De antiquis, ut apertum est, quibus novas opponit. Pergit ad latores legum adversus Christianos

(Cap. V. p. 56.), quos omnes turpitudinis scelerumque infamia notatos Neronisque simillimos fuisse contendit. Quam late haec adseveratio pateat, non inquirō. Satis mihi est, quod ex ea Severum in eorum numero, qui in Christianos decreta sanxerint, ab eo non fuisse habitum pateat. Ratio ipsa huius rei testis est. Ecquis enim tam amens, ut sapientem virum sibi persuadeat hoc argumento leges impugnaturum fuisse, si penes quem tum summa rerum erat eodem sese crimine adstrinxisse constitisset? Festivum profecto defensorem! qui imperatorem, cuius animum emollire cupiebat, iis adnumeraret, qui mortalium nequissimi nullique flagitiis secundi fuerant. Laudat e contrario aliquoties Severum Noster ac *constantissimum* appellat *principum* (Cap. IV. p. 52.). Adeo remotus erat ab ea opinione ac si gladium in fratres stringi iussisset. Sed se ipsum explicet Tertullianus, qui Romanos sic alloquitur (Cap. V. p. 62.): *Ceterum de tot exinde principibus ad hodiernum divinum humanumque sapientibus edite aliquem debellatorem Christianorum? Quis hodiernus ille? Severus, puto. Hunc vero in debellatoribus Christianorum numerandum esse negat. Quid clarius? Praetereo celebrem ex eadem dissertatione locum (Cap. V. p. 63. 65.): Quales ergo leges istae, quas adversus nos soli exequuntur impii, quas nullus Hadrianus, nullus Vespasianus, nullus Pius, nullus Verus impressit. Sunt codices, qui Severus hic legunt. Ego vero Tibi, Havercampi doctissime, assentior virisque egregius, qui Tecum meliorum librorum beneficio Verum nobis restituere. Quam lectionem etsi minus probat Dodwellus (Diss. Cyprian. XI. §. 44. p. 69.), diffiteri tamen non potuit, saepius in antiquis monumentis Severi et Veri nomina confundi.*

§. V. Haec sunt, quae pro nostra sententia ipse nobis subministrat Apologeticus, quibus quid reponi possit, non video. Alius iam succedat Tertulliani locus ex alio eius libro, eo videlicet quem ad Martyres in carcere constitutos misit, petitus. Eos intelligi hic martyres debere, qui Severo imperante correpti erant, extra dubium est. Ad hos vero corroborandos ultimi argumenti loco haec ponit (Libro ad Martyres cap. IV. p. 468. Opp.): *Nemo non etiam hominis causa pati potest quod in causa Dei pati dubitat. Ad hoc quidem vel praesentia nobis tempora documenta sint, quantae qualesque personae inopinatos natalibus et dignitatibus et corporibus et aetatibus suis exitus referant, hominis causa: aut ab ipso, si contra eum fecerint, aut ab adversariis eius, si pro eo steterint.* Statim hic monere possem, apparere satis, quod imperatorem, quem hominem hic dicit, malorum martyribus illis illatorum auctorem Tertullianus esse noluerit. Alioqui enim scripsisset: *hominis istius, qui vos excruciat, causa.* Mitto vero hanc ratiocinationem ac rem ipsam ad quam verba haec respiciunt intueor. Caedes multorum hominum dignitate ac meritis illustrium commemorant. Expers historiae Severi sit, qui haec alio, quam ad necem eorum, quos occasione belli Gallici ab Albino moti trucidabat, trahi posse putet. Hoc tempus illud erat, quo innumeri iique praeclari homines praeter omnem spem, quod Albino favisse putarentur, ad mortem rapiabantur. Audi Spartianum (Vita Severi cap. XII. p. 177. ed. Obrechtii): *Interfectis innumeris Albini partium*

*viris, inter quos multi principes civitatis, multae feminae illustres fuerunt* (nonne hoc idem, quod Tertullianus dicit), *omnium bona publicata sunt aerariumque auverunt. Tum Hispanorum et Suallorum proceres multi occisi sunt.* Mox idem nobilissimorum virorum in istis turbis vita privatorum longum satis indicem subiungit (Cap. XIII. p. 178. 179.). Capitolinus (Vita Cl. Albini cap. XII. p. 217.) huic et Herodianus (Historiar. Lib. III. et VIII. p. 147. ed. Boecleri) iungi potest. Ecquid vero est, quod luculentius Tertullianum explicet? Neque vero dubium ex altera parte Albinum, quod hic subindicatur, eadem saevitia usum fuisse, praesertim posteaquam a Severo insidias, quas Capitolinus (Vita Albini cap. VII. VIII. p. 211 f.) exponit, sibi strui senserat. Cui hoc expendenti grave non accidat, si quis nihilominus non ante a. CCII. vexatos sub Severo Christianos fuisse asseveret. Tumultus Albini, ut mox docebo, in a. CXCVI. incidit, clades in a. CXCVII. Perinde est, num de hoc, aut illo anno locus intelligatur. Semper enim, longe antequam decreta Severi proponerentur, illustres Christianorum sub imperio eius martyres extitisse probabit. Scorpianus Tertulliani alia quaedam mihi suppeditare posset. Sed alium nunc testem appellare animus est, Clementem Alexandrinum. Stromata hunc sua, quae hodie adhuc leguntur, Severo regnante composuisse Eusebius olim prodidit (Hist. Eccl. Lib. VI. cap. 6. p. 208.). Priores speciatim libri paulo post imperii eius initium, Commodi haud ita pridem extincto, consignati videntur. Primo enim libro, quo temporum instituit computationem, ultra Commodi mortem non progreditur. *Ἀπὸ δὲ τοῦ πρώτου ἀγώνος ἐπὶ τὴν Κομμόδου τελευταίην ἔτη ἑκατὸν ἑνδεκά:* A primo autem certamine usque ad mortem Commodi anni centum undecim (Stromat. Lib. I. p. 402. ed. Potteri). Hic desinit; manifesto indicio, non multo ante quam haec scriberet fati occubuisse Commodum. Mihi quidem satis est hoc loco, indubitatum esse, ante a. CCH. haec edidisse Clementem. Auctis per decreta imperatoris Alexandrinorum malis, exulabat vir egregius ac in Palaestina Syriaeque potissimum versabatur; quod post Hieronymum (Catal. Script. Eccl. cap. XXXVIII. p. 3. ed. Fabricii rec.) ex Eusebio (Hist. Eccl. lib. VI. c. 11. p. 212. 213.) viri docti bene observarunt. Quo quidem turbulento ac calamitoso tempore tam laborioso operi eum vacare potuisse, nullus facile dixerit. Ipse celeberrimus Dodwellus, qui sua saepe vineta caedit, hoc agnovit ac diu ante a. CCII. Stromata ista exarata fuisse pluribus rationibus binis locis docuit (Diss. III. in Irenaeum §. XXVII. p. 276. Diss. de Roman. Pontif. Primaeva Successione c. XV. §. IV. p. 209.). Quod itaque praecipue nobis optandum erat, id consecuti sumus. Reum habemus confitentem. Quod si non multum provento Severi imperio Clemens scripsit, erroris esse reos, qui ante a. CCII. vexationem coepisse Christianorum negant, exploratum est. Caedes enim ac supplicia fratrum scribenti ob oculos quotidie versabantur. En quae dicat: *ἡμῶν δὲ ἀφθονοὶ μαρτύρων πηγαὶ ἐκάστης ἡμέρας, ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν θεωρούμενοι παροπτωμένων, ἀνασκινδυνεομένων, τὰς κεφαλὰς ἀποτεμνομένων* (Stromat. Lib. II. p. 494.): *Nobis autem sunt quotidie redundantes martyrum fontes, qui nostris spectantur oculis, qui torrentur, torquentur et capite*



*truncantur.* Respondeant hic, quibus Dodwelli praecepta sequi gloriosum ducitur ac ante omnia virum cum se ipso concilient. Fatis, quod pueri norunt, ea nocte, quae annos CXCII. et CXCIII. seiungebat, satisfecit Commodus. Scripserit Clemens primum suum librum tribus post mortem eius annis, a. CXCIV. Intercesserint iterum, id quod tamen haud verisimile est, duo prope anni inter primum et secundum Stromatum volumen. Nihilominus, iam a. CXCVII. pulchram Alexandriae eorum cohortem inveniemus, quae hoc inspectante cruentam pro Servatore mortem oppetierint. Hic vero acumen Baronii mirari liceat, qui ob haec Clementis verba libros eius post decimum Severi annum conscriptos fuisse asseverat. Ceterum, inquit (Annal. Tom. II. ad a. CXCVI. n. XXII. p. 278. 279.), *cum constet in ipsi Stromatum libris de Christianorum persecutione tunc vigente mentionem fieri, affirmare necesse est, ipsum post annum decimum Severi scripsisse.* Indignum Annalium scriptore iudicium! Obliviscitur vir illustrissimus eorum, quae mox ipse defensurus erat, iam a. CXCVIII. Plautiano instigante, Christianis iniurias fuisse illatas, quo nomine duplicem committit errorem. Recentiores facit et Christianorum miseras, quam ipse putabat et Clementis libros, quam rerum permittit conditio.

§. VI. Nescio an his addi mereatur, ita antiquitus iam fuisse creditum, dudum ante a. CCII. Christianos sub Severo exagitatos fuisse? Qui maiorum traditionibus non omnem demunt fidem, hanc non penitus observationem spernent. Paulum igitur Orosium, quinti saeculi scriptorem, producam, qui, antequam Albinus res novas moliretur, a. minimum CXCVI. gravem Severum Christianis fuisse tradit (Historiar. Libro VII. c. 17. p. 542. ed. Mogunt. 1615. 8.). Verba haec sunt quae Treculphus Lexoviensis (Chronic. Tom. II. Lib. II. c. 24. p. 488. ed. Genev. 1597. 8.), saeculi noni historicus, nulla vocula mutata, repetiit: *Quinta post Neronem persecutione Christianos excruciat plurimique sanctorum per diversas provincias martyrio coronati sunt. Hanc profanum in Christianos et Ecclesiam Dei praesumptionem Severi caelestis ultio e vestigio acta subsequitur. Nam continuo rapitur, vel potius retrahitur in Galliam Severus e Syria ad tertium civile bellum. Unum iam enim Romae adversus Iulianum, aliud in Syria contra Pescennium gesserat: tertium Clodius Albinus, Iuliani in occidendo Pertinacem socius, qui se in Gallia Caesarem fecerat, suscitabat.* Idcirco Numen voluisse, ut quietem imperii Albinus turbaret, ait, quod in Christianos Severus fuisset iniurius. Equidem non is sum, qui Orosium summa fide scriptorem esse putem. Neque etiam omnia, quae hic narrat, mea facio. Testem eius tantum esse cupio, quod suo tempore opinio, quam tueor, communiter recepta fuerit. Si qua fides narrationibus, qua a maioribus traditas accepimus, huic etiam quin aliqua esse debeat, nullus dubitabit. Adiecissem protinus hominem, cuius manifesta nimis fuisset superstitio, si omnium omnino bellorum, etiam cum Iuliano et Nigro gestorum, causam saevitiam in Christianos dixisset. Iam non prorsus despicio, quoniam religiosus instituit nec de suppliciis fratrum semper somniat, cum bello orbem terrarum flagrasse intelligit.

§. VII. Quae hucusque disserui, tanta praedita esse arbitror per-

spicuitate ac evidentia, ut in se ipsum iniquus futurus sit, qui contrariis in posterum partibus se adiungeret. Si res ita postulare, longe plura potuissem proferre; quae cum nullo modo flagitet, mihi in aliud tempus reservo. Omnia sic cadunt, quae non sine sudore forsitan pro rationibus suis celebris Dodwellus excogitavit. Tertullianum primo nobis ille eripere conatur. Intellexit enim in Apologetico Severum eorum excludere numero, qui violentas Christianis manus intulissent; etsi, quae nos excussimus, illustria plane loco ne tangat quidem. Quid vero exinde eum colligere existimas? Vide et mirare. Decreta imperatoris tum quidem iam rogata, sed in eas partes, ubi Tertullianus degebat, perlata non fuisse (Diss. Cyprian. XI. §. 44. p. 69.). Magnitudinem videlicet miseriarum diminuere omnibus viribus conatur. Frigidum vero somnium! quod fortassis ne iis quidem arridebit, qui Romani imperii statum ignorant. At non minus in explodendo eo frigidus Ruinartus est, qui, si quo loco, hic tum inter nives gallicas versatus fuisse videtur (Praef. ad Acta Mart. Sect. II. §. 44. §. 45. p. 46.). Locis quibusdam tumultuarie coacervatis longe lateque extensam fuisse persecutionem docet. Quid vero hoc ad Dodwelli argutias? qui non hoc negabat, sed non tam immanes in omnibus provinciis fuisse ausus contendit, eo quod latae ab imperatore leges ad omnes non pervenissent. Si quid video, certius ab hac detorsione Tertullianum vindicavi. Duo alia deinceps testimonia attuli, quae, si omnia, id quod fieri plane nequit, Apologetici loca possent elidi, nihilominus ante illum, quem designat, annum Christianos excruciatos fuisse docerent. Inanis est suspicio, cui militat vir doctus. Valeat tamen, si qui velint. Alia adhuc supersunt, quae huic non patent artificio. His immotis ea quoque iacebunt, quae idem, ut ad a. CCL. omnium afflictionum initium referat, in medium adduxit (Loco cit. §. XLI. p. 68.), ad duo redeunt illa capita. Otium ait et occasionem Christianos invadendi gentibus defuisse. Utriusque facile apparet imbecillitas, si cum iis quae scripsi contendantur. Demus tamen viro erudito loquendi veniam: *Nec otium erat antea, inquit, sive ipsi imperatori sive provinciarum praefectis, nec ipsis urbium plebibus magistratibusque, quos externa saltem ab hostibus pax in eam saevienti lasciviam plerumque convertit. Vix dubito, quin alia cogitaverit, cum sic scriberet. Quod, quaeso, vinculum harum propositionum: Bello Romani fuerunt implicati et: Christiani nihil malorum sensere? Aut nihil ego intelligo aut nullum. Medios inter maximi belli fragores Valerianus infinitas Christianis molestias exhibebat. Clariora haec erunt, si distinctius eius temporis bella intueamur. In Orientis regionibus et Gallia militiae vacabat iis annis imperator. Fuerit illic, quod tantisper concedam, in diviniore coetu pax: quod vero hinc provinciarum aliarum praefectis, quod plebi erat impedimentum, quo minus Christianos in ius vocarent? Quid notius, nunquam maiorem scelerum impunitatem esse quam bellis omnia vastantibus? Quid vulgatus denique gentium illa consuetudine, quae maiores nunquam miserias Christi creabant discipulis, quam cum orbis Romanus bellicis aliisque calamitatibus premeretur? Rogati, quid causae esset, sacrificuli omnem in Christianis residere culpam confidenter cla-*



§. XI. Imperatorem habemus. Non omnes deinde imperii eius annos, sed eos tantum, qui ab a. CXCH. quo illud suscepit, ad a. CC. numerantur, spectandos esse ex antea dictis novimus. Octo igitur iste annorum circulus nos iam exercebit. Cui vero non exiguum statim detrahatur spatium, si post civile Albini bellum in Gallia commotum scriptum esse librum demonstrabimus. Fiet id ope loci huius, quem exhibeo. Nihil unquam in principum capita molitos esse sectae Christianae socios dum vir ingeniosus contendit, sic inter alia exclamat (Cap. XXXV. p. 300.): *Unde Cassii et Nigri et Albini? Unde qui inter duas lauros obsident Caesarem? De Romanis, nisi fallor, id est de non Christianis.* Praeterita imperii mala praesidibus in memoriam hoc loco revocat, periculaque, quibus Imperatores feliciter defuncti sint, recenset. In his praecipue tumultum ab Albino excitatum memorat. Ad certiore itaque scientiam nil amplius requiritur, quam ut, quo anno Albiniani hi conatus compressi sint, disquiramus.

§. XII. Enimvero novi hic circuitus Dissident ii quorum magnam in his rebus auctoritatem esse paucissimi ignorant. Unicus tamen annus tantum eos seiungit. Placet his a. CXCVII.; aliis a. CXCVIII. Nos, quibus aliquid, quod ad causam omnem discutiendam pertinet, praetermittere religio est, indubitatis rationibus, quid sentire oporteat, docebimus. Quod eo quidem libentius fiet, quoniam omnis haec disceptatio sine dubio ac tectas conservassent. Pervulgata prior est opinio, quam plerique fastorum conditores (Onuphr. Panvin. *Fastor. Consul.* p. 241. Heidelberg. 1588.), Caesar Baronius (*Annalium Tom. II. ad ann. CXCIX. n. 1. p. 293.*), Franc. Mediobarbus (*Numism. Imper.* p. 271. Mediol. 1683.), celeberrimus Tillemontius (*Histoire des Empér. Tom. III. P. 1. p. 72 et p. 404.*), compluresque alii tuerentur. Hi si maiori rationes suas industria munivissent, inviolatas sine dubio ac tectas conservassent. Munivissent vero, ut opinor, si quemquam tam audacem fore putassent, ut eas pervertere ac reiicere conaretur. Ego sine omni mora iis me addictum esse profiteor. Cuius consilii rationes, antequam eorum qui secus sentiunt apparatus disiciam, expositurus sum. Fundamentis enim computationis nostrae indicatis, facilius iudicabitur quod pretium alteri sit statuendum. Primo omnium hoc observari volo, non diuturnum Albinianum fuisse bellum, sed altero anno coeptum, altero absolutum. Magnis ac festinatis itineribus in Galliam ex Oriente Severus advolebat. Aderat et statim hostis Albinus. Nec mora; congregiuntur, ac velitationibus quibusdam de summa reipublicae, haud quidem ita magnis, decertant. Ancipiti initio Marte pugnabatur ac in spem victoriae Albinus iam erectus erat. Sed paulo post fatalis ac decretoria prope Lugdunum pugna die XI. Kal. Martias Severo victoriam, Albino afferebat interitum. Omnes, quos habemus, scriptores cuncta haec brevi tempore gesta, nec ulterius quam in alterum annum protracta esse, testantur. Nec quod excipi possit ullo modo intelligo. Iam, cur duos hosce annos CXCVI. et CXCVII. esse velim, accipe. Tria in aciem argumenta educam. Pescennium Nigrum, alterum Severi aemulum, a. CXCIV. victum vitaeque privatum esse, qui in dubium vocet aut vocare possit nullus est. Non multo vero post in Galliam

Severus sicarios mittebat, qui, ne quem Augustae dignitatis porro beret socium, Albinum de medio tollerent. Praeter Herodianum (istoriar. Lib. III. c. 5. p. 133), ipsa Severi ad Albinum epistola, quae percussoribus ei reddendam tradiderat, apud Capitolinum (Vita Albini c. VII. p. 212.) hoc confirmat. Anno minimum post N exitium hanc exaratam esse, vel levis eius inspectio docere potest. Eventus expectationi imperatoris cum non responderet insidiae comparatae retegerentur, Albinus continuo arma in Severum capiens nuntio hoc accepto nil quieti dandum esse putabat: sed collecti vestigio, quae poterant, copiis incredibili celeritate in Galliam, animi erat vehementia, properabat Albinumque adoriebatur. Ne tantii quidem expectare volebat expugnationem. *Αὐτὸς δὲ, inquit eo Herodianus (Hist. L. III. c. 6. p. 139.) τῆς ὁδοῦ εἶχετο, μὴ μίαν ἀνοχὴν ἀναπαύειν, διδοὺς μῦτε ἑορταῖς μῦτε καιάτοις, κρὶ καὶ θάλασσας ὁμοίως καταφρονῶν: Ipse iter faciebat sine intermissione, neque festos dies neque labores ullos magnopere curans, goris atque aestus iuxta patiens.* Hanc qui festinationem considerari non potest, quin a. CXCVI. initium, a. CXCVII. finem Albiniani factum esse constituat. Insidiatores concedam a. CXCIV. ablegato Severo esse. Anno hoc paene finito eos in facinoreprehensos adiungam. Denique a. CXCVI. iam exorso rei eius certio rem Severi esse factum dicam. Intra haud ita multos dies morae impatientissimus imperator, qui currebat potius quam proficisceretur, Galliam post hunc nuntium acceptum attingere potuit. Aliud ex obsidione Byzantiae tempore praesidium parabimus. Dio Cassius trium annorum spatium *ἐπὶ ὅλον τριετῆ χρόνον*, oppugnatam a Severo hanc urbem fuisse scribit (Hist. Lib. LXXIV. p. 845. ed. Francof. 1606.). Omnes circumstantiae, id quod Tillemontio (V. Not. XIV. sur Sévère T. Hist. des Empér. P. I. p. 401. 402.) iam observatum esse video, et de completo annorum trium circulo has voces explicandas esse iubeo, sed ita tantum, ut tribus annis sibi succedentibus continuatam fuisse obsidionem indicent, licet fortassis primo exeunte coepta, tertio in parte perfecta sit. Modus hic loquendi Graecis admodum familiaris est. Non disputabo, cui anno initium eius assignari debeat, nunc CXCIII. aut a. CXCIV: sufficit, quod iterum Dionem debemus (Hist. Lib. LXXIV. p. 844.), Nigro nondum extincto urbem copiis fuisse circumactam. Cecidit is a. CXCIV. Sive igitur, quod aliqui faciunt, finis CXCIII., sive exordium a. CXCIV. praeferatur, semper vicimus. Sed tamen nego, melius longe eos sentire, qui a. CXCIV. eligunt, ac multis quidem de causis. Cadit ergo expugnatio in a. CXCVI. Nondum vero in potestatem imperatoris urbs redacta erat id temporis, cum Albino occurrebat, Herodiano teste (Histor. L. III. c. 6. p. 139). Quin in itinere Gallico iam constitutus fuisse videtur, cum recepisset urbis nuntius ad eum perferretur. Quod si ergo Byzantiae recuperationis et protectionis adversus Albinum annus unus idemque est, ille vel necessario a. CXCVI. sit, sequitur omnino a. CXCVII. praelium Ludunense commissum fuisse. Si ad a. CXCVIII. progrediaris, obsidionem una Byzantinam per quatuor durasse annos confiteberis, id quod falsissimum esse ex Dione constat. Maximum est, quod postremo lo-



afferam, argumentum. Magna apud Gruterum aliosque inscriptionum, magna apud Biragium numerorum vis est, quae natu maiorem Severi filium, Antoninum, Caracallam deinde vocatum, a. CXCVIII. Augusti condecoratum esse titulo docet. Qua quidem commoti eruditi homines, licet de die menseque disceptent (Vid. Ant. Pagi Crit. in Baron. T. II. ad a. CXCVIII. n. 7. p. 90. Henr. Norisius de Votis Decennal. Imp. p. 91. S. Tillemont Histoire des Emper. T. III. P. I. not. 19. sur Sévère p. 406.) de anni veritate non dubitant, ac Spartianum, qui id a. CC., decimo tertio Caracallae anno, factum fuisse ait (Vita Severi c. XVI. p. 182.) deferendum esse monent. Quo hunc iure reprehendant, quem ego quidem non de titulo Augusti, sed Imperatoris Antonino a militibus imposto intelligi forte debere coniiicio, non laboro. Ipsam sententiam et amplector et nullis expositam esse dubiis agnosco. Egregie vero ea nostrae subvenit hoc loco computationi. Anno qui Lugdunense praelium secutus est, honorem hunc Caracallae esse habitum ex Historicis liquet. Herodianus paulo ante Parthicam expeditionem Romae (Histor. Lib. III. c. 9. p. 148.) Spartianus, ut aiunt, in Oriente illud contigisse docet. Alias rationes praetereo. Utraque sententia in anno CXCVIII. conspirat, quo in Parthos Imperator movit. Quod si igitur, imminente iam Parthico bello, a. CXCVIII. Antoninus Imperator salutatus est, nullo modo a. CXCVII. occidisse Albinum negari potest.

§. XIII. Equidem sic argumentis hisce comparatum esse arbor, ut communem de Albini clade sententiam certissimam esse doceant. Si res flagitaret, de aliis addendis essem sollicitus. Iam satius esse puto, ut, quid eos quibus tritam relinquere viam placuit, commoverit, disquiramus. Levia sunt; nec tamen omittenda. Dion. Petavius primas teneat. Initium is oppugnati Byzantii ad a. CXCIV. refert. Quamobrem necessarium quoque fuit, quam triennio obsidio ista continuata sit, ut a. CXCVII., quo Orientem reliquerit Severus, a. CXCVIII. quo Albinum devicerit, fuisse diceret (Doctr. Tempor. Lib. XV. p. 693. ad. Paris 1627.). Perspicuus est error, modo observetur, fontem eius esse, quod male exordium oppugnationis Byzantinae a. CXCIV. tribuerit. Haec vero, ut id faceret, ratio eum impulit, quod Nigro superstiti tantae molis operi, qualis haec obsidio, Severum vocare non potuisse credidit. Contrarium ex Dione vir eruditus discere potuisset, ut iam indicavi. Revocetur itaque cum Dione Byzantinae oppugnationis initium ad verum suum a. CXCIV. et res ipsa, ut in gratiam nobiscum redeat, Petavium coget (Cf. Tillemont Hist. des Emper. T. III. not. 16. sur Sévère p. 404.).

Henricus Norisius eidem se patrocinari opinioni innuit (Dissert. de Votis Decennal. Imp. p. 93. Patavii 1686.), at rationes non aperit; Spartianum ab eo laudari video, quem nihil huiusmodi dixisse scio. Quare me confestim ad Anton. Pagium confero, cui hanc aeram ex instituto stabilire propositum fuit (Crit. in Baron. ad a. CXCVIII. n. 5. p. 89.). Fallitur enim Tillemontius, qui Pagium secum facere ait<sup>b</sup>. Summa rationum eius, quas mire disiectas in unum colligo, haec

b. Histoire des Empereurs t. III. pag. 408. Le père Pagi, qui met comme nous la défaite d'Albin en 197.

est: Quinquennalia Severi, sine ulla controversia a. CXCVIII. Romae celebrata sunt, Herodianus vero statim post pugnam Lugdunensem ingenti cum celeritate Romam eum petiisse ac, simul ac adventaverit, Quinquennalia ista exhibuisse narrat. Quare si paulo post interemptum Albinum, cuius cladem decima nona Februarii die contigisse nullus inficiatur, imperator Romam ingressus est, si inter reditum hunc eius in urbem et quinquennalia nulla aut exigua mora fuit interposita, eadem necis Albini et quinquennialium annum esse debere indubitatum est. Nisi, quam facilis in his rebus lapsus esset, scirem, certe admirarer, ab homine tam erudito infirmas eiusmodi ratiunculas proficisci potuisse. Mihi quidem in illis generatim id displicet, quod sic motibus Albinianis tres annos contra omnem fidem tribuit. Arma a. CXCVI. sumpta esse profitetur. Petavium alio loco reprehendit, qui ob ea, quae ipsi cum Pagio communis erat, sententiam sequentem annum praetulerat (Dissert. Hypatica P. II. cap. 12. p. 221.). Neque tamen se hoc pacto in longe difficiliores quam Petavium tendiculas incidere sentit, quum in tertium annum omnibus repugnantibus bellum istud protrahat. Est et aliud, quod hanc premit sententiam. Iter Severi in Orientem ad expeditionem Parthicam, quod eodem anno CXCVII. factum esse conceditur a viro docto, cum quinquennialibus istis retinere in urbem coniungitur. At hoc omnium scriptorum adversatur testimoniis, qui sic de his rebus exponunt, ut sine omni dubio alium annum reditus Severi in urbem e Gallia, ad alium migratio ad debellandos Parthos referenda sit. Quid de rationibus speciatim dicam, quarum nulla se sustentare vel leviter potest? Distincte quamlibet excutiam. Incertissimum est, a. CXCVIII. quinquennalia Severum exhibuisse. Ipse celeb. Pagius hanc inculcavit regulam: *Quinquennalia, Decennalia et id genus festa modo anno quinto ineunte, modo exeunte indiscriminatim celebrabantur* (Dissert. Hypatica P. II. cap. 2. §. 5. p. 87.). Lubrico eam fundamento ab eo impositum esse non ignoro, illi nimirum, cuius princeps auctor est, sententiae, imperatores in solemnitatibus eiusmodi consularem semper dignitatem suscepisse. Neque tamen alioqui suis ea nervis destituta est, ut nonnulli sibi persuadent. Extant et eorum, qui ineunte anno quinto aut decimo et eorum, qui exeunte eo ludos hos exhibuere, exempla. In illis Constantinus M. est, cuius primum anni tricesimi diem XXV. Iulii ceremoniis tricennialium illustrem fuisse constat. Applicemus haec Severi annis et videbimus, tam a. CXCVII. quam a. CXCVIII. cum spectacula ista plebi edere potuisse. Praepositus est imperio circa medium forte a. CXCIII. Diem et mensem, de quo alii litigant, scire parum refert (Vide Tillemont. Hist. des Emper. T. III. not. 7. sur Sevère p. 393.). Ego ipsum interea Pagium sequar, qui Idibus Maii id factum censet (Diss. Hypat. P. II. cap. 12. p. 220). Quintus itaque imperii eius a. CXCVII. mense Maio exordiendus erit. Quae iam vero ratio afferri potest, qua invictae demonstratur, non a. CXCVII., quo quintus Severi annus incipit, sed a. CXCVIII., quo desinit, Quinquennalia eum dedisse? Utrumque enim fieri potuisse certum est. Reliquorum deterior adhuc conditio est. Falsum est Herodianum dicere, Imperatorem statim post adventum in urbem plebi munera ista edidisse, quae quinquennalia vocat. Audiamus viri verba



(Historiar. L. III. c. 8. p. 145.): Ὁ δ' οὖν Σεβήρος εἰς τὸ τοῦ Διὸς τέμενος ἀνελθὼν καὶ τὰς λοιπὰς τελέσας ἱεροουργίας ἐπαγγέλλειν εἰς τὰ βασιλεία καὶ τῇ δῆμῳ προῦθηνεν ἐπὶ ταῖς νίκαις μεγίστας νομᾶς, τοῖς δὲ στρατιώταις ἐπέδωκε χρήματα πλεῖστα, ἄλλα τε πολλὰ συνεχώρησεν ἃ μὴ πρότερον εἶχον. Politianus ita vertit: Postea vero quam in templum Iovis ingressus est omniaque sacrificia de more peregit, reversus in palatium magnoque congiario populum Romanum, victoriae nomine, prosecutus ac nummos militibus largitus est, simul alia permulta indulsit, quae nunquam antea acceperant. Quinquennialium hic mentionem quaero, sed frustra. Pagium quidem dicere audio: Quae novitates gratiaque quinquennialium Severi indicia. Infelicem vero divinationem! Quasi non aliis temporibus, quam Quinquennialibus, istiusmodi rebus donari populus potuerit. Et quid obfuit, doctissime Pagi, quod voces illas Herodiani non videres, ἐπὶ ταῖς νίκαις? Ob victoriam de Albino reportatam, non Quinquennialis imperii causa, de quibus ludis postea separatim Herodianus dicit, hanc liberalitatem Severus exercebat. Non minus in eo fallitur, quod ex Herodiano patere ait, Augustum statim post Albini cladem Romam contendisse. Dicit is quidem, quum Romam peteret, πολλῶν τάχει eum migrasse. At non iter illud caedem Albini confestim excepisse memorat. Potius non antea eum Romam esse reversum narrat, quam res ordinasset Britanniae, composuisset Galliam ac de magna amicorum Albini copia supplicium sumpsisset. Quae tanti momenti sunt negotia, ut multum temporis in perficiendis illis consumptum sine dubio fuerit<sup>c</sup>. Nihil igitur iam certius esse affirmamus, quam a. CXCVII. motus Albini, auctore eius occiso, sedatos fuisse.

§. XIV. Atque sic inoffenso pede ad reliqua pergi annusque Apologetici nostri facilius constitui potest. Libere igitur a. CXCVIII. laborantibus fratribus eo subvenire voluisse pronuntio. Locus, qui hanc firmat opinionem, hic est: *Sed et qui nunc scelestarum partium socii aut plausores quotidie revelantur, post vindemiam parricidarum racematio superstes, quam recentissimis et ramosissimis laureis postes praestruiebant? quam elatissimis lucernis vestibula nubilabant? quam cultissimis et superbissimis toris sibi dividebant? non ut gaudia publica celebrarent; sed ut vota propria iam edicerent in aliena solemnitate et exemplum atque imaginem spei suae inaugurerent, nomen principis in corde mutantis. Eadem officia dependunt et qui astrologos et aruspices et augures et magos de Caesarum capite consultant* (Apolog. c. XXXV. p. 302.). Non fugit illustris hiecc locus Baronium, non Tillemontium praeteriit. Sed neuter, quod absque diminutione tantorum hominum dixerim, eo recte uti potuit, eo quod in aliis rebus errarent. Vidit aliquid Baronius ac de strage reliquiarum Albini eum interpretandum esse, bene monuit (Annal. ad a. CC.

c. Neque vero cum Baronio hic facio, qui, nescio quas ob causas, licet a. CXCVII. Albinum debellatum esse concedat, tamen ante a. CXCVIII. Severum Romam redisse, negat. Annal. T. II. ad a. CC. n. 1. p. 296. Omnia pugnant cum hac opinione

cum post medium fortassis a. CXCVII. imperatorem urbi se reddidisse confirmant. Taceo apud Adolphum Oeconem in Numismat. p. 849. adventus huius Augusti quarto tribunitiae potestatis anno facti indicia quaedam in numis occurrere.

n. 3. p. 195.). Aetatem libri idcirco recte notare non potuit, quoniam a. CXCVIII. Severum reducem factum fuisse Romam ac a. CXCLIX. Parthis signa demum illata esse statuit. Tillemontius vero, cuius industriam stupendam alioqui esse fateor, de Nigri eum sectatoribus improvide intellexit, quos quum Parthis iam Severus immineret. Plautiano suasore, eum persecutum esse, Spartianus (Vita Severi c. XV. p. 181.) prodit. Propterea a. CC. aut CCI. Apologeticum exaratum esse voluit<sup>d</sup>. Quamquam ne id quidem intelligo, cur hanc Nigrianorum stragem, quam Spartianus inter belli Parthici initia collocat, post ipsam difficillimam urbis Atræ obsidionem accidisæ, vir eruditus censeat. Nos diligenter excusso Tertulliani loco facilem negotio exitum inveniemus. Parricidae quinam sint in eo, apertum est: ii nempe, qui Albino imperium affectanti aut ope aut consilio affuerant. Cicero iamdudum sic senserat (Philipp. II. c. 13. p. 446. T. II. Opp. ed. Gruteri) *plus etiam quam parricidas* eiusmodi esse homines: *siquidem*, ut addit, *atrocius est patriæ parentem quam suum occidere*. At horum longe plurimi qui aut vere criminis istius rei erant, aut falso habebantur, tam in Gallia, quam Romæ deinde supplicio affecti erant, præter eos qui aperte arma tulerant. Herodianus et Spartianus hic possunt consuli. Atque hoc est, quod *vindemiam* Tertullianus vocat. *Racematio* quaedam, ut quidem Imperator putabat, adhuc supererat. Suspica scilicet et simul argenti cupidus princeps, quum iam omnia tranquillitati restituta essent, nihilominus quosdam e latebris veluti protrahebat, quos insidias sibi fecisse aiebat ac ad mortem idem rapi iubebat. *Ista vigente racematione*, ut loquitur, Tertullianus scribebat. Scire itaque, quo tempore reliquias seditiosorum investigaverit Severus, est ipsum Apologetici annum scire. Ipse vero illud indicat post solemnia quaedam Romæ facta evenisse, in quibus isti imperatoris inimici magnum falso gaudium præ se tulerint. Quantum intercesserit intervallum non addit. Patet tamen, haud ita magnum intelligi debere. Est et alius in alio eius libro locus, qui, quod ad hoc momentum, hinc quasi explicat (Lib. ad Scapulam c. 1. p. 552. Opp.): *Nunquam, ait, Albiniani aut Nigriani vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani: sed iidem ipsi, qui per genios eorum in pridie usque iraverant, qui pro salute eorum hostias et voverant et fecerant*. De eadem re loquitur vir ingeniosus, de qua in nostris, quæ exponimus. Vocem itaque *pridie*, quæ breve denotat tempus, ad utrumque trahi quid prohibet? Quænam vero erant hæc gaudia publica, ad quæ respicit? Fallor aut quinquennalia innuit. Romam quidem quum ingrederetur Severus post interfectum Albinum, gaudiis omnia et plausibus personabant (Herodianus Histor. Lib. III. c. 8. p. 145.). Ne nobis id obsesset, si quis eam hic lætitiæ publicam indicari diceret. Longe tamen probabilius arbitror de quinquennialibus sermonem esse cum alias ob causas, tum quod vota pro salute Augusti tum esse facta subindicat: *sed ut vota propria iam edicerent in aliena solemnitate* et reliqua. Ecquid vero notius, ludis quinquennialibus hæc

d. Hist. des Emp. t. III. p. 94. ad a. CC. Une des occupations de Sévère dans l'orient fut de faire de nouvelles

recherches des partisans de Niger et comme Tertullien dit sur cela, de grappiller après la vendange.

morem praecipue observatum fuisse? Equid his numerum inscriptionibus celebris: VOTA DECENN. SUSCEP.? Tangit has ceremonias sine dubio Herodianus, qui praeter munus illud, quod Romam redux imperator populo exhiberat, aliam eius huius generis liberalitatem paulo ante Parthicam expeditionem commemorat: νομάς τε μεγαλοφρόνως ἐπέδιδου, ἐπέτλεσε δὲ καὶ ἐπινικίον ἀγῶνα, τοὺς παντάχουθεν μούσης τε ὑποκρίτας καὶ ἀνδρείας μαθητὰς μεταπεμψάμενος (Lib. III. c. 8. p. 147.): *Sed et congiaria dedit uberrima et certamen proposuit, undique accitis ludionibus atque athleticis.* Idem Spartianus perhibet (Vita Severi c. 14. p. 150.) cuius haec sunt: *Profectus deinde ad bellum Parthicum est, edito gladiatorio munere et congiario populo dato.* Vide, quam amice hi duo conspirent: quam apte uterque praecessisse aliquam magnae munificentiae solemnitatem expeditionem Parthicam tradat. Quae si celeberrimus attendisset Tillemontius, aliter sine dubio instituisset. De Pescennii Nigri sectatoribus, quos in Syria venabatur Severus, sermonem hic esse censet. At eos inducit Tertullianus, qui Romanis interfuerint spectaculis. Quales, qui in Syria delitescebant, Nigri sectatores non erant. Quo anno, num a. CXCVII. aut CXCVIII. festos hosce dies imperator indixerit, parum curo. Id mihi tantum, ut ostendam, incumbit, sanguinem denovo Albinianorum, ut credebantur, profusum fuisse, quum in eo esset, ut Parthos invaderet. Nullus quidem si produci testis posset, nihilo minus certa mea esset computatio, qui omnium instar Tertullianum commendare possem. Adest vero commode Spartianus, auspiciamque novi belli caedibus hominum inquinata fuisse, tradit (Vita Severi c. XIV. p. 180.): *Multos inter haec* (dum se novo bello accingeret, dum ludus populo spectandos praeberet, de quibus aliisque in superioriibus dixerat) *causis vel veris vel simulatis occidit. Damnabantur autem plerique cur iocati essent; alii cur tacuissent: alii cur pleraque figurata dixissent; ut esset imperator vere nominis sui, vere Pertinax et Severus.* Huc etiam, quae paulo post consequuntur, verba refero, quae, ut opinor, non ad solam Nigrianorum in Oriente persecutionem pertinent et cum ultimis Tertulliani conferenda sunt: *Multos etiam, quasi Chaldaeos aut vates de sua salute consuluisent, interemit, praecipue suspectos unumquemque idoneum imperio.* Transacta res est a. CXCVIII. omnium consensu, in Parthos Severus profectus est. Tum post quinquennalia exhibita, quum iam nil nisi praelia et Parthorum funera spiraret, *racematio* illa rebellium, de qua Tertullianus, contigit. Igitur, quin eodem anno Apologeticus sit exaratus, dubitari amplius nequit. Licet nunc quoque annum primum calamitatum Christianis imperante Severo illatarum designare. Sustinuerant iam per aliquod tempus furorem hostium, quum pro eis noster verba faceret. Certe nusquam de vulneribus nuper inflictis, sed inveteratis iam malis, loquitur. Quod si non prius, minimum a praecedenti a. CXCVII. miseras eorum repetendas esse, ostendit.

§. XV. Habes iam, quae de aetate Apologetici Tertulliani tecum communicare statui. Equidem, ut cum robur, tum perspicuitatem iis compararem, pro viribus studui, utrumque num consecutus sim, aliorum esto iudicium. Aliquid si obscuritatis adhaeret, non tam meo id

vitio factum esse cogitabis, quam negotii ipsius. Habent hoc disquisitiones eiusmodi, ut semper aliquid domesticarum secum vehant sordium. Sed nec iis, qui prima merent stipendia, scribuntur, verum iis qui iam aliquem inter cives eruditos gradum nacti utriusque historiae rerumque criticarum non ignari sunt. Quibus quidem, quod illis perobscurum videtur, nullam difficultatem parere solet. Mihi, si fati velint suisque labor noster fautoribus non plane caruerit, hac via pergere propositum est. De reliquis Tertulliani operibus non eadem tantum industria, verum etiam de vita eius fatisque diligentius quam huc usque factum video peculiari libro commentabor, cui dissertationes quasdam in opera eius adiciam.

Dudum est, quod eruditiores novam eorum editionem exoptant. Ac nemo me quidem libentius hoc onus in se devolvisset, si ea mihi vivendi sors obtigisset, ut me rite eo defungi posse putarem. Quae quum mihi negata sit, ea tamen, qua dixi, ratione, non tam de hac parte, quam de ipsa historia sacra et civili bene mereri constitui. Mollitus est eiusmodi opus immortalis memoriae vir, Henricus Dodwellus (V. Fr. Brookesby op. la Roche Bib. Angl. Tom. I. P. I. p. 87.). Mors quominus ad finem perduceret, prohibuit. Ego vero vehementer dubito, an par eruditioni candor ac iudicii maturitas in futura fuisset. Habemus Tertulliani vitam a Petro Allixio: at ea quam si dixerò minus esse perfectam ac elaboratam, a veritate aberravero. Sint ea, quae in hac Dissertatione ex ea consideravimus, speciminis loco. Petri Thomae du Fosse Vitam Tertulliani, quam sine nomine auctoris prodidisse, Dupinius testatur (Bibl. des Auteurs Eccl. Tom. XVIII. p. 258.), nec ego nec omnes forte, qui extra Galliam versamur, vidimus. Palma igitur adhuc in medio posita est; quam ut mihi vindicem, si vixero, studebo. Non is sum, qui me iis, quos nominavi, viris doctrina longe inferiorem esse nesciam. Idem tamen nimis fortassis audacter, Dodwellum veritatis amore, ceteros assiduitate et diligentia me superaturum esse spondeo.

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

QUAE SUPERSUNT OMNIA IN MONTANISMO  
SCRIPTA VIDERI

PRAESIDE IO. GUIL. HOFFMANNO

EDISSERUIT

GODOFREDUS CENTNERUS.

---

## SYNOPSIS DISSERTATIONIS.

- §. I. Tertullianum ad Montanistas defecisse, contra Sandium ostenditur. Instituti ratio et dissertationis argumentum. Quam varie discrimen inter libros Tertulliani orthodoxos et Montanisticos statuitur.
- §. II. Quam dubia et incerta sit Montani et sectae eius historia. Fragmenta vetusti scriptoris de Montanismo apud Eusebium non esse Asterii Urbani. Quid in auctoribus etiam Montano coevis eorumque fide desideretur.
- §. III. De erroribus, quos Tertullianus a Montanistis accepit suisque libris inseruit.
- §. IV. Regulae de accurato discrimine librorum Tertulliani constituendo. Non eos tantum libros in Montanismo scriptos esse, quos pro Montanistis compositos Hieronymus recenset. Ex notis temporum libros inter Montanisticos referri posse, quamvis ceteroquin nulla huius haereseos labe aspersi sint. Numquid Tertullianus similes errores ante Montanum foverit, disquiratur. Discrimen inter Tertullianum orthodoxum montanizantem et Montanistam reicitur.
- §. V. In Montanismo scriptos esse libros de Monogamia, de Fuga in Persecutione, de Ieiuniis, et de Pudicitia.
- §. VI. Similiter librum de Corona. Eum ad Maximini tempora non pertinere, contra Tillemontium ostenditur.
- §. VII. In Montanismo scriptos esse libros de Spectaculis, de Habitu Muliebri, de Cultu Feminarum.
- §. VIII. Item lib. de Idololatria.
- §. IX. Item Apologeticum, Coniecturae, quod post demum annum CXCVIII. conscriptus sit.
- §. X. Ad tempora Montanismi pertinere lib. ad Nationes, de Testimonio Animae, ad Scapulam, ad Martyres, et de Patientia.
- §. XI. Similiter lib. de Pallio, de Oratione, de Virginibus Velandis.
- §. XII. Item lib. ad Uxorem, et de Exhortatione Castitatis.
- §. XIII. Nec non librum de Poenitentia.
- §. XIV. Denique post eandem defectionem ad Montanum scriptos videri lib. de Baptismo, adversus Praxean, adversus Iudaeos, adversus Marcionem, Scorpia-cem, de Praescriptione contra Haereticos, de Carne Christi, et de Resurrectione Carnis.

## §. I.

Q. Septimium Florentem Tertullianum ad haeresin Montani defecisse cum ipse multis locis testimonium in se dixerit, negabunt aut duo aut nemo; nemo certe, nisi quem immoderatus erga Tertullianum amor aut studium partium, quas forsam orthodoxia viri defensa iuvare posset, transversum egerit. Christophorus Sandius, qui sibi hanc eius defectionem persuaderi posse negat,<sup>a</sup> nihil in medium addit, quod defensionis non dicam laudem, sed nomen mereatur, et aliquo saltem examinis studio dignum sit. Callidum enim huius excusationis consilium protinus apparet et causae, quae ipsum ad avertendam a Tertulliano Montanismi reprehensionem moverunt, nemini non manifestae fiunt; argumentis autem utitur minime callidis et vix apud eos, qui vel unum aut alterum Septimii librum legerint, fidem habituris. Quae enim impudentia est, Tertullianum talem fuisse negare, qualem se esse ipse non concedit tantum, verum etiam contendit? aut quid illa defensione insolentius, quod Tertullianus Montanista fuisse non videatur, quoniam hanc haeresin *totis viribus*, ut ait Sandius, *in libris contra Praxean, Hermogenem, de Praescriptione contra Haereticos et de Trinitate* impugnaverit? Ne totum quidem adversus Praxean librum usque ad finem evolvere necesse est, ut discamus, non refelli Montanum, sed de propheticiis dotibus laudari, Praxean vero non perfunctorie increpari, quod Episcopum Romanum Montanistis non valde alienum in contrarias partes abduxerit et a literas pacis, quas his hominibus iamiam dederat, illico revocaret, hortatus sit<sup>b</sup>. Similiter in libro contra Hermogenem Montanismum magis defendi quam oppugnari postea demonstrabimus, idemque suspicati sunt etiam illi qui ceteroquin haereseos suspicionem a Tertulliani scriptis quam plurimis amoluntur. Libellum vero de Praescriptione contra Haereticos Montanistis oppositum esse, ne fingere quidem cum aliqua veri specie quisquam potest, nisi forte catalogus haeresium ad calcem eius editus huc traheretur. Sed hunc haereticorum censum aequae ac librum de Trinitate Tertulliani non esse, chronicis notis, et argumenta cetera mittam, evictum puto, et apud eos, quibus in hoc literarum genere suffragii ius est, dubio caret. Talibus vero praesidiis munitis esse oportet, qui eodem, quo Sandius, consilio Tertulliani scriptis ad obtegendos errores suos temere abutuntur. Neque vero metuo, apud quemquam valiturum esse alterum defensoris argumentum, quo reprehensionem Montanismi favore Cypriani erga Tertullianum eluere contendit eumque haereticum esse potuisse negat, quem martyr Cyprianus studiose legerit et elogio magistri honoraverit.<sup>c</sup> Quid enim? dicendi genus et orationis virtutes et disputandi vim non etiam in illis, quorum opiniones ceteroquin non probamus, imitari licet? aut Cyprianus Tertullianaeas dotes amare et acumen aut sermonis compositionem aemulari non potuit, quin simul eidem magistro suo in doctrina fidei et disciplina meliorem mentem precatus sit? Quam multi

a. Christ. Sandii Enucl. Histor. Eccles. Lib. I. p. 96.

b. Tertullianus Adversus Praxeonymos c. 1.  
c. Hieron. De Vir. Illustr. cap. 53.



veterum patrum post Cyprianum in Tertulliano laudando prope nimii fuerunt, ita lamen ut errores viri et temere probatas Montani ac muliercularum quarundam prophetias auctoritati eius multum obfuisse agnoscant et inter ingenii ac facundiae laudes illaudabilem Phrygum assestationem infament. Ita quidem nec hac nec ulla forsane defensione Tertullianus toties defectionem confessus, toties deprehensus eripietur. Et bene est, quod etiam Saggius agnito auxiliorum suorum vitio veritati cessisse et accusationi Tertulliano consentientibus omnibus intentatae subscripsisse videatur. Ille igitur viri ceteroquin in ecclesia prisca sine controversia praeclari error ut dissimulari nequit, ita dignum esset quod accuratius excuteretur argumentum. Et sunt etiam in omnium manibus Theologi Argentoratensis dissertationis septem<sup>a</sup> de lapsu Tertulliani ad Montanistas, in quibus tamen, qui accuratius scribendi genus amant, quae recidi possent invenient et vicissim quod adderetur desiderabunt. Indulget enim auctor excursionibus frequentioribus in tempora nostra nostrisque proxima et est saepenumero *πάρεργον* opere ipso maius rerumque recentiorum commemoratione negligitur Septimius, ut adhuc multa superesse videantur, si quis ex instituto quaestionem repeteret lapsusque illius causas, periodos et eventum consultis ubique temporum rationibus excutienda sibi sumeret. Nostrum non ita late patet institutum. Illud enim unice dignum examine nostro putavimus, ex utro genere singula Tertulliani scripta esse videantur; sapientne Montani haeresin an ante lapsum composita sint. Nam in disputationibus de rebus gravissimis ad hoc discrimen saepe provocatur et quisque Tertulliani liber, ut vel prodest alleganti vel nocet, defenditur vel infamatur; non sine illorum indignatione, qui Tertulliano nunc orthodoxi, nunc Montanistae personam, non ut cuiusvis scena postulat, sed ex praescripto veritatis imponi vellent. Qua in re ad constituendum certum discrimen nulla tutior via teneri posset, quam si annus, quo noster ad Montani sectam secessit, accurate determinaretur et investigata singulorum librorum aetate demum regula certa, qui ante illud bonae mentis deliquium, qui postea scripti sint, constitueretur. Hoc autem commode obtineri posset, si acutum illud et supra laudes nostras positum ingenium Rev. Abbat. Io. Laurentii Mosheimii eandem curam, quam in indaganda Tertulliani Apologetici aetate praestitit, ceteris etiam libris, ut olim pollicitus est<sup>o</sup>, impendere studiumque suum ad chronologicas minutias, sed sine quibus nobis in quaestionibus gravissimis aqua nonnunquam haeret, demittere non recusaret. Habet quidem haec opera illud difficultatis, quod aliqui Tertulliani libri certis et indubitatis temporum notis adeo vacui videantur, ut eorum aetas non dicam accuratis rationibus demonstrari, sed suspicionibus attingi vix possit. Sed pendet res ex cuiusque sagacitate et odora ingenii vi, quam nostri iudicii tenuitate metiri, temerariae confidentiae vitium foret. Itaque quamvis annales Tertullianeos condere suosque cuiuslibet libro annos assignare vel ex indiciorum penuria vel ingenii culpa non audeamus, in illud tamen

d. Io. Ioach. Zentgravi Dissert. VII. de Lapsu Tertulliani ad Montanistas.

loget. Tert. p. 82. in volum. dissert. ad H. E. pertinentium.

e. Io. Laur. Mosheim de Aetate Apo-

TERTULLIANI OPP. ED. OEHLEA. TOM. III.

discrimen, quo scripta Septimii Montanistica separantur ab orthodoxa inquirere animus est. Omnia vero rimantibus non tam differenti quaedam, quam potius ubivis obvium et omnibus qui supersunt Tertulliani libris impressum Montanismi studium apparuit; qua in re quam recte positi a nobis sint calculi, mox, quando per singulos libros circumeundo sententiae nostrae rationem reddiderimus, legentibus manifestum fiet.

## §. II.

In hos itaque tam anguste coactos instituti nostri fines non incurrunt quaestiones remotiores de Montano ipso, de Maximilla et Priscilla ceterisque, qui vel eodem spiritu agitati, vel eidem creduli fuerunt, nec magis aliae tractationes de sectae origine, fatiis et erroribus quae singula, ut oporteret, excutere maioris esset operis et diligentiae latius, quam tempora nostra permittunt, diffundendae. Nam pro singula, quae de his hominibus satis secure iactantur, inquisitione repetita scrutanda essent, cum illi sectae contingerit, quod multis aliis ut pauci, qui eam describendo attigerunt, odio vel gratia prorsus vacent eamque diligentiam et in investiganda veritate normam custodiant, sine qua tamen haeresium historiae facile vel in inconsultam defensionem vel in calumniam defluunt. Illud a nobis postulabitur ut quicquid antiqui patres de Montanistis memoriae prodiderunt, iterum opera, et vel eo nomine, quod ab aliis iam occupata sit, iterum describamus. Dabunt haec plena manu qui vel universam ecclesiae historiam vel haeresium catalogos texuerunt. Haec dignior ex parte quaestio foret, quid illa veterum testimonia veri ac solidi crepent et quid de Montanistarum accusatoribus et defensoribus antiquis et novis iudicio certo tenendum sit. Nam nec huic sectae, quamquam ab ecclesia toties notatae, patroni sui defuerunt; cum et olim eam adhaerentem Tertullianus defenderit et inter recentiores Rigaltius<sup>f</sup>, Gurtlerus<sup>g</sup>, illudque tot haereticorum praesidium Arnoldus<sup>h</sup> aliique operam suam et excusandi sollicitudinem ei commodaverint. Darent vel hi recentiores amplam disquirendi materiam, nisi defensiones eorum statim proderent, quod plerique veritati minus quam partibus studeant et immoderato Tertulliani ab haereseos foeditate vindicandi amore, aut vitio in novos prophetas et fanaticas turbas indulgentia saepius abripiantur. Illis enim, quorum intererat, Tertullianum orthodoxum servare, cum defectionem ad Montanistas in re manifesta negare non possent, nihil reliquum erat, quam ut ipsum Montanum defenderent et huius sectae nomen honestius redderent et unius magni asseclae auctoritate, vel quondam Pompeianas partes accessione Catonis, excusarent. Similiter alii, qui novis prophetis indulgent omnesque parum sedatae mentis motus quasi coelitus excitatos venerantur et minus credulos prophetae iactationis iudices ut persecutores oderunt, continuo cum Arnoldo prophetias Montani defensione, veteres autem ecclesiarum antistites, qui Spiritus S. charismata in Montanistis apparere ex certis indicis

f. Nic. Rigaltius in Praefat. ad Tertulliani Opera.

h. Arnoldi Kirchen- u. Ketzler-Historie P. I. Lib. II. cap. 4. §. 44.

g. Nic. Gurtleri Theologia Prophetica c.25. ,

negaverant, reprehensione dignos censuerunt. Ex hac perversitate studiorum et consiliorum, quibus defensores illi ad excusandos Montanistas descenderunt, facile patebit, semel sublatis quibus temere nituntur fundamentis, multa sine magno negotio dispelli posse, ut dispulit etiam plurima Heineccius<sup>i</sup>. Nos, ut diximus, a pingendis Montanistis propter summam in eligendis genuinis coloribus difficultatem cohibemus manum. Difficultatis autem plenum opus esse illi, qui Montanisticarum historiarum auctores eorumque fidem et peritiam ad examen revocabunt, experientur. Neque enim monendum esse puto, Philastrii et Epiphanius suspectam auctoritatem male tutum iter praebituram esse. Ne Hieronymum quidem et Augustinum et patres ceteros ab aetate Montani aliquanto remotiores testes secure citarem, nisi prius antiquiorum auctorum, ex quibus hi sua depromserunt, fidem exploraverim. Servavit enim Eusebius fragmenta vetustissimorum scriptorum de Montanismo, qui Montani aetatem attigerunt et, nisi fallor, ceteris omnibus in commemorandis huius sectae doctrina et fatis praeeundo scribendi materiam praebuerunt. Quae monumenta si dubiae fidei sunt et suspicione non una premuntur, quid in historia Montanismi nobis pollicebimur? aut quid de laticibus sperabimus, si fontes etiam nonnihil sordium vehunt? Quam multis vero locis etiam haec auctoritas prisca vacillet, paucis ostendemus, quando prius de ipsis auctoribus quaedam dixerimus. Eusebius<sup>k</sup> in describenda Montani secta auctore anonymo utitur, ex cuius libris tribus contra illam haeresin scriptis quaedam fragmenta servavit et operi suo intexuit. Hunc scriptorem Heineccius<sup>l</sup>, Tillemontius<sup>m</sup> et plerique recentiorum Asterium Urbanum fuisse putant, parum provide, meo quidem et, ut opinor, omnium qui Eusebii verba studiosius inspexerint, iudicio. Refert Eusebius, Apollinarium Hieropolitanum contra Montanistas scripsisse et cum eo plures viros doctos (*πλείους τῶν λογίων ἀνδρῶν*), ex quibus aliquis (*τῶν εἰρημένων τις*) suam cum novis prophetis habitam disputationem tribus libris complexus sit. Ille igitur quidem non Asterius Urbanus ab Eusebio dicitur nec fuisse potest, ut ex ipsis fragmentis, si curiose legantur, apparet. Allegat enim anonymus ipse librum Asterii Urbani suisque se verbis et allegationibus satis ab Asterio distinguit. Fraudi vero fortassis quibusdam fuit, quod haec verba crediderint Eusebii esse, cum sint anonymi, et Asterium Urbanum ab Eusebio citari putaverint, cum ab anonymo et, quod consequitur, cum Asterio non confundendo citata sint. Alter, cuius fragmenta quaedam Eusebius<sup>n</sup> servavit, Apollonius est, de quo mihi iterum sententia quorundam recentiorum, qui eum Montano vivo ac superstite scripsisse perhibent<sup>o</sup> suspecta viderur. Hieronymus enim, qui Apollonii librum ipse tractavit, ex eo refert<sup>p</sup>, Montanum et mulierculas vates vitam suspendio finivisse. Haec de auctoribus ipsis, quamquam levia, cura tamen et emen-

i. Io. Mich. Heineccius Prüfung der sogenannten neuen Propheten cap. VI. §. 12 sqq.

k. Euseb. Eccles. Histor. Lib. V. capp. 16 et 17.

l. Heinecc. cit. loco.

m. Tillemont. Mémoires pour servir à l'histoire eccles. Tom. II. P. III. p. 69 sqq.

n. Euseb. cit. loco cap. 18.

o. Tillemont. cit. loco p. 68.

p. Hieronym. De Vir. Illust. cap. 40.

datione digna videbantur. De fide ipsorum nollem cavillari, quod ipsum, si quis temere faceret, etiam difficillimum foret; cum et anonymus ille et Apollonius vetustissimi auctores sint ipsamque Montani aetatem attigerint. Neque tamen dubito, quin illi, qui ex his auctoribus ceteros sua descripsisse norunt, rigidius examen admissuri sint et facile concesserint, quando his indulgeretur, cetera quoque Montanisticae historia monumenta inemendabili dubitationis vitio involutum iri. Ac primum nescio, annon multos id unum offendere possit, quod vetustissimi rerum Montanisticarum auctores non tam historici studio partium prorsus vacui, quam potius in ipsis cum Montani grege controversiis volutati fuerint. Non equidem ignoro, de ceteris etiam plerisque sectis nullos alios historicos superesse, nisi qui simul adversarii fuerint. Sed hoc ipsum incommodum multas historiae haeresium partes lubricas reddidisse et sectatores certi ac veri religiosos in ancipitis dubitationis fluctibus misisse, utinam falso iactaretur! Tenebit hoc certe omnium eorum animos suspensos, qui hominum ingenia norunt, et quam facile viris ceteroquin integerrimis vincendi desiderium et disputandi artes quasi ex insidiis obrepant, exemplorum multitudinem didicerunt. Deinde anonymus ille Eusebianus, qui, ut diximus, Asterius Urbanus falso creditur, tribus libris suis id egit, ut disputationem, qua cum Montanistis Ancyrae congressus erat, ipse victor describeret.<sup>q</sup> Quod si caste ac religiose fecit, necesse erat, ut prius victoriae suae aliis persuadendae studium, quod inter humana vitia plerumque postremo loco deponitur, exueret. Atque ut controversiarum libri in rebus, quae facti sunt, saepe merito suspecti habentur, ita nescio, annon augeatur lectoris haesitatio, quando quis agonis sui simul et actor et iudex et praeco est, nec tantum contra suos adversarios pugnat, sed et quam feliciter olim pugnaverit, aliis narrando commemorat. Et gloriatur tamen anonymus ille de perturbatione, qua victoria sua Montanistas, et de gaudiis, quibus eadem orthodoxos impleverit.<sup>r</sup> Erunt fortassis etiam aliqui, quibus suspectum videbitur, quod, cum Ancyrani presbyteri hunc Montanistarum victorem rogassent, ut disputationis suae summam adhuc Ancyrae literis mandaret, ille tamen nescio quibus ex causis consultius duxerit, nec Ancyrae, ubi disputaverat, nec eo, quo rei gestae memoria penes hos, qui audiverant, adhuc recens esse poterat, tempore, sed post aliquod intervallum victrices suas orationes describere.<sup>s</sup> Accedit et hoc, quod vetus ille anonymus in describendis ac refellendis Montanistis non semper iisdem armis pugnet, sed altero libro ipsis concedere videatur, quod ademerat altero. Nam ecce, quando de prophetica Montani iactatione loquitur eumque redarguit, quod contrarium sentientes persecutorum loco habeat, tunc, quis, inquit, ex turba vestra Christi nomine vel

q. Euseb. cit. loco cap. 16.

r. Ibid.: ὡς τὴν μὲν ἐκκλησίαν ἀγασθῆναι καὶ πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἐπιβῆναι, τοὺς δὲ ἕξεναντίας πρὸς τὸ παρὸν ἀποκροουθῆναι καὶ τοὺς ἀντιθέτους λυπηθῆναι.

s. Ibid.: Ἀξιούντων οὖν τῶν κατὰ τό-

πον πρεσβυτέρων, ὅπως τῶν λεχθέντων κατὰ τῶν ἀντιδιατιθεμένων τῶ τῆς ἀληθείας λόγῳ ὑπομνήματι καταλίπομεν, — τοῦτο μὲν οὐκ ἐπράξαμεν ἐπηγγελάμεθα δὲ ἐνθάδε γράψαντες τοῦ Κυρίου δίδοντας, διὰ σπουδῆς πῆπειν αὐτοῖς.

supplicium passus vel flagris caesus vel lapidibus petitus est? Et tamen idem ille martyres, quos Montanistis detraxerat, libro tertio reddidit et aliquos fuisse fatetur, sed ad rem pertinere negat nullamque per eos auctoritatem novis prophetis accedere contendit, quum et Marcionistis et aliarum haeresium sectis sui sint martyres, quorum tamen sanguis errores opinionum perversarum non eluisset. Quod quam parum distet a contradictione, viderint, quorum interest horum fragmentorum auctoritatem integram servare. Illud nec in anonymo nec in Apollonio ferendum videtur et ni fallor omnium vitiosissimum est; quod in pingendis Montanistis colorem interdum vertant et desultorio more nunc de imposturis et fallendi artibus, nunc de entusiasmo, interdum etiam de agitationibus a malo genio profectis disputent et res longe diversissimas et quae in uno homine simul esse non possunt, in unum tamen characterem cogant. Oportebat autem cum aliquo discrimine versari et ut unicuique protinus constare possit, ex quo genere prophetae falsi fuerint, descriptione certa nec adeo varia constituere. Iam vero Montanus in historicis nostris aliquoties personam mutat et mox calliditate ac fraudibus fabulam agit, mox furit, mox agitur a diabolo. Ac fraudis eum aequae ac mulierculas accusari, vel ex eo manifestum est, quod initium turbarum ex immoderato φιλοπρωτείας studio cepisse, quod pecuniam captasse et vicissim ad conciliandos sibi et pascendos asseclas dedisse, quod foenus exercuisse, alea lusisse, corpus etiam molliter curasse et capillos tinxisse perhibentur\*; qualia in prophetam cadere possunt impostorem, non in eum, qui male tutae mentis aestu vel plane daemone aspirante corripitur. Et tamen idem ille Montanus apud eosdem auctores in ecstasin incidit et amentia bacchatur et in his demum ecstaticis motibus veri prophetae signum esse contendit. Ingerit se denique malus genius et Montanum modo impostorem aut entusiasmo correptum implet et quod omnium maxime mirum est, eum tam contumaciter occupat, ut etiam a viris piis eiici non potuerit. Aiunt enim auctores nostri, quamquam valde inexpectate, hypocritas obstitisse, quo minus diabolus expelli potuerit. Ita vero multi ancipites haerebunt, qui fieri potuerit, ut illi, qui daemonibus imperare et exilium indicere speraverant, ces-

i. Ibid.: Ἀπροκρινάσθωσαν ἡμῖν πρὸς Θεοῦ· Ἔστι τις, ὃ βέλτιστοι, τούτων τῶν ἀπὸ Μοντανοῦ καὶ γυναικῶν λαλεῖν ἀρξαμένων, ὅστις ὑπὸ Ἰουδαίων ἐδιώχθη, ἢ ὑπὸ παρανόμων ἀπεκτάνθη; οὐδεὶς. Οὐδὲ γέ τις αὐτῶν κρατηθεὶς ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος ἀνεσταυρώθη; οὐδὲ μὴν· οὐδὲ ἐν συναγωγαῖς Ἰουδαίων τῶν γαναικῶν τις ἐμαστιγώθη ποτὲ ἢ ἐλιδοβολήθη; οὐδαμῶς οὐδαμῶς.

ii. Ibid.: Ἐπὶ τοὺς μάρτυρας καταφενύγειν πειρῶνται λέγοντες πολλοὺς ἔχειν μάρτυρας καὶ τοῦτο εἶναι τεκμήριον πιστῶν τῆς δυνάμεως τοῦ παρ' αὐτοῖς λεγομένου προφητικοῦ πνεύματος· Τὸ δὲ ἔστιν ἄρα, ὡς ἔοικε, παντὸς μᾶλλον οὐκ ἀληθὲς· καὶ γὰρ τῶν ἄλ-

λων αἰρέσεων τινες πλείστους ὄσους ἔχουσι μάρτυρας κτλ.

x. Euseb. cit. loco cap. 18.: (οὗτος ὁ Μοντάνος) ὁ πρακτικῶς χρημάτων καταστήσας· ὁ ἐπ' ὀνόματι προσφορῶν τὴν δωροληψίαν ἐπιτεχνόμενος, ὁ σαλάρια χορηγῶν τοῖς κηρύττουσιν αὐτοῦ τὸν λόγον, ἵνα διὰ τῆς γαστριμαργίας ἢ διδασκαλίας τοῦ λόγου κρατῶνται — Προφήτης, εἶπέ μοι, βάπτεται; προφήτης τὰ βλαῖς καὶ κῆθος παίξει; προφήτης δανείξει; ταῦτα ὁμολογησάτωσαν πότερον ἢ μὴ· ἐγὼ δὲ ὅτι γέγονε παρ' αὐτοῖς δεῖξω.

y. Ibid.: ἀκουσὼ μανίᾳ ψυχῆς.

z. Ibid.: Ζῆ ὁ Θεὸς ὁ ἐν οὐρανοῖς, ὅτι Σωτῆρ ὁ μακάριος ὁ ἐν ἀγγελοῖς ἠθέλησε τὸν δαίμονα τῆς Πρισιπίλλης

serint tamen hypocritis et qui contra spirituum virtutem arma non sine spe vincendi induerant, artificiiis hominum succubuerint? Talia in vetustis Apollonii et anonymi fragmentis etiam eos male habebunt, qui ceteroquin nomen incredulorum minime affectant. Nos certe nihil cavillandi temeritati dedimus et quam procul ab ea simus, ipsa fragmentorum verba, quae descripsimus, protinus ostendent. Itaque quid de Montanistarum historia certi et explorati nobis pollicebimur, si scriptores etiam coevi talibus vitiis urgentur? quam adhuc multa in his ipsis auctoribus observari forte possent, si superessent integri, cum tot naevis etiam fragmenta conspicua sint? quid denique recentioribus faciemus, a quibus laeices puriores inique postularentur, quandoquidem eos ex his fontibus deduxerunt? Adde, quod Montanismo idem acciderit, quod aliis sectis bene multis, ut aetas discipulorum peior praeceptoribus auctores sectae ipsos infamaverit et sequacium culpa redundarit in magistros<sup>a</sup>. Adde, in historiis Montanisticis hunc veluti proprium ac, singularem scopulum esse, quod cum Montanistis aliqui confuderint Montenses seu Donatistas<sup>b</sup>, nominumque confusione simul reprehensiones huius haereseos et errores suos multiplicaverint. Quae si quis omnia perpendat, fatebitur, Montani sectam inter eas pertinere, quarum historiae dubiis plenissimae sunt et de quibus vulgo plus dicitur, quam scitur.

### §. III.

Quae cum ita sint, malimus causam Montanistarum iniudicatum relinquere, neque nocebit instituto nostro, si generalem de universis et singulis sectae erroribus quaestionem, quae in ordinem dicendorum necessario non incurrit, omiserimus. Quicquid enim de ceteris eorum dogmatibus tenendum sit, illa certe, quae Tertullianus ab eis accepit, designari ac velut in digitos diduci possunt. Nimirum hos errores ipse suomet indicio prodit et quando contra Psychicos vel Catholicos disputat, tunc ipse sua manu maculas, quibus in communione cum Montanistis aspersus est, reteggit. Quorum omnium catalogum iam alii<sup>c</sup> satis diligenter texuerunt multisque argumentis probarunt, quod primus viri error et ex quo ceteri fluxerunt, in falsa de Montani prophetiis persuasionem versatus sit. Huius enim Montani et quarundam muliercularum ecstaticis motibus Spiritum S. novae revelationis auctorem, verum Paracletum, intervenire censet et ex ore suorum vatum doctrinam Apostolorum suppleri novisque praeceptis disciplinam ecclesiae severiorem et, quod consequeretur, perfectiorem reddi posse contendit. Hoc Montanistico genio adspirante moechis ecclesiae foeres obserat, Christianis secundarum nuptiarum foeditate, ut ait, interdicit, fugientibus in persecutione viam pracludit, ieiunia multiplicat et legis necessitate veluti sancit, ut cetera taceam, quae de spe

*ἐκβαλεῖν, καὶ οἱ ἑποκρίται οὐκ ἀφῆ-  
καν.*

a. Tillemont. cit. loco p. 60.

b. S. Optatus De Schismate Donatist. Lib. II. cap. 4. et ad eum locum notae Dupini Constant. Epist. Rom. Pontif. Tom. I. p. 655. Tillemont. cit. loco p. 59.

Melch. Leideckeri Histor. Eccles. Afric. Tom. II. p. 61.

c. Zentgrav. Diss. De Lapsu Tertull. Ad Montan. Diss. V. §. 4. Tillemont. Mémoires pour servir à l'Histoire Eccles. Tom. III. P. I. p. 366. Allix. De Vita et Scriptis Tertull. cap. V.



regni mille annorum, de virginibus velandis, de militia in Christianis non ferenda et de quibusdam disciplinae capitibus, alias in Christianorum libertate positis sed Montanistarum tetrica severitate velut imperio praescriptis, passim in libris suis iactat. Quae quamvis pleraque Tertulliano iam sua natura satis austero nemine etiam praeceunte in mentem venisse ac ipsi potius domi nata, quam a Montanistis arcescita videri possent, est tamen duplex iudicium, ex quo intelligimus, quod ex Montanistica moneta sine dubio sint. Nullum enim ex his, quae modo recensuimus, capitibus tetigit, quin vel ad eius confirmationem auctoritate novorum prophetarum utatur vel in eiusdem defensione Psychicos exagitet, neutrum vero, nisi ab eo, qui relictis Catholicis Montani castra sequebatur, fieri potuisse immotum est. Quod pluribus testimoniis ex Septimii operibus ostendere tam facilis quam exuberantis foret. Nam et ab aliis collecta sunt, et pleraque, quando per singulos eius libros Montanismi convincendos circumibimus, producentur, adeoque superfluum esset, hunc etiam locum multitudine testimoniorum onerare. Succedit igitur, ut illud unum, quod opellae frons profitetur, nimirum omnes, qui supersunt, Tertulliani libros tunc demum, postquam Montanisticis erroribus infectus erat, prodiisse videri, accuratius ostendamus; quod ipsum, quando prius pauca de ratione, quam in examinandis Tertulliani scriptis tenere oporteat, praefati erimus, argumentis haud fallacibus, ut opinor, demonstratum dabimus.

#### §. IV.

Ac primum quidem monuisse iuvabit, ne quis eos tantum libros a Tertulliano Montanista scriptos esse putet, quos Hieronymus pro Montanistis compositos esse retulit<sup>d</sup>. Qui ita censuerunt, interpretatione verborum Hieronymi falsa ducuntur, et quam parum in lectione Tertulliani volutati sint prodidere. Nam manifestum est, Hieronymum non id agere, ut libros orthodoxiae prolatae ab his, qui erroribus haereticis infecti sunt, accurato discrimine separet, sed ut eos tantum, quos ex professo contra ecclesiam scripserat et qui Montani dogmata non solum sapiunt, verum etiam tuentur, indicaret. Nihil dubii verba eius relinquunt, in quibus commemorat *βιβλους, ἃς ἰδίως κατὰ τῆς ἐκκλησίας κατεγράψατο*, libros, quos proprie contra ecclesiam scripsit. Quae si quis ita interpretaretur<sup>e</sup>, ac si praeter eos, quos hoc loco Hieronymus recenset, haereticae labis omnes puri essent, nae ille in exiguum numerum Montanistica Septimii scripta cogeret et argumentorum in contrariam opinionem euntium spissa nube refelli posset. Interest vero multum, utrum liber ad excusandam et ex instituto defendendam haeresin compositus sit, an tantum indicium quibusdam, quod auctor, cum ad eum scribendum se conferret, in perversitate sententiarum iamiam haeserit, legentibus prodatur; vel ut binis verbis rei discrimen edisseramus, utrum pro Montanistis an in Montanismo scriptus sit. Illius generis libros Hieronymus recensere voluit, nos huius, parumque roboris haberet argumentum, quod ex Hieronymi brevi catalogo ad imminuendam et coarctandam prolixitatem nostri converteretur. In multis, et ut osten-

d. Hieronym. De Viris Illustr. cap. 53. mittamus, Io. Fabricius in Hist. Bibliothecae suae P. I. p. 155 sqq.  
e. Ita vero interpretatus est, ut alios

demus, in omnibus, qui supersunt libris suis Tertullianus se Montani assecclam praestitit, defensorem in paucis; et quamvis Montanistica illa sica ubivis succinctus videatur, eam tamen rarius et tunc demum, quando scribendi materia etiam digladiandi campum aperire videbatur, contra Catholicos eduxit. Hinc adde alterum, sed cuius eo magis memores nos esse oportebit, quo securius a plerisque negligitur, ne quis properata facilitate librum Tertulliani a Montanismi suspicione statim absolvat, qui nulla illius haereseos vestigia continet. Quamvis enim prima facie peregrinum ac prope iniquum videri possit, etiam illis libris, qui labe Montanistica carent, accusationem intentare et cum periculo calumniae suspicionibus aliunde petitis inniti, magnum tamen, nisi vehementer fallimur, in temporum ratione momentum positum et certissima collectio est, eum librum, qui nulla quidem indicia Montanismi per se praebet, sed secundum scribendi tempus et ordinem post alium, qui a Tertulliano iam Montanista compositus erat, prodiit, hoc unico, quod ab aetate recentiore petitur, argumento Montanismi convinci posse. Nunquam enim certis testimoniis probatum est, Septimum nostrum ab assecclatione Montani ad bonam mentem et ad ecclesiae, quam deseruerat, gremium rediisse. Quare, si Tertullianus non solum in Montanismum incidit, quod dubio carere puto, rerum etiam usque ad finem vitae, ut erat in receptis sententiis constanter defendendis contumacissimus, perstitit, quid prohibet, quo minus aliquos eius libellos multis quidem huius haereseos maculis signatos, aliis tamen libris sine dubio Montanisticis recentiores et hinc in ea quam semel receptam nunquam deposuit opinionum perversitate scriptos inter Montanisticos coniciamus? Non omne, quod explicandum sibi sumserat Tertullianus, argumentum earum quaestionum tractationem recipiebat, de quibus inter Catholicos et Montanistas disputabatur. Et quamvis nullam facile occasionem contra Catholicos stomachandi suosque prophetas magnifice collaudandi Septimius noster omisisse videatur, non omnes tamen, quas tractare coeperat, materias novorum prophetarum elogium admisisse nec semper opportunum ad tentandam in Psychicos eruptionem campum praebuisse palam est. Itaque vel subscribendum erit regulae ac finitioni nostrae, libros nimirum cetera non suspectos solius temporis argumento Montanisticis iure adiungi, vel evincendum, Tertullianum receptas a Montani grege sententias iterum deposuisse. Quod postremum cum vix ulla veri specie defendi possit, utar postea saepenumero norma, quam modo duxi, nec admittam cuiuscumque libelli Tertulliani ex defectu errorum Montanisticorum defensionem, homo ceteroquin ad accusandum minime pronus et calumniarum nullam magis, quam qua innocentes vel homines vel libri haereseos insimulantur, perosus. Huic sententiae nostrae obstare posset alia, prorsus in contrarium circumacta, quae ne quidem illos Tertulliani libros, qui dogmatibus Montanismum redolentibus maculati sunt, in catalogum eorum, qui ab ipso iam Montanista scripti essent, tuto reiici patitur. *Nam plerosque, inquit celeberrimus Moshemius<sup>f</sup>, eorum errorum, quos in Montano Christiani recte sentientes damnarunt,*

f. Mosheim. de Aetate Apologetici Tertulliani §. XVI. nota.

*iam ante fovit homo hic supra modum tristis et severus, quam Montanus res novas inter Christianos moliretur.* Ego Tertullianum per tetricam et austeram indolem in eosdem errores, quos postea Montanus propalavit, tametsi ne quidem ille praevisset, incidere potuisse, non concesserim tantum, verum etiam contenderim. Est inter unius sectae homines quaedam ingeniorum conspiratio et similitudo, tamque peregrinum foret, ut Aristippum Cato sequeretur, quam frequens, ut Calonis similes fortiter et constanter rem agant, etiamsi porticum nunquam frequentaverint. Itaque Tertulliano Montanismum quendam ante Montanum obrepere potuisse, nemo, nisi qui hominum ingenia nescit, negaverit. An reapse viro haeserit, quaestio est, ut dicimus, facti, ad cuius finitionem coniecturae de similitudine ingeniorum non sufficiunt. Si Eusebio credimus, Montanus prophetias suas et errores spargere coepit circa annum CLXXI. Itaque si plena securitas in ea re definienda quaereretur, quaerendus esset ex operibus Tertulliani liber, qui ex certis temporum notis ante Montanismi primordia scriptus crederetur. Qui si doctrinas contineret, quas demum ex officina Montani prodiisse et inde ad Tertullianum pervenisse credideramus, utrumque evinceretur, tam quod Tertullianus etiam nondum Montanista eosdem, quos a Montano demum accepisse vulgo putatur, errores foverit, tum quod valde lubricum foret, ex maculis doctrinae ac disciplinae de discrimine librorum Tertullianeorum suffragium ferre. Iam cum nondum designatus sit eius liber, qui anno CLXXI. antiquior ex iustis causis haberi debeat, multum ab illa Montanismum Tertulliani ante Montanum statuendi securitate decrescit. Haud equidem contenderem, fieri non posse, ut singulis Tertulliani libris sui natales anni adscriberentur, quoniam, ut antea diximus, de aliena sagacitate desperare conscientia mediocritatis nostrae nos cohibet. Sed utamur interim hac exceptione notosque illos Montanistici gregis errores Tertulliano iam ante Montani tempora quasi ex suo fundo natos et ab eo propositos esse prius non admittamus, quam liber Tertulliani, qui ex indubiis argumentis Montani aetatem antecedit, designatus sit. Quod si fiat, plane fatebimur, lubricum esse, de discrimine librorum, quos ille vir vel cum adhuc cum Catholicis faceret vel postquam ad Montanum desciverat, scripsisset ex errorum Montanisticorum sapore iudicare. Ceterum nec hanc graduum veluti scalam admiserim, qua nonnullos usos esse video in distinguendis libris a Tertulliano recte sentiente, Montanizante, et Montanista conscriptis<sup>g</sup>, vel ut Pearsonius loqui solet, qui inter Tertulliani Montanismum nascentem et adultum discrimen statuit<sup>h</sup>. Carent haec finibus certis nec minus ambiguus vultus esset Montanizantis et Montanistae, quam eius, qui aegrotare incipit et aegrotantis. Nisi forte dicamus, Montanizantis libros esse, qui quidem Montani dogmatibus infecti sunt, sed recte sentientes non exagitant; Montanistae vero, qui haeresin non solum continent, verum etiam contra Catholicos ea, qua solet Tertullianus, erga partes adversas acerbitate defendunt. Ita certum haberemus vocum ceteroquin ambiguarum discrimen, quod tamen nec

g. Zentgrav. loco cit. Dissert. IV. §. X. seqq.

h. lo. Pearsonii Vindic. Ignatian. P. II. cap. 11.

Zentgravius nec Pearsonius secuti sunt. Quare ut ad propositum redeamus, duplex est indicium, quo liber Tertullianus Montanismi convincitur, alterum, si doctrinas, quales Montanum et eius mulieres, postquam vaticinari coeperant, sparsisse novimus, contineat easque novi Paracleti auctoritate confirmet et contra recte sentientes, vel ut in his controversiis contumeliosa nomina volitant, Psychicos defendat; alterum, si labis Montanisticae quidem purus, verum non tam ob sanam auctoris mentem, quam quod peccandi occasio defecerit, integer sit, aetate tamen ex certis indiciis eruenda libellos alios indubitati erroris sequatur, et hinc in haeresi non quidem ubivis manifesta, Tertulliani tamen usque ad vitae finem perpetuo et individuo comite, conscriptus sit. Itaque circumeamus huius auctoris Montanismo aegri lectum, et cuiusque libri causa venam tentemus, quo id, opinor consequemur, ut vel ipsos Montanismi motus et veluti paroxysmos deprehendamus, vel si etiam his erumpendi locus haud fuerit, ex rationibus temporum coniectemur, librum ab aegro et velut in eo lectulo, unde nunquam per omnem vitam resurrexit, compositum esse.

## §. V.

Atque ut a certis, quod in omni scriptioe decorum, in hac prorsus necessarium est, ordiamur, litem cum nemine, nisi cum eis, qui Tertulliani adversus omnem Montanismi suspicionem temere defendendi studio insane ducuntur, habebimus, si libros eius de Monogamia, de Fuga in Persecutione, de Ieiuniis et de Pudicitia in censum scriptorum sine controversia Montanisticorum reiecerimus. Nam ut recentiorum prope omnium consensum, qui magni momenti esset, rem tamen non conficeret, mittam, unus sed magnus testis Hieronymus<sup>i</sup> sufficere posset, qui si vel nullis aliorum argumentorum auxiliis corroboraretur, nobis persuaderet, tractationes Tertulliani *περὶ σωφροσύνης, περὶ διωγμοῦ, περὶ ἡστείας, καὶ περὶ μονογαμίας* inter eas esse, *ὡς ἰδικῶς κατὰ τῆς ἐκκλησίας συνεγράψατο*, quas proprie contra ecclesiam scripserat. Atqui dubio carere puto, libros plane pro Montanismo et ad tuendam eius causam conscriptos ab auctore haereseos puro componi non potuisse. Ac si quis Hieronymi auctoritatem repudiaret, Tertulliani tamen ipsius fidem haud recusare posset, qui toties in seipsum suaeque opinionis perversitatem testimonium dicit, quoties contra Psychicos, ut solet in his libris frequentissime, debacchatur. Psychicorum autem nomen, ut notissimum, et in hac opella iam pluries indicatum est, per contumeliam a Tertulliano recte sentientibus dari, quis rerum ecclesiasticarum peritus probandum postularet? Nisi quis forte novus exoriatur Martinus Peresius, qui cum catholicae religioni addictus ieiunia et quaedam alia Montanistarum dogmata cum suis suorumque opinionibus conspirare, Psychicos vero illis contradixisse animadvertisset, nescio quos haereticos hoc elogio exagitari credidit eoque nomine merito a viris celeberrimis Io. Dallaeo<sup>k</sup> et Ern. Salomone Cypriano<sup>l</sup> reprehensus est. Talia vero

i. Hieronym. De Viris Illustr. cap. 53.

k. Io. Dallaei de Ieiun. lib. II. cap. 3.

l. Ern. Salom. Cyprian. in notis ad Hieronym. cit. loco.

posthac cuiquam in mentem venire posse, timere vetat vulgata etiam inter tirones notitia, quod Tertullianus, postquam semel pro Montanistis contra Catholicos gladium strinxerat, hos iniqua contumelia *ψυχικὸς* seu *animales* homines, illos *πνευματικὸς* seu *spirituales* appellavit. Itaque omnes Tertulliani libros, in quibus illud contumeliosam Catholicorum nomen *Psychici* legitur, ad scripta Montanistica sine dubio pertinere immotum puto. Ac si singulos, quorum inscriptiones modo commemoravimus, libros excutiamus, ille de Monogamia statim in ipso limine totum veluti apparatus Montanismi suspensum ostendat. *Haeretici*, inquit Tertullianus mox in initio libri<sup>m</sup>, *nuptias auferunt, Psychici ingerunt*, seu quod idem est, in duobus extremis peccatur, et ab haeticorum quorundam sectis, quae nuptias perosae caelibatum imperant et a ceteris Christianis, qui matrimonia multiplicant. Inter hanc vitiosam haeticorum continentiam et Psychicorum licentiam media via incedere Montanistas putat, quibus Paracletus suus in ore Montani manifestus nuptias quidem concesserit, sed unas, cum contra Catholici, seu, ut eas Tertullianus ob animalium cupiditatum impetum iterum appellat, Psychici vel ex hac sola causa Spiritus S. charismata in Montano non agnoscant, quod disciplinam severiorem introducat et magis onerosa, quae Deus antea praecipere distulerat, officia per novos prophetas nunc exigat<sup>n</sup>. Sufficere haec pauca possunt, ut ex ungue leonem agnoscamus. Neque enim indicia Montanismi cetera, quae in singulis prope capitibus obvia sunt, colligemus, praesertim cum nemo, quod sciam, ex recentioribus dubitaverit, quin Tertullianus, quando de monogamia scribebat, Montanismo aeger decubuerit. Librum de ieiuniis vel ex sola, quam immotam posuimus, temporum regula Montanisticis adscribere liceret. Est enim post tractationem de Monogamia compositus<sup>o</sup>, adeoque si vel indicia cetera deessent, ad vitiosum Tertulliani statum, qui postquam semel virum occupaverat, ad finem vitae duravit, solo aetatis argumento pertinere videretur. Sed ad has probationes tunc demum, quando alia nulla in promptu sunt, recurrimus. In hoc libello talibus quidem auxiliis non opus erit. Nam iterum in ipso velut ostio cum Psychicis altercatur eisque saginam et remissam ieiuniorum disciplinam exprobrat, et illud inter suorum *spiritualem disciplinam* et adversae partis *animalem fidem* discrimen iactat, et ut solet vir acerbe dicax, novis nominibus *multinubentiae* et *multivorantiae* Psychicos insectatur. Illud etiam unum rem omnem conficeret, quod Montanum et Priscillam et Maximillam, propheticum nempe suum gregem, a Psychicis repudiari, plane etiam anathemate vexari queratur<sup>p</sup>. Omnis vero tractatio perpetuam adversae partis, ut gulae ventrique deditae, exagitationem, asperi vero Montanistarum rigoris in ieiuniorum, stationum et xerophagiarum<sup>r</sup> observatione positi defensionem et laudem continet, ut

m. Tertullianus de Monog. cap. 1.

n. Tertull. ibid. cap. 2.

o. Idem de Ieiuniis cap. 1: *De modo quidem nubendi iam edidimus monogamiae defensionem.*

p. Ibid.: *Paracletus controversiam faciunt;*

*propter hoc novae prophetiae recusantur, non quod alium Deum praedicent, Montanus et Priscilla et Maximilla — et paulo post: quaque ex parte anathema audimus, qui aliter adnuntiamus.*

q. De his praeter alios multos vid.

prope numeri capitum numerum indiciorum Montanismi aequare videntur. In libro de Pudicitia idem dominatur adversus Psychicos odium<sup>r</sup>, eadem contra disciplinae laxitatem indignatio, quam, cum libellum Tertullianus scriberet, magis adhuc excitaverat episcopus, dubium Romanus an Carthaginensis, qui omnibus post baptismum adulterii labe contaminatis, sed poenitentibus, veniam ab ecclesia datum iri publice pollicitus erat. Pervulgatum autem est, ex Montani sententia moechis non minus quam idololatri ac homicidis ecclesiae portam in perpetuum obserandam fuisse<sup>s</sup>. De iactatione Paraleti et de Psychicorum nomine, quod in hoc libello frequenter ingeminat Tertullianus, dicere mitto. Iam enim ad binos superiores libros animadvertimus, certissima Montanismi vestigia in his diceriis contineri. Illud denique, quod de Fuga in Persecutione inscribitur opusculum, quamquam ab Hieronymo inter eristica et ex professo catholicis opposita reponitur, tam acerbe tamen, quam quidem tria proxime commemorata, Catholicis non insultat. Montanisticis vero iactationibus et praesertim illa gloriatio de suo Paralecto deductore in omnem veritatem non caret<sup>t</sup>, ubivis autem illud magnum, et quod unum sufficere posset, emergit indicium, rigor supra modum extensus et persecutionis evitatio vehementius, quam fieri oportebat, damnata. Satis etiam Tertullianus discrimen, quo sua Montanistarumque sententia deflueret in hoc argumento a ceteris Christianis indicat crediderimque Fabium, ad quem liber de Fuga scriptus est, a Montani grege tunc alienum fuisse, quoniam Tertullianus eum et quos sequebatur a secta sua perspicue separat<sup>u</sup>, et doctrinam de vitanda vexationis fuga, quae Montanistis inter praecipuas et quotidianas erat, a Fabio duram et intolerabilem habitum iri suspicatur<sup>x</sup>. Talia, ni fallor, Montanismum libri satis evincunt. Adderem aliud argumentum, quod non minus potens esset, sed vim tamen suam, postea demum, quando de aliis quibusdam Tertulliani libris disputaverimus, plenius explicabit. Puto enim ostendi posse, Tertullianum prius ad Montanistas defecisse, quam Christiani sub Severo primum a praesidibus provinciarum, novissime vero per edicta Imperatoris ipsius vexari coeperant, adeoque cum adhuc ecclesia pace frueretur. Veniet mox hac de re latius disserendi locus. Hic vero de Fuga liber, cum persecutiones iam inardescerent,

Calvoer Rituale P. II. p. 299. Pfanner Observ. Eccles. Tom. II. Obs. IV. et VI. Cabassut. Notit. Eccles. Saec. II. Diss. XX. p. 55. Christoph Iustelli Notae in cod. Canon. Eccles. Univ. p. 89. Coteler. ad Hermae Pastor. Lib. III. p. 104. seq. edit. Cleric. Bevereg. Annot. in Canon. Apost. cap. 69. Io. Cassian. De Institut. Coenob. Lib. IV. cap. 21 et 22. et ibi comment. Alardi Gazaei C. F. Christoph. Angeli Historia Graeca p. 759. sqq.

r. Tertullian. de Pudicitia cap. 1: *Erit igitur et hic adversus Psychicos titulus.*

s. Holtlinger de Poenitentia p. 9 sqq. Dallaeus de Auric. Confessione Liber IV.

cap. II. Morinus de Administrat. Sacram. Poenit. Liber I. cap. 4. p. 8. Io. Dartis. de Canon. Discipl. circa Poenitent. cap. VIII. Opp. T. III. p. 56. Alhaspinaci Observ. XXII. eiusque et aliorum not. ad Tertullian. de Pudicitia. Orsi Diss. de Capital. Crim. Absolut. Sect. II.

t. Tertullian. de Fuga in Persecut. cap. 1 et 14.

u. Ibid.: *Procuranda autem examinatio penes vos, qui, si forte, Paralectum non recipiendo deductorem omnis veritatis, merito adhuc etiam aliis quaestionibus obnixi estis.*

x. Ibid. cap. 14.



nec obscurus earum metus sed praesens atrocitas ecclesiam terreret<sup>7</sup>, immo, ni fallor, cum edicta sua Severus iamiam proposuisset<sup>8</sup>, conscriptus est. Haec de quatuor libris dicta sunt, quos auctoritas Hieronymi et, quae longe potentius argumentum praebet, ipsius Tertulliani suscepta pro Montanistis defensio et nimia in Catholicos asperitas haereseos convincunt.

### §. VI.

Qui praeter hos quatuor supersunt, Tertulliani libros ad unum omnes indicia quaedam Montanismi manifesta vel obscuriora, certa tamen continere, nunc ostendendum est. Qua in re veluti normae loco nobis erit Severi persecutio, quam in Africa primam fuisse ex causis idoneis viri docti dudum suspicati sunt. Cui ego sententiae non ideo quidem subscriberem, quod ante saeculum secundum nullam ecclesiam in Africa fuisse cum Eman. Schelstratio<sup>a</sup>, Anton. Pagi<sup>b</sup> et Ios. August. Orsi<sup>c</sup> putarem. Est enim huius opinionis fons non adeo purus a partium studio, sed ex immoderata callidaque sollertia, quae Africanas ecclesias tanquam colonias ex Romana ductas, et hinc Episcopo Romano subiectas esse probare satagit, ut a Melchiore Leydecker<sup>d</sup> iam observatum est, erupit. Sed quod ante Severum in Africa martyres nulli fuerint, vel solus Tertullianus nobis persuaderet, qui in libro ad Scapulam<sup>e</sup> *Vigellius Saturninus*, inquit, *primus hic gladium in nos egit*. Atqui ex Actis Martyrum Scillitanorum, quae Baronius<sup>f</sup>, Mabilionius<sup>g</sup> et Ruinartus<sup>h</sup> ediderunt manifestum est, Saturninum imperante Severo praesidem Africae fuisse. Nec sine robore argumentum est, quod in vetustissimo quodam ecclesiae Carthaginiensis Calendario, nullius martyris Severiana persecutione antiquioris nomen relatum extet<sup>i</sup>. Itaque si Severus imperatorum primus Africam affixit et ab eius praesidibus, antequam ipse edicta proponeret, Christiani vexati sunt, ut celeberrimus Moshemius<sup>k</sup> invictis argumentis ostendit, sique demonstrari potest, Tertullianum, antequam edicta Severi scripta fuerint, immo antequam praesides a populo militibusque incitati contra Christianos nullo etiam Severi iusso saevirent, cum Montanistis fecisse, non dubitandum est, quin libri, qui persecutionis vel iam fervescentis vel proxime metuendae mentionem faciunt, in Montanismo compositi sint. Iam quod liber de Corona, cum adhuc ecclesia pace frueretur nullaque vel Severi vel praesidum atrocitas erupisset et ta-

y. Ibid.: *Quanto enim frequentiores imminet persecutiones, tanto examinatio procuranda est, quomodo eas excipere fides debeat* et cap. 12.: *Antichristo iam instante et in sanguinem, non in pecunias, hiante Christianorum.*

z. Ibid.: cap. 12.: *cum Christianum legibus humanis reum mercede dimittit.*

a. Em. Schelstrat. De Eccles. Afric. Diss. I. cap. 2.

b. Anton. Pagi Critica ad Baron. ann. XLII. n. 5.

c. Ios. Aug. Orsi Diss. de Capital. Crim. Absolut. cap. 5. p. 138.

d. Melch. Leydeckeri Histor. Eccles. Afric. Dissert. praelim. Sect. I. et P. II. cap. XV. p. 267.

e. Tertullian. ad Scapul.

f. Baron. Annal. ad. a. CCII.

g. Mabilion. Vet. Analect. p. 172. edit. Paris a. 1723.

h. Theod. Ruinarti Acta Martyr. p. 56.

i. Ios. Aug. Orsi cit. loco p. 178.

k. Moshemius de Aetate Apologetici Tertull §. VIII sqq.

men in Montanismo conscriptus sit, ex indubiis indiciis palam est. De Montanistica libelli labe vel ipsa scribendi occasio testimonium praebet. Distribuebatur ex liberalitate Severi militibus donativum, inter quos aliquis coronam lauream sibi datam capite gestare noluit et cum otiosam in manibus teneret et tantum non contemnere videretur, causam rogatus: *Christianus sum!* respondit. Quod factum variis etiam Christianorum iudiciis exceptum est. Nam qui putabant persecutionem nec fugiendam nec quacunque demum dissimulatione vitandam, adeoque Christianis ab omnibus ceteroquin etiam innocuis, sed aliquam sacrorum ethnicorum communionem involventibus, signis et ornamentis abstinendum esse, tametsi quis eorum contemptu se Christianum proderet (erant autem in hac sententia Montanistae), illis miles fortiter et heroice et ut Christianum deceret fecisse videbatur. Ceteri vero, qui a Montano eiusque vigore magis alieni erant, non posse tantum coronam accipi, verum etiam, ne pax ecclesiae contenta donorum Augusti turbaretur, retineri oportere contendebant. Contra quos Tertullianus pro milite libellum de Corona peracrem composuit, et de Fuga in Persecutione doctrinam eandem defendit, quam in libello qui de Fuga ex professo scriptus et inter eos qui sine dubio Montanistici sunt a nobis modo collocatus est iterum edisseruit. Atqui haec doctrinae utriusque libelli similitudo vel sola convincere nos posset, Tertullianum non minus Montanismo decubuisse, cum de Corona, quam cum de Fuga scriberet. Praeterea, quid clarius illa Catholicorum increpatione<sup>1</sup>: *Plane superest, ut etiam martyria recensare meditentur, qui prophetias eiusdem Spiritus Sancti respuerunt.* Atqui prophetiae, quas Tertullianus repudiatas esse queritur, nullae sunt aliae, quam Montani, Priscillae et Maximillae. Ducunt nos haec vestigia, ni fallor, ad Montanismum in libro de Corona deprehendendum, et ex eorum indicio viri docti hanc scriptionem inter haereticas iamiam reiecerunt<sup>2</sup>. Alterum, quod ad librum de Corona observatione dignum est, ad aetatem eius pertinet. Scriptus enim videtur, cum ecclesia Africana nullo adhuc vexationis genere tranquillitatem suam turbari sensisset. Ipse Tertullianus de his, qui factum militis imprudens et ecclesiae noxium fore querebantur, *Mussitant, inquit, tam bonam et longam pacem periclitari.* Ergo et longa pax ecclesiae tunc contigerat, et bona, quod ni fallor efficit, ut credamus, eam ne a praesidibus quidem, multo minus edictis Augusti, cum Tertullianus haec scriberet, turbatam fuisse. Pertinet igitur libellus ad eos, qui persecutionem Severianam antecesserunt, quod iamdudum agnoverunt viri docti praeter Tillemontium<sup>3</sup>, quippe qui post longum demum temporis intervallum, nempe anno CCXXXV., quo Maximinus imperabat, compositum esse non tam ex certis argumentis, quam potius, ut hypothesis suae serviat, contendit. Viderat enim vir doctus, librum de Corona contra Montanismi suspicionem defendi nullo modo posse et

1. Tertullian. de Corona cap. 1.  
 m. Baron. Annal. ad a. CCL. Bebel.  
 Antiq. Eccles. Saec. III. art. VII. p. 973.  
 Tillemont. Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique. Tom. III. P. I. p.

384. Fleury Histoire Eccles. liv. §. II.  
 Basnagii Annales Polit. Eccles. ad a. cc.  
 §. VI. Allix De Vita et Scriptis Tertull.  
 Cap. V. p. 37. Zentgraf. Diss. IV. §. XI.  
 n. Tillemont. cit. loco.

si ante Severianam persecutionem scriptum esse admitteremus, eum bene multos alios Tertulliani libellos in hanc reprehensionem haereseos secum veluti tracturum esse, nimirum eos omnes, quos quoad Severi vexatio ardebat prodiisse certis indiciis constat. Dederunt autem Tillemontius et praeter eum plures ex Pontificiis operam, ut aliquot Tertulliani libellos, quid ex hoc argumento Montanisticae haereseos convinci possent, defenderent tanquam orthodoxos. Ego Tillemontii sententiam non solum, quod omni argumentorum praesidio careat, sed et quod temporum rationem perturbet, omnino repudiandam esse crediderim. Nam primum illud obiici posset, ne vixisse quidem videri Tertullianum, cum Maximinus imperaret. Neque tamen hoc contumaciter urgerem, cum omnis de tempore mortis Tertulliani quaestio dubiis multis involuta sit, et Petrus quidem Allixius, qui diligentissime Tertulliani vitam exposuit, A. C. CCXV. eum obiisse censeat, sed ex coniecturis lubricis et sine rectore fluentibus. Aliorum sententiae de mortis anno nihilo certiores sunt adeoque hoc argumento non utor. Demus igitur, Tertullianum aetatem Maximini vivendo attigisse, liber tamen de Corona, quo minus in illud tempus reiiciatur, ipse non obscuris argumentis reclamabit. Nam ecce statim prima libelli verba: *Proxime factum est: Liberalitas praestantissimorum Imperatorum expungebatur in castris; quin duo fuerint Imperatores, cum haec scriberet Septimius, dubitare vetant.* Conveniunt haec cum Severi temporibus, qui A. C. CXCVIII. filium Caracallam Augustum renunciari fecit; Maximini vero annis non aequae respondent. Quod enim Tillemontius etiam Maximinum a. CCXXXV. filium suum in imperii et nominis Augusti societatem adscivisse iactat, ut etiam ad hunc annum duos imperatores haberemus, illud perquam incertum est. Non Augustum, sed Caesarem filium suum appellari, Maximinus fecerat, ut diserte testatur Capitolinus<sup>o</sup>, idemque in numis et marmoribus genuinis non imperator nominatur, sed Caesar<sup>r</sup>. Quare si annus CCXXXV. nonnisi unum Augustum habuit, quid verbis Tertulliani de duobus faciemus? Ast quoniam Antonius Pagi, quamvis nobiscum Maximini filium Caesarem tantum fuisse putet, quibusdam tamen veterum locis eum minus accurate imperatorem nominari probavit<sup>q</sup>, age, ne quid argumentis ambiguis tribuisse videamur, fulciamus sententiam nostram adhuc alio, ni fallor, firmissimo. Scriptus est liber de Corona ante illum de Fuga in Persecutione. Ait enim Tertullianus, pastores partis Montano adversae in pace leones, in calamitatibus ecclesiae cervos et ad fugam promptos nulliusque vocis Scripturae S. magis memores esse, quam illius, quae emigrare sarcinasque colligere hortatur, contra quos alibi demonstraturus esset, quomodo Christum constanter confiteri oporteat<sup>r</sup>. Promittit igitur libellum de Fuga, ut bene monet Ellies Dupinus,<sup>s</sup> non illum, qui Scorpiace inscribitur, velut Baro-

o. Capitolin. V. Maxim. cap. 22.  
 p. Marq. Gudii Inscript. in Indd. cap.  
 20. p. LIV seq.  
 q. Pagi Crit. ad Baron. a. 238. §. VIII.  
 r. Tertull. de Corona. cap. 1.: *Nec dubio quosdam scripturas emigrare, sarcinas expedit, fugae accingi, de civitate in civi-*

*tatem. Nullam enim aliam Evangelii memoriam curant. Novi et pastores eorum in pace leones, in praelio cervos.* Sed de quaestionibus confessionum alibi docerimus.

s. Du Pin Bibliothèque des Auteurs Ecclesiast. Tom. I. p. 92.

nus<sup>t</sup> et Allixius<sup>u</sup> crediderunt. Quamvis enim et hic liber martyriorum necessitatem praecipiat, est tamen contra haereticos, qui eam negabant, non contra timidiores Catholicos, quos se confutaturum Tertullianus in libro de Corona promittit, conscriptus. Liber vero de Fuga datam fidem explet et Catholicos in confitenda Christiana fide meticulosos exagitat. Manifestum autem puto, eum imminente vexatione gravi et iam inevitabili scriptum esse<sup>v</sup>. Et Maximini quidem persecutio intelligi nequit, quae nec Africam attigit<sup>w</sup>, nec contra Christianos omnes, sed tantum contra episcopos saevit<sup>x</sup>. Tertullianus autem et de Africanicis calamitatibus et de his quidem quae omnes Christo fideles obruere minarentur, loquitur, et laicos aequae ac episcopos fuga sibi consulere indignatur<sup>y</sup>. Demus etiam, in libro de Corona promitti Scorpiaceq, quod Baronio et Allixio placuit: Scorpiace iterum incidit in tempora Severi, ut ex narratione de Pythico agone Carthaginensibus restituto Tillemontius ipse concludit<sup>z</sup>. Itaque et Scorpiace et liber de Fuga pertinent ad Severianam persecutionem, et collectio certissima est, librum de Corona, qui utroque antiquior est, ante illam scriptum videri. Ios. Augustinus Orsi<sup>a</sup> etiam annum libello assignavit, nempe p. C. N. CXCVIII., nec sine magna veri specie, cum in eum et duo Augusti et Augustorum in milites liberalitas et ecclesiae pax incidant. Cuius viri argumenta, quae sunt potentissima, nobis hoc unum reliquerunt, ut Tillemontii rationes, quas a quoquam expensas esse non deprehendimus, dilueremus. Itaque dubio carere puto librum de Corona Severi ac praesidum eius crudelitatem antecedere et haeresis Montani redolere.

### §. VII.

Quae cum ita sint, librum de Spectaculis ex eadem Montani moneta esse cur ambigeremus? Prodiit enim, cum pax ecclesiae non quidem Severi edictis, sed clamoribus populi et praesidum atrocitate sublata esset; quod ex multis locis manifestum puto<sup>d</sup>. Est igitur libro de Corona recentior et per regulam, cuius vim supra explicavimus, sine dubio Montanicus. Neque Allixio credemus, qui hunc libellum in altero illo de Corona citari adeoque tempore priorem esse censuit<sup>e</sup>. Bis enim Septimius noster de spectaculorum voluptatibus scripserat, graece et latine. Ac graecum quidem opusculum, quod allegatur in libro de Corona<sup>f</sup>, periit; latinum, quod superest, hac vero allegatione non designatur, ex causis quas attulimus omni dubitatione remota posterius habebitur. Pamelius<sup>g</sup> et Tillemontius<sup>h</sup>

t. Baron. Annal. ad a. CCV. §. 19.

u. P. Allix. cit. loco cap. VII. p. 57.

x. Tertullian. de Fuga cap. 1 et 12.

y. Pagi Critic. ad a. 235. §. 3.

z. Euseb. Histor. Lib. VI. cap. 28.

a. Tertullian. de Fuga cap. 11.

b. Tillemont. cit. loco note x. sur Tertullian. p. 546.

c. Orsi Diss. De Crim. Capit. Absol. Sect. II. cap. II. Digress. II. p. 104 sqq.

d. Tertullian. de Spectac. cap. 26.: *Illic* (in coetibus ethnicorum) *in nos quotidiani*

*leones expostulantur, inde persecutiones discernuntur, inde tentationes emittuntur; etc. 30.: item praesides persecutores dominum nominis.*

e. Allix. cit. loco cap. VI. p. 45.

f. Tertull. de Corona cap. 7.: *Sed huius materiae (de spectaculis) propter suavitatis nostros graeco quoque stilo satisfecimus.*

g. Pamelius in Vita Tertull. ad a. CCV.

h. Tillemont. cit. loco not. XI. sur Tertullian. p. 546.

a libello de Spectaculis Montanismi reprehensionem excludunt, quamquam nullo argumentorum colore. Et Pamelium quidem non moror, cuius chronologia de libris Tertulliani notae confusionis est et temporum rationem innumeris locis turbat. Tillemontium movit, quod nulla satis expressa Montanismi vestigia deprehenderit, Allixii vero, qui eandem Montanismi reprehensionem iniecit, argumenta parum momenti habere senserit. Ac de Allixii quidem accusatione non multo, quam Tillemontius, praeclarius censeo, adde etiam de altera Zentgravii, quarum utraque vix ullum, non dico robur, sed colorem habent. Hoc tamen eo non valet, ac si defectus indiciorum Montanisticorum ad orthodoxiae demonstrationem sufficere posset, quod aequae parum consequi, quam si quis febricitantem, dum paroxymis careat, sanum esse putet, iam supra dixi. Temporum vero ratio certissimum argumentum praebeat. Liber enim de Corona Montanicus est, hunc autem ille de Spectaculis sequitur: numquid ergo Montanismi purus? Pergo et librum de Cultu Feminarum, vel ut in quibusdam codicibus inscribitur de Habitu Muliebri, inter Montanisticos reiicio, cum sit illo de Spectaculis, quem allegat<sup>i</sup>, recentior. Tillemontius tamen, ut solet, de orthodoxia libri securus<sup>k</sup>, eum haud secus ac alterum, qui titulum de Cultu Feminarum in omnibus libris praefixum habet, a Montanisticis separat. Atqui scriptus est, cum iam proxime instarent persecutores, et Christianis non tam minarentur quam inhiarent<sup>l</sup>. Cum igitur in ecclesiae pace Tertullianus Montanista fuerit, ut supra satis ad librum de Corona demonstravimus, quis eum ab hac reprehensione liberaret in temporibus, quae pacem turbaverant, persecutionum plenis?

### §. VIII.

Liber de Idololatria Montanicus est, cum sit illo de Spectaculis, quem in haeresi scriptum videri modo ostendimus, recentior<sup>m</sup>. Praeterea mentionem facit mathematicorum, quibus urbe et Italia interdictum esset<sup>n</sup>. Atqui Severus tale quid in astrologos statuuisse videtur, cum in Albini et Nigri partes saeviret<sup>o</sup>; Saevit autem in eas a. CXCVIII.<sup>p</sup>, quo Tertullianus iam Montanista fuit<sup>q</sup>; quare liber de Idololatria in Montanismo compositus est. Adde, eum postquam quaestio inter Montanistas et Orthodoxos de Fuga Persecutionis agitari coeperat scriptum videri<sup>r</sup>. Orta vero est disputatio ex facto militis, qui coronam lauream repudiaverat. Quod novum indicium praebet, libellum post eum de Corona et hinc a Montanista profectum esse. Nihil ab hac sententia nostra nos dimovet Zentgravius<sup>s</sup>, qui dici non

i. Tertullian. de Cultu Feminar. c. 7.: *Nam et omnes istae profanae spectaculorum saecularium voluptates, sicut de illis suum volumen edidimus, ipsa etiam idololatria ex rebus Dei constant.*

k. Tillemont. cit. l. p. 355.

l. Tertullian. De Cultu Feminar. lib. II. cap. 13.: *Ceterum tempora Christianis, et nunc vel maxime, non auro sed ferro transiguntur, stolae martyriorum praeparantur.*

m. Tertullian. de Idololatria cap. 13.:

TERTULLIANI OPP. ED. OEHLEK. TOM. III.

*De spectaculis autem et voluptatibus eiusmodi suum iam volumen implevimus.*

n. Ibid. cap. 9.

o. Spartian. Sever. cap. 15.

p. Moshem. de Aetate Apolog. Tertull. §. XXVIII sqq.

q. Vid. supra §. VI.

r. Tertullian. de Idololatria cap. 22.: *Multi dicunt: Nemo se debet promulgare.*

s. Zentgrav. Diss. IV. §. 10.

potest quam velociter in constituendo librorum Tertulliani discrimine incedat et velut digiti crepitu alios inter Orthodoxos refert, alios inter Montanisticos relegat. Tillemontium nescio quid turbaverit, quando hunc libellum nec a Tertulliano Montanista nec ab Orthodoxo, sed plane in novo morbi genere, cum circa vitae finem peculiarem et a se dictam Tertullianistorum sectam condidisset et ex haeretici assecla novissime haeresiarcha factus esset, scriptum videri contendit<sup>t</sup>. Miror, virum doctissimum odiosum haeresiarchae nomen Tertulliano affricuisse, cum ipse Augustinus, qui prope solus Tertullianistarum mentionem fecit, ne haeticum quidem Septimium nostrum habitum esse, nisi ob solam in Montanistas indulgentiam, non obscure indicet<sup>u</sup>. Neque etiam circa finem vitae Tertullianus asseclis suis nomen dedit, cum iam Soter episcopus Romanus eis obtituisse dicatur<sup>x</sup>. Praeterea si vel Augustino credamus, Tertullianum ultimis vitae annis conventicula sua separatim a Montanisticis habuisse, in dogmatibus tamen Montani etiam post coetuum divortium retinendis constanter persistit<sup>y</sup>. Omnis vero illa de peculiari secta Tertulliani eiusdemque a Montanistis secessionem narratio parum idoneis, si aetatem spectes, auctoribus nititur et omnia rimanti perspicuum erit, nihil a Tillemontio in medium allatum esse, quod librum de Idololatria post conventiculorum separationem scriptum esse evinceret; vel si etiam hoc daretur, scriptionem nihilominus Montanicam habitum iri, quoniam, ipso fateat Tillemontio, Tertullianus non tam a dogmate, quam ab externa Cataphrygum communione deflexit.

#### §. IX.

Tertullianum ante persecutionem Severi Montanistam fuisse adeoque Apologeticum eius, qui Christianis praesidium atrocitate iam graviter afflictis conscriptus est, in Montanismum eius incidere, certissimam collectionem puto. Neque tamen ea recens aut nobis peculiaris est, siquidem et Ioannem Jackson, Ecclesiae Anglicanae presbyterum, in dissertatione, quam Novatiani Operibus praefixit, ita rationes composuisse accepimus. Quam rem cum Summe Rev. Moshemius suffragio suo probare recuset<sup>z</sup>, numquid nobis dubitandum amplius sit ex his, quae ad librum de Corona disputavimus, apparebit. Cetera quae de Apologetici aetate in tractatione Moshemiana disputantur, omnibus numeris, ut cuncta, quae sub tanti artificis manu nascuntur, absoluta sunt et invictis argumentis demonstrant Apologeticum, antequam edicta Severus proposuit, conscriptum esse. De anno vero CXCVIII. quem vir celeberrimus Apologetico adsignat, fateor, me dubiis quibusdam urgeri, et praesertim ex ea causa, quod librum de Corona in eundem annum incidere potentissimis argumentis a Ios. Aug. Orsi evictum sit. Ac si, quando de Corona Tertullianus scribebat, ecclesiae pax *longa* et *bona* nondum interciderat, si Christiani tantum

t. Tillemont. Mémoir. de l'Histoire Eccl. T. III. P. I. p. 358. seq.

u. Augustin. De Haetic. c. 86.: *Non ergo ideo est Tertullianus haeticus, sed quia, transiit ad Cataphryges* etc.

x. Vid. Pagi Crit. ad Baron. a. CLXL §. III.

y. Praedestin. cap. 86.

z. Io. Laur. Moshem. de Aetate Apolog. Tertull. §. XVI. pag. 53. sq. not.



mussitabant, cum ex imprudentis militis facto turbatum iri, dictu forte difficile videbitur, qui potuerit Tertullianus eodem anno in Apologia sua de persecutionibus tantis eisque non demum heri aut nudius tertius coortis conqueri. Praeterea in hoc Apologetico de sacris Aegyptiacis Romae restitutis loquitur<sup>a</sup>, quam peregrinam religionem variis in Urbe fatis obnoxiam<sup>b</sup>, si Iulio Capitolino<sup>c</sup> credimus, Marcus Aurelius perosus est et plane Pelusii repressit et, quod inde non sine magna veri specie colligeretur, multo magis Romae sustulit. Restituisse vero Serapidem Severus videtur, qui omnem Aegyptum peragravit et sacer-rima eius mysteria, πάντα καὶ πάντα κεκρυμμένα, rimatus est<sup>d</sup> librosque ex adytis abstulit et ex hac peregrinatione propter religionem Serapidis, quam vehementer amabat, magnam voluptatem cepit<sup>e</sup>. Iterum etiam Tertullianus in Apologetico<sup>f</sup> provocat ad Ptolomaei bibliothecam, quae ad Serapeum esset et S. Scripturae libros hebraicos contineret; quasi ut Severum Imp. moneret, fuisse eum non ita pridem in Aegypto et Alexandriae librosque sacros conquisivisse, ad Serapeum vero, cuius ipsi tam religiosus cultus esset, veterum prophetarum hebraicorum volumina reperiri potuisse. Petiit autem Severus Aegyptum, cum a bello Parthico rediret, cumque in hoc bellum a. CXCVIII. profectus sit, nescio an coniectura vana me fallat, si Apologeticum post hunc annum compositum esse crederem. Neque etiam huic opinioni multum obstaret, quod Tertullianus eo tempore, quo Albini reliquiae conterebantur, pro Christianis scripserit<sup>g</sup>, factum hoc autem esset anno CXCVIII., priusquam contra Parthos moveret. Quidni enim Severum etiam absentem et ab Urbe profectum iuasis suis in partium sibi adversarum asseclas saevire potuisse coniciamus, cum ita non coniciere sed credere Dionis auctoritate<sup>h</sup> liceat, qui cum Severus et Plautianus in Oriente militarent Romae tamen aliquos ad caedem designatos et ductos esse memoriae prodidit. Ex his causis Apologeticum Tertulliani edicta quidem Severi praecessisse, cum S. R. Moshemio immotum esse puto, neque tamen eum anno CXCVIII., sed aliquanto serius prodiisse crederem. Quod autem in Montanismo scriptus sit, ex his, quae supra diximus, dubitatione, opinor, carebit.

## §. X.

Quae Montanismum Apologetici demonstrant argumenta, velut eodem impetu libros ad Nationes et illum de Testimonio Animae in similem suspicionem trahunt. Neque enim haec opuscula differunt ab Apologetico, nisi prolixitate, eandemque defensionem, quam Tertullianus in hoc libello velut in pugnum compresserat, aliquanto latius ex-

a. Tertull. Apolog. cap. 6.: licet Serapidi iam Romano aras restruxeritis.

b. Bynckershoek de Relig. Peregr. p. 216.

c. Capitolin. in M. Ant. Phil. cap. 23.

d. Dion. Cass. Lib. LXXV. p. 856.

e. Spartian. in Sever. cap. 17.: lucundam sibi peregrinationem hanc propter religionem dei Serapidis et propter novitatem anima-

lium vel locorum fuisse, Severus ipse postea semper ostendit.

f. Tertull. Apologet. cap. 23.: Hodie apud Serapeum Ptolomaei bibliothecae cum ipsis hebraicis literis exhibentur.

g. Tertull. ibid. cap. 35.

h. Dio. Cass. Lib. LXXV. p. 854 sq. et p. 757.

plicant. Atque ut in Apologetico duobus praesertim argumentis contra persecutores pugnaverit, testimonio ignorantiae, quod hi Deum verum et doctrinam ac disciplinam Christianorum, quamvis oderint, tamen ignorarent, et testimonio animae<sup>i</sup>, quae Deum verum, quacumque educationis perversitate depravata esset, velut interno motu agnosceret, ita prius illud testimonium ignorantiae in libris duobus ad Nationes<sup>k</sup>, et alterum testimonium animae in libro, qui hoc titulo inscriptus est<sup>l</sup>, prolixius exponitur. Optime vero Rigaltius inscriptis in libros ad Nationes capitum Apologetici numeris hunc veluti delineationem, illum autem opus plenius exstructum esse demonstravit. Itaque quum idem scribendi consilium eademque argumentorum dispositio fere ubivis eluceat, quidni eodem etiam fere tempore Apologeticum et libros ad Nationes nec non de Testimonio Animae prodians cum Tillemontio statuamus<sup>m</sup>? Utrum vero Apologeticum, tanquam delineationem suam exaedicatio, secuti sint, an eum aetate praecedat, ita, ut in hoc libello copiae prius explicatae velut contrahantur, nostra non multum interest, cum ex singulis prope capitibus palam fiat, eos postquam persecutio vagari coeperat et hinc in Montanismo, qui iam ante eam Tertulliano, ut saepe diximus, obrepserat conscriptos esse. Nam quae apud Nourrium<sup>n</sup> recensentur sententiae de annis CXCH vel CXCVII. vel CCXVI. horum librorum natalibus, illae oppido levis sunt et si nostrum institutum hanc disserendi prolixitatem caperet, sine magno negotio dispelli possent. Liber ad Scapulam in modis persecutionum fervoribus scriptus est, et plures praesides, quorum crudelitas in Christianos impetum fecerat, recenset<sup>o</sup>; habet etiam aliquas temporis notas, nimirum de inundatione quadam ingente solisque defectione, in cuius calculum inquisiverunt viri docti<sup>p</sup>, varie quidem, ast ita tamen, ut omnes, ad quos libellum retulerunt, anni ea tempora, in quibus Tertullianus dudum Montanista fuerat, indicent. Liber ad Martyras in eadem temporum calamitate ac, ni fallor, post libros ad Nationes scriptus est. In his enim mentionem facit eundem, qui se tunica incendiaria ad certum usque locum auctoraverat, factumque hoc, cum Tertullianus libros ad Nationes scriberet, adhuc recens fuisse videtur<sup>q</sup>, ac iterum in libro ad Martyras<sup>r</sup> repetitur. Itaque si haec scriptio persecutione flagrante et post libros ad Nationes prodit, pro Montanistica merito habebitur. Praeterea ad Martyras hortatur, ut concordiam, quae inter eos diffuere videbatur, custodiant<sup>s</sup>; idque nobis indicio est, martyres, ad quos Tertullianus scribebat, et Orthodoxis et Montanistis mixtos fuisse, inter quos etiam in vinculis et martyriorum cruciatibus non conveniebat<sup>t</sup>. Ad eos vero conciliandos

i. Tertull. Apolog. cap. 17.: *Vultis ex animae ipsius testimonio comprobemus.*

k. Vid. prima verba libri I. Tertull. ad Nationes.

l. Tertull. de Testim. Animae. cap. 1.

m. Tillemont. cit. l. p. 349.

n. Nourry Appar. ad Biblioth. Max. Patrum T. II. p. 1236 sq.

o. Tertull. ad Scapulam. c. 3.

p. Petrus Possinus in Not. ad Passion.

SS. Perpet. et Felic. p. 202. Pagi ad CCIII. Nourry Appar. Tom. II. p. 126 Orsi cit. l. p. 139.

q. Tertull. ad Nat. lib. I. c. 18.

r. Id. ad Martyr. c. 5.

s. Ibid. c. 1.

t. Euseb. Hist. Eccles. Liber V. c. 14  
Καὶ ἐπειδὴν οἱ ἐπὶ τὸ τῆς κατὰ τὴν  
ἀληθείαν πίστεως μαρτύρων κληθέντες  
ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας τυχόντες μετὰ τῶν

opus erat hortatore, qui utrique parti bene cuperet, qualis erat Tertullianus Montanista et in Catholicos quidem saepe peracerbus, neque tamen eos ita, ut haereticos, perosus. Librum de Patientia martyribus praesertim utilem eodem tempore scriptum esse censet Allixius;<sup>u</sup> sed tribuit ille vir saepe numero aliquid seriei librorum, qua in codicibus MSCis, praesertim Agobardi, collocantur; quo tamen argumento ego quidem non utor. Atque in eo, quamvis nullas temporum, aliquas tamen Montanismi notas deprehendi crediderim, cum et viduos de secundis nuptiis cogitantes adulteros dici<sup>x</sup> et ieiuniorum rigidam frequentiam ac veluti seriem iniungi videam<sup>y</sup>, quod utrumque Montanicum esse quis ambigit? Quod autem Tillemontius<sup>z</sup> hunc libellum a Tertulliano nondum haeretico ex verbis, quibus in persecutione fugam licere diceret, scriptum esse censet, illud magnam vim habere non puto. Neque enim Tertullianus fugam licere docet, sed si quis tamen fugiat, patientiam incommoda fugae quasi mollituram esse ait<sup>a</sup>; neque Montanistae fugam omnem praecludebant, cum et Apostolos ex praecepto Christi persecutores evitare potuisse admitterent, quoniam ad evangelii nondum ubivis patefacti praedicationem necessarii fuerint. Itaque fugam, quae hono ecclesiae fieret, aequae probabant, quam adversabantur illam, quae infirmitatis et timoris opus esset, nec magis verum est, quod orthodoxiae indicium his verbis contineatur, quam quod Io. Doviatus ait<sup>b</sup>, plane dubitari, an liber de Patientia Tertulliani sit. Nimirum hoc de libro de Poenitentia vir doctus dicere voluit, certe debuit.

### §. XI.

Liber, vel potius tenebrae illae de Pallio, effusae sunt, cum tres Augusti Romae imperarent<sup>c</sup>, Severus nimirum cum duobus filiis, unde nonnisi ad annos CCVIII. et CCXI. coniecturae de huius scriptionis aetate recurrere possunt. Quare si Tertullianus Montanista fuit, cum solus Caracalla patris in imperio socius esset<sup>d</sup>, numquid Orthodoxus, cum etiam Geta? Librum de Oratione magno consensu a Montanisticis excluserunt etiam illi, qui ceteroquin haeticam labem deprehenderunt in plurimis, velut Allixius,<sup>e</sup> Caveus<sup>f</sup> et alii, sed iudicarunt omnes de libello, ut communiter et a Rigaltio quoque editus est, hoc est, aliquot capitibus mutilo. Qui, si plenior editionem, quam viro celeberrimo Lud. Antonio Muratorio<sup>g</sup> debemus, inspicere potuissent, moniti essent dignis notatu Tertulliani verbis, quae dissidium in eccle-

*ἀπὸ τῆς τῶν Φουγῶν αἰρέσεως λεγομένων μαρτύρων, διαφέρονται τε πρὸς αὐτοὺς.*

- u. Allix. De Vita Tert. p. 80.
- x. Tertull. de Patientia c. 12.
- y. Ibid. c. 13.
- z. Tillemont. cit. loco p. 341.
- a. Tertull. de Patientia c. 13.
- b. Io. Doviatus. Praenot. Iuris Canon Liber II. c. 47. p. 322.
- c. Tertullian. de Pallio c. 2.: *Quantum verbum aut produxit, aut auxit, aut reddi-*

*dit praesentis imperii triplex virtus, Deo tot Augustis in annum faciente.* Conf. Salmaa. ad hunc lib. p. 62.

- d. Vid. supra §. VI.
- e. Allix. cit. loco p. 35.
- f. Guil. Cavei Histor. Lit. Script. Eccl. p. 57.
- g. Murator. Anecd. Tom. III. Quae in vulgatis editionibus non extant et a Muratorio primum edita sunt, habentur etiam in Observat. Miscell. Vol. III. Tom. I. p. 45 sqq. et Tom. II. p. 208 sqq.

siis de velo virginum coortum commemorant nostrumque Septimium cum eis, qui etiam virgines velandas esse putabant, fecisse demonstrant<sup>h</sup>. Sunt autem ea quae hac de re in libro de Oratione disputat, simillima libro de Virginibus Velandis, quem nescio an quisquam Orthodoxis adscribere ausus sit, certe nec Pamelius nec Tillemontius adscripserunt, qui ceteroquin plurimos Tertulliani libros tuentur. Ne profecto absolvi facile potest, cum Paraclatum Montanicum sonet et ut ille Spiritus, quae lex et evangelium imperfecta reliquissent, ad maturitatem perducatur, hinc et inde iacet<sup>i</sup>, hocque disciplinae rigore, etiam quod ad virginum vela, meliorem ecclesiae partem, nempe Montanicam, manifestam fieri contendat<sup>k</sup>, praeterea monogamiam praedicet et revelationes miras praeceptis suis interserat<sup>l</sup>. Quare si velis virginum Montanistas a Catholicis secrevit, si Tertullianus eius necessitatem ex ipsis Paraclati sui praeceptis in libello Montanistico de Velandis Virginibus ursit, si denique in libro de Oratione eandem sententiam tuitus est, cur ambigeremus, quid et hic in haeresi scriptis sit? Praeterea in eodem de Oratione libello<sup>m</sup> commemorat communem et quasi publicam ieiunii religionem, quae die Paschatos observaretur; quod indicium praebet, placuisse iam tunc Tertulliano secundum disciplinam Montanistarum alia, nimirum illa rigida et quae Catholicis cum eis non communia erant ieiuniorum praecepta. Mirum autem, Allixium<sup>n</sup> et alios viros doctos<sup>o</sup> libellum inter orthodoxos isto vindicasse, quod in eo Tertullianus Hermae pastorem non ita contemnat<sup>p</sup>, ac quidem eum contempsit in libro de Pudicitia<sup>q</sup>, cum Montanista sine dubio esset. Nimirum auctoritatem Hermae non ita in libro de Oratione ac in illo de Pudicitia deprimi opus erat, quod in Tertulliano non aequè obstaret cum illum, quam cum hunc libellum scriberet. Non solemus eos auctores exagitare, quorum verba sententiae nostrae non obstant; sed si adversentur, tunc demum ad corrigendam eorum fidem recurrimus. Itaque cum Hermas partes Montanicas contrarias iuaret, Tertullianus in eum acerbius invehitur in libro de Pudicitia, contra vero, cum locus, de quo in libro de Oratione agitur, ne quidem sententiae Tertulliani adversaretur, quid opus erat, ut insectaretur eius auctorem? aut quae collectionis illius vis: Tertullianus in libro de Oratione Hermam non reiecit, cum reiiciendi nulla necessitas esset, igitur cum ceteris Catholicis eum probavit et cum de Oratione scribebat, ipse Catholicus fuit? Adde, quod Hermas verbis perquam ambiguis alleget. *Hermas, inquit, ille cuius scriptura fere Pastor inscribitur.* Viderint, qui Hermae pastorem a Tertulliano libri canonici loco habitum esse censent, quid sibi velit illud *fere*; numquid ita loquatur de scriptis sine dubio probatis, an potius indicium sit, temere neque merito Pastoris bonum nomen Hermae libello dari, a Tertulliano significatum esse. Denique verba Hilarii, ex quibus Allixius opusculum de Oratione, antequam Tertullianus ad Montanistas deficeret.

h. Tertull. de Orat. cap. 22 sqq. ex edit. Murat.

i. Idem de Virg. Vel. c. 1.

k. Ibidem c. 3.

l. Ibid. c. ult.

m. Id. lib. de Oratione c. 14.

n. Allix. cit. loco p. 35.

o. Io. Pearson. Vindic. Ignatian. c. IV.

p. Tertull. de Orat. c. 12.

q. Idem de Pudicitia c. 10 sqq.

scriptum esse coniecit, si vel ambiguitate, qua premuntur, carerent, nescio tamen, quantum apud eos momenti habitura sint, qui centum annis et amplius inter Tertullianum et Hilarium fuisse adeoque dubium esse cogitabunt, utrum in Gallia Hilarius ordinem scriptorum Tertulliani Afri post tantum temporis intervallum accurate scire poterit.

## §. XII.

Uxorem suam ne, quando vidua facta fuerit, iterum nubat, Tertullianus monet in lib. I. ad Uxorem<sup>r</sup>, et hoc ipso praecepto iam aliquam huic descriptioni suspicionem Montanismi contraxit. Ac ne nobis reponatur, multis etiam aliis veterum Patrum minime Montanistis secundas nuptias displicuisse, age, de pluribus argumentis circumspiciamus, non usuri tamen eo, quod Allixius<sup>s</sup> ex librorum serie, qualis in MSCtis est, deducit et nos ficulneum esse supra diximus. Hoc autem manifestum puto, Tertullianum ad Uxorem scripsisse, cum quaestio de fuga in persecutionibus iam ageretur et illicitam esse Septimius noster cum Montanistis iam contenderet<sup>t</sup>. Sunt igitur libri ad Uxorem illo de Corona posteriores, et quando in eis Tertullianus ita colligit, melius esse nubere quam uri, ut melius foret fugere quam Christo renunciare, neutrum tamen bonum esse, nisi cum peiore comparatum, quid aliud agit, quam ut duo praecipua doctrinae Montanisticae capita tueatur? Praeterea qui libellum ut orthodoxum laudari cupiunt, id eo praesertim consilio facere videntur, ne Tertullianum presbyterum inveniamus cum uxore<sup>u</sup>. Noverant enim viri docti, eum in Montanismum incidisse, postquam presbyter per aliquod tempus fuerat. Iam si ad Uxorem scripsit in Montanismo, presbyteri coniugium negari nequit, et ut commodius negaretur, contendendum erat, libellum antequam presbyter factus esset et hinc ab Orthodoxo compositum videri. Sed hoc magis est sectae quam veritati servire; quod vitium etiam alias viris doctis in constituendo librorum Tertulliani discrimine obrepsit. Recte Allixius observavit, magnam inter libros ad Uxorem et Exhortationem Castitatis similitudinem esse, quae tamen sine dubio scriptis Montanisticis annumeratur. Nam ut de durissimo contra secundas nuptias dicendi genere stuprique nomine, quod eis affricat<sup>x</sup>, dicere mittam, plane Priscillae mentionem facit et evangelium eius ore promulgatum extollit, qui locus non quidem in omnibus codicibus reperitur, a Rigaltio vero ex MSCto vetustissimo restitutus est<sup>y</sup>. Haec argumenta tantum robore suo valent, ut carere possimus aliis, velut eo, quo Pearsonius<sup>z</sup> usus est, qui libellum ideo Montanisticis accenset, quod eum Nicephorus eisdem annumeraverit. Ast liber *περὶ σωφοσύνης*, ab Hieronymo et Nicephoro inter haereticas Ter-

r. Tertullian. Ad Uxor. lib. I. c. 1.

s. Allix. de Vita et Script. Tertullian. p. 47.

t. Tertullian. cit. loco c. 3: *Etiā in persecutionibus melius est ex permissu fugere de oppido, quam comprehensum et distortum negare.*

u. Tillemont. Mémoires de l'Histoire Eccles. Tom. III. P. I. p. 337. Fleury Histoire Eccles. Liv. §. 50. Nourry Apparat. p. 1188.

x. Tertullian. Exhort. Castit. c. 9.

y. Rigalt. not. ad Tertullian. p. 114.

z. Io. Pearson. Vindic. Ignat. p. 352. in PP. Apostol. Cotel. edit. Cleric.

tulliani scriptiones commemoratus, non est Exhortatio Castitatis, de qua nunc agimus, sed liber de Pudicitia. Neque cum eis facerem, qui exhortationem illam ad castitatem ideo haereseos insimulant, quod in ea Tertullianus discrimen clericorum et laicorum non tam iure divino, quam moribus constitutum esse censeat<sup>a</sup>. Tu, quid hac de re tenendum sit, vide apud Ill. Boehmerum<sup>b</sup>.

### §. XIII.

In libro de Poenitentia multis verbis vestigia Montanismi vel Orthodoxiae conquirere supervacuum foret, si admitteretur, quod Erasmo placuit, opus Tertulliani non esse, quam sententiam Io. Dallaeus quoque secutus est, postea vero deseruit<sup>c</sup>. Ac dicendi genus, quale Tertulliano familiare fuit, in hoc libro vix reperient, qui sunt in eius lectione volutati. Neque admiserim exceptionem, quae ceteroquin certissima est, ex stilo de auctoribus librorum non sine periculo iudicari. Sit hoc in aliis verum, qui communi ac usitato adeoque non facile discernendo dicendi genere utuntur: Tertullianus sane, quem et affectata supra modum obscuritas et figurae prope semper in praecipitio collocatae ac inimitabile quoddam omnia involvendi studium a scriptoribus non suorum, sed omnium fere temporum distinguunt, ita potest agnosci, ut quae supponantur ipsi opuscula, statim appareat adeoque illi, qui libri de Poenitentia supposititium esse censuerunt, ratione non prorsus caruisse videantur. Sed haec causa cognitionem accuratam requirit et nullibi minus desultoria levitate vagandum est, quam quando de librorum auctoribus vel veris confirmandis, vel per errorem creditis reiciendis pronuntiatur. Itaque sequamur interim eos, qui librum de Poenitentia Tertulliano non eripiunt, quamvis illud alterum, quod magno consensu adiciere solent<sup>d</sup>, esse ante defectionem ad Montanistas conscriptum, nisi aperte falsum, certe nullis idoneis rationibus defensum sit. Omnis enim earum color ex libri de Pudicitia, quem Montanicum esse aperte constat, et huius libri de Poenitentia doctrinis petitus est, quae, ut aiunt, toto caelo discrepant. Ego, ni fallor, in libro de Pudicitia quaeri puto, numquid illi, qui post baptismum adulterio inquinaverant, poenitentia consequi possent, ut etiam in ecclesiae communionem iterum reciperentur; quod fieri posse aiebant Catholici, negabant Montanistae. Neque tamen haec secta poenitentiam aut omnem eius fructum tollebat, sed externum, quem quis in gremium ecclesiae reductus consequeretur. Illo nimirum carendum esse per omnem vitam moechis non minus quam idolothytis et homicidis post baptismum iterum lapsis; significabant poenitentiam tamen apud Deum utilem esse fierique posse, ut quas sererent lacrymas, olim apud Deum meterent.

a. Thomassin. de Discipl. Eccles. T. I. p. 183.

b. Boehmer. Dissert. Iuris Eccles. ad Plin. et Tertullian. Diss. VI.

c. Io. Dallaeus. de Usu Patrum p. 15. et de Auriculari Confess. Liber III. c. 4. p. 204.

d. Tillemont. cit. loco p. 340. Io. Mo-

rin. de Administrat. Sacram. Poenit. lib. I. c. 4. §. 3 et 4. Cosp. Ivenin. Comment. de Sacram. Diss. VI. p. 403. Coteler. ad Hermae Pastor. p. 89. Ern. Martens de Antiquis Ecclesiae Ritibus lib. I. P. II. p. 9. Fleury. Hist. Eccles. Liv. IV. p. 513. Allix. cit. loco p. 33 sqq. Zentgrav. Diss. IV. p. 16.



quamvis nulla spes veniae in ecclesia obtinendae superesset. Talia si refelluntur in libro de Poenitentia et sic quidem, ut etiam externae communionis fructus moechis poenitentibus promittantur, fatebimur, eum a Montanisticis scriptionibus excludendum esse. Iam ne tangit quidem hanc quaestionem Tertullianus, sed omnis de Poenitentia disputatio in recensendis commodis poenitenti non tam in ecclesia, quam a Deo expectandis versatur, nec ullibi perspicue docetur, numquid etiam adulteri poenitentia proficiat ad communionem ecclesiae recuperandam. Itaque quod poenitentiam praedicet et externa quoque doloris signa necessaria esse contendat, non idcirco ab Montanistica secta remotus est. Nam et Montanistae delictis eiusmodi maculatos ad fores consistere ac illacrumari fratresque circumire ac rogare volebant, non ut eis veniam impetrent, quam dare Dei solius esset, sed ut Deum ipsum facilius exorent et fratribus miserationem excitent et ut Deum pro poenitente deprecetur, commoveant. Quorum siquis accurate discrimen perpendat et fructus poenitentiae, qui colliguntur post hanc vitam, separet ab externis in communionem ecclesiae versantibus, inveniet, Tertullianum in libro de Pudicitia moechis externos hos ademisse, in libro de Poenitentia non concessisse adeoque nullam inter utrumque pugnam, nullum Tertulliani nunc Orthodoxi nunc Montanistae discrimen apparere. Ast aiunt, Tertullianum, postquam Montanista factus erat, fassum esse, quod plane alia de poenitentibus olim docuerit<sup>e</sup>. Quod magnam vim haberet, si se nominatim in ipso libro de Poenitentia doctrinam Montano contrariam professum esse testaretur. Iam cum nec hunc librum designet nec ipsa scriptio tale quid evincat, sed cum libro de Pudicitia multis modis conciliari possit, adeoque forsitan in opere quodam deperdito doctrinae Montanisticis contrariae olim a Tertulliano propositae fuerint, vix est, ut opusculum de Poenitentia in libro de Pudicitia revocatum ac velut destructum censeamus. Crediderim potius scribendi consilium in libro de Poenitentia eo tetendisse, ut Montanistas suos, qui forte rigorem *ἐξομολογήσεως* externae, illasque et lacrymas et sordes evitabant, quod eae ad receptionem in ecclesiam, quam obtineri non posse ex disciplinae suae rationibus praevidebant, nihil omnino conferrent, hortatum esse, ut cetera poenitentiae commoda perpendere, nec eam ideo, quod ecclesiae communionem non operaretur, cum tamen olim post vitam prodesset, peragere detrectent.

#### §. XIV.

Cum Tertullianus Montanista iam esset, Zephyrinus episcopus Romanus (ut fert plurimorum sententia) vel alius quidam antistes in ecclesia sua edixerat: *Ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto*<sup>f</sup>; quod Septimius noster peracerbe tunc exagavit et ex sectae suae principiis contendit, talia polliceri Dei solius esse, neque ecclesiam, si vel maxime his delictis veniam dare posset, daturam esse. Similibus fere utitur dictis in libro de Baptismo<sup>g</sup>, cumque idem opusculum ad persecutionis tempora pertinere videatur<sup>h</sup>, nec

e. Tertullian. de Pudic. c. 1.

f. Tertullian. de Pudic. c. 1.

g. Ibid. de Baptismo c. 10.

h. Ibid. c. 16.

obscurè innuat, Montanistas iniuria esse a communione ecclesiae exclusos, cum unus ipsis et fidelibus ceteris Deus, unum baptisma, unum in caelis ecclesia, cum ceteris autem haeticis nulla communio sit, iudicent, quibus in his rebus suffragii ius est, in qua vitae et doctrinarum conditione Tertullianus hunc libellum conscripserit. Liber adversus Praxean ex manifestis indiciis ad Montanisticos pertinet. Increpat enim et Psychicos et praesertim Praxean ipsum, quod episcopum Romanum, qui prophetias Montani probare iamiam videbatur, ad renunciationem literarum pacis permoverit<sup>k</sup>. Librum adversus Iudaeos incidere in annos Severi ultimos Baronius<sup>l</sup> ex indiciis certis probat quem et Allixius<sup>m</sup> recte secutus est, et cum Tertullianus iam a. CXCVII fuerit Montanista, poterit unusquisque necessarium collectionis filum nobis etiam non monentibus ducere. Librum adversus Hermogenem a Montanisticis excludere ne Tillemontius quidem audeat<sup>n</sup>, et qui adversus Valentinianos inscribitur haud secus ac ille de Anima, cum sint recentiores<sup>o</sup>, vel solo aetatis indicio conditionem suam proderent, nisi et aliis maculis, quas dudum a viris doctis observatas enumerare nonnullae conspicui essent. Libros adversus Marcionem Allixius Montanismi peregit, nihilque est, quod addi argumentis eius possit, saltem quod necessarium sit. De ceteris libris per aetatis rationes res sine magno negotio confici potest. Nam et Scorpiace et liber de Praescriptione contra Haeticos illa refutatione Marcionis posteriores sunt<sup>p</sup>, quo argumento etiam Allixius utitur. Neque Tillemontium sequeretur, qui primum in eo securitatis esse contendit, quoniam Tertullianus ter contra Marcionem scripserit, dubium vero sit, ad quam scriptionem suam provocaverit utrum ad illos contra Marcionem libros, qui nunc supersunt et ab omnibus ad Montanismi tempora referuntur, an ad priores deperditos, qui forte compositi sunt, cum ab ecclesiae gremio nondum secessisset. Nimirum ter contra Marcionem insurrexit, quod plane admitto. Sed primum opusculum ut exile ac non satis dignum hac controversia ipse suppressit; alterum invito Tertulliano, cum adhuc rursus nec satis exasciatum esset, fraude alterius vulgatum nec a Septimiano agnitum est; tertium opus nunc etiam extat et sine dubio Montanicum creditur. Iam cum vix verosimile sit, provocasse Tertullianum ad eam controversiae Marcioniticae tractationem, quam ipse suppressit vel nunquam agnovit, superest, ut intelligantur libri, qui nunc in manibus nostris sunt. Quidni igitur dicamus librum de Praescriptione et Scorpiacen eis recentiores in Montanismo scriptos videri? In libro ad Marcionem, ut nunc supersunt, hoc est Montanicis, pollicetur etiam Tertullianus, se de argumento praescriptionis alio loco acturum interim vero contra proprias Marcionitarum doctrinas disputaturum esse. Neque magni ponderis esse puto, quod Tillemontius observat in his libris a Tertulliano provocari ad ecclesias apostolicas suumque cum eis consensum<sup>q</sup>, quale quid a Montanista fieri non potuisset.

i. Id. de Bapt. ibid.  
 k. Id. adversus Praxean c. 1.  
 l. Baron. Annal. ad. a. CCX.  
 m. Allix. cit. loco p. 56.  
 n. Tillemont. cit. loco.

o. Tertullian. adversus Valentinianum c. 16. et de Anima c. 3.  
 p. Id. adversus Marcionem lib. I. c. Scorpiace c. 5.  
 q. Tertullian. de Praescript. c. 36.

Numquid vero minus hoc in aliis libellis, quos in Montanismo prodiisse extra controversiam positum est, reperitur? Ne ipse quidem Tillemontius opusculum de Velandis Virginibus inter orthodoxa vindicat, et tamen in eo inter Montanistas et ceteros apostolicos coetus ecclesiae unitatem esse Tertullianus contendit. Non est huic viro constans et sibi semper simile de Catholicis dicendi genus, quos interdum tam amice habet, quam acerbe alias in disputationibus suis eosdem exagitaverat. Et ostendit etiam Ios. Aug. Orsi<sup>r</sup> Montanistas, quamquam ab ecclesia separatos, in ceteris tamen articulis, de quibus illis nulla cum recte sentientibus lis intercedebat, unitatem ecclesiae semper affectasse. Itaque nihil superesset, ex quo libri de Praescriptione orthodoxiam cum Tillemontio tueremur; neque multum laborandum erit, ut libros de Carne Christi et de Resurrectione Carnis in Montanismo scriptos esse ostendamus. Sunt enim illis de Praescriptione et de Anima recentiores<sup>t</sup>, quod unum aetatis argumentum, quamvis alia quoque promi possent, in hac instituti brevitate sufficiat. Ex his vero causis omnes et singulos Tertulliani libros tunc deimur, quando defecerat ad Montanistas, scriptos esse putamus; quam recte, statuunt, quibus in his rebus suffragii ius est. Invenient hi certe quaedam argumenta, nondum ab aliis adducta, quae forsitan officium suum praestabunt. Ceteros qui nunc inscripti nomine Tertulliani circumferuntur, libros non moramur, quippe quos eius non esse inter viros doctos convenit.

<sup>r</sup> Ibid. de Virgin. Veland. c. 2.      <sup>t</sup> Tertullian. de Carne Christi c. 2., de  
<sup>s</sup> Orsi in Dissert. de Orthodoxia S.S. Resurrect. Carnis c. 2.  
 Perpet. et Felicit.

DE VERA AETATE AC DOCTRINA  
 SCRIPTORUM QUAE SUPERSUNT  
**Q. SEPTIMI FLORENTIS TERTULLI**  
 DISPUTATIO  
 AUCTORE IO. AUGUSTO NOESSELT.

ARGUMENTUM DISPUTATIONIS.

SECTIO I.

- §. I. Ratio instituti.  
 §. II. Quaestiones quaedam univcrse proponuntur.  
 1. Quonam anno Tertullianus ad Montanistas defecerit?  
 §. III. 2. Utrum his relictis se denuo ad Orthodoxos receperit?  
 §. IV. 3. Quomodo Tertullianus Montanizans a Montanista discerni possit? Huius discriminis vindictiae adversus Hofmannum.  
 §. V. Prima classis librorum, qui sunt tempore prioris vexationis Christianorum sub Severo Aug. scripti. Ubi  
 §. VI. I. de ipsa hac vexatione disputatur ita, ut demonstretur, talem extitisse ante Severi edictum (quam in rem propositis Moshemii argumentis alia nova adiciuntur), et initium cepisse A. P. C. N. CXC VII.  
 §. VII. 1. ex anno, quo periit Albinus. Quo tempore cum acciderint ea, quae causae huius prioris vexationis fuerunt, primum de his dicitur deinde a. CXC VII. Albinum interfectum esse probatur.  
 §. VIII. a) ex ordine belli quod Severus cum Pescennio Nigro gessit. Obiter quaedam notae in numis Severi ex-

- plicantur et Moshemii ratione dantur.  
 §. IX. b) e tempore expugnati By  
 §. X. c) ex anno, quo Caracallus ris dignitatem e Scto accepit  
 §. XI. 2. e loco quodam Tertul Scapulam, qui cum alio § confertur.  
 §. XII. 3. ex aetate Apologetici I ni ceterorumque librorum, antecesserunt.  
 §. XIII. II. Aetas ipsa librorum heneris definitur ita, ut liber ad Martyras a. CXC VII.  
 §. XIV. de Spectaculis a. CXC VIII  
 §. XV. de Idololatria eidem anno  
 §. XVI. Apologeticus a. CXC IX.  
 §. XVII. libri II. ad Nationes et  
 §. XVIII. liber de Testimonio Anni dem anno asserantur.  
 Simul vindicantur hi omnes a nismi suspicione et obiter nonn pita ex historia Severi Aug. Chr rumque istius temporis discuti

SECTIO II.

Altera classis librorum Tertullian eos complectitur, quorum de a erroribus Montanisticis constat referuntur:

- §. XIX. 1. liber de Corona. Disputatur: quomam tempore Severus et Antoninus donativum in hoc libro commemoratum ediderint? quod quidem asseritur a. CCI. eodemque anno hunc librum scriptum esse docetur.
- §. XX. Postea secus sententiarum opiniones examinantur:  
Hoffmanni et Orsii, qui illum a. CXCVIII. tribuerant, et  
Pagii, qui eum assignaverat a. CCII.
- §. XXI. Baronii, qui a. CXCV.
- §. XXII. denique Pamelii et Allixii, qui librum coniecerant in a. CCIX.
- §. XXIII. 2. libri II. de Cultu Feminarum; ubi ostenditur contra Pamelium et Tillemontium: utrumque librum simul editum fuisse.
- §. XXIV. Anno quidem CCI. aut CCII.
- §. XXV. 3. liber de Fuga in Persecutione, qui vindicatur a. CCII.
- §. XXVI. 4. Scorpiace. Examinator popularis sententia de hoc libro libris Tertulliani ad Marcionem posteriore, deque eius adversus hunc libris perditis disputatur,
- §. XXVII. quo facto Scorpiacen efficitur scriptam esse a. CCIV.
- §. XXVIII. 5. libri V., qui supersunt, adversus Marcionem. Quorum primus refertur ad a. CCVII. aut CCVIII., ceteros dubiae aetatis esse docetur,
- §. XXIX. itemque Tillemontii opinio contraria castigatur.
- §. XXX. 6. liber de Pallio. Disputatur de triplici praesentis imperii virtute, cuius mentionem fecerat Tertullianus et inquiritur in annum, quo Geta dignitatem Augusti suscepit.
- §. XXXI. Deinceps dubia redditur Basnagii et Walchii sententia, qui a. CCXL hunc librum editum esse voluerant, et a. CCVIII. libellus asseritur.
- §. XXXII. Denique probatur librum ad Scapulam sub initium imperii Antonini Carcalli a. CCXI. prodiisse.

SACTIO III.

Tertia classis librorum Tertulliani, quos, quamvis incertae aetates sint, tamen constat scriptos ante eius defectionem fuisse.

- §. XXXIII. 1. liber de Oratione. De Hermae Pastore a Tertulliano vel laudato vel repudiato, de die Pascha et temporibus precum apud veteres Christianos. Spiritales et fideles apud Tertullianum non semper sunt Montanistae.
- §. XXXIV. 2. liber de Baptismo. Confutantur argumenta dissentientium,

obiterque de triplici Marcionitarum baptismo ac libris Sibyllinis disputatur.

- §. XXXV. Pamelius et Dupinius castigantur. Puritas libri a Montanismo demonstratur. Montanistae feminis non dederunt potestatem publice docendi. Auctoritas episcoporum et laicorum in conferendo baptismo apud veteres Christianos. De Lencio actorum Pauli et Theclae scriptore coniectura.
- §. XXXVI. 3. libri II. ad Uxorem. Locum Pauli I. Tim. III, 2. interpretati sunt veteres Christiani de episcopo secundarum nuptiarum experte. Confutatur Heumannus.
- §. XXXVII. Quarta classis librorum, quorum non nisi Montanismus patet:  
1. liber de Patientia. Error Tillemontii.
- §. XXXVIII. 2. liber de Velandis Virginiaibus, qui est facile librorum Montanisticorum primus.
- §. XIX. 3. de Exhortatione Castitatis.  
4. de Monogamia.  
5. de Ieiuniis.
- §. XL. 6. de Pudicitia.  
7. adversus Praxean.  
8. adversus Hermogenem.
- §. XLI. 9. de Anima liber.
- §. XLII. 10. adversus Valentinianos. Obiter de Proculo Montanista dicitur.
11. liber de Praescriptionibus Haereticorum. Tillemontius et Whistonus castigantur et contra hunc disputatur de appendice huius libri s. indice veterum haereticorum. Orthodoxos inter ac Montanistas nulla in fide dissensio fuit.
12. liber de Carne Christi.
- §. XLIII. 13. de Resurrectione. Quinta classis librorum, quorum nec aetas nec doctrina certa est.
- §. XLIV. 1. liber de Poenitentia. Sententia Montanistarum de disciplina quoad lapsos.  
2. liber adversus Iudaeos. Obiter de expeditione Severi in Britannia deque conditione Iudaeorum istius temporis in Palaestina.
- §. XLV. Index et ordo omnium Tertulliani librorum.
- §. XLVI. De actis Perpetuae et Felicitatis, harumque Montanismo, adversus Whistonum disseritur. Facultas miraculorum Christianis ecclesiae apostolicae data saeculo II. videtur exspirasse. Pauli locus Ephes. IV. 7 seq. illustratur. Consensus Christianorum iudaeorum cum ceteris quo fere tempore effectus?

§. XLVII. De Montanistis Artotyritis. Quaedam contra Wernsdorfi V. C. sententiam modeste proponuntur.

§. XLVIII. et expenduntur Whistoni argumenta, quibus Acta Perpetuae et

Felicit. Tertulliano tamquam auctori tribuerat.

§. XLIX. Postremo usus universae disputationis exemplis quoque ex historia christiana ductis demonstratur.

## SECTIO I.

QUAE EST DE LIBRIS QUORUM ET AETAS ET ORTHODOXIA CONSTAT.

### §. I.

Postquam, depulsis superioris barbariei tenebris, bonis artibus atque disciplinis pristina elegantia restituta fuit coeperuntque predeuntibus annis omnia litterarum genera maiori lumine collustrari: non defuerunt magno et excellenti ingenio viri, qui nec arte longa nec maximis difficultatibus deterriti, quidquid industriae poterat impendi, ad illustrandam coetus Christiani historiam contulerunt. Namque hi, ut erant in ea sententia, absque veterum scriptorum severa lectione neque litterarum elegantiae neque arti bene accurateque sentiendi neque ipsis sanctoribus disciplinis satis posse consuli: in maxime excutiendos credebant eos, quorum lectione perspexerant ipsius doctrinae disciplinaeque Christianorum intelligentiam plurimum adiuvari posse. Sed, ut ipsorum temporum, ita etiam opinionum est quaedam vicissitudo, haec ex antiquitate sapiendi ratio paulatim apud nos adduci coepit in contemptum; maxime cum extiterint, qui propterea, quod solo sensu communi, a patribus velut hereditate relicto, credebant effici, modo is esset adstrictus subtilitatis geometricae legibus, instituerunt theologiae tirocinia ipsa pro theologia habere, et, contenti scientia sua tam parva, contemnere eos, quorum studia aut nullam habent novitatis formam, aut acerrimam ingenii contentionem laboremque requirunt operosum. Unde factum est, ut hodie plerisque sordet omne id quod habet aliquam notam antiquitatis et quae ad sacram litterarum, veterum familiae Christianae doctorum et historiae Christianae intelligentiam pertinent, ea doctoribus umbraticis, quam sagacioribus videantur digniora.

Haec saepius mente agitantibus nobis dolentibusque cum iis, qui bonam mentem amant, temporum nostrorum infelicitatem: visum est, horum aemulari diligentiam potius, quam ceterorum obscuram sapientiam. Ex quo igitur coepimus cogitare de eo, quo possemus contenti, ut aliquid conferremus ad aliorum utilitatem: religioni nobis deo, viam sequi popularem, quae sensim ducet nostros homines ad barbariem pristinam, repetendaque putavimus antiquitatis studia, quae cum opera, in divinis litteris diligentius colendis a nobis collocata maiorem aliquam habeant coniunctionem. Propterea cum, quoad licebat, etiam ad antiquiorum Ecclesiae doctorum libros assidue tractandos animum adiunxissem meum: dignus mihi in primis Tertullianus vide-



ur, cuius scripta accurata lectione persequeretur. Namque dubitatur, an quis in antiquitate universa sit eorum, e quibus doctrinae resque veterum Christianorum possunt intelligi, qui cum maximo ingenio maiorem coniunxerit rerum divinarum humanarumque scientiam, maioremque in commentando subtilitatem. Sed eius quidem scriptoris usum in veterum Christianorum institutis cognoscendis maxime impedit dubitatio, sitne quis eius liber tum scriptus, cum in Montanistarum partes discessisset, vel ante hanc defectionem a puriori Ecclesia? Quae quidem quaestio vehementer exercuit doctorum hominum ingenia movitque eos ad investigandam librorum eius aetatem, haberemus certam viam ex Tertulliano intelligendi, quid veteres Christiani senserint quidque minus? Sed dolendum est sane, horum virorum, eosque praestantissimos viros, non nisi unum alterumve libellum sumsisse sibi, alios leviter opus susceptum tractasse, alios praedicatis opinionibus a vero aberasse, quae credo consecutores fuisse, nudam veritatem nudi expeditique fuissent secuti. Quare cum legerem istius scriptoris libros atque relegissem et observarem, esse tunc in iis, quae, ad librorum aetatem scriptorisque doctrinam pertinentia, disputari utiliter possent, ab aliis non commemorata, a veterumque librorum aetatem accuratius posse constitui: consilium mihi, benevolo doctorum virorum iudicio subiiciendi ea, quae sumpta libris Tertulliani ipsis, cum scriptorum veterum libris aliisque antiquitatum monumentis collata, ad demonstrandam eam facere possent, dabantur. Quam quidem disputationem ita iustituemus, ut, praemissis quibusdam, quae universe dicenda sunt, primum commentemur de rebus iis, quorum et aetas constat et scriptoris doctrina; deinde in his inquiramus, qui quidem non habent certas aetatis notas, sed Montanismi tamen convinci possunt vel ab ista suspitione liberari; quique eos, quorum aetas non maiorem habet claritatem quam in istis doctrinae, caudice diligenterque excutiamus.

## §. II.

Haec vero disputatio universa ut occupatur duabus rebus, aetate librorum ac Montanismo: sic duplicem habet difficultatem non parvam, propterea, quod nec ubivis doctrinae modus certa quadam via actione reperiri potest nec sunt ubique aetatis librorum certissima indicia. Nam si disputatur de eo, utrum sit aliquis Tertulliani libellus et scriptus, quam defecerit ad Montanistarum familiam, aut postea, res duobus modis intelligitur: vel ex ipsa libri aetate, vel ex iis, quae in quovis libro continentur, Montanistarum doctrinis. Sed ista prior ratio triplicem habet dubitationem. Nam horum librorum alii non ostendunt quaedam huius rei vestigia, ut aetas eorum plane desperanda; alii nil nobis relinquunt, nisi ut descendamus ad ra-

. Ne quid forte videamur dedisse parum studio, unius Io. Dallaei testimonium adiciamus, quod, propter nimiam aetatis viri in doctores antiquioris Ecclesiae auctoritatem, hic non potest esse suspitionem. Is vero Tertullianum vocat scripto-

rem ad miraculum eruditum, acutum, diligentem, copiosum, testem denique rerum sui aevi Ecclesiasticarum locupletissimum, (de Cultibus Religiosis Latinorum lib. I. cap. 11. pag. 50.

tionem coniecturalem; denique alii dant quidem suspicionem certius eius libri aetatem intelligendi, sed hoc nimirum est dubium, ut ista tempestate iam Tertullianus fecerit ab Ecclesia secessionem, eodem, unde discesserat, redierit. Contra ea, altera aetatem definiens ratio, praeterea quod non occurrit ubivis, dubitantes relinquit lectorem sitne iam tum facta Tertulliani disiunctio ita, ut se receperit ad doctrinam Montani, an minus, sed in uno alterove cum ea communi erraverit, nec tamen iam tum miserit orthodoxae Ecclesiae nuntium. Enimvero, sicut in eiusmodi loco, ubi vel nulla est vel dubia est aetatis suspicio, alias, indicata ratione dubitandi, veterum illud: *LIQUET* interponemus, alias coniecturarum nostrarum rationem reddens probabilem: sic, ut de locis reliquis singulis universe dicamus, et attingemus brevisime. Primum disputabimus de anno, quo ad Montanistas Tertullianus defecerit: (erit enim hoc, unde constitui potest aetas eorum librorum, quorum non doctrina quidem, sed aetas patet); deinde videbimus, utrum Tertullianus nunquam ad sanioris mentem redierit, sed manserit partibus Montani perpetuo addictus postremo admonitiones quasdam universas proponemus, ex quibus quis intelligere possit, an sint ex Tertulliani libris nonnulli Tertulliano Orthodoxo quidem, sed ad Montanismum inclinanti, aut omnino, qui eorum errorum dant suspicionem, Tertulliano iam plane alienato adiudicandi.

### §. III.

Quonam vero anno contigisse dicamus istam Tertulliani defectionem? Hoc quidem nec potest ex ipsius nec ex alius cuiuslibet scriptoris testimonio percipi; neque Hieronymus eo, quod dicitur Tertullianum usque ad mediam aetatem Ecclesiae Presbyterum mansisse, iustam dat viam eius rei inveniendae, quoniam, quando mortuusve sit Tertullianus, quamve aetatem attigerit, non satis constat. Sed est aliqua huius rei reperiendae ratio sita in libris Montanistae quorum, qui se excipiunt temporis ordine, alii nulla habent Montanismi vestigia, alii haud pauca. Atqui nos ostendemus suos nullo esse eorum, qui librum de Corona Militis antecesserunt, in quibus iste de Animae Testimonio ultimus est, ex quibus quaedam Montanismi significatio eluceat, sed eius rei prima esse vestigia libello de Corona Militis. Vicissimque planum faciemus, hunc a. C. C. mandatum fuisse litteris, cum liber de Testimonio Animae sit compositus versus finem a. CXCVIII. compositus; unde haud difficile erit in lectu, Tertullianum anno fere P. C. N. CC. se Montanistarum partibus adiunxisse. At maiori sane difficultati obnoxia est altera quaestio, utrum, susceptis semel Montanistarum erroribus, nunquam Tertullianus se ad pristinum coetum receperit; cuius tamen quaestio affirmandae nulla est idonea ratio. Nam ea erat isti homini aetas et supra modum rigido insita animi imbecillitas, ut, quo severius essent quae ad vitam moresque pertinerent, eo magis ista adman-

b. In libro de Viris Illustribus cap. 35., in Io. Alb. Fabricii Bibliotheca Ecclesiastica p. 125.

crederetque tanto magis probata fore Deo et consentientia cum Christianorum perfectione. Atque ut solent ii, qui atra bile vexantur, tenaciores esse eorum omnium, quae nutrimento sunt tristitiae, eorumque opiniones cum annis nova capere incrementa: ita est parum credibile, Tertullianum istas opiniones deposuisse istamque reliquisse palaestram, in qua videbat operam se posse omnibus eius generis exercitationibus dare. Accedit ad hoc non omnium modo, qui de rebus ad eum pertinentibus commentati sunt, silentium de eo, quod ad religionem pristinam redierit, sed ipsa etiam Augustini professio omniumque consensus, qui eius auctoritatem in doctrinis probandis admittere noluerunt, quoniam ad perverse sentientium partes se contulisset. Neque cum sententia nostra pugnant libri ii, quos eum ultimo fere loco scripsisse ostendimus, qui paene omnes aliquas habent maculas errorum Montanisticorum adpersas. Sit igitur haec ea in re praeceptio, ut omnes isti libri existimentur ab ipso post defectionem suam elaborati, quos apparet post alios fuisse compositos, qui istorum errorum possunt haud dubie conuinci.

#### §. IV.

At sunt permulti ex Tertulliani libris, quorum aetas cum curiosorum acumen subterfugiat, nulla habent nisi quaedam errorum Montanisticorum vestigia sibi impressa, ex quibus vix tamen potest iudicari, quosnam libros ante, quosnam post defectionem suam ad Montanistas conscripserit. Unde factum est, ut, qui ista subtilius quaerunt, Tertullianum Montanistam a Montanizante distinguendum esse haud inepte dicerent. Sed aliter visum est Io. Guil. Hoffmanno, doctissimo olim in academia Vitebergensi historiae doctori, qui, cum in ea esset sententia, ut crederet omnia Tertulliani, quae supersunt, in Montanismo scripta fuisse, hoc sibi demonstrandum dissertatione singulari sumserat (Vitebergae 1739). Is quidem pulchre perspicens, si ista subtilitas admitteretur, demonstrationem suam aliquid esse detrimenti capturam, negavit hoc admitti discrimen posse. „Carere enim hoc, ait, (§. IV. p. 17.) finibus certis, nec minus ambiguum esse vultum Montanizantis et Montanistae, quam eius, qui aegrotare incipit et aegrotantis.“ Ego vero vehementer dubito, quod, quid sibi velint, qui ita loquuntur, Hoffmannus intellexerit aut intelligere voluerit. „Libros enim Tertulliani Montanizantis, adiicit (p. 18.), forte esse eos, qui quidem Montani dogmatibus infecti sunt, sed recte sentientes non exagitant; Montanistae vero, qui haeresin non solum continent, verum etiam contra Catholicos defendunt.“ Sed nobis iisque qui ita loquuntur, quod ego quidem sciam, omnibus, is dicitur *μοντανιζειν*, qui quidem errores cum Montanistis communes vel omnes habet vel aliquos, sed ita tamen, ut, sprete eorundem sacrorum cum sua Ecclesia communione, nondum se contulerit ad eiusdem societatis sacra, quacum in nonnullis doctrinis consentit, cum Montanista sit, qui utrumque fecerit. At ista quidem Hoffmannus certis carere, dicit,

c. De Haeresibus cap. 86.

TERTULLIANI OPP. ED. OENLKE. Tom. III.

35

finibus. Sit ita sane. Sit vultus Tertulliani Montanistae ac *μωρα-  
νιζωτος* ambiguus admodum. Quid ergo est? Nimirum non potest  
ex vultu Tertulliani iudicari, fueritne is iam morbo lecto affixus, an  
leviter tactus quodam eius impetu. Et id volebamus quidem, non  
posse ex levibus quibusdam signis errorum Tertulliano cum Montani-  
stis communium tute conici, quod iam ipsa Montanistarum secta  
susceperit. Neque tamen id ita intellectum volumus, quasi spurium  
esset aut suspectum omne argumentum, quod ducitur a doctrinis Mon-  
tanistarum in hoc illove libro Tertulliani obviis, ad Montanismum istis  
libris asserendum. Sunt enim ista in re fines et quasi termini, qui-  
bus utendum arbitror, ne de Tertulliani Montanismo ex eius libri  
cognoscendo parum aut nimium philosophari videamur. Primum  
igitur legem eius rei iudicandae hanc volumus esse, ut eiusmodi libri  
habeatur in eorum numero, quos familiae Montanistarum iam ad-  
scriptus composuerit, in quo occurrit nomen Psychicorum. Erat enim  
hoc veluti symbolum, quo socios Orthodoxae Ecclesiae a suae sectae  
hominibus, quos Spiritales dicit, distingueret<sup>d</sup>; atque videtur tum  
fere confictum, cum eos, qui rigidam Montani disciplinam non reci-  
piebant, oppugnare inciperet. Neque id occurrit in ullo libro alio,  
quem temporis aut ipsius doctrinae ratio ostendunt ante eius defectio-  
nem conscriptum fuisse. Itaque non est dubitandum, quin sint in  
libri, qui hoc nomen continent, omnes post susceptum Montanismum  
exarati. Alter canon hic esto: Omnis liber Tertulliani ex Montani  
officina exiisse putetur, qui doctrinas tractat non quidem Montani-  
starum proprias, sed tamen Paracleti cuiusdam auctoritate confirmatas.  
Namque hic erat capitalis Montanistarum error, quod Paracletum  
iactarent suo tempore venisse talem, qui et dux esset ad veritatem  
omnem et nova rerum divinarum scientia auditores suos imbueret  
ita, ut cognoscerent, quae patefacta nulli essent antiquioris memoriae  
homini, et ad maximam perfectionem nunc adspirare possent. Atque  
huius Paracleti agnitionem se, ait, seiunxisse ab Ecclesia; neque  
huic sibi errorem persuaderi unquam passi sunt Orthodoxae Ec-  
clesiae socii, quoniam hic principalis erat doctrina eorum, qui Mon-  
tanum, tanquam magistrum, sectabantur, quamvis ceteri errores Mon-  
tanistarum omnes, ex aliqua parte, vel ipso huius controversiae  
tempore, vel paulo post, receptae fuerint a nonnullis antiquae Ec-  
clesiae sodalibus. Sed quemadmodum diximus, numquam deposuit  
Tertullianum errores eos, quos semel in schola Montanistarum didicerat,  
id sponte sequitur, quod iam fere diximus, eiusdem generis esse libros  
Tertulliani, in quibus alios, haud dubie Montanistarum scitis infectos,  
excitavit. Atque his regulis addi possent aliae, quae libros Montani-  
smi certissime arguant, qualis est diserta ipsius Tertulliani professio:  
sed sunt istae ita fere comparatae, ut disputatione non egeant, ad  
non sint certissimae fidei. Quod si vero extiterit tale quid in qu-  
dam libro Tertulliani, quod posset referri ad unam regularum istarum  
absque erroris periculo licet existimare, eum fuisse tum editum, cum

d. V. Tertullianum de Monogamia cap.  
1. edit. Nic. Rigaltii II. p. 673. B.

e. V. eundem in libro de Velandis Vir-

ginibus cap. 1. et libro IV. adversus He-  
rcianem c. 22. p. 537. C.

f. Adversus Praxean cap. 1. p. 634. D.

iam inimicitias cum Orthodoxa Ecclesia Tertullianus suscepisset. Sed iam ad libros ipsos veniamus.

### §. V.

Ex his primum pertractandos promissimus eos, quorum nec aetas nec doctrina dubia admodum esset; in quibus sunt primò loco ponendi, quos scriptos esse constat eo tempore, quo calamitatibus multis Christiani regnante Severo Aug. propter doctrinam affligebantur a deorum cultoribus. Quorum aetas cum rite haud queat definiri, nisi figurat illud quasi punctum temporis, quo coepta est adversus Christianos saevitia: id agamus necesse est, ut, quoniam haec tempore contigerit, perspicuum omnibus fiat. Sed ista vexatio quoniam his extitit, primum quidem ante, deinde post leges Severi Christianis inimicas: observando didicimus, annum a Christo nato ducentesimum libros Tertulliani dividere quasi in duas classes, quarum altera complectitur hos, qui sunt ab eo Orthodoxo, altera eos, qui sunt ab eo Montanista profecti. Nobis itaque cum sit propositum primum dispicere de eo genere librorum Tertulliani, quorum aetas satis liquido constat, ita in hoc tractando versabimur, ut demonstremus, iam ante Severi edictum Christianos fuisse propter doctrinam vexatos, deinde, paucis quibusdam de ipsa huius prioris tempestatis ratione adpersis, in annum, quo ista afflictio initium ceperit, accurate inquiremus.

### §. VI.

Culpa, cur erraverint multi in definienda eorum librorum Tertulliani aetate, qui tempore vexationis Severianae scripti sunt, in eo est haud dubie, quod non viderint, et ante Severi legem, qua suscipiendam Christianorum religionem vetuit, deorum cultores vexasse Christianos. Ita enim factum est, ut, cum inter omnes constaret, anno demum p. C. N. CCII. hanc legem a Severo latam esse, libri isti omnes post istum annum inepte ponerentur. Atque fuerunt identidem nonnulli, qui hoc quidem cum libris ipsis pugnare perspicerent; sed neque hi veritatem attigerunt, propterea, quod antiqua harum rerum monumenta nec candide nec prudenter, tamquam duces, secuti fuerunt. Itaque maximis laudibus dignus est vir immortalis memoriae Io. Laurentius Moshemius, ὁ μακαρίτης, qui, postquam eo quo erat acumine animique candore summo inquisiverat in hanc rem diligentius, istum errorem exquisitissimus argumentis exposit\*. Atque hic tantus vir effecit diligentia sua, ut nobis in demonstranda hac re multis laborandum non sit. Quam ob rem ne careant tamen ii, quibus datum non est perlegere ipsam elegantissimam dissertationem, gravissimis argumentis, quibus calamitates Christianorum tempore edictum Severi antegresso asseruit, ea veluti in compendio recitabimus, quibus

g. In Commentatione de Aetate Apologetici Tertulliani et Initio Persecutionis Christianorum sub Severo, quae inserta est Vol. I. Dissertationum eius ad Historiam Eccles. pertinentium. pag. 1 sqq.

Daturum etiam se promiserat vitam Tertulliani librorumque eius chronologiam accuratiorem ea, quam tradidit Allixius; (V. thesaurum Epistolicum Lacrozienum Tom. I. p. 284.) sed id consilium post-

assentimur omnino, iisque adiciemus duo alia, quae ad confirmandam ea aliquid habere videntur firmitatis. Atque is primum duxit ab eo, quod ipse Tertullianus in Apologetico, et maxime in universa illa de legibus disputatione, tot signa ediderit, quibus nondum legibus contra Christianos Severum pugnasse indicat, ut nullus plane dubitandi locus supersit. Alterum ex libro ad Martyres (c. 4.), in quo commemorat Tertullianus supplicia, quibus Albini amicos affecerat Severus, quod factum esse a. p. C. N. CXCVI. aut, quod mallet, CXCVII. rectissime Moshemius monuit. Tertium ipsi obtulerunt Clementis Alexandrini verba (Strom. lib. II. ed. Colon. p. 414. B.), quibus confitetur iam tum tormentis exagitari Christianos, cum Stromatum libros componeret, quod fecit fere eodem, quo diximus, tempore. Quartum dedit acta, in quam gravissima supplicia a Scillitanis Martyribus sumpta incidit, Claudio iterum Consule, qui cum C. Aufidio Victorino fasces A. P. N. C. CC. tenuit; quibus denique argumentis aliquid auctoritatis arbitratur ex ipso Orosii ac Freculphi testimonio accedere. Atque nos non semus ii, qui ista quidem ad rem demonstrandam non sufficere arbitraremur; ea enim omnia putamus rem extra omnem dubitationem ponere. Placuit tamen, ne quid videamur praetermisisse, quod ad rem confirmandam facere quodammodo posset, duo alia adiacere argumenta, quae, quamvis minora esse Moshemianis facile patimur, non tamen omnino reiicienda esse videntur. Unum est hoc, quod Aelius Spartianus de Caracallo dicit<sup>b</sup>: *Septennis puer, cum collusorem suum puerum ob iudaicam religionem gravius verberatum audisset, neque patrem suum, neque patrem pueri, vel auctores verberum deus respexit.* Ex quo loco apparet, quod pater pueri istius non ipse cum propter Iudaicam religionem castigaverit, sed quod ipse Severus pater iusserit ab aliis castigari. Nam qui potuisset Caracallus accensere patri Severo, nisi is ipse hoc voluisset fieri? Itaque aliquis datur locus suspicioni, iam tum, cum Caracallus septem esset annorum, vi pugnatum esse adversus Christianos, quamvis anno demum p. C. N. CCH. Severus leges contra horum Iudaeorumque religionem tulerit. At septimum annum egit Caracallus anno a nato Sospitatore nostro CXC., quod est facile demonstratu. Norunt enim omnes, mortuum esse Severum a. CXXI., cui succedens Caracallus interfectus est, cum supra VI. annos regnasset<sup>i</sup>, a. CCXVII. Is vero cum diem septimum obiret, annum attigerat XXIX.; quo numero detracto summae annorum eius, emergit annus CLXXXVIII., quo natus sit oportet; unde consequitur, Caracallum a. CXC. septimum annum egisse, quo tempore longe posterius est Severi edictum. Neque puto quemquam fore, qui nobis opponat, longe diversam esse christianae ac iudaicae religionis rationem nec posse demonstrari, Christianos fuisse a deorum cultoribus vexatos, quoniam castigati fuerint, qui se iudaicae religioni addixerat. Nam qui ita sentiunt, eos necesse est fingere, quod vulgus etiam Christianos iam satis a Iudaeis distinxerit (ab hoc enim dicimus istum tumultum fuisse excitatum). Hoc vero discrimen cum

ea ipsi eripuerunt grauiores sanctioris muneris curae, ut fatetur in Addendis ad Vol. I. Diss. Hist. Eccl. p. 752.

b. In Vita Antonini Caracalli c. 1.  
i. V. Dionem Cassium Histor. Romae lib. LXXVII. edit. Reimari Vol. II. p. 1314.



ante illud tempus, quo Severus imperio potiretur, ne ab iis quidem sit observatum, qui nosse utramque religionem optime poterant, nec sciam, unde probare quispiam possit, eos Severi tempore magis perspicaces fuisse quam ante, numquid concitatam multitudinem sub Severi imperio id quidem curasse aut distinxisse satis putabimus? Sed si maxime dubium potest illud, tamen apparet adesse exempla odii Gentilium in eos, qui erant a deorum cultu alieni, ipsumque Severum non plane ab odio isto abhorruisse. Quod si Severus id fecit in pueris, quibus condonare solemus saepissime, quae adultis nequaquam conceduntur, vix dubito quin praesides avaritia plebisque tumultu eo adducti fuerint, ut gravius in Christianos animadverterent. Alterum argumentum desumam ex libro, quem Tertullianus scripsit ad Scapulam<sup>k</sup>. *Clarissimas feminas, inquit, et clarissimos viros Severus, sciens huius sectae (sc. Christianorum) esse, non modo non laesit, verum et testimonio exornavit, et populo furenti in nos palam restitit.* Severus dici non potest populo furenti in Christianos palam restitisse, cum iam edictum contra Christianos constituisset. Namque id quo minus credamus, impedit durus et quasi ferreus Severi animus, a quo certe is impetrare non potuit, ut legem semel latam rescidisset. Et hoc ipsum, quod Tertullianus dicit, plebem exagitasse Christianos, et invito quidem Severo, nonne demonstrat, id factum non esse. Severi legibus? Habemus igitur et hic non obscurum testimonium de eo, quod ante eius edictum Christiani maximis calamitatibus afflicti fuerint.

### §. VII.

At nunc discutiendus est alter iste locus de tempore, quo prior haec tempestas contigit, si prius edixero, quanam causae huius facinoris vulgi adversus Christianos videantur fuisse. Atque hoc cum de omni contra Christianos facto a plebe tumultu constat, eam his, tamquam publicis generis humani hostibus, omne calamitatis a diis immissae genus tribuisse: tum illud nimirum patet ex Tertulliani scriptis, hoc fuisse in causa, ut nunc Christianos maxime insequeretur<sup>l</sup>. Enimvero, quae Severum inter et Nigrum intercedebat maximarum rerum aemulatio, non solum videtur quibusdam displicuisse, qui non Severum sed Nigrum contra Didium Iulianum Aug. postulaverant<sup>m</sup>, sed illud etiam quod adversus Albinum suscepit bellum omnium animos vehementer concitavit<sup>n</sup>. Itaque cum prostrato utroque Severus omnes eos extinguere pararet, quos noverat a partibus Nigri Albinique stetisse, optima se offerebat plebi occasio Christianos, tamquam rei publicae ac imperatoris hostes, violandi. Atque hi homines sibi videbantur hoc eo rectius exsequi posse, cum Christianos ipsis etiam diis infestos crederent, de quibus eo bene mereri posse putabant, postquam dii ipsis haec quasi otia fecerant. Et ipsam hanc opinionem Christiani vulgo persuadebant eo magis, quod plane nec

k. Cap. 4. p. 87. D.

l. Cf. Apologet. c. 40. ad Nationes lib.

I. c. 9 sq.

m. V. Herodianum lib. II. c. 8. lib.

III. cap. 5. Spartianum in Vita Nigri

c. 2.

n. V. Dionem apud Xiphilinum lib. LXXV.

c. 4. p. 1258 B.

ludis ac celebrationibus, propter reportatam Severi ab hostibus vi-  
riam institutis, vellent interesse°, nec iurare per principis genio  
nec diis pro salute eius supplicare°. Eo ipso autem tumultu vul-  
facile eodem poterat adigere praesides, qui non admodum alieni e-  
ipsi ab hoc crudelitatis genere. Namque hi eam sibi legem, veluti  
manus traditam, praescripserant, ut qui semel in ius vocati es-  
Christiani, nisi a sacris suis discederent, nequaquam dimitterent  
cuius rei testem habemus ipsum Tertullianum, qui, eam ob causam  
de recte interpretandis his legibus ex instituto adversus eos disp-  
vit°. Ac istam quidem Christianos vexandi occasionem eo libera-  
arripiebant quaestuosi praesides, quo certius fisco viderent  
haud exiguum emolumentum esse allaturam. Quod me non fin-  
scio ex Qutilii martyris exemplo°, quem suspicor raptum esse in i-  
cium, cum nondum Severi, sed antiquis legibus, iudicium fieret°.  
enim adducebantur multi Christianorum, qui opibus vitaeque  
timebant, ut, quod alia declinare via non poterant, periculum ad  
pecunia averruncarent. Quas saevitiae praesidum vulgiquae causa  
mente complectimur, erit sane, ut sciamus tempus, quo orta est  
prior tempestas, quando, quo anno haec speciosa Christianos laed-  
ocasio extiterit, demonstravimus.

## §. VIII.

Ad hunc vero investigandum primum ipsis utamur his, et  
enumeravimus, calamitatum causis. Illud enim, quod quasi a  
vulgo dabat ad impugnandam Christianorum familiam, erat Severi  
dium conquirendi omnes eos, quos cum Nigro aut Albino adversu-  
stetisse compererat. Quod quoniam factum est, cum Albino exti-  
Romam victor rediisset (tum enim gravissima in eos supplicia  
stituit\*), operae pretium est videre, quonam anno Albinus cum  
imperium deposuerit. Atque in isto definiendo tantum operae cu-  
que iam positum esse videmus a Moshemio°, ut paene isti ha-  
possemus supersedere, nisi quaedam essent in promptu, quae dici p-  
contra viderentur. Itaque cum hic se offerat occasio in dubitatio  
vocandi opinionem quandam popularem, atque ipsa res postulet  
paulo aliter rationes subducantur: servato ipso argumentorum ger-  
quod adhibitum est a summo viro, candide disputabimus, quae

o. V. Tertullian. de Spectaculis c. 1. et alibi.

q. Idem in Apologet. c. 32. et lib. 1. ad Nationes c. 17.

q. Idem Apologet. c. 10. 29 sqq.

r. V. Eusebium Hist. Eccles. lib. V. c. 21. edit. Reading. p. 240.

s. In Apologet. c. 4 sq.

t. Apud Tertullian. de Fuga in Persecutione c. 5. p. 693. A.

u. Nempe hic liber scriptus est eo tempore, quo graviore calamitates Christianis expectandae erant a deorum cultoribus (coll. c. 1.), h. e. ut postea dicetur, cum edictum Severi in lucem prodisset, time-

rentque Christiani de securitate sua. istum libellum cum Tertullianus coneret, iam neci datus erat Rutilius primum aliquoties salutem petierat postea nomis sibi comparaverat, ser-  
nuo captus ad supplicium rediit. ergo necesse est factum esse ante  
quam Severi legem, et novum dat-  
mentum eius quod diximus, Christ-  
sub Severo ante eam capitis dam-  
fuisse.

x. V. Dionem lib. LXXV. c. 7. p. 1  
D. Herodianum lib. III. c. 8. et Sp-  
num in Severo c. 12. 13.

y. In Diss. laudata §. XX sqq.

sentanea sunt veritati ipsi, et quam in re sentiamus diversa, salva pietate in tantum virum, cuius nomen nobis etiam est post mortem venerabile, adiecta dissentienti ratione infra notabimus. Cum ad imperium venisset Severus videretque Pescennium Nigrum in Syria copias parare, quibus se sibi opponeret, primum ne ex utraque parte premeretur, Albinum Britannici exercitus ducem fecit eique et numos decrevit et alia honoris monumenta. Posthac lecto per Italiam milite et classe exornata, elapso fere mense Junio a. CXCIII. contra Nigrum profectus est. Hic, cum Severi duces a. CXCIV. manum cum Nigri militibus conseruissent apud Cyzicum, superiores fuerunt. Eadem fortuna usi sunt anno sequenti, cum pugnatum esset in Nicaeae ac Cii angustiis. Postremo, anno fere CXCVI., cum Severiani casu castello in Tauro occupato in Ciliciam irrupissent, vincitur Nigri exercitus apud Portas Cilicias, neque ita multo post ipse Pescennius interficitur. Sed hic ego quosdam miraturos suspicor, quid sit, quod me commoverit, ut calculos hic plane diversos ab aliis ponerem, cum sint, qui ultimam hanc pugnam a. p. C. N. CXCIV. factam existiment, universi. Quam ob rem mea referre puto, ut recta argumenta producantur, quibus evinci possit, rationes a nobis rectissime fuisse subductas. Primum igitur vellem observari cognomen Imperatoris III. IV. V. VI. VII. VIII., quod datum esse Severo in numis perspicitur. Hoc cum exornatum necesse est intra tempus, quod ab exordio imperii eius effluxit ad illud, quo superavit Albinum, quia eum legimus, cum imperium susciperet, in numis Imperatorem II.<sup>a</sup>, victo autem Albino, Imperatorem IX. appellatum<sup>b</sup>. Enimvero, cum nomine *Imperatoris*, quod numeris distinctum in numis reperitur, tum Romanorum Augusti exornati fuerint, cum quid in bello eo nomine dignum gessissent<sup>c</sup>: age! videamus, quo referendum sit hoc intra illud tempus sexies repetitum cognomen *Imperatoris*. Nempe in isto temporis spatio ter legimus Severum a Nigri militibus victoriam reportasse, tresque gentes Osroënorum, Adiabendorum et Arabum subiecisse Romanorum potestati. Igitur cum hos, iam devicto Pescennio, subegerit, referamus cognomen *Imperatoris* VI. VII. VIII. ad victos hos populos<sup>d</sup>, ac nomen *Imperatoris* III. propter proelium Cyzicenum, IV. ob

z. Namque incipiente Junio a. CXCIII. Romam Severus venit; quod patet tum, cum dies LXVI. quos imperio Didii Iuliani Dio (lib. LXXIII. c. ult. p. 1240.), aut II. menses ac V. dies, quos ei Spartianus (in Iuliano c. 9.) adsignat, numeremus, incipiendo a V. Calend. Aprilis h. e. XXVIII. Martii, quo die interfectum esse Pertinacem Iulius Capitolinus (in Vita Pertinacis c. 15.) refert. Apparet inde non minus, Severum fere die Iunii II. summi imperii clavum sumpsisse ex quo die deducendos simul esse tribunitiae potestatis terminos non demonstrabo pluribus, quoniam id quidem facere memini C. G. Schwarzium, elegantissimum virum in Diss. de Numeranda Tribunitia Potestate Augustorum Caesarumque Rom. Obs.

IV. Quae cum ita sunt, haud obscurum est tempus, quo Severus Roma profectus est, si quidem recte commemoravit Spartianus (in Vita Severi c. 8.), eum Romam intra XXX. dies, quam eo venerat, reliquisse.

a. Vide Vaillantii Numismata Imp. Rom. Tom. II. ed. 3. Paris. p. 238.

b. Apud Mediobarbum in Imp. Rom. Numism. ad a. CXCVII. ed. Mediol. 1730. p. 271.

c. De ea re V. Dionis Cassii Rom. Hist. lib. XL. c. 44. p. 372.

d. In numis a Mediobarbo ad a. CXCVI. excitatis p. 270. cognomen Imp. VI. et VII. coniungitur cum Tr. Pot. III. et nomine Parth. Arab. Parth. Adiab. aliisque signis victoriae. Pariter Imp. VIII. p. 271.

pugnam in Nicaeae ac Cii angustiis, tas Cilicias prostratum, Severo decimus, cui tandem numero trib. p. Imperatorii notae; nam si eum coannus, cui quaevis pugna assignanda quod diximus signum esse victoriae cum trib. pot. II. f; haec vero nu a. CXCIV. ad eundem diem anni senis et Schwarzii diss. laud. Obs. proelium primum ad posteriorem a. CXCIV. esse referendum. Porro Imp. IV. tribunitiamque potestatem eius generis numi plures aq. Med. in Nicaeae Ciique angustiis in a. (anni superiorem partem. Quapropter victoria a Nigro reportata non videtur nisi huic quem diximus a. CXCVI. eius anni prostravisset Severus, contra Osroënos, Adiabenos et Aral omnia esse oportet sex fere mensibus anni praecedentis Nigro mortem at iam contra Albinum profectum esse suadeat, ut suo loco apparebit. At his tam paucis tot tantasque bellis istud quidem potest animo pulchre (cit.) harum gentium urbes a tribus captas esse ait; quod factum fors Severus ivisset, nam, eo discesso, ut videtur ex eodem Dione (c. 9.); quo Nigrum Severus persequeretur, suos: aut fuit Severus qualicumque tus. Ac videtur certe Severus noluisse, nec iam tum subiecisse, cum aliena Nisibi ageret ipseque demum vincias summo impetu adoriretur; quod diani silentio, qui de his gentibus

cum Victoria Parthica et Tr. P. IV., ac cum iisdem, tituloque Arabici, Adiabeni in inscriptione apud Muratorium in Novo Thesouro Vet. Inscript. Tom. I. p. 244. legitur.

e. Sed forsitan quispiam dixerit, hos numos non eo excusos fuisse tempore, quo Severo victor ex pugnis cum Nigro rediit, sed postea demum, ipsumque Spartianum (in Vita Severi c. 9.) significare, quod Severus non nisi post alterum proelium in angustiis Cii et Nicaeae ad Senatum hac de re scripserit. Sed praeterea quod Spartianus discrepat aliquan-

omnino. Itaque haec prima lex sanciat, ante finem a. CXCVI. Severum contra Albinum non fuisse profectum<sup>a</sup>.

### §. IX.

Alterum nec mediocre telum ad hanc rem exsequendam existimari debet tempus, quo expugnatum Byzantium est. Namque hoc Dio ait (lib. LXXIV. c. 14. p. 1254.) occupatum esse a Severi militibus, cum is in Mesopotamia commoraretur, h. e. postquam Nigrum superaverat, ac prius quam pergeret adversus Albinum. Atque Byzantinos fame demum in deditionem redactos esse, cum tres integros annos fuissent in obsidione, idem Dio memoriae prodidit (lib. cit. c. II. p. 1252.); quare cognoscemus annum, quo Severus in Mesopotamia versatus est, si viderimus, quando ista obsidio exordium sumserit. Sed eius initium coniunctum arbitror cum initio ipsius expeditionis Severi contra Pescennium a. CXCIII., quod intelligi potest ex eo, quod vix est credibile, Severum, cum Nigro occurreret, a tergo relicturum fuisse fortissimam urbem, quam ipsi Nigri milites tenebant, et quo adversis rebus se recepturi fuissent; idemque cum re ipsa optime consentit. Fac scilicet, mense fere Septembri a. CXCIII. Severum huius oppugnationis initium per milites fecisse (Roma enim, Iunio paene praeterlapso, discesserat cf. §. VIII. n. z.), incidet sane expugnatio ipsa, si post triennium integrum facta est, in Septembrem a. CXCVI., quo tempore Severum in Mesopotamia fuisse apparet ex iis, quae in superioribus dicta sunt. Quam ob rem non est necesse, ut a nativa potestate verborum ἐπὶ ὅλον τρίτην χρόνον recedamus, quo se a Tillemontio adduci passus est Moshemius, ὁ μαχαρίτης, cuius interpretatio, ni fallor, vi quidem verborum non facit satis. Itaque cum mense fere Septembri in Mesopotamia versatus fuerit Severus, nisi a. CXCVI. iam in fluem inclinato, in Galliam venire non potuit. Neque vero postea quam in Mesopotamia Severus fuerat, usquam legimus eum contra Osroënos, Adiabenos Arabesque fuisse profectum; hos enim, teste Dione (lib. LXXV. cap. 3. p. 1257.), cum Nisibi, in urbe Mesopotamiae, Severus otium sibi daret, Laternus, Candidus atque Laetus, Severi duces, subegerunt. Unde efficitur, famam de seditione Albini ad Severum in Mesopotamiam fuisse allatam. Enimvero non abhorret, Severum, qui celeritate consilii inprimis utebatur, statim,

h. Atque hic nos non audemus plura ex ordine rerum gestarum, quas commemoravimus, deducere, sed postea dabimus. Iudicari autem ex dictis potest de eo, quod placuit Moshemio, τῷ μαχαρίτη (in laud. Diss. §. XXI.), a. CXCIV. periisse Nigrum, a. CXCIV. legatos in Galliam ad interficiendum Albinum a Severo missos et hoc anno prope exeunte insidias eorum deprehensas fuisse; quo facto, a. CXCVI. citissime in Galliam Severus venisset. Vix crediderim (nam de tempore proeliorum iam dixi quid sit sentiendum), legatos istos integro fere anno

adquievisse, antequam litteras Albino tradidissent et, cum a. CXCIV. prope exeunte demum detectae hae fuissent insidiae, Severum, qui currentis similior quam proficiscentis recte dicitur a Moshemio, vel integrum fere annum CXCVI. otio transegisse, vel Albino tantum concessisse temporis, ut vires colligeret; cum ad veritatem sit multo propensius, si quis dicat, quod a. CXCVI. prope vertente Severus profectus sit adversus Albinum, neque multum temporis praetermiserit, quo bello dimicare cum Albino potuisset.

devicto Nigro, misisse, qui Albino occasione allatarum litterarum sidias facerent, et hae quidem repente detectae sunt; quocirca m apparet, fere anno CXCVI. vertente Severum in Galliam concessis

### §. X.

Sed ista quidem ut nondum dant certam viam accurate cog scendi annum Albino fatalem propterea, quod nondum apparet, quan ista de summa imperii dimicatio duraverit, magis, opinor, nobis sc pulum eximet tempus dignitatis Caesareae Caracallo collatae, ex efficietur, Albinum a. CXCVII. periisse<sup>k</sup>. Sunt enim antiquitatis rumenta quaedam, qualia Pagius<sup>l</sup>, exque Gutherio Moshemius at (in diss. laud. §. XXIII.), in quibus Laterano et Rufino cons. G callus ex S. C. Caesar destinatus vocatur. At illo cognomine qu vis iam Caracallus a patre tum exornatus fuisset, cum Severus ad sus Albinum proficisceretur<sup>m</sup>, istud tamen nusquam reperim: Senatu confirmatum esse prius, quam victor Severus Romam, p strato Albino, rediisset; tum enim Severum legimus Caesarem B sianum filium suum Antoninum appellari iussisse (ap. Spart. l. c. 14.). At enim Lateranum et Rufinum consules fuisse A. P. N. CXCVII. docent fasti universi; itaque sit hoc, Albinum eodem an cum vita imperium amisisse. Quae cum ita sint, patet quod effici dum promissimus, ex hac occasione plebi ad Christianos vexandos p Albini interitum nata istas priores Christianorum calamitates a. CXC initium cepisse.

### §. XI.

Accedimus ad alterum argumentum, ex quo initium istius tum tus a plebe excitati definire volebamus, locum istum quidem super (§. VI.) productum ex libro Tertulliani ad Scapulam, in quo Seve dicitur „clarissimas feminas clarissimosque viros sectae christia non modo non laesisse, verum et exornasse testimonio, populoque

i. Aliam viam ingressus est Moshemius §. XXII. Namque a. CXCVI., inquit, expugnatam esse Byzantinorum urbem; hanc vero, Herodiano teste (lib. III. c. 6.) nondum fuisse in potestatem imperatoris redactam, cum Albino occurreret; igitur cum esse contra Albinum a. CXCVI. profectum. Quod argumentum, haud nego, esse maiorem vim meo habiturum, nisi Herodiani verba pugnant cum iis, quae tradita sunt a Dione Cassio, qui Severum ait nuncium de capto Byzantio in Mesopotamia accepisse. Atque is merito audiendus est et repudianda Herodiani auctoritas, quod iam egregie monuit V. C. H. S. Reimarus in not. ad Dion. Cass. p. 1252. §. 70. et p. 1256. §. 1.

k. Usi sumus ad hanc rem efficiendam dignitate Caracalli Caesarea, cum Moshemius maluerit ad eam rem dignitatem Au-

gusti Caracallo collatam adhibere. istius Clarissimi Viri partes deserere satius est visum. Nam (p. 66.) Carac inquit, Augusti dignitate ornatus est anno, qui proelium Lugdunense est secutus. Itaque cum constet, eam l a. CXCVIII. accepisse, Albinus a. CXC occubuit. Huius argumenti, dubito l an superior proposito ex omnibus, t habemus, scriptoribus sit manifesta, eadem esse censeatur cum altera: de dignitate Augusti a. CXCVIII. susci quae consentit cum eius rei significat monumentis.

l. In Critica Annalium Eccles. Cas Card. Baronii, Saec. II. ad a. C. CX num. 2. edit. Paris. MDCLXXXIX. p.

m. V. Spartianum in Severo c. 10. n. Et XI. quidem Calend. Mart., qu admodum habet Spartianus loco cit. c



ristianos furenti restitisse“. Quod cum Severus non fecerit eo tempore, quo iam edictum religioni Christianorum, quemmodum ibi disputavimus, assignandus est ei rei annus, quo Severus nondum hac lege molestus fuerat Christianis. Neque is tali modo clarissimis quibusdam huius familiae hominibus tum videtur officari voluisse, cum victo Albino bellum Parthis aliisque Orientis partibus intulisset, a quo perfecto non rediit prius, quam hoc idem edictum adversus Christianos promulgasset. Namque tum quidem totum bellum cum fortissimis nationibus implicatus, ut credi vix possit, non de istiusmodi rebus cogitasse. Sed verba etiam Tertulliani sunt, quae ut facile appareat, Severum non has quidem, sed alias tamen feroces virosque clarissimos eo tempore laesisse, a quibus is Christianos se defendere poterat discerni. Atque ego non video, ad quale tempus possit visus is illata referri, nisi ad id, quo interfectos Spartianus refert (in v. c. 12.) innumeros Albini partium viros, inter quos multi principes civitatis, multae feminae illustres fuerunt; propterea, quod ista res inter hos scriptores est vel in verbis quaedam similitudo. Ego pro vix dubito, quin Severus horum Christianorum quasi tutelam suscepit eosque ornaverit testimonio tali, quo doceret, eos non esse inimicos Albini, ne populus, causam imperatoris praetendens, hos Christianae religioni addictos insequeretur raperetque in iudicium, sed quod Christiani essent, aliud nihil vitio verti poterat. Eum igitur sit illud, statim post mortem Albini et ante Severi promotionem contra Parthos, h. e. a. CXCVII., populum Christianos viginti gressum fuisse.

## §. XII.

Denique et hoc non leve est argumentum nostrae sententiae, quod patet. Apologeticum Tertulliani non posse litteris mandatum esse, si ante illas leges Severi; de qua re nemo dubitare potest, qui cogente hunc libellum tractavit. Sed poterit ex iis, quae postea disputavimus, nullo negotio intelligi, istam defensionem veterum Christianorum aetate inferiorem esse libris eius ad Martyres, de Spectaculis quae Idololatria. Vicissimque me spero ita effecturum, quod istae defensionis christianae vindiciae scriptae sint sub initium a. CXCIX, ut modo vel mediocri in his iudicio praeditus de ista re dubitare possit. Evidens tum apparebit, libros de Spectaculis atque de Idololatria nulli in anno posse assignari, nisi a. CXCVIII. Enimvero Tertullianus Martyres proprio libello ad constantiam concordiamque hortatus est, quam se accingeret ad scribendos hos duo, quos diximus, libellos. Itaque necesse est dicere, librum ad Martyres fere a. CXCVII. editum fuisse. Quae una res nostram sententiam de anno, quo haec superior vexatio Christianorum incepit, ponit extra omnem dubitationem. Namque hi, quibus librum obtulit, iam fuerunt propter religionem christianam in vincula coniecti, *martyresque isti designati* gumento sunt, tum deorum cultores vim Christianis intulisse. Sed iterum haec fere; nunc plura de libris his ipsis dabimus.

## §. XIII.

Est igitur inter huius generis libros is primus, quem Tertullianus ad Martyres perscripsit. Cuius libri argumentum ipsum iam tum susceptas adversus Christianos inimicitias demonstrat, est enim *designatis martyribus* dicatum (coll. c. 1.); modo constituendum est id fuerintne isti ante aut post Severi edictum in carcerem coniecti. Atque illud mihi magis placet pluribus de causis. Primum, quoniam Christianos non imperatoris sed proconsulis iudicia sustinere dici (c. 2. p. 156. A.). Quod quidem, haud nego, dici etiam a Tertulliano potuisse, si praesides adhibiti fuerunt ab imperatore legibus contra Christianos dimicante, propterea quod praesides eas exequabantur in provinciis: sed tamen ex eo primum oritur haud inepta suspicio, ipsa hac violentia eo tempore praesides magis usos fuisse quam ipsum Augustum. At si istud argumentandi genus videatur in utramque partem posse disputari, hanc controversiam dirimit haud dubie id, quod est ad calcem nostri libelli, ubi: *ad hoc quidem*, inquit (patendum in causa Dei), *vel praesentia nobis tempora documenta sint, quantum qualesque personae inopinatos natalibus et dignitatibus et corporibus et aetatibus suis exitus referunt, hominis causa; aut ab ipso, si contra eum fecerint, aut ab adversariis eius, si pro eo steterint; quod pertinere ad tempus, quo ab aemulis imperii Severus tutum reddiderat orbem Romanum, nullo modo dubitari potest. Nam cum sublatus e medio esset Albinus, tum maxime Severum animadvertisse in hos, qui steterant a Nigri Albinus partibus, tantum ignorant ii, qui loca superioris adducta haud intellexerunt. Ex quo non minus licet cognoscere, quo modo potuerit Tertullianus dicere (c. 2, p. 156. C.), hos designatos martyres, quibus, nostrum libellum componendo, aliquid afferre allevamentum voluit, non participare solemnes nationum dei neque caedi spectaculorum clamoribus. Quamquam enim me non prorsus praeterit, ludos etiam editos fuisse eo tempore, quo superior Severus a Parthis ceterisque barbaris rediisset, facit tamen hoc ipsum argumentum, quod ad erigendos martyrum animos petit a viris clarissimis, qui idem experti erant fatum, ut ludos intelligamus eos, qui editos novimus propter victoriam a Nigro, magis etiam ab Albino reportatam. Ceterum ego non dubito primum locum nostro libello vindicare inter eos, quorum aetas certa quadam ratione cernitur, propterea quod Tertullianus non modo commemorat mutuam candidatorum imperii adversus partis contrariae socios violentiam, quam rem dei non potest extitisse, nisi eodem anno, quo periit Albinus h. e. a CXCVII., sed etiam mentionem iniicit calamitatum, quas subiere Christiani, tamquam earum, quae nunc quidem initium ceperint; ceterique omnes libri, quibus scribendis occasionem haec temporum perturbatio dedit, Christianos ostendunt iam multis cruciatibus tormentisque agitatos. Neque ego nunc vereor, ne hunc libellum in numerum eorum referant nonnulli, quos Tertullianus composuit, cum ab amicitia Orthodoxae Ecclesiae se removisset; ipsa enim libelli aetas id quidem non permittit, si verum est id, quod diximus alias (§. III.). Tertullianum huic ante a. CC. bellum non intulisse. Qua in re vide-*

mus Hoffmannum a nobis, ut solet, dissentientem, sed ad opinionem suam confirmandam usum argumento tali, ex quo magis appareat id, quod nos contra volebamus (Diss. cit. §. X. p. 36.). Videlicet Martyres istos, ad quos est oratio Tertulliani directa, existimat partim Orthodoxos fuisse, partim Montanistas, idque effecisse, ut dissensio nata sit inter eos, quam ex animis tollere conatur Tertullianus sub libri initium. Sed ad uniendos eos *opus erat hortatore*, inquit Hoffmannus, *qui utrique parti bene cuperet; qualis erat Tertullianus Montanista et in Catholicos quidem saepe peracerbis, neque tamen eos ita, ut haereticos, perosus.* Audio. Sed ut utraque pars inimicitias deponat, certe non requiritur, ut is, qui pacem conciliare studet, utrique dissentientium faveat. Illud nimirum necesse est potius, ut dissidentes inter se cum eo, qui pacem conciliat, concordent. Plinius dicam. Constat ex scriptore nescio quo, cuius verba habet Eusebius (H. E. lib. V. c. 16. p. 232. edit. Cantabrig. Readingii) eos, qui puriori Ecclesiae addicti erant, adeo contempsisse Montanistas, ut, si casu coniecti cum ipsis fuerint in vincula, semper a Montanistis dissenserint atque detrectaverint eorum societatem. Idem vero non potest de Montanistis dici, cum eius rei nec ulla extent vestigia, quin potius ipse Tertullianus etiam in libris iis, quos popularis Ecclesiae doctrinis opposuit, Psychicos ab haereticis subtiliter distinguat, nec ad ullam rem, quae credendorum a Christianis regulam attingerent, discordes esse Montanistas et Orthodoxos confirmet. Fac igitur, tum iam Tertullianum secessionem fecisse ab Orthodoxorum decretis, cum librum conscriberet, potuitne bona cum spe tentare pacem inter dissidentes captivos restaurandam? Non admodum pufō. Abhorruisset enim fere a consuetudine eorum inter captivos, qui Orthodoxae Ecclesiae se socios dicebant, sequi praecepta hominis, cuius sectam detestabantur vehementius. Contra ea, si tanquam civis purioris Ecclesiae haec scripsisse dicitur Tertullianus, istud certe odium dici non potest impedimento fuisse, quo minus et Montanistae ea, quibus moniti essent, amice accepturi fuissent. Immo vix mihi persuadeo, Tertullianum ad pacem Martyribus commendandam usurum fuisse hoc argumento (cap. 1. p. 156. A.): quod, si paci cum aliis studerent, possent forte aliquando et aliis pacem conferre, cum sciant omnes, qui eius librum de Pudicitia legerint (c. 22. p. 744. B.), quam acerbē de isto more dandi pacis libellos iudicaverit. Denique exemplo hominis auctorati, quod est in nostro libello (cap. 5.) non minus, quam in primo ad Nationes libro (c. 18. p. 62. D.), non est quod diu immoremur. Sit sane, librum nostrum recentiore esse illo, quis dicet, ea de causa nostrum esse Montanismi suspectum, nisi iam certo constat id quod falsitatis postea convincemus, libros ad Nationes fuisse a Tertulliano confectos, postquam cum Montanistis familiaritatem contraxerat? Praeterea si Hoffmannus sibi licere putavit, ut nostrum libellum posteriorem esse istis libris diceret: nobis pari iure licet, hos posteriores existimare nostro, idque eo magis, quo certius est, hunc sub vexationis initium, illos in ipso quasi perturbationis aestu prodidiisse.

## §. XIV.

Eadem tempestate dubium non est quin Tertullianus librum de Spectaculis ediderit. Ad quod efficiendum nisi uteremur alio argumento, quam hoc, quod illum librum excitaverit in eo quem de Idololatria scripsit (cap. 13. p. 112. A.), perfacile esset intelligere, hunc minimum a. CXCVIII. luci publicae expositum fuisse, cum Tertullianus illum eodem fere anno cum Christianis communicaverit. Sed docet ipsum eius in hoc libro conscribendo consilium evertendi opinionem quod Christianis liceret interesse spectaculis, maxime tum edita spectacula fuisse, quae contempta a Christianis, tamquam *expedito morti genere*, deorum cultores dicebant (de Spect. c. 1. p. 89. B.). Quae quidem valde dubito, an de aliis capi spectaculis possint, quam de iis, quae propter Severi reditum victoriamque ab Albino reportatam non Romae solum sed per provincias etiam (coll. c. 7. p. 93. A.) editae esse leguntur; qualia isto tempore habet Spartianus (in Severo c. 14.). Namque si Tertullianum ludos commemorare videmus (c. 16.) *de natalibus et solemnibus regum et publicis prosperitatibus*, eumque dicere, nullos a cultu deorum immunes non esse, *sub quocunque demum nomine et titulo ederentur*, id nempe, quod diximus, suspicamus, maxime inducti eo, quod *praesides dicat* (c. 30.) *persecutores dominici nominis saevioribus, quam ipsi contra Christianos saevierint, flammis insultantibus olim liquescentes*, et alio quodam loco (c. 26.), *quos in Christianos quotidiani leones expostulentur, ac decernantur percutiones*. Igitur iam tum praesides vexabant Christi cultores, quibus pertinaciam in reiicienda spectaculorum voluptate obici usu venerat (c. 1.). Enimvero diximus (§. VII.) in causis violandi Christianorum eam fuisse habitam, quod hi sibi religioni ducerent, venire ad ludos ipsamque hanc saevitiam adversus eos iam a. CXCVII. extitisse, quam ob rem ullum fore dubitamus, qui alio quam hoc aut sequenti anno scriptum esse de Spectaculis librum iudicet. Atque ego non ignoreo multos fuisse in ea opinione, quasi Tertullianus nostro in libello respexisset potius ludos saeculares, quorum memoriam tot numis nominibus celebratam et ipse ad hanc sententiam inclinavit Tillemontius, accuratissimus, si a ratione chronologica discesseris, harum rerum interpretus. Sed isti opinioni quo minus calculum adiiciamus, impediat primum hoc, quod Tertullianus praesides dicat auctores calamitatum in Christianos, verbis tam duris, ut abhorrens videatur ab ista censure ac studio Tertulliani removendi a Christianis omnem suspicionem neglectae pietatis adversus imperatorem. Itaque hac ipsa censure alias Tertulliano ubivis adhibita, quam hic abesse videmus, adducimur in eam sententiam, ut credamus, tempore editi huius libri nondum sceleris istius adversus Christianos participem fuisse Severum qualis tamen fuit a. CCIV., cum ludi isti saeculares ederentur. Deinde efficeretur ipsa hac dissentientium opinione, hunc librum scriptum esse a Tertulliano, cum transiisset ad partes Montanistarum: quod locum secus est, ut mox videbitur, ac repudiatur ab ipsis his, qui scri-

o. Mémoires pour servir à l'Histoire Tom. III. edit. Paris. MDCCL. in 4.  
Ecclesiastique des six premiers siècles. 210.

existimant. Neque vero aliorum, quam fere ad huius anni CXCVIII. initium, hunc librum referri par est, quoniam ante Maium anni praecedentis vix credibile est Severum Romam rediisse, cum sint post pugnam Lugdunensem (§. X.) multa adhuc ab ipso composita<sup>p</sup>; unde fit, ut nec libellus ad Martyres, qui nostro est superior, nisi ad eius anni finem, scriptus possit dici. Cui si addamus id, quod suo loco docebimus, librum de Idololatria posteriorem esse eo de Spectaculis, et eodem anno compositum, haec nostra de aetate libri de Spectaculis sententia inde necessario intelligetur. Atque haec eadem libri aetas demonstrat satis, non posse eum haberi in numero eorum, quos adductus sectae Montanistarum Tertullianus conscripsit; huic enim adiunxisse se eum a. p. C. N. CC. supra disputavimus, neque ulla est ipsi libro impressa nota imbuti Montanistarum erroribus animi. At hic tamen libellus libro de Corona posterior est, quem nemo Montanismi signa habere negat. Ita fere Hoffmannus (in Diss. laud. §. VII.); a quo si rationem eius rei postulas, nostrum prodiisse librum respondet, „cum pax Ecclesiae non quidem Severi edictis, sed clamoribus populi et praesidum auctoritate sublata esset.“ At eodem illo argumento adductus, cum animum appelleret ad scribendum librum de Spectaculis, Tertullianum plane existimo orthodoxae familiae sodalem fuisse. Namque vim argumenti contrarii universam in eo esse video, quod in isto libro de Corona (c. 1. p. 120. C.) Tertullianus bonam longamque pacem Christianis adhuc fuisse dicat; cui quid respondendum sit, postea dabitur commodior dicendi locus. Sed istud a veritate alienum est, quod de Spectaculis liber scriptus sit post librum de Corona; cuius rei testem habemus ipsum Tertullianum plane contrarium, qui in isto de Corona libello (cap. 6.): *huic materiae*, inquit, *propter suaviludios nostros graeco quoque stilo satisfecimus*; loquitur autem de Spectaculis, quae ducta putat ex diaboli disciplina. Et hoc ipsum iam Allixium commovit, ut nostrum de Spectaculis librum antiquiorem eo esse decerneret; cuius argumenti vim eo Hoffmannus vult frangere, quod de graeco libello sermonem esse pronuntiat negatque idem de latino propter rationes a se adductas sentiendum esse. Atque ego non inficio, Tertullianum de eo libro fuisse locutum, quem de spectaculis olim graece composuisset; sed neque illud potest esse obscurum, ante istum graecum latine etiam eum commentatum esse de eodem argumento. Nonne enim is, qui de spectaculis graece quoque se dixisse fatetur, idem hoc voluisse censendus est, se olim alia etiam lingua istud argumentum tractasse? de rationibus autem Hoffmanni in contrariam partem allatis iam monui me postea dicturum. Neque est audiendus Pinus, qui hunc quidem librum cum eo, qui est de Idololatria, circiter a. CCII. aut CCIII. scriptum esse opinatur a Tertulliano iam ad errores Montanistarum proclivi<sup>q</sup>. Qua in re deceptum eum esse suspicor natali Getae Caesaris, cuius memini mentionem fieri in Actis Perpetuae et Felicitatis, quae quidem creduntur eo anno mortem subiisse. Hunc vero natalem putat a Tertulliano in

p. V. Herodiani Hist. lib. III. cap. 8. ed. Boecleri p. 144.

q. In Nouvelle Bibliothèque des Au-

teurs Ecclesiastiques. Edit. Paris. MDCXCH. in 4. Tom. I. p. 91 et 108 not. 1.

libro de Idololatria indicatum, cuius rei, saltem in eo loco quem excitavit, nullum est vestigium, ac si esset, id nimirum caderet in disceptationem, intellexeritne Tertullianus natalem imperii aut vitae Getae Caesaris? Sit igitur stabile, hunc de Spectaculis librum editum fere fuisse sub a. CXCVIII. initium.

## §. XV.

Hunc excipit de Idololatria libellus. Quem cum Tertullianus scriberet, erant sane Romani occupati in eo, quo ostenderent laetitiam summam de temporum istorum felicitate, eaque de causa ipsas ianuas suas laureis exornaverant et multis lucernis (coll. c. 15.). Id vero in honorem imperatoris factum esse, demonstrat omnis disputatio, quam subiicit Tertullianus super ista quaestione: an pietas imperatori debita requirat, ut Christiani ad declarandum de Caesaris salute gaudium se deorum cultoribus adiungant vario laetitiae apparatu? Haec si quis quaesiverit, ad quaenam tempora spectent? nullus ego dubito dicere, ad varia laetitiae signa, quibus quasi Severo, ex bello cum aemulis imperii reduci, Romani applaudebant. Namque ter legimus apud scriptores veteres istiusmodi quid factum sub Severi imperio; primum a. CXCIII., cum Severus, regnum occupaturus, Romam interfecto Iuliano intrasset; postea, cum victor ex Gallia redisset Albino prostrato; denique in decennialibus imperii sui, cum reverteretur ex Oriente: quod omne genus multis confirmari numis potest. Atque primum illud haud potest a Tertulliano significari. Namque ut nunc non dicam, si adhuc fuisset imperii aemulus, quem plurimi optabant, qualis Niger erat post mortem Iuliani, vix negligentiam in ostendenda adversus novum Caesarem pietate obiici potuisse Christianis (quod tamen factum apparet ex omni Tertulliani sermone): provocat certe Tertullianus ad suum de Spectaculis librum, quem diximus demum a. CXCVIII. scriptum fuisse. Neque vero quis debet haerere in eo, quod non de graeco huius argumenti libro, sed de latino loquatur; nam nostrum libellum cum scripserit latine, haud dubito quin, si graecum de Spectaculis librum voluisset denotare illum, designaturus adiecto quodam verbo fuisset; atque nos iam diximus a graeco posse ad latinum iam scriptum absque errore argumentari. Neque etiam postrema sententia videtur admittenda, quae istam publicam laetitiam transferre vult in decennalia Severi. Nolo nunc disputare de eo quod pugnet cum hac opinione ipsa huius libri *ὁρθοδοξία*, quam ei postea vindicabimus: sed est tamen aliquis suspicioni locus, eo tempore in Christianos adhuc magistratus fuisse collatos. Namque istam quaestionem: quatenus eiusmodi officium progredi deberet in suscipienda religiosa aliqua consuetudine, quae ad deorum cultum paullisper accederet, dubito an tractasset Tertullianus, si quidem tum Christiani admissi ad magistratus non essent. Sed equidem haud nego, me subdubitare, quod amplius communicata cum Christianis fuerint officia publica, cum iam

r. Dio apud Xiphilinum lib. LXXIV. t. Severo c. 12.  
 II. p. 1242. C. t. Dio lib. LXXVI. c. 1. p. 1272. a  
 s. Herodian. lib. III. c. 8. Spartian. in lib. III. c. 10.



Severus edictum de religione Christianorum non recipienda tulisset. Restat igitur alterum, quod diximus, celebrationum genus, quod post Severi ex Gallia reditum extitisse perspicuum est. Cuius sententiae novum aliquod argumentum, nec istud profecto contemnendum peti potest ex eo, quod Tertullianus isto, quo librum hunc scripsit, tempore astrologis nuper admodum urbem et Italiam interdictam esse commemorat (cap. 9.). Quod quando sit factum, ex Spartiano non minus discere licet, quam ex ipso Tertulliano. Primus audiamus nostrum (Apologet. cap. 35. p. 32 D.): *Qui nunc, inquit, scelestorum partium socii aut plausores quotidie revelantur, — — quam recentissimis laureis postes praestruebant? quam elatissimis et clarissimis lucernis vestibula nubilabant? — — non ut gaudia publica celebrarent, sed ut vota propria iam edicerent in aliena sollemnitate — — nomen principis in corde mutantes. Eadem officia dependunt et qui astrologos et aruspices et augures et magos de Caesarum capite compite consultant.* Sed in hoc Apologetici loco haec gaudii publici signa edita olim a sceleratis fuisse Tertullianus dicit, quae in libro nostro nunc fieri planissime indicat. Est igitur iste de Idololatria libellus ante Apologeticum scriptus adeoque ante initium a. CXCIX., ut postea apparebit. Ego vero haud inepte suspicari videor mihi, pulsos Roma Italiaque astrologos tum fuisse, cum a multis de salute Caesaris fuissent consulti. Atque hi, qui tale quid sciscitati erant ex magis, capitis damnabantur eo tempore fere, quo Severus proficiscebatur adversus Parthos h. e. a. CXCVIII. Quod intelligitur ex loco quodam Spartiani (in Vit. Sev. c. 15.), quem, quoniam non satis est excussus ab aliis, hic subitico: *Postquam Severus Parthicum bellum susceperat, traiecit exercitu a Brundisio, continuato itinere venit in Syriam Parthosque submovit. Sed postea in Syriam rediit ita, ut se pararet ac bellum Parthis inferret. Inter haec Pescennianas reliquias, Plautiano auctore, persequabatur. — — Multos etiam quasi Chaldaeos aut vates de sua salute consuluisse, interemit, praecipue suspectos unumquemque idoneum imperio.* Istum locum si conferamus cum eo, quem modo ex Tertulliano recitavimus, apparet utrumque scriptorem, cum loquatur de reliquiis adversariorum Severi perquisitis, ipsum etiam tempus, quo ista contigerint, definire; quod secus est in enarrando altero de adhibitis in consilium astrologis. Sed quemadmodum illud nobis dat viam certam inveniendi veram aetatem Apologetici, ita hoc quidem nos docet, eos, qui magos de salute Caesaris percunctati fuerant, fere eodem tempore fuisse extinctos; ex quo saltem intelligitur id quod volebamus, nostro in libro Tertullianum de altero celebrationum genere sub Severo fuisse locutum. Quamquam, si velimus istam rem quaerere subtilius et adhibere legem, ex qua ordinem in rebus gestis narrandis a Spartiano plerumque observatum iudicandum esse experimento didicimus (quam longum est hic luculentius exponere), cognoscere licebit, quod ista supplicia eorum qui magis usi sunt, ad intelligenda imperii Severi fata, non necessario posteriora habenda sint supplicia constitutis in amicos Nigri superstitibus. Itaque cum haec extiterint a. CXCIX., ut dicemus suo loco, illa haud inepte adsignari possunt anno praecedenti. Quae cum ita sint, patet ad a. CXCVIII.

librum de Idololatria pertinere. Atque hic ego non puto necesse esse, ut respondeatur ad ea, quae voluit Tillemontius, hunc librum scriptum esse a Tertulliano, postquam ipse novae alicuius sectae auctor extitisset. Quod absque ratione omni defenditur et est ab Hoffmanno confutatum (Diss. cit. §. VIII. p. 31.), qui in argumentis ex quibus eruenda est libri aetas nobiscum fere consentit, ita tamen ut a Tertulliano Montanista illum existimet scriptum. Quae quidem opinio stare non potest, si verum est id, quod superius probatum dedimus, non nisi a. CC. eum se contulisse ad disciplinam Montani. Neque ad eam asserendam bene Hoffmannus adhibuit locum Tertulliani ipsius (de Idol. cap. 22.: *Multi dicunt nemo se debet promulgare*), quem vult indicasse, quod fuerit iam tum inter Montanistas et Orthodoxos quaestio agitata de fuga in persecutione. Nempe ipsa series orationis de omni negatione fidei sermonem esse docet, neque de fuga nice, et ex antiquissima veterum Christianorum historia, veluti ex gnatii ac Polycarpi exemplo, apparet, diversas inter ipsos purioris doctrinae Christianos ea de re fuisse sententias. Sed ortam hanc Orthodoxos inter et Montanistas disputationem ex facto militis, qui coronam lauream repudiavit adeoque hunc librum post eum, qui est de Corona, scriptum esse, id vero est hariolari, non probare, quale genus argumentandi debet ab omni disputatione alienissimum esse.

#### §. XVI.

Sequitur elegantissimus Apologeticus, quem librorum Tertulliani et doctrina et candore praestantissimum audeo dicere. Cuius aetas tametsi copiose disputata sit ab omnibus, qui ceteros etiam libros non tetigere, maxime a Moshemio, elegantissimo viro, cui in hoc genere primae debentur: tamen post istam messem licet spicas quasdam colligere, atque, praetermissis iis, quae doctissime sunt dicta ab eo, brevissime, quam possimus, veluti per gradus ascendendo quae ista de re dicenda habemus exponere. Primum igitur nemini, qui fuit in eo libro tractando cum cura aliqua versatus, potest esse obscurum, isto tempore nondum fuisse legem Severi contra Christianos emissam. Namque hunc librum offerendo praesidibus quis credit Tertullianum ab iis expectare potuisse, ut iram adversus Christianos conceptam non mitigarent solum, sed plane deponerent dimitterentque eos innocentes? si tamen praesidibus agendum fuisset secundum Severi leges, a quibus nec licebat vel latum unguem recedere; praesertim cum constaret, quanta acerbitate usus olim fuisset adversus eos, quos intellexerat officio iudicis haud bene defunctos (V. Spartianum in Sev. c. 8.). Neque vero mirum cui videri debet, si praesides cum plebe soli iniuriosi fuerunt in Christianos, quam ob rem non ad Caesarem ipsum Tertullianus provocaverit, seque Christiani receperint in eius tutelam? Etiam si Christiani occasione eorum, qui propter Nigri Albinique amicitiam plectebantur, auctore Plautiano, omne calamitatum genus sustinuerunt, talis ad Caesarem provocatio propter summam Plautiani, praetorio praefecti, auctoritatem locum non fuisset habitura, ne tum quidem, si facta esset ad ipsum Plautianum, impotentissimum crudelissi-

mumque hominem. Praeterea quomodo, si vel maxime Plautianus auctor tanti sceleris in Christianos non fuerit, quomodo, inquam, a Severo, infinite et aurum et caedem hominum innocentium ac seditionis suspectorum concupiscente, impetrari auxilium potuisset adversus plebis furiosae impetus; quem verendum erat potius, cum nondum publicas cum Christianis inimicitias suscepisset, admonitum libellis Christianorum, eo progressurum fuisse, ut etiam mala, auctoritate sua praesidium furorem confirmando, auget? Hac igitur re constituta, dicere necesse est sane, quod Apologetico scribendo occasionem dederit facta a plebe Christianorum perturbatio. Atque quorundam locorum Tertulliani<sup>a</sup> vis ita est manifesta, ut absonum plane sit, aliud ibi quid quam eam rem quaerere. Unde fit, ut neque dici Tertullianus possit hanc Christianorum defensionem tradidisse praesidibus, nisi cum annus CXCVII. suam iam summam complevisset; propterea quod horum motuum origenis isti anno idoneis argumentis vindicavimus. Itaque nec opus est isto loco (Apolog. c. 35. p. 32 C.), quo inter hostes imperii Cassios, Nigros Albinosque Tertullianus retulit, ad asserendam Apologetici aetatem nece Albiniana posteriorem; continet tamen is ipse locus vestigia quaedam non admodum obscura, quibus insistentes aetatem, quam Apologetico constituimus tribuere, accuratius invenire possumus. Nihil iam de congiariis ab imperatore populo datis; nihil de die sollemni principis omni lautitiarum apparatu celebrato; nihil de votis pro imperatoris salute susceptis dicemus: sunt enim haec vel non apta satis ad rem exequendam, vel a Moshemio iam elegantissime disputata. Unum locum excutiamus et eum quidem superius in medium productum (§. XV.), propterea quod et is rem planissime conficit et movet nos, ut ab istius doctissimi viri sententia paululum deflectamus. Ait igitur<sup>b</sup> Tertullianus, *scelstarum partium socios aut plausores, post vindemiam parricidarum racemationem superstitem, quotidie revelari; ait etiam, quosdam astrologos, augures, magos de Caesarum capite consuluisse.* Eadem coniunxit Spartianus effecitque ista similitudo, quae utriusque scriptoris loca excitata intercedit, ut utrumque eadem plane tempora respexisse dicerem. Sed quoniam nec Tertullianus consultationem magorum plane refert in eadem illa tempora, in quae reliquias amicorum Nigri perquisitas, nec Spartianus, ubi tempus diserte non definit, ordinem rerum accuratissime sequitur, fit ut nunc mittamus ea, quae de consultis magis apud utrumque leguntur. At alterum sequamur indicium temporis, quo scriptus est Apologeticus, videlicet istud studium Plautiani protrahendi omnes eos, quos suspectos dicebat aversae a Severo voluntatis. Hos, Spartianus ait, persecutum esse Plautianum interea, quum Severus Parthos adortus fuisset rediissetque in Syriam, ut se pararet ad bellum Parthis maiori cum vi inferendum. Enimvero credibile est, Severum fere post medium a. CXCVIII. fuisse adversus Parthos pro-

u. E. c. Apol. c. 37 C.: *Quoties suo iure nos inimicum vulgus invadit lapidibus et incendiis; ipsis Bacchanalium furis nec mortuis parcunt Christianis, quin illos de re-  
quie sepulturae avellant, dissecent; distra-*

*hant.* Et c. 35 C.: *Nulli magis depostulatores Christianorum quam vulgus. Plane ceteri ordines pro auctoritate religiosi ex fide. Nihil hosticum de ipso senatu, de equite, de castris, de palatiis ipsis spirat.*

fectum<sup>z</sup>; quorum impetus cum aliquantum repressisset, in Syriam rediit forte, ut ibi hiemem transigeret. Ubi cum pararet ea, quae necessaria videbantur ad Parthos bello persequendos, Plautianus investigavit eos, quos superstites noverat ex Nigri amicis; quod igitur fere factum est sub a. CXCIX. initium. Quare nullus ego dubito, quin sententia Moshemii, qua a. CXCVII. medio hunc librum exaratum esse existimat, relinquenda sit ista in re propterea, quod tum modo adversus Parthos profectus est Severus, atque Tertullianus non de extinctis Albinii, sed Nigri amicis loquitur, qui erant adhuc post Albinianos superstites. Sed neque tempore isto, quod diximus, posteriori facta esse videtur haec inimicorum Severi pervestigatio; hoc enim pugnaret cum eo, quod iam a. CC. Tertullianus Montanistarum partibus accessit, scripsitque ante hanc factam ab Ecclesia secessionem libros ad Nationes et de Testimonio Animae, qui ne minimam quidem Montanismi suspicionem et sunt Apologetico superiores; quod de libro super Animae Testimonio haud dubium est ac de libris ad Nationes probabile admodum. Neque nunc credo fore, qui putent, Tertullianum tum Montanistam fuisse, cum Apologeticum componeret. Etenim nisi mavelint fingere cum Havercampo V. C. (in praefat. ad editionem Apologet. Tertull.) Tertullianum bis hanc apologiam paulullam immutatam edidisse, argumentis nostris cedant necesse est, quibus eam superiorem esse Severi edicto probavimus. Atque ego opinionem Havercampi non probo, cum lectiones quaedam textus huius libri discrepantes istam rem non conficiant satis, mihiq; ex Eusebio quidem (H. E. lib. II. cap. 2.) constet, quod Tertulliani apologia latine scripta sit, posteaque graece conversa, sed quod bis edita sit et immutata quidem, nullo modo. Quod si igitur concedant Apologeticum Severi edicto esse antiquiorem, eos profecto oportet contra nos, si possint, certioribus argumentis pugnare, quam iis, quibus sententiam a Moshemio demonstratam Hoffmannus impugnavit, quae nihil firmitatis habere egregie commonstravit Moshemius (in Addendis ad Vol. I. Diss. suarum Hist. Eccles. p. 741—748.). Atque nos ipsi alteri Hoffmanni argumento suo loco respondebimus, alterum vero monemus cum ipsa Hoffmanni sententia pugnare (lubet enim hoc Moshemianae responsioni aducere). Nam si vera sunt etiam, quae de cultu Serapidis Romae per Severum restituto Hoffmannus dicit, facta esse ea tum demum, cum Aegyptum devictis Parthis peragrasset, h. e. a. CCII., concidit id, quod antea decreverat, ante Severi edictum scriptum Apologeticum esse, quoniam ante a. CCIII. Romam Severus non rediit et tamen a. CCII. edictum adversus Christianos a Severo promulgatum fuisse, nemo unus vocare in controversiam potest.

#### §. XVII.

Narrat in Apologetico suo Tertullianus (c. 16. p. 17 D.), *proxime* fuisse quendam, qui imaginem togatam, auribus instructam asininis.

<sup>x</sup>. Profectio Augusti coniungitur apud Mediobarbum ad a. C. CIC. p. 172., et apud Vaillantium in Num. Imp. Vol. I. p. 113. cum Tr. P. VI., quae desinit a.

CXCIX. medio. Sed apud illum p. 271. alius numus habet Severi Tr. P. VI. cum cognomine Par. Ar. Ad. signisque victoriae alius.

altero pede ungulatam, addita inscriptione: DEUS CHRISTIANORUM ONOCHOETES proposuerit. Idem *nuper* factum esse refert in priore ad Nationes libro (c. 14. p. 59 D.); quod argumento esse potest, eodem fere tempore cum Apologetico utrumque ad Nationes librum editum fuisse, atque ita, ni fallor, ut post eum hi lucem viderint. Utrumque inquam; verba enim, quibus librum posteriorem orditur, statim eum priori subiectum ostendunt. Post Apologeticum; tum quoniam illud *proxime* videtur brevius temporis spatium designare, quam *nuper*, tum, quoniam verisimilius est, si quis dicat, Tertullianum primum praesides compellasse, quorum auctoritas maior esset, animusque tractabilior, quam populi. Atque sunt praeter haec non pauca, quibus eorum aetas multo superior edicto Severi intelligi possit; a quibus enumerandis me nunc quidem contineo, sed utor tamen ad hanc rem duobus argumentis. Unum est, quod isti libri sint populo in primis destinati; alterum, quod victoriam a Nigro atque Albino tamquam non ita multo ante reportatam significant. Nusquam praesides alloquitur, ut fecit in Apologetico, sed unice populum, a quo memini Tertullianum alicubi etiam (v. c. lib. I. c. 3. p. 48 B.) diserte praesides distinxisse. Deinceps hos, ait, quibus dicavit istos libros, accusasse Christianos (lib. I. c. 20. p. 63 D.), quod quidem convenire video in praesides, tamen multo magis refertur ad plebem. Denique ipsum cognomen nationum, quod est in horum librorum epigraphe, manifestum est a Tertulliano inditum esse iis, qui dediti erant cultui deorum: hic vero proprie plebem superstitiosam designat haud dubie, propterea quod paene eadem quae disputata sunt in hoc utroque libello iam praesidibus consideranda proposuit in Apologetico. Sed nuperae stragis Nigri Albinique mentionem iniicit hoc modo, ut *Syriam cadaverum odoribus spirare, Galliasque adhuc Rhodano suo non lavare* dicat; quod quid sibi vult aliud quam hoc, vix finem bello Severi cum Nigro atque Albino fuisse impositum? Quae quidem omnia, istos ad Nationes libros non post edictum Severi editos fuisse, sed ante, luculenter ostendunt possuntque edocere omnes, non praeter rem hos libros comites datos a nobis fuisse Apologetico Tertulliani, quippe quos ea de causa oportet scriptos esse, cum iam dimidia pars a. CXCIX. fuisset conversa. Ex quo apparet simul, ipsorum auctorem tum nondum ab iis in Montanistarum sententiam, siquidem id demum a. CC. contigit, neque inveniuntur in libris istis, quae suspicionem Montanismi movere aliquantum possunt. At unum hoc mihi animadversione dignum videtur in Hoffmanni argumentis, qui eidem similitudini insistens, quae argumentum Apologetici horumque librorum intercedit, pronunciat in contrariam partem non bene. Namque ea eius opinio, quae in hoc versatur, *quod libri ad Nationes cum libello de Testimonio Animae non differant ab Apologetico, nisi prolixitate, eandemque defensionem, quam Tertullianus in Apologetico velut in pugnum compresserat, aliquanto latius explicent*, ea vero nec recte se habet omnino nec est ad rem efficiendam satis idonea. De ipsius argumenti conclusione nihil atinet dicere; est enim hoc satis disputatum a nobis et adhuc quibusdam in locis disputabitur. Et quamvis in Apologetico fere similia tradat Tertullianus eorum, quae fuerunt in libris ad Nationes

exposita; multa tamen sunt in isto, quae in his prorsus non extant et vicissim in his, quae frustra in Apologetico quaeruntur. Quod qui perspicere plenius velit, eum ad universum librum posteriorem remittimus, quod versatur in explodendis gentilium diis; ubi, si discesseris ab ultimis libri sectionibus, nihil reperies, quod sit in Apologetico tractatum.

### §. XVIII.

Stat mihi eadem sententia de eo libello, quem Tertullianus de Testimonio Animae conscripsit. Hunc equidem non nego aequalem esse libris ad Nationes, sed dubito, an recte ab Hoffmanno (loco cit. p. 34.) dicatur altera quasi pars esse commentarii, quem in Apologeticum Tertullianus ediderit, cum libri ad Nationes priorem effecerint. Namque ista verba Apologetici (c. 17.): *Vultis ex animae ipsius testimonio comprobemus?* quae ansam Hoffmanno ita sentiendi dederunt, non ita comparata videntur mihi, ut possint lectores omnes ad huius opinionis veritatem agnoscendam adducere, cum eodem illo loco Tertullianus et demonstrare se posse unum deum ex eius operibus dicat: de qua re tamen nusquam eum memini ex instituto disputare saltem in libro tali, qui sit eodem tempore cum apologeticis scriptus. Certius hunc librum Apologetico aequalem esse verba docent ea, quibus in sectione quinta (p. 84.) utitur Tertullianus: *Divinae scripturae, quae penes nos vel Iudaeos sunt, multo saecularibus litteris non modica tantum aetate aliqua antecedunt, ut loco suo edocuimus.* Hoc vero ubi docuit, nisi in Apologetico (cap. 18 sqq.)? Quem cum sub initium a. CXCIX., eos vero ad Nationes paulo post composuerit, anno isto paene expleto nostrum libellum edidisse censendus est. Neque id abhorret ab eo, quod sibi in libello Tertullianus exequendum sumisit, *ut aemuli persecutoresque Christianorum veritatis et erroris in se et iniquitatis in eos revincerentur* (c. 1. p. 80 A.). Sed in alium eumque posteriorem eo, quem diximus, annum coniciendum hunc librum non puto. Etenim praeterea, quod nulla in isto libro significatio Montanismi appareat, haud inepte quis dixerit, hunc veluti appendicem esse Apologetico librisque ad Nationes adiectum, quoniam in eo disputata est paulo amplius doctrina christiana. Neque ullus eius generis liber adversus ineptum deorum cultum est a Tertulliano compositus, qui posset alii tempori vindicari, quam huic, quo ipsa violentia in Christianos requirebat demonstrationem summae iniustitiae conspicuae in superstitione ferro flammisque propaganda.

## SECTIO II.

DE LIBRIS TERTULLIANI, QUORUM ET AETAS ET MONTANISMUS CONSTAT.

### §. XIX.

In superiore disputationis parte satis expositum esse putamus de libris iis, quorum aetas et puritas doctrinae certo quodam modo effici posse videbatur. Nunc sequitur alter locus, qui pertractabit eos, quorum



aetas non minus constat, quam id, quod sint a Tertulliano tum editi, cum ad Montani disciplinam se relicta vetere contulisset. Inter quos primum locum tenet liber de Corona, in cuius aetatem ut inquiremus paullo plenius, operae videtur pretium esse eo magis, quo certius hic veluti *παράπηγμα* est, ad quod exigendi sunt ceteri omnes libri, si illud veniat in controversiam, utrum sint ante Tertulliani defectionem scripti, nec ne? Qua de re cum videamus doctos homines variis inter se dissidere sententiis, quibus impedivere magis veritatem invenientiam quam expedivere: candide dicemus, quae veri similia videntur nobis, ac una utemur eaque prima libri sectione, ex qua erui potest et ipsa scriptoris doctrina et tempus, quo istum librum in publicum propulit. Atque illam cuius licet intelligere ex ista disputatione universa de fugiendis iis, quae vel minimam suspicionem cultus commentitorum deorum excitare possent; ubi disserentem audiet Tertullianum, non eum quidem placidum, modestum atque cedentem, sed austerum, sed vehementem, sed ira adversus secus sentientes mirabiliter incensum, ut fere solent ii, qui modo ad disciplinam aliquam progressi plurimum sibi sapere videntur. Alterius enim sectae *pastores* dum ait esse *in pace leones, in proelio cervos eosque respuisse Spiritus sancti prophetias*, apparet sane Montani discipulum hic loqui, non communis Ecclesiae sodalem. Namque his verbis et alius se gregis esse profitetur ac ii, quorum doctores impugnat, et quid suum adversus eos animum concitaverit, perspicue indicat, nimirum illud, quod secum eadem Paracleti Montanistarum decreta non fuissent secuti. Hanc eandem libri sectionem iis verbis orditur, quae fontis instar sunt, ex quo omnis haurienda est aetatis notitia. Ita vero ille: *Proxime factum est. Liberalitas praestantissimorum imperatorum expungebatur in castris. Milites laureati adibant. Quidam illic magis dei miles — — solus libero capite, coronamento in manu otioso, reucebat. — — Murmur tribuno defertur. Statim tribunus: Cur, inquit, tam diversus habitus? Negavit ille sibi cum ceteris licere. Causas expostulatus, Christianus sum, respondit.* Huius militis factum cum ceteri Christiani improbarent, existimantes *eo tam bonam et longam pacem periclitari*, contra nititur illud summis laudibus efferens Tertullianus. Atque in isto loco primum videmus ab eo liberalitatem imperatorum nuperrima factam commemorari, quos dubito an quis alios fuisse dixerit, quam Severum et Caracallum, utrumque Augustum. At enim in superioribus Caracallum dicebamus dignitate Augusti tum fuisse ornatum, cum Severus iter in Orientem adversus Parthos pararet, quo fere abiit post dimidiam partem anni CXCVIII. conversam; et postea ostendemus pacem, quam hic adduci in periculum nonnulli credebant, esse eam, qua fruebantur Christiani nondum Severi lege publica exagitati, quam latam esse a. CCL. constat inter omnes. Hunc igitur librum scriptum oportet esse in intervallo eo, quod ab anno sexto Severi ad nonum effluxit. In quo temporis spatio tres observavi annos imperatorum liberalitate notatos: primum paulo ante quam Severus proficisceretur in Orientem a. CXCVIII.<sup>a</sup>; alterum annum CCL.

a. Spartianus in Severo: cap. 14.: *Profectus ad bellum Parthicum est, edito gladiatorio munere et congiario populo dato.*

cum is militibus suis, propterea quod Caracallum Augustum, Geta Caesarem dixerant, Ctesiphontem spoliandam tradidisset<sup>b</sup>; tertium CCII., cum Severus et Caracallus iter Aegyptiacum meditaretur<sup>c</sup>. Hic annorum primum statim hic intelligendum non esse defendi. Etenim disputari potest, utrum hoc gladiatorium munus et congiarium quod habet Spartianus, idem sit ac illud, quod datum a Severo fuit populo Herodianus refert<sup>d</sup> eo tempore, quo ab Albino victo Roma redierat. Neque enim obiici debet id, Spartianum alio loco (in Sc. c. 12.) idem, quod statim post reditum Severus edidit, commemorasse. Namque, ut Spartianum non dicam eadem saepius tanquam divertere repetere, is quidem eo in loco non loquitur de donativo concessis militibus, sed de eo, quod Severus militibus tantum stipendiorum quantum nemo principum, dederit. Quod si igitur idem congiarium uterque respexerit, sane intelligitur non idem voluisse Tertullianum cum anno demum CXCVIII. a senatu dignitas Augusti fuerit in Caracallum collata. Verum si detur id etiam, aliud congiarium ab Herodiano, a Spartiano aliud intelligi, tamen quod ex hoc primo loco citavimus, non potest ad locum Tertulliani referri eam ob causam quia ipsi de congiario non nisi populo dato editisque spectaculis, Tertulliano autem de re plane alia militibus in castris concessa dictum. Sed neque illa postrema sententia admittenda est, ut in liberalitas, finito in Oriente bello, in Syria contigerit a. CCII. per susceptum ab utroque Augusto consulatum. Qui enim eius rei solam mentionem iniicit Aelius Spartianus *datum esse*, ait, *militibus cumulativum stipendium*, quod dubito an donativum dici possit, quale Tertulliano significare videtur. Ac si vel maxime sint, qui malint in hoc loco Spartiani donativum intelligere, eos spero non penitus contenturos sententiam meam, qua liberalitatem a Tertulliano expositam cretam attingere, de qua Spartianum locutum esse dixi, dum ea referbat, quae acciderunt post occupatam Ctesiphontem. Quae ista cum circumspicimus, non omnia solum, si contentio quaedam et comparatio fiat, bene se habere, sed explicari etiam egregie alterum posse altero animadvertimus. Nam primum isto tempore duo fuisse Augustos neminem praeterire potest; erat enim Caracallus iam ante expeditionem Parthicam a. CXCVIII. et nunc a militibus etiam particeps imperii dictus. Deinde donativum militibus datum Spartianus commemorat, unde illa liberalitas Imperatorum in castris intelligitur. Denique sub initium huius anni CCI. nondum erat lex quaedam a Severo promulgata, quae omnes a religione Christianorum arceret, quorum familiam mox turbatam esse ea apparebit. Sed hoc donativum fuit sub initium a. CCI. militibus distributum id vero cum habeat aliquam dubitationem, quomodo calculi subducendi sint, breviter exponemus. Principio velimus animadverti, quod alio quodam loco disputavimus Severum expleta priori parte anni CXCVIII. in Orientem fuisse profectum. Huic bello adversus Parthos suscepto finem fere imposi-

b. Idem c. 16 : *Harum appellationum causa donativum militibus largissimum dedit concessa omni praeda oppidi-Parthici, quod milites quaerebant.*

c. Id. ibid.: *Post hoc (cum filium maior consulem secum designasset) dato stipendio cumulatioribus militibus Alexandriam per-*  
d. Lib. III. c. 8. ed. Boeckl. p. 145.

occupata Ctesiphonte. Nam, quod postea demum Dio Cassius Severum refert bis frustra Atram impugnasse, in eo, si recte dixit, Severus non videtur multum temporis consumsisse, cum altera aequè vehementissima huius urbis oppugnatio viginti sit diebus confecta<sup>e</sup>, eamque statim secutum iter Severi in Palaestinam atque Aegyptum. Sed quoque modo hoc accipiatur, Ctesiphontem hiemali prope tempore captam esse Spartianus confirmat (in Sever. cap. 16.). Hoc dici non potest accidisse a. CXCVIII.; quomodo enim, si dicamus etiam Severum statim post susceptam a Caracallo Augusti dignitatem Roma abiisse, quomodo, inquam, tempore tam brevi tantum iter in ultimas quasi regiones perficere, classem exornare, peragrarè Armeniam, Seleuciam Babylonemque capere atque vastare Arabiam potuisset? Neque vero id magis anno sequenti contigisse credibile est. Etenim post captam Ctesiphontem Atramque bis obsessam Severus venit in Syriam, ubi postea fasces imperii suscepit, Sed eum cum filio anno CCII. hos habuisse norunt, qui fastos consuluerunt, universi; itaque dicendum erit, per tres fere aut duo annos nihil egisse Severum in bello adversus ceteros persequendo; quod prorsus abhorret. Restat igitur, ut captam a Severo Ctesiphontem a. CC. fere vertente dicamus, cuius occupationem cum statim exceperit Augusti dignitas in Caracallum a militibus collata, ac donativum iis ea de causa concessum; hoc certe non alio tempore, nisi sub anni CC. finem aut sequentis initium contigit. Quae quidam res egregie confirmatur iis antiquitatum monumentis, quae utriusque rei memoriam nobis tradiderunt. Etenim, ut a victoria Parthica exordiar, non Eusebius solum, cuius forte quidam stare nolent iudicio, hanc victoriam a Parthis, Adiabenis Arabibusque reportatam transfert in a. CC.<sup>f</sup>, sed fasti etiam<sup>g</sup> et numi<sup>h</sup> cognomen Parthici Maximi Severo Tr. P. VIII. sustinenti tribuunt, quam progredi a medio anni CC. ad anni sequentis mediam partem nemo ignorat. Deinceps in Caracallum Augusti, in Getam Caesaris dignitatem a militibus collatam esse a. CCI. ex Spartiano intelligitur quodammodo, qui hoc ait factum esse, cum Caracallus annum XIII. ageret (l. c. c. 16.); quem eo anno egit haud dubie, ut apparet ex iis quae de eius natali alias disputavimus (Sect. I. §. X.). Ac huius quidem auctoritas si forte repudianda videtur propterea, quod in definienda Caracalli aetate sibi ipse non constat satis, hunc certe scrupulum eximit elegantissimus numus thesauri olim Schwarzburgici, nunc Gothani, quem memoriae huius rei conservandae destinatum fuisse dubitari non potest<sup>i</sup>. Eius altera pars caput Severi laurea cinctum offert, addita inscriptione: SEVERUS AUG. PART. MAX. P. M. TR. P. IX., altera nudum Getae et Caracalli laureatum caput, quod hunc quidem Augustum, illum Caesarem

e. Dio lib. LXXV. c. 13. p. 1265.

f. Chronic. lib. II. ad h. a. edit. Scaligeri p. 172.

g. Apud Pamelium in Vita Tertulliani p. 18. II.

h. Apud Mediobarbum ad a. C. 201. p. 274.

i. Eum cum erudito orbe communicavit Polycarpus Teutzelius in Diss. sub Io.

Andr. Schmidii praesidio habita, ubi selecta numismata aurea, argentea et aerea maximi moduli ex gazophylacio Arnstadio - Schwarzburgico explicat; pag. 22 sqq. Aliam inscriptionem, in qua nomina trium istorum cum anno Tr. P. IX. Severi et Tr. P. IV. Caracalli coniunguntur, habet Scaliger in animadvers. Euseb. p. 228.

paene erant omnes, adversus quos Severus exercitum duxerat, mis Parthorum bellicosissima natio; et ipse Severus, cum procularem morbum agere triumphum de Parthis non posset, de tamen eum agendum filio, ac Parthici compensandi gratia militi signa triumphantium concessit. Quae si teneamus, simul illatur, quomodo nunc turbandae pacis suspicio Christianis potioriri. Iam enim prostrati erant hostes imperatoris omnes, Severi iam otiosi asperitas minabatur severitatem summan districtus adhuc gravioribus negotiis non potuerat sequi. Et istandae maxime idoneum videbatur militis exemplum, quem coronam repudiasset, parricidium commisisse hostemque Caesalicum extitisse suo more deorum cultores arbitrantur.

#### §. XX.

At cum his argumentis inductus librum de Corona a. C. ptum esse contendam, video plerosque contra dicere, quae diversas plane partes pronuncient. Namquam Orsus, familia nicanæ doctissimus monachus, eiusque adstipulator Hoffm. CXCVIII., Baronius a. CXCIX., Pagius a. CCH., Pamelius et a. CCIX., postremo Tillemontius imperante Maximino a. CCXX editum fuisse opinatur. Sed isti, si a Tillemontio discesseris ad unum errarunt in eo, quod aliud donativum militibus datum intellexerint, quam quod debebat intelligi. Quocirca sedere possemus iis confutandis, dum quale donativum hic Tertulliano indicatum docuimus. At quoniam ex istius libere pendet plurimorum eius librorum chronologia facitque is sententiarum confutatio plurimum ad confirmandam nostram serage, eas opiniones brevissime examinemus. Atque hic de Tillemontii nihil attinet dicere propterea, quod tota ista tractata videtur ab Hoffmanno<sup>k</sup>, et plane sequitur illam haeres neque a. CXCIX. neque paulo post Tertullianum vult ad Mo



credidisse pacem imprudenti militis, quem hic defendit, facto turbatum iri; hoc vero potentissimis ait ab Orso demonstratum argumentis esse. Quae cum adhiberentur ab Hoffmanno, ut labefactaret Moshemii τῆ μισαρίε sententiam de vera aetate Apologetici, hic quidem<sup>1</sup> concedit, istam rem rite ab Orso fuisse expositam, sed negat, id recte proferri, quod non simul pace uti Christiani potuerint, et ab hostibus tamen suis variis iniuriis affici. Atque ego tametsi Orso non assentiar, potiusque refellam postea, sapienter tamen Moshemium pronunciasse agnosco, ubi res Christianorum dixit, cum aliis in provinciis urbibusque tranquillae fuerint, in aliis saepe numero a praesidiis turbatas, et talem rei christianae faciem tempore scripti huius libri revera fuisse. Pulcre enim id potest intelligi ex libro Tertulliani ad Scapulam; quem editum esse imperante Caracallo plurimi eorum confitentur, qui quidquam in isto genere tentarunt; et apparebit id quidem ex iis, quae postea docebimus. Iam isto ex libro quis non videt, maximis tum calamitatibus expositos Christianos fuisse? Et nemo tamen unus est inter scriptores veteres, qui Christianos sub Caracallo vexatos esse tradat. Unde hoc? Nimirum quia pace tum fruebantur nullo Augusti edicto turbata; sed a praesidium tamen crudelitate non vacabant ubivis. Tum vero se ita rem habuisse omnino, cum in litteras referret Tertullianus istas de Corona opiniones, videri optime potest, si admittantur ea, quae nos quidem sentimus de istius libri aetate. Contigit enim hoc facinus militis in Oriente, forte in Parthia etiam, ubi ante Severi edictum Christianos exagitatos fuisse non legimus usquam; sed, quae a Tertulliano enarrata sunt in Apologetico ceterisque eius generis libris, in Africa potissimum extitere, unde ceteri in Oriente Christiani plane vereri poterant, ne pace propter facinus militis privarentur. Sed influent in animos forsitan potentius Orsi argumenta; itaque quaequam quantaque ista sint, videbimus. Sunt vero excursionis Orsianae tres loci, quibus rem istam descripsit<sup>m</sup>. Primum monet, hunc librum a. CXCVIII. assignari debere, repelitque liberalitatis Severi apud veteres scriptores vestigia; deinde occurrit Pagio, qui a. CCH. scriptum hunc librum existimaverat; tum ostendit, quae adductae sunt a Tertulliano, huius liberalitatis περιστάσεις omnes cum rebus a. CXCVIII. gestis egregie convenire, sed pugnare cum quocumque anno alio. Igitur et nos sequemur doctissimi viri vestigia, quoniam veremur, ne misceamus ea, quae iam ab eo permista sunt satis, ac per singulos locos, quaequam recte dixerit, quaequam secus, adiecto breviori argumentorum Pagianorum examine, indicabimus. In loco isto primo, qui est de numero liberalitatis Severi Augusti, quinquies ab eo donatos milites esse, nescio an satis recte dicit, si quidem aliquot nummi septies eam commemorant<sup>n</sup>; sed potest id quidem salva re controversa concedi. Neque tamen in eo Orsus sibi constat ipse, quod Tertullianum de donativo a. CXCVIII.

1. In Addendis ad Vol. I. Diss. suarum ad Hist. Eccl. pertinentium. p. 741 sqq.

m. In Diss. Hist., qua ostenditur, Catholicam Ecclesiam tribus prioribus saeculis capitalium criminum reis pacem et

absolutionem neutiquam denegasse, Sect. II. c. 3. Digress. II. p. 104 - 113. Ea prodit Mediolani MDCCXXX. 4.

n. V. Vaillantii Numismata Imp. Rom. Tom. II. p. 234.

locutum esse iudicet (pag. 104.), et postea eum tamen dicat de quarta liberalitate a se indicata dixisse (p. 106.) Est enim ista quarta, ut ipse monuit, haec eadem plane, quae occupatam Ctesiphontem secuta est. Alterum locum, quem dedit opinioni Pagii examinandae, non repudiamus per se, sed sunt tamen in ista disputatione, quae omnino admitti non debent. Etenim id primum inepte dicit, Tertullianum de urbanis militibus loqui, quibus ad custodiam Urbis fuissent ad portam Viminatam castra praetoria; cuius rei ne adest ulla quidem significatio, et extra Romam tempore belli quis dubitet castra Severum habuisse? Deinceps quod nostrae sententiae maxime contrarium videmus, liberalitatem omnem dicit pacis tempore postque reditum ex bello editam fuisse; qua de re Spanhemius, quem obiter citavit, nihil prorsus habet. Istud vero ego si de congiariis dici posse concedam, de donativis, quale hoc erat haud dubie, vehementer equidem dubito. Immo ipsa post captam Ctesiphontem edita liberalitas, admissa ab Orso, nullo modo per verba Spartiani alia intelligi potest, quam quae extra Romam in bello edita fuerit? Postremo in responsione ad alterum Pagii argumentum male argumentatur, dari eius opinionem non posse propterea, quod Christiani vel pacem a praesidibus vel ab imperatore turbendam timuissent; ex quibus nec illud defendi posse, quia iam a. CCI. vexati fuissent Christiani, neque hoc etiam, fuisse enim eo anno Severum absentem et occupatissimum. Quod posterius oppido leve est. Nam et militibus donativa extra Romam data sunt, et isto anno CCI. bello Orientali finem Severus imposuit. Sed nihil, fateor, tribuendum est Pagii argumentis. Caracalli enim Quinquennalia quorum causa editam vult liberalitatem Tertulliano commemoratam, ad a. CCIII. pertinent, ubi quis nescit iam Christianos fuisse propter Severi edictum omni scelere laceratos? Tum vero in altero argumento et hoc perperam dicitur, coeptas esse istas inimicitias a militibus, ut Diocletiani tempore, atque omnis ista sententia defenditur propter eam opinionem, quod res Christianorum ante decimum Severi annum nondum fuissent turbatae; quod est supra satis confutatum. Tertius denique disputationis Orsianae locus, in quo verba Tertulliani nullum annum praeter CXCVIII. attingere posse defendit, non est aequiore love tractatus. Etenim quod istam liberalitatem Severi editisse ante expeditionem Parthicam putat, id vero habet aliquam ambiguitatem. Nam si ista bis edita est, primum a CXCVII. post reditum Severi, quam memoriae prodidit Herodianus, deinde a CXCVIII. ante bellum adversus Perthos susceptum, qualem Spartianus tradidit, haec, uti diximus, nullo modo potest intelligi nec videtur intellecta ab Orso, qui ad eam rem confirmandam Herodianum citavit; illa vero ad rem nihil facit omnino propterea, quod eo anno nondum erat Augusti dignitas in Caracallum collata. Sed in iis locis, quos ex Tertulliani Apologetico (c. 35.) libroque ad Scapulam (c. 4.) attulit, non est quod multis versemur. Sunt enim isti a nobis eidem anno CXCVIII. et sequenti vindicati, absque ullo causae nostrae detrimento, ceteraque, dum donativa extra Romam distributa esse novimus, sua sponte concidunt.

o. Ea proposuit in Critica Annalium Baronii ad a. C. CXCIX. n. 3. p. m. 91. 92.



## §. XXI.

Restant de anno scripti huius libelli decreta Baronii atque Pamelii ita comparata, ut convelli nullo negotio possint. Namque Baronius, ut probaret eum librum exaratum esse a. CCI., antequam Severus proficisceretur in Orientem h. e., ut nos loqui rectius solemus, a. CXCIX., numum excitat, cuius altera pars Severum cum tr. p. XI., altera liberalitatem V. habet, additque multo etiam asseverantius: *hunc numum ad res nostras, de quibus acturi sumus, pertinere certo scias*. Quod mihi videtur eo planissime modo dictum, quo olim Pythagoraei, cum ex iis quaereretur, quare ita quid esset, illud suum *Ipsa dixit* interponere solebant; nihil est enim ab eo Baronii effato veritate disiunctius. Nam cum clare tradat, annum tr. p. Severi septimum eo anno initium sumpsisse, et tamen numum excitet cum tr. p. XI., qui plane ad a. CCIV., aut, si mavis cum ipso Baronio, ad a. CCVI. referendus est, nonne repugnantia loquitur? Ac de altero eius argumento quid dicam? quod duxit ab eo, quod ante hanc expeditionem Parthicam nullae, post eam multae calamitates Christianorum extiterint. In quo peccavit dupliciter; primum, quod eas ante fuisse negaverit, quam profectus sit Severus adversus Parthos, deinde quod librum de Corona eo de Spectaculis posteriore esse non cogitaverit. Atque illud confutavimus suo loco; hoc vero uti nemo negare potest, nisi cui tenebrae sint mero meridie (est enim et hoc satis disputatum): ita de vexatione Christianorum, lege Severi antiquiori, non potest sermo esse in eo de Corona, ubi Christiani dicuntur istas calamitates tamquam venturas extimescere, cum tempore eo, quo Tertullianus in chartam coniecit librum de Spectaculis, iam ad Christianos impetum suum deorum cultores convertissent. Quare, ex ipsius Baronii mente, librum de Corona ad decimum Severi annum referri oportebit.

## §. XXII.

Ad Allixium venio doctissimum virum, quem miror tam docilem se praebuisse ad Pamelii sententiam, quo dubito an quis magis contra auspacia ad definiendam scriptorum Tertulliani aetatem accesserit. Atque isti Pamelio, quoniam liberalitatis mentionem Tertullianus iniicit, libellus ad a. CCIX. atque ad decennalia Antonini plane referendus videtur. Sed eius quidem liberalitatem in istis decennialibus extitisse, non probat Pamelius, sed plane fingit ad libidinem. Tamen alio quodam loco ad numum provocat dicis causa, cumque huius argumenti: IMP. CAES. L. SEPT. SEV. PERT. AUG. . . . LIBERALITAS AUGG. sc. Hic primum mihi quis dicat, ubinam sint decennialium notae? Deinde cum ego non ignorem, Severum et Caracallum militibus populoque communiter aliquid dedisse in decennialibus, numquid plura his congiaria non sunt aut donativa edita? Nemo vero id quidem

p. V. eius Annales Eccles. ad a. CCI.  
Tom. II. ed. Col. MDCIX. p. 299.  
q. In Vita Tertulliani praemissa eius

Operibus a Pamelio Colon. MDCXVII. ed.  
p. 22 E.

r. In notis ad hunc librum p. 210. n. 1.

absque temeritate aut ignorantia dixerit. Immo siquidem Pamelius ausus est aliis obtrudere annum CCVIII. absque omni ratione idonea, nobis vicissim non potest vitio verti, si annum CCI. intelligamus; hoc enim anno et liberalitas edita est, et ab Augustis etiam. At quamvis omnino turpiter se ipse dederit, tamen Allixius<sup>o</sup> secessit in eius sententiam; nam in libro de Corona, inquit, excitatur libellus de Spectaculis, qui scriptus est a. CCIV. Id vero inepte dictum esse a Pamelio, quem unum sequitur, facile intelligit quicumque secum reputaverit ea, quae supra de isto libello pronuntiavimus; neque, si verum hoc esset maxime de eo super Spectaculis, causam esse perspicimus, quapropter liber de Corona ad a. CCVIII., non ad alium referri deberet. Neque ad eam rem defendendam rectius adhibuit errores Montanistarum in libro de Corona occurrentes. Quos equidem isti libro non nego inesse; sed eo argumento id posse effici, quod debebat, hoc vero nunquam percipietur nisi ab iis, qui demum eo anno Tertullianum putant ad Montanistas transiisse.

### §. XXIII.

Sed satis diu nos tenuit de libro super Corona institutio; itaque nobis est properandum ad alios quosdam libros, et eos quidem, quos Tertullianus de Cultu Feminarum composuit. Atque hic non videtur a suscipienda disputatione alienum paucis praemonere, qualis fuerit olim horum librorum inscriptio, atque dispicere, fueritne posterior libellus cum altero a Tertulliano eodem tempore editus. Videlicet qui ante Nic. Rigaltium libros Tertulliani ediderunt, hi alterum de Habitu Muliebri dicebant, alterum de Cultu Feminarum. Sed iste Rigaltius, cum potitus esset vetustissimo illo codice Agobardi, primus ausus est utrumque de Cultu Feminarum inscribere. Itaque et nos nulli dubitamus, hos libros non disiunctos unquam fuisse, sed unicum quasi effecisse volumen, non ista solum codicis Agobardini auctoritate moti, sed etiam propterea, quod ipsa horum librorum ratio argumentumque suadeat, posteriorem non ita multo post priorem a Tertulliano editum fuisse. Quod enim Pamelius, qui inscriptionem alias receptam sequebatur, vix potuit concoquere, quod, cum Tertullianus cultum ab ornatu in priori libro subtiliter distinxisset, tamen in posteriori, de Cultu Feminarum appellato, ornatum mulieris pertractarit, ea quidem difficultas, sublata inscriptione utriusque libri diversa ac argumento eius studiose cognito, mirum in modum evanescit. Ut enim Tertullianus habitum feminae cultu et ornatu effici dixerat, superioris istius generis exempla putat mundum muliebrem, aurum, argentum, gemmas, vestes et quae sunt generis eiusdem, posterioris vero curam capilli et cutis et earum partium corporis, quae, ut ait, oculos trahunt. Atqui in priori libro aurum, argentum (cap. 4.), gemmas (c. 5.), vestes pertractat (c. 7.), in posteriori de observanda pudicitia in cultus et ornatus institutione agit universe (cap. 1—5), deinceps de colore ornamentoque capillorum, omnemque librum finit monitis quibusdam de ornatu pudicitiae adverso. Quare eum in illo de cultu, in

s. In rarissima Diss. de Tertulliani Vita et Scriptis c. VI. p. 49.

hoc deo ornatu feminarum egisse, ac tamquam partes utrosque unum librum constituisse clarum est. Nam quod Tillemontius ait<sup>1</sup> manifestum esse, quod isti duo libri separati fuerint, nec referri unus ad alterum ullo modo possit, id vero facilius dicitur quam probatur, et ne refelli quidem debet, est enim ignorantis. Atque etiam alia est istius sententiae nostrae probatio; nam in posteriori libro impendentium Christianis malorum haud dubiam mentionem iniicit, quorum in priori nulla est significatio. Iam si aerumna tum fuissent adfecti, quomodo Tertullianus abstinuisset a commemoranda ea, ut feminis Christianis luxum dissuaderet, cum eo argumento alias frequenter utatur? Sed cum prior iste libellus posterior sit eo de Spectaculis, quod deinceps apparebit, dicat mihi quis, utrum in illo quoquam anno, qui effluxit ab eo, quo scriptum de Spectaculis librum diximus, ad annum CCII., quo coeptae sunt adversus Christianos inimicitiae, pace Christiani usi fuerint, nisi forte a. CCI. aut CCII. Namque a reditu Severi ex Gallia ad annum CCI. fuisse Christianos maxime vexatos, et ordo librorum docet a nobis in superiori huius disputationis parte constitutus, et historia martyrum Scillitanorum (V. supra §. VI.). Itaque cum fere post partem anni CCII. priorem editum fuerit Severi edictum, ut suo loco docebimus, vix potest prior de Cultu Feminarum libellus editus alio tempore dici, nisi eo fere, quo in lucem posterior eius argumenti liber prodiiit.

## §. XXIV.

Quorsum haec omnia? Nimirum ut intelligatur, si tempus scripti alterutrius libri constat, utriusque aetatem reperiri. Quam ob rem ut certissimam sequamur eius temporis significationem in libris ipsis, utemur calamitatibus, quibus tum expositos fuisse Christianos Tertullianus ait, quasque tempore eo, quo alterum de Feminarum Cultu libellum componeret, fere initium sumsisse verba docent (lib. 2. c. 13. p. 181. C.): *Tempora Christianis semper et nunc vel maxime, non auro sed ferro transiguntur, stolae Martyriorum praeparantur.* Quae quidem intelligi de superiore Christianorum vexatione a plebe facta nequeunt propterea, quod in priore huius argumenti libro ad librum de Spectaculis provocat (c. 7. p. 173. C.). Namque ego mihi persuadere haud possum, Tertullianum voluisse hunc excitando graecum similis argumenti librum significare, quoniam et latinum graeco antiquiorum esse ostendimus (§. IX.) et ista Tertulliani admonitio, qua quid a Deo esse posse pronunciat, tametsi eius rei abusus Deum non habeat auctorem, in latino de Spectaculis libro omnino occurrit (cap. 2.). Enimvero cum de Spectaculis scriberet, iamdudum summis malis affligebantur Christiani, de quibus ne verbo quidem in isto priori de Cultu Feminarum libro loquitur et tempore posterioris libelli denuo imminuebant; quare nec ad priorem sub Severo vexationem referri hi libri ullo modo possunt, sed ad annum potius p. C. N. CCI. aut CCII., prouti quis velit mala Christianorum tum orta vel impendentia cre-

<sup>1</sup> t. Mémoires p. s. à l'hist. Tom. III. p. 662. not. 12.

dere. Neque vero est, quod Tillemontium audiamus opinantem<sup>2</sup> mum post annum CCIII. editum esse librum priorem, posteriorem multo ante et anno quidem CXCVII. Nam in eo loco, quem evit<sup>3</sup>, aequè potest Tertullianus priorem Severi ex Parthia reditum legationem quandam Parthorum habuisse in animo, quam illar Parthis victoriam posteriorem. Quod vero causam aliquam esse credendi, istum librum, quem nos posteriorem dicimus, multo esse scriptum quam alterum ediderit, de eo, quoniam Tillem non placuit eius opinionis rationem reddere, nobis vicissim, tandiu dubitare, quoad eius generis aliquid productum ab alio qu viderimus.

#### §. XXV.

Eidem tempori suam quoque originem debet liber de Fug Persecutione. Quod argumentum iam in illo de Corona alias di tandum promiserat (cap. 10. p. 120. C.); cuius loci verba tamet Scorpiacen potius nonnulli referenda putaverint, est tamen iam observatum, quod intelligi haec quidem non possit propterea, eam haereticis, sed illam de Fuga commentationem timiditati e opposuit, qui erant socii orthodoxae Ecclesiae. Igitur apparet, l lum de Fuga demum post a. CCI. a Tertulliano editum fuisse. A ego nullus dubito eum librum statim anno sequenti vindicare. E dem ista lenitate ac modestia Tertulliani non utar, quae notari retur in libro, in quo quaestionem ponit, quae Montanistas sepa a puriori Ecclesia, quibus tamen eum tum fuisse addictum nemo bitabit<sup>7</sup>; dicere enim quis posset Tertullianum, cum ad eum ista scriberet, qui stabat a partibus Orthodoxorum, se quidem temper a verbis durioribus? Sane gravius aliquod argumentum positum e eo, quod, cum nostrum libellum ederet, iam coepisse quaedam ad sus Christianos flagitia dixerit. Ita enim orditur: *Quaesisti proz Fabi frater, fugiendum necne sit in persecutione, quod nescio annuntiaretur.* Et paulo post: *hanc materiam et tua consuli commendavit et conditio temporum suo iam nomine iniunxit. Qu enim frequentiores imminet persecutiones, tanto examinatio pri randa est, quomodo eas accipere fides debeat.* Denique (p. 689. *Haec pala illa, quae et nunc dominicam aream purgat, Eccle scilicet, confusum acervum fidelium eventilans, frumentum Marty et paleas negatorum.* Sed quaenam hic intelligenda sit christi familiae vexatio, neminem fugere potest, qui superiorem illam CXCVII., posteriorem a. CCII. contigisse, nostrum vero libellum | opiniones Montanistarum a Tertulliano susceptas scriptum esse a adverterit. Igitur ad finem fere a. CCII. editam esse hanc de f

n. l. c. p. 210. Art. VI:

x. Ex lib. l. c. 6.: *Gemmarum quoque nobilitatem vidimus Romae de fastidio Parthorum et Medorum ceterorumque gentilium suorum coram matronis erubescens.*

y. Argumento esse potest Paracleti Montanistarum commemoratio, quem dicit nou

recipi ab iis, ad quos frater ille pe bat, cui librum inscripsit (c. 1. p. 68 Spiritus praeterea effatum ad testim citat (c. 9. p. 696 A.), quod cum in codice non occurrat, haud dubie Spi Montanistici est; de quo etiam c. 2 loquitur.

disputationem dicimus maxime propterea, quod anno incipiente Severus adhuc fuerit in Syria versatus; unde vix dici potest ante confectam mediam eius anni partem suam adversus Christianos legem tulisse.

### §. XXVI.

Nunc accedimus ad Tertulliani Scorpiacen, quam quidem anno CCIV. asserere eiusque sententiae rationem reddere decrevimus. Quod opus cum aggrediamur, non dubitamus fore plerosque, qui istam sententiam nostram minime audiendam esse dicant. Etenim stat fere omnibus, quos ista de re novimus disputantes, Scorpiacen Tertulliani esse perscriptam post editos demum libros, qui adversus Marcionem nostro adhuc tempore habentur. Idque videntur sibi ut praescriptum et quasi imperatum defendere eam ob causam, quod in quinta Scorpiaces sectione Marcionitas ait didicisse a se, deum suum esse bonum, quam rem certe in primo alteroque contra Marcionem libro ex instituto disputavit. Atque ego non ignoro, libros adversus Marcionem, primum saltim, a CCVII. aut CCVIII. editum a Tertulliano fuisse, ideoque et veritati consentaneum videri illud, quod Scorpiacen anno demum CCVIII. aut postea ediderit. Sed cum semper requiram, quid sit in quaque re maxime probabile, hoc in argumento quanta vis insit, placet quodammodo expendere. Cum Tertullianus adversus Marcionem librum primum, quem superstitem habemus, componeret, iam quidem ipsi se scribendo bis opposuerat, sed unam harum commentationum, cum postea pleniorum de ea re disputationem instituisset, rescidit, alteram amisit fraude cuiusdam, qui eam descriptam cum aliis communicaverat. Huius damni resarciendi causa eos nunc adversus Marcionem libros superstites elaboravit et primum quidem anno Severi imp. XV., ut ipse fatetur in eo libro (c. 15.), in quo de iis, quae modo diximus, exposuit (c. 1.). Quae cum animo cogitem, dubium profecto videtur, utrum Tertullianus in libro, quem Scorpiacen appellavit, eos respexerit adversus eum libros, qui ad aetatem nostram non pervenerunt, an eos potius, quos superstites esse novimus; erant enim illi eiusdem argumenti. Iam ego non disputo, quid sit ex his eligendum; quod apparebit suo loco; sed id quidem manifestum esse omnes vident, quod dubia sit ista argumentandi ratio eorum, qui secus sentiunt et parum praesidii inveniunt in argumento eo, quod ex facta ista commemoratione posset ad librum a CCVIII. aut sequentibus vindicandum duci. Neque obstat, quo minus ista de re dubitemus, Hoffmanni responsio, qua Tillemontium hic prudenter haesitantem excepit. „Primum, inquit (Diss. cit. §. XIV. p. 44.), opusculum ut exile ipse suppressit, alterum invito Tertulliano, cum adhuc rude nec satis exasciatum esset, fraude alterius vulgatum nec a Septimio agnitum est; tertium nunc extat. Iam cum vix verisimile sit, provocasse Tertullianum ad eam controversiae Marcioniticae tractationem, quam ipse suppressit vel nunquam agnovit, superest ut intelligantur libri qui nunc in manibus nostris sunt.“ Atque hic quidem non lubet multis notare ea, quae de altera istius argumenti commentatione Hoffmannus non satis accurate disputat, quasi ea, cum ederetur, nec

esse fateor, quod Tertullianus aliquem librum suppressum v  
 nunquam in Scorpiace laudaverit. Sed istud fac nondum es  
 ratum, ut est vere, adeoque forte ante illos scriptam Scorpi  
 citare primum alterumque volumen contra Marcionem, nunc  
 quidem, satis commode potuit; primum enim opusculum, v  
 Tertullianus, demum *pleniore postea compositione rescidit*, v  
 quidem poterat, cum accuratiori oratione nondum haec perse  
 set. Quam ob rem in isto Hoffmanni argumento vel ea iam  
 vera sumuntur, quae plane sunt in controversia vel relinc  
 medio potius. Quodsi illud est, sane eius argumentum re  
 bem; sin hoc, nostra quidem sententia non est inferior Hoff  
 Sed remota hac difficultate, quae fraudi nobis esse poterat  
 Scorpiaces aetatem nunc age definiamus.

#### §. XXVII.

Cum Tertullianus, quae de martyrii dignitate disputa  
 Scorpiace volebat, in litteras referret, erant deorum cultores  
 stianis funditus delendis occupati; quod universum docet ar  
 huius libelli iis haereticis oppositi, qui, *cum fides aestuaret*  
*sia de figura rubi exureretur*, suscipere propter religionem  
 putabant (c. 1. p. 616 C.). Huiusmodi mala iam oportet a  
 fuisse, ut verba Tertulliani ostendunt, quae in eadem sectio  
 (p. 617 A.): *Et nunc praesentia rerum est medius ardor,*  
*cula persecutionis, ab ipso scilicet cynocephalo. Alios ig*  
*gladius, alios bestiae Christianos probaverunt*, etc. Atque h  
 est dubium, quin intelligenda sit vexatio ea, quae post Sever  
 exardescebat, siquidem hunc librum post illum de Fuga in  
 tione composuit. Namque Tertullianum nusquam legimus p  
 quod tales propter religionem calamitates deum auctorem  
 nisi in isto de Fuga libello eiusque imprimis tertia sectione  
 men de re se iam fuisse olim commentatum ait in quarta



Africae praeside, Christianis contigerunt et anno sequenti auctore Aquila, praeside eiusdem provinciae (Euseb. loco cit. c. 3. p. 261.). Nam quod haec eo anno extiterint, ipse Eusebius docet, qui originem tum Catechumenis instituendis praefectum fuisse confirmat, dum Aquila se incremento Christianae religionis eius assecclas laedendo opponebat, eumque XVIII. annorum fuisse, cum eum XVII. aetatis annum egisse dixisset eo tempore, quo pater eius Leonides morti traderetur (c. 2. p. 258.), quod factum est anno decimo Severi. Iam si qui tamen pergunt opinari, nostrum libellum scriptum esse a. CCVIII., dicant mihi tamen, quonam iure ei anno calamitates maximas Christianorum possint asserere, quarum nulla tamen apud veteres scriptores extat memoria. Quo loco libet admirari tot doctissimorum virorum levitatem, qui, cum semel imbibissent opinionem de Scorpiace libris nostris contra Marcionem posteriore, obliti sunt eius, quod nihil sit in historia turpius quam temere credere. Nam si ego duas sententias ferri videam, alteram opinabilem, sed nullo veterum scriptorum testimonio efficiendam, alteram ita comparatam, ut prae se ferat hoc veritatis praesidium, quidni relicta illa hanc sequeretur? Atqui praeter hoc praesto est argumentum idque premendum etiam atque etiam, siquidem postea ostenderimus librum Tertulliani de Pallio esse in annum CCVIII. coniciendum. Namque in eo (c. 1.) *gaudeo vos, inquit, Carthaginenses, tam prosperos temporum, cum ita vacat ac iuvat habitus denotare. Pacis haec et annonae otia; ab imperio et a caelo bene est.* Ubi quomodo Tertullianus potuisset temporis prosperitatem commemorare, aut ad res nullius plane momenti, quales sunt istae de pallio nugae, descendere ob pacis otia, si gravissimae tum fuissent Christianorum calamitates, quales eas in Scorpiace depingit? Itaque quam alii fere quinquennio tardius putarunt scriptam Scorpiacen, prius utique prodiisse arbitror, quam istae, quae supersunt, adversus Marcionem disputationes et anno quidem CCIII. aut CCIV.; cuius Eusebium testem rectissimum habemus, qui nusquam id quidem dicit omnino, sed, ut vidimus, quae dicit, idem fere ostendunt. Ubi mihi quidem magis placet iste posterior annus, propter ludos, quos nuper admodum editos Tartullianus dicit<sup>a</sup>. Quos si quis mavelit editos credere in decennialibus Severi et Caracalli quinquennialibus, non repugnabo admodum, quoniam id satis est a Spanhemio, viro in his litteris probato sane et maxime nobili, evictum<sup>a</sup>, Pythia alibi quoque quam Delphis, nec in unius Apollinis Pythii honorem, sed imperatorum etiam acta fuisse. Tamen ego alterum praetulerim propterea, quod ludi Pythii sint in Graecia quovis tertio anno Olympiados editi, ipseque tertius Olympiados CCXLV. annus incidat in annum p. C. N. CCIV. Atque sic nulla vis infertur verbis Tertulliani, quae quidem, si ii ludi editi Carthagine dicuntur, ubi Carthago ipsa praemio non poterat donari, non satis bene videntur cohaerere.

z. Cap. 6. p. 622 A: *Agonas istos, contentiosa sollemnia et superstitiosa certamina Graecarum et religionum et voluptatum, quanta gratia saeculum celebret, etiam Africae licuit. Adhuc Carthaginem singulae ci-*

*vitales gratulando inquietant, donatum Pythico agone post stadii senectutem.*

a. In Epist. I. ad Andr. Morellum, quae est adiecta huic Specimini Universae Rei Numariae Antiquae, in ed. Lips. p. 12 sq.

## §. XXVIII.

Praeter hunc Tertulliani librum supersunt ex iis, qui scripti sunt, cum iam ab Orthodoxis degenerasset, adversus Marcionem libri V., quos dubium non est argui Montanisticorum errorum posse. Etenim, si maxime dubia videretur ipsius Tertulliani professio (lib. IV. c. 22. p. 537 C.), qua suos dicit et Psychicos in loco de ecstasi dissentire, neque quis visorum rationem habere velit, quibus ista decreta, ait confirmata fuisse (lib. III. c. 24. lib. V. c. 8.), quoniam omnes isti contra Marcionem libri non sunt uno tempore editi: tamen in libro eius argumenti primo Montani disciplinam et suam dicit et se decreta sua de fugiendis repetitis nuptiis auctore Paracleto defendentem (c. 29.), ac ipsa temporis ratio docet eum librum scriptum esse postquam a partibus Montanistarum iam esse coeperat. De quo altero loco, quem disputandum sumsimus, cum dubitare ne in mentem quidem veneri multis eorum, qui in definienda librorum Tertulliani aetate laborarunt et ab aliis multa perperam dicta sint, subtilius videmur nobis, re saepius cogitata, disputare debere. Atque, ut de libro primo primum dicamus, nemo est qui eius aetatem controversam esse dicat. Recte quidem et satis bene; est enim aperta eius rei et capitalis Tertulliani professio (lib. I. c. 15.), qui anno decimo quinto Severi hunc librum a se compositum fatetur. Sed cum de ceterorum aetate nihil dicant ipso hoc silentio eos declarant eiusdem aetatis esse. Quod longe secus est. Nam ex verbis iis, quibus finem libro primo Tertullianus imposuit<sup>b</sup>, haud obscure colligitur, eum esse separatim editum, ceteris diverso tempore exaratos. Etsi autem non audeamus dicere, an alterum tertium et quartum seorsum aut coniunctim ac quoniam tempore scripserit, id tamen dubio carere confirmamus, quod quintum librum Tertullianus non eodem cum reliquis tempore ediderit. Est enim liber de Resurrectione recentior eo, quem de Carne Christi composuit, in quo<sup>d</sup> locum excitat ex libro adversus Marcionem quarto, de quo postea dicemus. Enimvero in quinto Antimarcionis libro (c. 10. p. 594 A.) ad eum remittit, quem de Resurrectione scripserat; unde Tertullianum patet alio tempore, quam quo quartum edidit, quintum in lucem protulisse. Pariter in primo Antimarcionis (c. 1.) opus de Praescriptione Haereticorum se confecturum aliquando pollicetur; sed in libro de Carne Christi tale iam dicit a se scriptum fuisse (c. 2.); igitur et hoc ostendit, primum non esse eodem partu cum ceteris omnibus editum. Quae cum ita sint, certe quidem confirmamus, primum adversus Marcionem librum a. p. C. N. CCVII. aut, si magis CCH. prodiisse, cum XV. Severi annus in utrumque incidat, sed de ceteris, quando sint scripti, dici nihil posse, nisi hoc, quod quintum reliquis aequale non sit.

b. Si cui minus quid videmur egisse speret reservatum suo tempori, sicut et ipsarum scripturarum examinationem, quibus Marcion utitur.

c. De Resurrectione cap. 2. p. 370. 380 C.

d. De Carne Christi cap. 7. p. 364.

## §. XXIX.

At quod verebatur fore, ut quale in loco de Scorpiace diximus, libros contra Marcionem ibi citatos non eos esse, quos habemus superstites, sed alios abrogatos quasi et dudum amissos, tale etiam his argumentis nostris nonnulli obiciant, id fere factum videmus a Tillemontio\*, qui istam rem pugnacissime defendit. Oportet igitur et ea, quae pro nostris responderi possunt, in medium proferri et discuti ea, quae in illam partem Tillemontius disputavit; sed utraque brevissime et ita quidem, ut quae aperto firmavimus ipsius Tertulliani testimonio, ea nunc plane mittamus. Itaque hoc unum disputari potest: utrum Tertullianus in libro de Carne Christi quartum contra Marcionem librum citaverit, quem adhuc superstitem habemus; quod prorsus existimo, primum, quoniam in illo libro Marcionis codicem sacrum examinavit, et ibi<sup>f</sup> reperitur omnino id, quod in eo de Carne Christi tetigit; deinde quod, cum librum primum adhuc superstitem Marcioni opponeret, librum de Praescriptione Haereticorum nondum ediderat. Hic tamen uti iam prodierat in publicum, cum Tertullianus de Carne Christi commentaretur, quod modo probavimus, ita necesse est sane, ut tum quoque primus inter superstites contra Marcionem libellus iam editus fuerit. Enimvero cum hunc scriberet, duo illa opuscula, quibus olim Marcionem impugnavit, resciderat amiseratque Tertullianus; quocirca apparet, eum in libro de Carne Christi ad illa remittere lectores non potuisse. Sed Tillemontium tamen contra disputantem audiamus. Is primo hos Tertulliani: Scorpiacen, de Carne Christi, de Anima et de Resurrectione libros ait superiores dici posse libris, qui supersunt adversus Marcionem, huiusque nominis in iis citatos esse eos, qui dudum periire. Ac de Scorpiace ego non repugno, est enim ista quaestio supra satis tractata; sed de ceteris non assentior. Nam de libro, qui de Carne Christi inscribitur, modo diximus, quid sit sentiendum, cui si quis resistere velit, eum audiemus. Atque cum hoc ostendimus, simul illud aperiebatur, a libro de Resurrectione (qui eo est haud dubie recentior), quod Tillemontius contra volebat, remotissimum esse. Denique quod animus hominis non aliunde agitetur, in libro de Anima (c. 21. p. 234 C.) ait se Marcionem docuisse. Atque ista de re cum multa dixerit in altero, qui superest, adversus eum libro (c. 6 sq.), non absurdum est dicere, quod hunc in illo respexerit; nec tamen mordicus id quidem tenebimus, qui usi non sumus istius libri testimonio. Altera dubitatio etiam puerilis est. In loco eo, quem e libro de Carne Christi ad testimonium citavimus, Tertullianus illum librum contra Marcionem, quem appellavit, *libellum* dixit; itaque quartum inter superstites non voluit laudare, qui non libellus sit, sed magnum volumen. Inepta conclusio! quasi vero Tertullianus omne opus contra Marcionem non *opusculum* dixisset (lib. I. c. 1 et 31. lib. II. c. 1 sqq.), aut quasi is dici libellus non posset, qui partem maioris operis constituit. At eo modo dicendum est,

e. Mémoires pour servir à l'hist. Eccl. Tom. III. p. 666. not. 19.

f. Lib. IV. c. 19.

Tertullianum opus nondum perfectum citasse! Hoccine vero et potuit tanto viro scrupulum iniicere, qui millies in commentariis suis ipsos libros suos numquam absolutos antestatus est? eodemque modo Tertullianum egisse quis negabit, si quidem nostras nostri argumenti vindicias legerit. Denique dicit Tertullianum de loco, quo sancti viri contineantur a morte ad ultimi iudicii diem, alia in libro de Anima (c. 55.) deque Resurrectione (c. 43.), alia in Antimarcione (lib. IV. c. 34.) tradere. Audio. Sed numquid isti libri pugnant in iis locis, quos se ait in disputatione adversus Marcionem pertractasse? Hoc vero nec Tillemontius unquam probavit, nec quisquam, si in aliis ad causam propriam non pertinentibus a se Tertullianus defecerit, dicit, admitti talem conclusionem posse.

### §. XXX.

Iam nobis libellum de Pallio tractandum sumamus, obscurum illum quidem et satis confusum, sed magna tamen omnis antiquitatis scientia refertum. De cuius aetate cum sint tot discrepantes virorum doctissimorum sententiae, id agamus necesse est, ut vel eas candidè examinemus vel nostram proponamus. Existit autem hic primo loco quaedam quaestio facile expedienda, quanam sit ista *praesentis imperii triplex virtus, Deo tot Augustis in unum favente*, cui Tertullianus tribuit eorum temporum felicitatem<sup>g</sup>. Namque alii<sup>h</sup> his unum Severum indicatum volunt propterea, quod tres illos imperii aemulos Iulianum, Nigrum et Albinum superaverat; alii cum Nigro et Albino Severum<sup>i</sup>; alii Albinum, Severum et Antoninum<sup>k</sup>, denique alii Severum cum duobus filiis Bassiano Getaque intelligunt. Sed trium priorum opinionum nullam probo. Nam ea Gutherii opinatio contorta est et perinepta, ut paene nesciam, an quis unquam tam aperte et perversa et falsa secutus sit. Non tngam id quidem, bonum virum non vidisse, triplicem illam virtutem *praesentis imperii*, Deumque dici *tot Augustis favisse* in unum, hos etiam multas urbes produxisse, auxisse, reddidisse; quod dicat mihi quis, an de Iuliano, Nigro et Albino affirmari queat? maxime tum, cum iam essent interemti. Nec dicam, quam male adhibita sint Herodiani verba (lib. III. c. 7.), qui Severum miratur *ἓνα ἄνδρα τρεῖς καθελόντα βασιλέας ἤδη κρατῶντας*; sunt enim haec iam a Boeclero satis disputata<sup>l</sup>. Hoc unum lubet examinare, quod ad rem nostram in primis pertinet, utrum Geta vivo Severo nunquam sit factus Augustus? Quod cum velit Gutherius, primum Getam Severi fratrem a Geta Caesare, Severi filio, non quidem, ut par erat, distinguit. Nam cum Spartianus (in Sev. c. 10.) Severum dicit filium suum Bassianum Caesarem appellasse, ut fratrem suum Getam a spe imperii, quam ipse conceperat, submoveret, nonne consentaneum est, eum de Geta, Severi fratre, fuisse locutum? Deinde

g. Cap. 2. p. 133 C.: *Quantum urbium aut produxit aut auxit aut reddidit praesentis imperii triplex virtus! Deo tot Augustis in unum favente, quod sensus transcripti?* —

h. Iac. Gutherius de Officiis Domus Augustae. edit. Lips. p. 277.

i. Centuriatores Magdeburgici. Cent. III. p. 241.

k. Pamelius in Vita Tertulliani p. 100. 14. F.

l. In annot. ad Herod. p. 420.

quod in multis Codicis titulis nomina Severi et Antonini Augustorum reperiantur, sed Getae nunquam, hoc vero ad rem nihil facit omnino; ab eo enim tempore, quo Geta dignitatem Augusti suscepit, ut postea docebitur, semper fuit patris in bello comes, in quo quod de legibus ad rem publicam spectantibus cogitare non potuerit, nemo mirari debet. Id vero nullo modo ferendum est, quod Getam patre vivente Augustum appellatum esse neget numisque utatur ad hoc efficiendum, in quibus Getae Tr. P. II. legitur. Nam cum ipse adiiciat, Getam mortuo patre cum fratre non nisi X. menses XV. dies regnasse: necesse est sane, ut Geta ante patris mortem Augustus sit appellatus. Altera opinio doctissimorum virorum, qui Magdeburgi historiae sacrae centurias composuerunt, Severum cum Nigro Albinoque statuit fuisse illam triplicem virtutem, et recte, ut cum Tillemontio loquar, erroris convincitur eo, quod fontem malorum imperii Romani fontem constituit, unde manaverit tanta felicitas imperii, de qua Tertullianus loquitur. Ac de Pamelio meliora sentiam? a cuius causa veritas plerumque remotissima est; qui Albinum, quem omnes norunt propter dignitatem Augusti sibi negatam adversus Severum inimicitias suscepisse<sup>m</sup>, etiam Augustum dicere potuit? et Caracallum eius in imperio socium, cui demum, interfecto iam dudum Albino, honores Augusti concessi sunt? Quem si iocantem haec affirmasse cum Scaligero dicam, parum dicam, tot tenebras veritati offudit. Igitur hoc unum restat, ut triplicem istam virtutem Severum cum filiis, iam Augustis, putemus; in quibus Deus dici potest in unum fuisse, ut verbo Septimiano utamur, cum unus, si recte velimus loqui, Severus regnaverit, ceteri duo nomine magis quam re Augusti fuerint. Unde, si teneamus, quonam anno Geta ad Augusti dignitatem evectus sit, haec nos magis ad cognitionem intelligentiamque aetatis convertent. Enimvero Dodwellus scite, ut alia multa, monuit<sup>a</sup> multisque comprobavit exemplis, Romanorum imperatores curasse, ut trib. pot. filiorum suorum a quinquenniis aut decenniis imperii numeraretur. Sed anno CCVIII. quis nescit quindeccennialia Severi et Caracalli decennialia extitisse? Quocirca vix quisquam dubitare potest, quin eodem anno in Getam Augusti dignitas collata fuerit, et quid impedit, quo minus pro more imperatorum Rom. idem eodem die etiam Getae contigisse, quo olim Severo et Caracallo, dicamus? Ac ista res si forte dubia videri posset propterea, quod vel id citius potuisset accidere, vel quod unam hanc regulam imperatores non fuissent ubivis secuti, quamvis id quidem verisimile in Severo non sit, qui artis Chaldaeorum studiosissimus fastos dies diligenter tenebat, numi tamen hoc ponunt extra omnem dubitationem. Nam si ad numerum trib. pot. Getae attendimus, quibus anni huius dignitatis possunt accuratissime effici, iste quidem ultra quartum in Getae numis non progreditur. Sed Geta summum cum Caracallo principatum ad mensem fere Februarii a. CCXII. tenuit<sup>o</sup>, igitur numerus

m. V. Dion. Cassium. lib. LXXV. c. 4. p. 1258.

n. Praelect Camden. lib. XIX. §. 21. p. 621 sq.

o. Hoc ut multis confirmemus, non ita

necesse est; satis enim ea opera functus est Tillemontius dans l'histoire des Empereurs Tom. III. P. 1. ed. Bruxell. p. 165. et in notis p. 391.

quartus trib. pot. Getae medio a. CCXI. merito debet assignari; a quo si regrediamur numerando, efficitur sane, Getam post confectam dimidiam partem a. CCVIII. suscepisse dignitatem Augusti; unde apparet et hoc, librum Tertulliani de Pallio medio eius anni esse recentiorum.

### §. XXXI.

Sed cum accuratior anni eius, quo scriptus hic liber est, ratio postuletur, qui ista subtilius disserunt, abeunt, quantum video, in eam sententiam, ut in annum CCXI. eum coniiciendum arbitrentur. Nihil enim ceteros moramur, qui versus finem imperii Severi hoc opus exaratum magis universe pronunciant. Sed qui magis eam rem ad subtilitatem chronologicam exegerunt, Sam. Basnagius <sup>p</sup> et qui illum sequitur, Ven. Gottingensium Walchius <sup>q</sup>, hi, inquam, eo quo diximus anno scriptum hunc librum esse decernunt; sunt enim quaedam eius libri similitudines cum rebus quarum hic Tertullianus mentionem iiecit. Verum ista re diligenter examinata, mihi animus magis inclinavit in eam sententiam, quod iste libellus sit fere ad finem a. CCVIII. compositus. Quam ob rem, pace Venerandi Viri, quem spero facile veniam daturum esse homini ingenuo verumque sine ulla contentione invenire volenti, ea explicabo brevissime, quae me movent, ut de veritate eius sententiae subdubitem, quaeque ad eam, quam obiri velle, commendandam facere aliquo modo videntur. Videlicet ista secus sententiarum opinio universa efficitur similitudine eorum, quae Tertullianus habet, cum iis, quae scimus isto anno CCXI. contigisse. Sed ista quidem argumentum tametsi non videatur repudiandum per se, non tamen multum, opinor, firmitatis habet, si eadem similitudo ea, quae a Tertulliano dicta sunt, intercedit cum iis, quae extiterunt a. CCVIII. et amittit vim probandi omnem, si possit ostendi a. CCXI. plane diversa accidisse ab iis, quae is in libro nostro memoriae prodierunt. Quod utrumque hic ita se prorsus habet. Nam, ut de hoc dicas primo loco, cum nostrum libellum litteris mandaret Tertullianus, Africa iam vacabat a terrae motibus (c. 2. p. 133. A.): *pacis erant et anno-nae otia, ab imperio et a coelo bene erat* (c. 1.). Sed eo tempore, quo ad Scapulam perscripsit ea, quibus animum eius revocaret a crudelitate adversus Christianos, quod fere factum est a. CCXI., ut postea docebimus, iam ante annum imbribus, igne, tonitribus, defectu solis aliisque perterriti erant Africani. Quae omnia cum Tertullianus defendat poenarum instar fuisse deorum cultoribus propterea, quod tot miseriarum in Christianos incendia excitaverant, necesse est sane, istam horum vexationem iam usque ab integro anno ductam fuisse. Age igitur fac a. CCXI. scriptum esse de Pallio libellum, nonne Tertullianus pugnancia loquitur, qui eidem tempori et summum prosperitatem et calamitates gravissimas tribuit? Atque hic ego non inficio, dici forsitan posse, quod his calamitatibus aliquantisper remissis quies quasi ac tranquilla interiecta intervalla fuerint. Sed cum veteris hi-

p. In Annalibus Politico-Ecclesiasticis. Tom. II. p. 217.

q. In Antiquitatibus Pallii Philosophici Veterum Christianorum p. 227 sq.



storiae monumenta nihil prorsus prodiderint, ex quo ista res possit quodammodo intelligi, numquid ista fingere liceret, ut opitularemur opinioni, quae paene videtur ad exitum adducta? Fuerint interim istae calamitates ad tempus dispersae, tamenne summas adversus Christianos iniurias etiam intermissas dicamus? Etiam dices; prospera enim tempora qui potuissent exstitisse, nisi et hae aliquantum desiissent. At ego qui Tertullianum didici hostes in omnes quasi latebras persecutum usumque vel levissima re ad convincendos erroris ac flagitii eos, qui erant rebus Christianorum adversi, hunc ego Tertullianum putaremne adversus eos disputaturum modo eo, ut, quemadmodum iniurias adversariorum in Christianos secutae fuissent summae calamitates, ita vicissim felicissima tempora excepisse eorum in hos benevolentiam diceret? Atque aliud adhuc in promptu est. Nam cum Tertullianus istum de Pallio libellum componeret, *pacis otia erant et re vera orbis cultissimum rus imperii, concultus et amoenus super Alcinoi pometum et Midae rosetum* (cap. 2.). Id vero quonam modo? *Eradicato omni aconito hostilitatis*. Sit itaque hic liber scriptus initio a. CCXI.; nam sub Februarii initium inter vivos esse Severus desiit et desiit etiam triplex imperii virtus. At isto tempore bellum adversus Britannos nondum erat absolutum, nec unquam postea fuit vivo Severo, sed eo mortuo demum Antoninus pacem cum Britannis iniit\*. Isto igitur anno cum certe nec fuerint *pacis otia* nec *orbis cultissimum rus imperii*, commotior locus videtur huic libro assignari debere et annus quidem CCVIII. in finem inclinatus, praesertim quoniam cum eo optime concordant ea omnia, quae Tertullianus hic tradidit. Namque si requiris *triplicem praesentis imperii virtutem*, sane iam modo Geta Augusti dignitatem sumserat; si *Carthaginenses novitate felices*, eos iamdudum numi prodiderunt\*; si *cactum et rubum subdolae familiaritatis*, Plautianus, familiarissimus Severo, iam erat a. CCIV. e medio sublatus\*; si *spem Campaniae deustae de montibus suis* (c. 2. D.), illud Dio Cassius\* tempore eo, quo Plautianus periit, plane quidem commemoravit; si denique *eradicatum omne aconitum hostilitatis ac pacis otia*, erant ista sane prius quam Severus in Britanniam proficiscebatur. Sed *exclusi* ubinam tandem sunt barbari? Ii quidem nondum eo tempore muro Britannico, sed tamen ab imperii Romani finibus ipsis legionum Romanarum praesidiis arcebantur; et ipse Tertullianus cum loquatur de multis barbaris, quidnam est causae, cur solos Britannos intelligamus? Itaque cum a. CCVIII. extiterint omnia ea, quae commemorata Tertulliano fuere, cum nullus alius possit excitari, cui aliquo maiori iure eadem possent asseri, cum ipsa

r. V. Herodianum lib. III. c. 15. p. 173.  
s. V. Spanhemium in immortalis opere de Praeantia et Usu Numismatum. Diss. XII. Vol. II. p. 443, qui istos numos Severi et Antonini, in quibus est Felix Karthago, ad ius numos cudendi urbi huic restauratae datum pertinere dicit. Quam ipsam rem aut cognatam certe si respiciant ii numi creberrimi, qui laudant Indulgentiam Augg. in Carthag. (ita enim

mibi videtur), hoc fere extitit a. CCIV. aut V., quia in quibusdam cum ea re Tr. P. VI. Caracalli coniungitur. Certe editi sunt ante scriptum libellum de Pallio; nunquam enim in iis Getae, sed Severi tantum et Caracalli nomen reperitur.

t. V. Tillemontii Hist. des Empereurs loco cit. p. 413 sq.

u. Lib. LXXVI. c. 2. p. 1272.

denique recens dignitatis Getae memoria videatur occasionem Tertulliano praebuisse, ut eius mentionem faceret, parum videtur a certitudine abesse id quod diximus, librum de Pallio ad a. CCVIII. pertinere.

## §. XXXII.

Ultimus liber huius generis et fere credo omnium Tertulliani est is, quem scripsit ad Scapulam, Africae praesidem; cuius adversus Christianos crudelitas sine dubio post Severi imperatoris edictum extitit. Fuit enim Hilarianus, cuius in nostro libello mentionem Tertullianus iniicit, Africae praeses eo tempore, quo Felicitas ac Perpetua cum sociis suis morti traditae sunt, quam post leges a Severo latae accidisse omnes constat. Atque ex iis ipsis, quibus Scapulam arguit summae iniustitiae, existimans (c. 4.) *potuisse eum officio iurisdictionis suae fungi et humanitatis tamen meminisse, cum nihil amplius mandetur, quam nocentes confessos damnare, negantes autem ad tormenta revocare*, ex iis verbis, inquam, haud obscure colligitur, tum extitisse leges quasdam Severi Christianis inimicas. Ista enim ante quam edita erant praesidesque agebant earum dumtaxat auctoritate, quibus olim imperatores exagitaverant Christianos, adversus vim earum Tertullianus vehementer in Apologetico disputat. Leve hoc quidem videbitur, neque proprio quodam argumento egeret, nisi Pamela<sup>x</sup> a. CXCV. hunc librum adsignandum putasset; qui quam leviter disputaverit, ipsa verba docent, quibus se ait inductum ut ita sentiret, si quidem Tertullianus et Albinianos numeravit in hostibus imperatoris (cap. 2. p. 85. D.). Iam si verum est id, has calamitates, quibus Scapula Christianos insectatus est, posteriores esse Severi lege, non minus ea intelliguntur regnante quidem Severo non contigisse, quod tamen video placuisse quibusdam. Nam in eo loco<sup>y</sup>, ubi Tertullianus Severum dicit *patrem Antonini Christianorum memorem fuisse, ipsumque Antoninum, lacte christiano educatum novisse Proculum*, dicat mihi quis, cur Severum patrem Antonini appellaverit, quod ad rem sane non pertinebat, aut cur ipsum Antoninum ad testimonium citaverit, nisi haec hoc regnante scripta sint. Neque vero ea de re dubitandum est propterea, quod nullos Christianorum cruciatos sub Caracallo reperimus ab aliis scriptoribus traditos, aut quod etiam ii Caracalli tempore possunt esse posteriores. Etenim, quod isti nemini alii commemorati sint, eius est haud dubie ratio aliqua in eo, quod illi nec diu nec nisi in Africa extiterint. Namque Tertullianus nunc quidem a praeside legionis et Mauritaniae dicit familiam Christianorum impugnari Scapulamque petit, ut saltim Carthagini parcat et provinciae, Arriique Antonini exemplum imitetur, qui in Asia olim Christianos avocasset potius a cruciatibus, quam ad supplicia pertraxisset. Eos autem nec fuisse Caracalli tempore posteriores eo efficitur, quod Hieronymus<sup>z</sup> Tertullianum ultra Antonini tempora non vixisse dicat, nullae praeterea usque ad Decium adversus omnis generis

x. In Vita Tertulliani p. 13. C.  
y. De Pallio c. 4. p. 87. C.

z. De Viris Illustribus c. 73. ed. Fabric.  
p. 126.

Christianos inimicitiae pariantur<sup>a</sup>, et quod cum Caracalli temporibus haec, quae tradita sunt in nostro libello, optime consentiant. Tametsi enim non sit certissime exploratum, quo anno haec Christianorum defensio elaborata sit, tamen ratione quadam probabili, ut est in tali re, primo imperii Antoniniani anno vindicari ea posse videtur. Namque illum solis defectum, quem Tertullianus ait anno superiori extitisse (c. 3. p. 86. D.), Antoninus Lalo vera asseruit a. CCX.<sup>b</sup>; cui quamvis Tillemontius resistat eo, quod Tertullianus *solem dixerit non potuisse hoc ex ordinario deliquo pati, cum fuerit in suo hysomate positus*, tamen hunc Septimii argumentandi modum, qui omnia novit saepius inepta satis in rem suam convertere, iamdudum derisit harum rerum peritissimus Scaliger<sup>c</sup>. Deinde cum nullam unquam legem Caracallus tulerit adversus Christianos, oportet profecto has calamitates iis a Scapula inflictas reliquias Severianae crudelitatis fuisse, quae tum penitus extinctae videntur, cum Caracallus, imperium sibi confirmaturus, in exilium missos revocasset<sup>d</sup>. Quod cum fecerit paulo post quam Getam fratrem sub initium a. CCXII. substulerat, non inepte id quidem dicimus, Scapulam a. CCXI. adversus Christianos egisse.

### SECTIO III.

DE LIBRIS TERTULLIANI QUORUM VEL AETAS VEL DOCTRINA VEL UTRAQUE LATET.

#### §. XXXIII.

Tertia haec disputatio finem faciet exercitationum, quas instituimus Septimianarum; in quibus cum hactenus pertractati sint isti libri, quorum et aetas et doctrina poterat certa quadam via et ratione demonstrari, nunc oportet subiici ceteros, qui aetatem suam non satis definite produunt, sed doctrina tamen non est admodum obscura, nisi in quibusdam paucis, qui ancipitem habere formam videntur. Itaque primum illos excitabimus aetate maiores, qui Tertullianum ostendunt nondum plane Montanistarum partibus addictum; deinde eos, quibus notae Montansimi non sunt leviter impressae; postremo hos, qui lectorem dimittunt dubitantem, fueritne Tertullianus tum, cum illos perscriberet, a communi ecclesia seiunctus necne. Cui triplici librorum Septimianorum generi cum dicamus aetatem asseri non satis certe posse, non volumus id quidem, prorsus ignorari aetatem cuius tribuendam (erit enim etiam quod probabiliter de hac disputari possit), sed accurate ipsum annum scriptorum librorum definire posse, id quidem audemus negare propterea, quod nullae in iis sunt significationes certae, quae vindicari certo quodam ac definito anno possint. Sed ad propositum veniamus.

a. Hoc satis adversus Scaligerum alioque defendit Sam. Basnagius loco cit. p. 218. not. 11.

b. In epist. ad Io. Bessonium quam edidit Petr. Possinus in notis ad Acta Perpetuae et Felicitatis in Ruinarti Actis Pri-

morum Martyrum Sinceris. ed. Amstelodam p. 119.

c. In Animadvers. ad Eusebii chronicon p. 10.

d. V. Dionem Cassium lib. LXXVII. c. 3.

## §. XXXIV.

Primi generis haud dubie dici potest liber de Oratione, qui, nisi vehementer fallor, primus est omnium Tertulliani qui aetatem tulerunt, magnoque omnium consensu, si ab Hoffmanno discesseris\*, cuius intererat omnia Tertulliani scripta ad eum Montanistam referre, in libris castioris doctrinae numeratur. Atque si forte suspecta est fides Hilarii Pictaviensis, qui scriptum hunc libellum ante Tertulliani defectionem non obscure significat, tamen in libro ipso tot sunt notae sententiarum diversarum ab iis, quas postea in scriptis erroribus Montanistarum infectis defendit, ut libri istius doctrina nemini sit ad repediendum difficilis, qui comparare utrorumque sententias velit. Nam primum quanta hic† sunt laudes operis Hermae quod Pastor inscribitur, cum consuetudinem considendi finita oratione observatum ab Herma non secum pugnare ostendit, quod *fere scripturam*, ac, (ne illud *fere* cuidam invidiam nostrae sententiae moveat) postea *scripturam* prorsus appellat? Quod tametsi non sic ceperim cum Muratorio‡ aliisque, quasi Tertullianus Hermae libros referat in libro N. T. canonicis (loquitur enim ex more magis adversariorum quam suo), tamen non contemnit Hermae auctoritatem, sed sibi conciliat, longe secus atque in libro de Pudicitia (c. 10 et 20.), in quo non modo Hermae effata repudiat, sed spurium illud omnibus consentientibus scriptum appellat et illum *moechorum Pastorem*. Quod miror argumentum miratum in Allixio fuisse Hoffmannum existimantem, non exagitasse Tertullianum in nostro libello Hermae Pastorem propterea quod sibi Hermae auctoritas non tantum obstitisset quam tum, cum exararet librum de Pudicitia, quare nec fuisset necesse, ut eius pretium elevaret. Nam etiamsi non negemus magis adversariam fuisse Hermae auctoritatem Tertulliano in rebus iis, quarum mentio est iniecta in libello de Pudicitia, eius tamen de Herma iudicium in nostro de Oratione libro non solum multo est mitius, sed ita comparatum etiam, ut ipse Hermae auctoritatem non univserse contempsisse videatur. Ac illud *fere scriptura*, quod vim huius argumenti minuere Hoffmannus arbitratur, satis est ab eo inepte explicatum sic, ut temere dicere voluerit Tertullianum, nomen Pastoris Hermae libello imponi, cum illud nomen nullo modo mereatur; nam illud *fere scriptura*, certe est ita intelligendum, Hermiani libelli auctoritatem fere eandem quam sacrorum librorum putari, quod ipsum ex eo patet, quod cum postea prorsus *scripturam* dicat, neque sic eum, ut opinor, appellasset, si tam ipsi contemptus Hermas fuisset, quam erat tempore conscripti de Pudicitia libri. Sed sunt hic etiam alia Tertulliani dicta multum discrepantia ab iis, quae in libris Montanisticis proposuit, quae ostendunt clarissime, tum longe aliam fuisse Tertulliani disciplinam quam postea. Videlicet sectione 18. (p. 35. Murat. cum disputat adversus eos, qui, dum se cibo abstinabant, nec alios solebant osculo excipere *non, nisi die Paschae, quo communis et quasi publica ieiunii religio est,*

e. Dissertat. citat. §. XI. p. 37 sq.

f. C. 16. edit. Lud. Ant. Muratorii quatuor, qui nostrum libellum antea mutilum

e bibliothecae Ambrosianae codice integro edidit in Anecdotis Latinis Tom. III. p. 94 g. L. c. not. 3. p. 31.

iure osculum ceteris negari debere; quod ostendit profecto Tertullianum tum ex illa societate sacra fuisse, quae nullum diem publica et communi abstinentia a cibo celebrabat praeter eum, quo Christus mortuus erat; nam dies Paschae est is, qui erat memoriae Iesu interemti consecratus.<sup>h</sup> Enimvero Christiani veteres Tertulliani tempore non nisi hunc diem communiter inedia celebrabant propterea, quod tum aiebant sponsum fuisse ablatum; et tamen Tertullianus in libro de Ieiuniis (c. 2.), qui est haud dubie e numero Montanisticorum suorum, multum vituperat hanc consuetudinem unum hunc diem communi ieiuniorum religione celebrandi, estque satis clarum, Montanistas plures alios dies ieiunando praeter diem Christi emortuaem celebrasse. Unde elicitor illud: Tertullianum, cum hunc de Oratione librum componeret, nondum in partes Montanistarum secessisse. Quod novo potest argumento ducto ex utroque libello confirmari, quorum si quis loca alio potest modo in concordiam redigere quam eo, quem diximus, ducto a diversa Tertulliani disciplina tempore utriusque conscripti libelli, eum audiemus. Nam cum in eo de Oratione (c. 25.) descendisset ad disputationem de tempore precum Deo offerendarum, bonum id quidem esse, inquit, quasdam certas et fixas quasi horas precibus destinari, tertiam scilicet et sextam et nonam ab Apostolis quoque observatam; sed id quidem fieri, adiicit, *sine ullius observationis praecepto*, neque lege praeceptas esse alias praeter *legitimas orationes* h. e. eas, quae sub ortu lucis noctisque pronunciantur. Et c. 23. extr.: *De temporibus*, inquit, *orationis nihil omnino praescriptum est, nisi plane omni in tempore et loco orare*. Sed ille in libello de Ieiuniis peracerbe exagitat orthodoxae Ecclesiae addictos (c. 2.) propter eam causam, quod abstinendum esse dicebant a cibo *ex arbitrio, non ex imperio novae disciplinae, pro temporibus et causis uniuscuiusque, et orationes etiam fere hora nova concluderent de Petri exemplo*; additque diserte (c. 10.) *salua plane indifferentia semper et ubique et omni tempore orandi, tamen tres istas horas solemniores fuisse in orationibus divinis*; et cap. 13. ad ipsam provocat legem a Paracletico datam, qua hanc Montanistarum consuetudinem confirmasset. Quibus omnibus vincitur haud dubie, aliam prorsus Tertulliani sententiam fuisse, cum de Oratione librum componeret. Denique, ut alia omittam multa, id mihi videtur magno argumento esse ad asserendam libro nostro *ὁρθοδοξίαν*, quod nullam in hoc libro, cum de Ieiuniis ac stationibus crebrius disserat, iniiciat mentionem xerophagiarum, quas tanto cum fervore in libro de Ieiuniis cap. 2. 5 sqq. defendit; cuius omissionis dubito an ulla alia ratio reddi possit, quam ea, quod tempore scripti libelli nostri isti Ecclesiae addictus fuerit quae xerophagias (ut ait in libro de Ieiuniis e. 2. p. m. 702. A.) *novum dicebat affectati officii nomen esse et proximum ethnicae superstitionis*. Haec omnia mihi multo videntur magis audienda quam quae Hoffmannus ad vindicandam opinionem suam profert, quibus alia nonnulli auctoritatis nos etiam ipsi possemus, si necesse esset, addere. Simillima scilicet esse, ait, ea, quae hic (c. 22.) de virginibus velandis praecipiat, eorum, quae ab eo in libro huius argumenti defenduntur: quod longe

h. Vid. adversus Iudaeos liber c. 40.

secus est. Nam tametsi in utroque libro velit, ut virgines obtegantur velo, non ipse tamen iste consensus librorum ex eadem disciplina prodiisse utrumque demonstrat, sed, si quis utriusque loca accurate contulerit, magnus erit a se Tertulliani dissensus, qui nostram multo magis quam Hoffmanni sententiam confirmat. In libro de Virg. Velandis vehementer et ex ipsa inprimis lege Paracleti Montanistarum hanc consuetudinem defendit, sed in nostro de Oratione libello (c. 22. p. 43.) non tenendam iubet hanc consuetudinem, *legemque adeo virginibus quoque iniicientem velamentum, ait, excusari posse*; atque in principiis illius disputationis (c. 21.), *quasi incertum retractandum esse illud quod promiscue observetur per Ecclesias velarine debeant virgines an non*. Leve igitur est istud viri docti argumentum, potuissetque ille rectius ad testimonium sententiae suae citare cap. 6., ubi, dum rogationem quartam orationis dominicae non proprie sed tropice de sacra coena esse intelligendam dixerat, *sed et quia, adiicit, carnaliter admittitur ista vox, non sine religione potest fieri et spiritualis disciplinae*, ubi *spiritualis disciplina* aliquam dat Montanistici scriptoris suspicionem, qui spirituales se, ceteros psychicos appellabant. Sed potuit Tertullianus sub spiritualibus etiam quosvis probos homines et Christianos intelligere, quod mihi magis placet propterea, quod hoc non ita multo post interpretatur per *fideles*, eosque non Orthodoxis vel Psychicis opponit, sed *nationibus* h. e. non credentibus in Iesum; neque usquam reperi Tertullianum vel in ipsis Montanisticis libris Orthodoxis nomen fidelium negasse. Iam cum hunc librum ex is esse satis constet, qui castigatorem doctrinam continent, quemcunque illi locum in huiusmodi Septimianis scriptis dederit, idem est. Nobis, quibus ex eo nulla se vel levis suspicio errorum Montanistarum obtulit, optimum videtur eum in primis huius generis collocare.

## §. XXXV.

At dicere, quaenam doctrina asserenda sit libro de Baptismo, maiori est cum difficultate coniunctum. Equidem non ignoro, omnes sic sentire, quasi sit huius libri *ὀρθοδοξία* extra omnem dubitationem posita, leviter, ut in ceteris, repugnante Hoffmanno; sed in ea re miranda venit multorum doctorum hominum levitas, qui libros alios, quorum argumentum certam habet puritatis significationem, Tertulliano Montanistae tribuerint, et hoc tuto exemerint e numero horum librorum, cuius tamen loci, si vel praecipuas Montanistarum in eo vel Orthodoxorum sententias requisiveris, tam sunt obscuri, ut inquisitis omnibus vix quo se vertat animus videat. Sed ut, quantum fieri possit, dicamus tamen, quaenam in libro nostro doctrina vel ad hoc vel ad illas magis inclinata regnet, primum placet examinare locos, qui huic libro suspicionem Montanismi conficiunt, deinde eos, qui sunt in contrariam partem, rarius licet, propositi. Atque, ut mittamus ea, quae subdubitans obiecit Baronius, satis ille ab Allixio confutatus (in Vita Tertull. p. 29. sqq.), Hoffmannus in illam superiorem partem haec excitat argumenta. Primum quod in libro de Baptismo Tertullianus dictis utatur similibus eorum, quae in eo de Pudicitia



defenderat, ita ut exagitet eos, qui sibi sumebant potestatem dandi veniam delictorum, quae uni tamen Deo competeret. Cuius rei, ni fallor, significationem in illis verbis reperit: *neque peccatum dimittit, neque spiritum indulget nisi Deus solus*; quae quomodo nonnisi a scriptore disciplinae Montani dedito pronuntiari potuerint, non perspicio. Nam neque illud sodales orthodoxae Ecclesiae negabant, neque de ea re erat eos inter et Montanistas disputatio; sed illi Orthodoxi, quamvis nonnisi Deo potestatem remittendorum peccatorum adsignarent, negandam tamen pacem iis, qui propter peccata fuerant e societate sacra eiecti, non putabant, siquidem illi se vitam emendaturos pollicerentur. Postea hunc librum vir doctus ait ad calamitatum Christianis a deorum cultoribus immissarum plena tempora pertinere; quae est levis profecto coniectura. Nam c. 16. libri nostri, quem locum ille antestatur: *est nobis etiam secundum lavacrum, sanguinis scilicet*, nullo modo tum praesens periculum ostendit. Quod si commemoratum etiam a Tertulliano fuisset, non propterea hic liber ad scripta Montani erroribus referta abiici posset, sunt enim multa Tertulliani scripta (ut Diss. I. docebamus), aequalia his calamitatibus, ante Tertulliani defectionem composita. Sed neque ipse ille dicendi modus, quo Tertullianus cruciatus aliquem veluti baptismum appellat, statim Montanistam prodit, nisi velimus dicere Origenem quoque et alios, quorum loca habet Dodwellus<sup>1</sup> qui nunquam accusati Montanismi fuere, propter eam rem societati Montanistarum addictos haberi debere<sup>2</sup>. Denique quod non obscure Tertullianum eodem in loco

i. Dissert. Cyprian. XIII. quae est de secundo martyrii baptismo, in primis §. 2.

k. At dicere qui posset, illos, qui post Tertullianum vixerint, Christianos scriptores, cum summa existimatio eorum orta esset, qui vel morte vel cruciatibus suscepti Christum confessi publice erant, ut alia plura, hanc quoque dicendi consuetudinem a Montanistis sumpsisse, neque ergo horum loca esse idonea ad liberandum hunc sermonem a Montanismi suspitione, praesertim cum is primus in Tertulliano aliorumque Montanistarum scriptis, veluti in Actis Perpetuae et Felicit. (§. 22.), appareat. Quam forte suspitionem peliam alia suspitione, si ostendero, ipsum iam Marcionem eandem dicendi consuetudinem habuisse. Nempe Epiphanius haeres. XLII. §. 3. edit. Colon p. 304. tres ait baptismos defensos a Marcione fuisse (*ὅν μόνον παρ' αὐτῷ ἐν λουτρῶν ὀδοῦται, ἀλλὰ καὶ ἕως τριῶν λουτρῶν*). In quo narrando etsi damus vera esse falsis ab Epiphanio permista, tamquam cum dicat Marcionem triplicem baptismum excogitasse, ut se a flagitio cum virgine commisso purgaret (quod est, ut multi ostenderunt, mera calumnia), etiam cum dicat dedisse Marcionem triplicem baptismum, quod cum argumento ad hunc

baptismum triplicem confirmandum, ut postea patebit, nullo modo consentit, neque tamen hoc Epiphanius testimonium universe contemnendum arbitror. Erit igitur operae pretium, ut quisnam is fuerit triplicis Marcionis baptismus breviter ostendam. 1) Multa sunt in disciplina Marcionis similia disciplinae Manichaeae, quem Manetem constat suos in Auditores et Electos distinxisse; quare haud scio an Marcionitis non possit eadem distributio adsignari, cum Tertullianus adversus Marcionem lib. V. c. 7. p. m. 588 C. videatur indicare, nonnisi sanctioribus ex suis Marcionem nuptiarum licentiam negasse, his verbis: *Marcion totum concubitus aufert fidelibus; viderint enim catechumeni eius*; in quibus potuit catechumenos appellare minus perfectos modo eo, quo Epiphanius aliique hoc nomen etiam adhibent de auditoribus Manichaeorum; neque credibile est, Marcionem in universum omnes nuptias sustulisse apud suos, cum, quemadmodum constat, nuptiarum auctorem non deum malum sed medium illum putarit, quem iustum nuncupabat. Ex quo 2) non inepte potest cum Bellosobrio conici (Histoire du Manichéisme Tom. II. p. 122.), unum Marcionis baptismum in omnes colatum, altero initiatos fuisse interioris ad-

significare Hoffmannus dicit iniuria Montanistas fuisse e societate communis Ecclesiae proscriptos, cum iis ceterisque Christianis unus Deus, unum baptismum, una denique in caelis ecclesia, cum ceteris autem haereticis nulla societas sit (c. 15.), illud certe argumentum opinioni eius nihil firmamenti adfert. Nam Tertullianus de consensu Montanistarum cum Orthodoxis in ista doctrina ne verbum quidem habet, sed illam Christianorum fidem opponit Caianorum haeresi hosque spurios esse Christianos ex eo docet, quod adempta ipsis cum ceteris Christianis communio fuerit. Ac si, quae ille putat, vera essent, tam se non defenderet Tertullianus ab iniuria Montanistis illata, ut potius se Montanistasque haereticos esse fuisset confessus. Nam in illo ipso capite 15. (p. 262. D.) *haereticos ait extraneos* (h. e. non Christianos) *testari ipsam ademptionem communicationis*. Igitur si Tertullianus significasset in hoc loco, Orthodoxos ex ecclesia proiecisse Montanistas, se certe suosque haereticos dixisset; quod prorsus abhorret. Atque hic alii occurramus necesse est difficultati propositae ab Allixio adversus receptam de doctrina in hoc libro regnante sententiam<sup>1</sup>, qui suspicari nos posse dicit, Tertulliani mentem iam tum ad Montanistam disciplinam inclinatam fuisse, quod et Christiani *pisciculi* et Christus *piscis* (ΙΧΘΥΣ) dictus ab eo fuerit, quae nomina essent hausta e libris Sibyllinis, ab aliquo Montanista vel ipso etiam Montano exaratis, et c. 20. aliquam charismatum mentionem iniecerit, quod Montanismum redolere videretur, inprimis cum conferuntur ea cum iis, quae sunt c. 29. libri de Spectaculis tradita. Sed bene ille fecit, quod hanc ipsam suspicionem non nimis subtilem et acutam putaverit. Nam etsi dederimus esse etiam eos libros, qui nunc sub nomine Sibyllinorum iactantur, vel a Montano vel ab aliquo eius discipulo confictos, quos tamen magis vellem Gnostico cuidam asserere, Tertullianum etiam inde hoc nomen piscis Christo datum hausisse, tamen ex eo argumento non magis suspectus Montanismi Tertullianus haberi posset, cum hunc composuisset librum, quam Iustinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Origenes alique, qui saepius libros quosdam Sibyllinos ad testimonium citant. Atque si isti libri generatim extiterunt ipso hoc tempore, quis est qui possit praestare non fuisse eos postea adulteratos, ut eam, quam nunc habent, formam receperint? Quod est verendum inprimis in acrostichide libri octavi: Ἰησῦς Χριστός Θεὸς Ὑιὸς Σωτήρ, unde ipsum hoc Ἰχθύος cognomen sumtum vulgus

missionis Marcionitas; inprimis quia Epiphanius diserte adiicit: Ἐξέστι διδόναι (scilicet λουτρὸν) παρ' αὐτοῖς τῷ βουλομένῳ, quod pugnaret cum omnibus super ea re locis Tertulliani, qui nuptiis se abdicare debuisset cunctos ait, qui tingi sacro lavacro a Marcionitis voluissent (lib. IV. adv. Marc. c. 2. lib. I. c. 29 seq.), nisi duplicem hunc baptismum admitteremus. At nunc 3) restat dicere, qualem baptismum tertium Marcion crediderit, in qua re nostra proprie causa versatur; quem quomodo oporteat intelligi, clarissime docet argumentum, quo Marcio-

nem Epiphanius ait triplicem baptismum confirmasse, ductum e loco illo apud Lucam c. XII, 50. ubi haud dubie de supplicio suo deque aliquo sibi adhuc imminente baptismo Christus loquitur: quod allatum quoque a ceteris ad defendendum alterum martyrii baptismum videmus. Qua re motus sine ulla debitatione sic statuo, eum supplicii Christianorum ad exemplum Iesu Christi suscipiendis etiam nomen baptismi cuiusdam indidisse.

1. Diss. de Tertulliani Vita et Scriptis c. 4. p. 33.

existimat. Neque enim illa prius est a quoquam veterum proposita quam a Constantino M. (in oratione ad sanctorum coetum c. 18.) cui, vel ex eo, quod Virgilium cecinisse de Iesu Christi nativitate dicat, (c. 19 sqq.) patet, quam nullo negotio verba dari ab hominibus religionem fingentibus potuerint. Atque ut omnia, quae velit, susceperim, ne ipsa quidem haec, quae sunt in hoc viri docti argumento collecta, consistere et secum consentire possunt. Antiquissimi scriptorum Christianorum, quod Guilielmus Beveregius<sup>m</sup> et Guil. Whistonus<sup>a</sup> multis docent, hos, quos appellant, libros Sibyllinos antiquissimos confitentur; ex quo necessaria consecutione efficitur, multum eos diversos fuisse ab his, qui horum nomen nostro tempore mentiuntur, qui ipsi adversario videntur saeculo p. C. N. secundo compositi. Quid? idem ille, de quo quaerimus, Tertullianus, cum tempore eo, quo proxime aberat a defectione sua, in libro II. ad Nationes (c. 12. p. 76. D. 77. A.) antiquissima dicit Sibyllae effata, potuitne igitur ille libros Sibyllinos a Montano vel aliquo gregis istius profectos putare? Neque vero quidquam probat alterum illud, quod de charismate Allixius subiicit, cuius me fateor non satis dilucidam citato c. 20 memoriam invenire, ac si inveniatur, tam profecto non sequeretur librum de Baptismo ex officina Tertulliani Montanistae fuisse egressum, quam illud dici de libro super Spectaculis non potest, qui est haud dubie, ut alibi ostendebam, ante eius defectionem exaratus. Ac ne quid praetereamus silentio, quo posset quis aliquo modo huic opinioni adversae libro nostro de Baptismo veritatem conciliare, fortasse posset excitare c. 20. huius libelli, in quo magnam Tertullianus esse ait utilitatem abstinentiae a cibus ad evitandas peccati sollicitationes; quod videri posset consentiens cum laudibus inediae iis, quas decantavit in libro de Ieiuniis. Magis etiam illud est suspectum, cum cap. 8. extr. dicat: *Igni destinatur homo, qui post baptismum delicta restaurat.* At neque hoc utrumque decretum abhorruit a disciplina recte sentientium sic, ut proprium esset Montanistarum. Nam in illo quidem superiori quod admitti non potuerit nihil est, etiamsi aliis in locis Tertullianus nimium huic abstinentiae tribuat; et hoc vel ab ipsis quibusdam orthodoxae Ecclesiae addictis quamvis inepto sensu defensum est, ut postea docebitur, vel dici commode potuit de iis, qui post baptismum ad vitam impiam delati de ea emendanda non cogitant.

#### §. XXXVI.

Sed age audiamus etiam eos longe plures, qui de Baptismo librum scriptum ante Tertulliani secessionem uno ore confitentur. In quibus ineptus est error eorum, tanquam Pamelii, qui, praeceunte quodam modo Epiphanio°, Quintillam eam, quae huius libri conscribendi occasionem dedit, ex disciplina Montanistarum putant fuisse, cui feminae cum se etiam contumeliis opposuerit Tertullianus, sequeretur eum tum, cum hunc librum perscriberet, adhuc a partibus Ecclesiae pu-

m. In Codice Canonum Ecclesiae primitivae lib. I. c. 14 § 4 sqq

n. In libro suorum facile optimo: A

TERTULLIANI OPP. ED. OENLER. TOM. III.

Vindication of the Sibylline Oracles. Pro-  
pos. 10. p. 36 sq

o. Haer. 42. n. 1. 2.

rioris stetit. Quod argumentum omnem certe rem conficeret, nisi levissimus in exponendis haereticorum opinionibus homo Epiphanius etiam hic more suo errori se dedisset. Nam et Caiarum sectae hanc mulierem addictam fuisse ait ipse Tertullianus (c. 1.), quorum et decreta et mores multum discrepant a Montanistarum disciplina, et nunquam repudiatum baptismum a Montanistis legimus, sed defesum etiam a Tertulliano Montanista multis in locis, ut de Pudicitia c. 19. Sed sunt alia duo argumenta apud Dupinium<sup>r</sup>, quibus hunc librum in indicem scriptorum emendationis doctrinae infert, alterum quod nulli sint huic libro errores Montanistarum adpersi, alterum quod dicat potestatem conferendi baptismi non nisi episcoporum esse. nefas etiam esse si quis illam mulieribus concedat; quae verba Tertulliani illi videntur contraria Montanistarum disciplinae. At illud sapientius eludere quis facile potest eo, quod dicat, non esse hunc librum oppositum orthodoxae Ecclesiae doctrinis, unde nec admirationem haberet hoc, quod Tertullianus hic nullum ab illa ecclesia dissensum profiteatur, quod nec in aliis fecit, in quibus sibi non pugnandum cum Psychicis esse videbat, veluti in libro de Pallio aliisque supra tractatis. Sed in altero Dupinii argumento falsa veris sunt mixta. Itaque, quae recte ex eo pro integra huius libri doctrina deponi possint, postea disputabimus et unum hic animadvertemus viri docti errorem. Videlicet Montanistas suspicatur feminis potestatem publice docendi dedisse, quam cum iis adimat licentiam Tertullianus in nostro libello, hunc putat ex numero non Montanisticorum esse. In quo haud dubie errat, et contra niteremur hoc loco ex ipsis Tertulliani scriptis iam Montanismo infectis, e. c. e libro de Velandis Virginibus c. 9., nisi eam disputationem occupasset Cl. V. Theophilus Wernsdorffius<sup>r</sup>. Quam ob rem exponamus oportet illud, quod nos commoveat, ut de libro nostro magis in honestiorem quam peiorem partem pronuntiandum esse putemus. Huius iudicii duplex est causa. Primum cum quaestionem tractat de iis, quibus ius sit baptismi conferendi (c. 17.), illam potestatem summam habere, ait, *sacerdotes qui est episcopus, dehinc presbyteros et diaconos, non tamen sine episcopi auctoritate, propter Ecclesiae honorem. Alioquin etiam pergit, laicis ius est, — — sed cum ea maioribus competant, ut sibi adsumant dicatum episcopis officium episcopatus.* Unde haec consequuntur, Tertullianum librum nostrum scripsisse, tum, cum versaretur in aliquo coetu sacro, qui et Episcopos summos esse putabat rerum sacrarum moderatores, et laicis non nisi summa in necessitate versantibus ius concedebat aliquem sacro lavacro abluendi. Sed in Montanistarum conventiculis longe alia videtur consuetudo obtinuisse. Nam tametsi non negem, iis etiam suos et presbyteros fuisse et diaconos, tamen alium in eorum doctoribus collocandis ordinem observatum fuisse, testis est Hieronymus<sup>r</sup>, qui *apud nos, inquit, apostolorum locum episcopi tenent, apud eos episcopus tertius est. Habent enim primos de Pepuxa patriarchas, secundos quos appellant Cen-*

p. Nouvelle Bibliothèque des Auteurs  
Ecclesiastiques Tom. I. p. 91.

q. In Commentat. de Montanistis saec. II.

valgo creditis haereticis. Gedani MDCCII  
§. 19.

r. Epistola ad Marcellam, quae est

nas, atque ita in tertium *q. e. paene ultimum locum episcopi devolvuntur*. Quam si quis dicere velit consuetudinem Montanistarum ab Hieronymo fictam esse vel Tertulliani aevo recentiorem, neque quid movere Hieronymum potuisset video, ut talia fingeret, quae magno crimini dari Montanistis non poterant, neque abhorret aliquomodo, qui ipsi se suis vel doctrinis vel institutis a communi Ecclesia seiunxerant, eos etiam ordinem sacerdotum diversum a communi consuetudine constituisse, praesertim cum iam ipse Montanus Pepuzam Phrygiae oppidum Hierosolymam appellasset. Atque ecce mihi quantum in nostro libello honorem episcopis asserat, cum omnem tingendi aqua sacra potestatem ab iis deducat et ipsius Ecclesiae honorem cum horum dignitate coniunctissimum tradat. Sed in libro de Pudicitia, tam vehementi illo in consuetudinem orthodoxae Ecclesiae, quam salse, obsecro, perstringit (c. 1.) *pontificem scilicet maximum, episcopumque episcoporum, eiusque edictum peremptorium?* quam nihil dat tanto viro, a quo dignitas, ut ait hic, Ecclesiae pendebat? Ac si quis putat, quod ego non diffiteor, Tertullianum in illo libro magnam animi permotionem ad causam attulisse, alium dabo e libro de Exhortatione Castitatis haud dubie Montanistico locum, qui longe maiorem, ut mihi videtur, laicis tribuit baptismi conferendi licentiam, quam eam, qualem nostro in libro defenderat, ut iam video magnum virum, quem honoris causa nuncupo, Iustum Henningium Boehmerum acute monuisse. Ubi cum neque sacerdotibus V. T. neque christianae Ecclesiae sacerdotibus repetitas permissas esse nuptias Tertullianus dixisset, neque illas ait suscipi a laicis debere, quoniam et ipsi sacerdotes a Christo constituti fuissent, quare illi etiam *offerendi tingendique haberent potestatem et sacerdotes sibi soli essent*. Quod tametsi non dicat fieri debere, nisi *ubi non sit ecclesiastici ordinis consensus*, tamen neque mentionem auctoritatis episcoporum vel ceterorum doctorum publicorum iniicit, ut fit in nostro libro, neque hanc laicorum potestatem ex officiorum iurisque vicissitudine, ut hic, deducit, sed plane ex mystico omnium Christianorum sacerdotio; unde magna, ni fallor, duci suspicio potest, aliam plane disciplinam Tertulliani, scribentis hos erroribus Montani infectos libros, fuisse quam eius, cum animum ad nostrum scribendum adiungeret. Atque ut illud magis confirmem, proponam hic aliquam coniecturam meam, non quasi ipse me putarem errare in ea non posse, sed ut offeram iis, quorum hac de re potest esse iudicium, quod videant valeatne quidquam ad causam nostram viris doctis probandam. Nempe c. 17. libri nostri confutat Tertulliani argumentum illud, quod, quibuscum pugnabunt, homines solebant ex actis quibusdam Pauli sumere, ut feminis potestatem publice docendi vindicarent. Haec ego Pauli acta si quaenam fuerint quemque auctorem habuerint, ostendere potuero, tum mihi quidem Tertullianus vix videtur ea spernere potuisse, si

27. edit. Io. Martianaei Tom. IV. Part. II. p. 65.

s. V. Eusebii Hist. Ecclesiasticam lib. V. c. 18.

t. Diss. IX. Iuris Ecclesiast. Antiqu. §. 5.

u. Ita enim de Baptismo cap. 16.: *Laicis etiam ius est baptismum dandi; quod enim ex aequo accipitur, ex aequo dari potest.*

hunc de Baptismo librum iam disciplinae Montanistarum deditus scripsisset. Atque haec ego acta ea fuisse suspicor, quae apud veteres sub nomine actorum Pauli et Theclae extitisse novimus, non quidem eo habitu ac forma, qualem habent edita illa a Io. Ernesto Grabio<sup>x</sup>; sunt enim haec haud dubie temporibus prodeuntibus adulterata: sed sunt in illis tamen Grabianis quaedam quasi venae aut fragmenta eorum Theclae actorum quae veteribus celebrata fuerunt, veluti (p. 115.) is locus ubi Paulus Theclae potestatem imponit doctrinam Christi aliis publice tradendi. Quae ipsa res, opinor, ostendit Tertullianum in loco excitato haec acta Theclae habuisse ob oculos posita propterea, quod mentionem iniicit scripti cuiusdam commentitii, quod Pauli apostoli nomen mentiebatur, in quo concessa erat feminis haec docendi licentia; id quod magis postea confirmabimus. Sed si quaeratur quis fuerit is, qui sub Pauli apostoli nomine finxerit haec acta spuria, tum ego nullus dubito Leucium haeticum, quem vulgo Manichaeum non recte putant, horum actorum, quae Tertullianus affert, scriptorem extitisse. Cur ita censeam breviter exponendum videtur. Primum negari non potest Leucium ut aliorum apostolorum sic etiam Pauli quaedam acta finxisse, quod Photius testatur<sup>y</sup>, qui talia saepius tractaverat. Deinde Leucium non Manichaeorum sed Docetarum vel Encratarum disciplinae deditum fuisse praeclare probavit vir egregie doctus maximeque limatus Isaacus Bellosobrius<sup>z</sup>, quorum capitalis error continebatur in contemnendis nuptiis; et actorum universorum Pauli et Theclae hic finis est, ut vitam sine nuptiis summis laudibus efferant; multa item sunt alia sub apostolorum nomine a Leucio ad illum errorem per ipsam apostolorum doctrinam et usum confirmandum conficta. Porro multis argumentis Bellosobrius l. c. docuit, Leucium iam saec. II. extitisse, et Epiphanius<sup>a</sup> Leucium clarissime appellat Iohannis apostoli discipulum. Itaque et tempore Tertulliani extiterunt haec acta Pauli, quae Leucium auctorem habuisse diximus, et est admodum verisimile Tertullianum non alia nisi Leucii acta indicare voluisse; nam horum actorum scriptorem ait fuisse presbyterum, qui fraudis in ea re convictus de loco fuerit h. e. de munere sacro deiectus. Cui si quis addiderit Hieronymum<sup>b</sup>, qui diserte ait Tertullianum dixisse hunc presbyterum apud Ioannem convictum et remotum a munere publico fuisse propter fraudem commissam, profecto videbit scriptorem actorum Pauli et Theclae auctoritati Iohannis apostoli fuisse subiectum, quod dici de Leucio, ut modo ostendi, optime potest. Denique mihi peropportuno cecidit, ut huius rei etiam in Philastrio<sup>c</sup> aliquam significationem reperirem in loco eo, ubi de Seleuco haetico eiusque doctrina disserit. Nempe confitentur omnes Seleucium haeticum et Leucium nostrum eosdem esse. Iam ecce mihi quaeso, quid de Seleuco suisque Philastrius? *Baptismo*, inquit, *non utuntur propter verbum hoc, quod dixit Ioannes*

x. In Spicilegio SS. Patrum et Haeticorum Tom. I. sec. I. p. 85 sq.

y. In Bibliotheca sect. CXIV. p. m. 156.

z. Beausobre Histoire Critique de Maniché et du Manichéisme lib. II. c. 2. §. 2 sq.

a. Haer. LI, 6. p. 427. D.

b. In Catal. Scriptorum Eccles. c. 7. p. 104.

c. De Haeresibus c. 55. Edit. Fabricii p. 112.



*Baptista: ipse vos baptizabit in spiritu et igne.* Nihil similius hoc esse potest illorum errorum, quos Tertullianus in libro de Baptismo confutat. Negabant haeretici, adversus quos ibi disputat, sacro lavaero tingendos Christianos esse, atque is ipse dieta Ioannis de baptismo per spiritum et ignem suae sententiae conciliat; quare quid est probabilius quam adversarios Tertulliani a sententia Leucii stetisse, qui, teste Philastrio, idem prorsus dixerat? Nemo mihi hic occurrat: Seleucum vel Leucium, de quo Philastrius loquitur, Manichaeum fuisse atque diversum a Leucio Iohannis apostoli discipulo, Philastrium etiam hominem nullius pretii esse; unde existeret, quod fidei huius male ambulanti credere nos non oporteat. Namque istud discrimen fictum esse ac nullum, satis adversus Fabricium Bellosobrius (loc. cit. §. 3.) defendit, et Philastrium non quidem ignoro nugatorem esse in plerisque, etiam in enarrandis ipsis Seleuci erroribus, qui certe Leucio, Iohannis discipulo, tribui non omnes possunt; sed in nugis illis Philastrianis quis nulla dicere audeat veritatis semina latere? Sit igitur hoc constitutum, Tertullianum in libro nostro, cum acta Pauli reiiceret, scriptum aliquod repudiasse, quod fictum erat a Leucio, qui iustitiam vitae sine nuptiis transactae omni modo defendebat. Iam placet provocare ad Pacianum episcopum Barcelлонensem saec. IV., qui<sup>d</sup> *Phryges* (h. e. Montanistae), inquit, *se animatos a Leucio mentiuntur.* Neque illud testimonium videtur a vero aberrare propterea, quod certum est Montanistas eodem modo atque Encratitas, e quorum disciplina Leucius erat, nimium tribuisse iis, qui abhorrebant a nuptiis. Unde hoc effici posse credo, Tertullianum, si quidem librum nostrum inter Montani discipulos constitutus scripsisset, cautius fuisse locuturum de libro tali qui Leucium auctorem habebat, neque illum fraudis accusaturum, cum is ipse cum Montanistis sentiret. Quod si quis contra dicat, elabi nobis illam causam propterea quod non satis constat, ignoraveritne Tertullianus verum horum actorum parentem (quod vix credibile est in tam curioso universae antiquitatis exploratore), dabo illud, si ita placet; hoc tamen mihi quisque vicissim dederit, nisi quis contrariam sententiam docuerit, satis hanc suspicionem impedire debere, quo minus hunc Tertullianus librum ad genus eorum librorum abiiciamus, quos post secessionem ab Orthodoxis factam composuit.

§. XXXVII.

Venio nunc ad libros, quos uxori suae Tertullianus inscripsit, qui quod sint coniunctim editi, dubitari non patitur libri posterioris principium\*. In quibus libris tametsi sint, quae videantur erroribus Montanistarum consentanea, tamen ego hos ausim potius in numero eorum collocare, quos ante hanc defectionem perscripsit. Quod mihi primum videtur confirmare, quod nusquam suum Paracletum Tertullianum iactat in rebus iis, in quibus multum auctoritatis huius effata habitura fuissent. Namque, ut hoc utar, cap. 7. lib. I. extremo, ubi

d. Epist. I. ad Sympronianum Novatianum, edita in Biblioth. Maxima P. P. Lugdunensi Tom. IV. p. 305. G.

e. Proxime tibi — — quid feminae sanctae sectandum sit, prosecutus sum.

salutius esse disputat fugere secundas nuptias, nullum excitat Paracletum, quem locum nunquam praetermittit in libris, qui e Montanistarum disciplina prodire, sed unam adhibet auctoritatem disciplinae Ecclesiae et apostoli legem, qua qui bis<sup>f</sup> matrimonium contraxerant, ait, ab officio publico seiungi; quae verba haud scio, an non sint minus accommodata scriptori Montanistico, quam ei, qui doctrinas Ecclesiae rectius sentientis sequebatur. Deinde in eadem sectione uxorem, si demum societatem coniugalem inierit non, ait, male facere, adiicitque e mente Pauli apostoli non quidem non honestas esse secundas nuptias, sed tamen eas sollicitudinem non levem calamitatesque inducere. Neque lib. II. cap. 1. ab continentiam a novo matrimonio aliunde commendat, nisi ex eo, quod ea maiorem afferat utilitatem. Quod est nimiae lenitatis in scriptore Montanistico, cuius disciplina omnes secundas nuptias in loco summorum vitiorum habebat. Denique libro II. uxori suae permittit novam post obitum suum coniunctionem ineundam, neque illud alia severiori lege, nisi ut nubat Christiano, dicitque (c. 1. p. 187. B. F.) difficilium rerum facilem esse veniam. Sed Montanistae quomodo excipiebant eos, qui ad nuptias redierant? *Digamos*, inquit, *Tertullianus* (de Pudicit. c. 1. extrem.) *foris sistimus, eundem legitimum moechis quoque et fornicatoribus figimus — — non amplius ab Ecclesia quam publicationem dedecoris relaturis*. Scilicet hoc est facilem veniam dare. Iam haud difficile est ad iudicandum,

f. Perspicue, nisi fallor, hic locus et alter ille antea e libro de Exhort. Castit. c. 7. excitatus, ut alia multa non tangam, docet, antiquam Christianorum Ecclesiam verba Pauli Tim. III, 2. de episcopo *μὴς γυναικὸς ἀνδρὶ* sic cepisse, ut Paulus de secundis doctorum nuptiis dixerit. Nam in illo Tertulliani loco, cum interdictas has sacerdotibus V. T. dixisset. *Christo*, inquit, *servabatur sicut in ceteris, ita in isto quoque legis plenitudo*. Inde igitur apud nos plenius atque instructius praescribitur, unius matrimonii esse oportere qui allegantur in ordinem sacerdotalem. Usque adeo quosdam memini digamos loco deiectos. Ubi neque vult illis de sacerdotibus intelligi, qui praeter uxorem etiam meretrice quadam utebantur, ut videbatur Henmanno in Erklärung des N. T. Part. IX. p. 179., neque more Montanistarum loquitur. Nam contra illam Henmanni interpretationem pugnat universum Tertulliani consilium, qui clare dicit de *castrata licentia saepius nubendi*, et cap. 6. de duplici Dei dispositione, una illa: *Crescite et multiplicamini, altera: tempus iam in collecto est cett., qua Deus abolefecerit priorem*. Neque commemorat sententiam Montanistis propriam, sed illis atque Catholicis communem. Nam primum in locis similibus libri de Monogamia (c. 11.) convincit adversarios iniquitatis repetitarum nuptiarum sic, ut eos tale matrimonium

postulare dicat ab iis, quibus non licet tale habere, ab episcopo monogamo, a presbyteris et diaconis eiusdem sacramenti, a viduis etiam et laicis, et ab apostolo interdictas argumentatus nuptias propterea, quod totum ordinem Ecclesiae (h. e. sacerdotes) de monogamia disponat. Quae omnia ostendunt, Catholicos secundas sacerdotum nuptias repudiasse, cum eorum sententiam colligat, nec laicis huiusmodi nuptias concedi posse. Ac cap. 12. planissime sic ait Catholicos argumentatos: *Solos, qui sunt in clero, monogamiae iugo adstrinxit, ergo id non omnibus praescribit*. Deinde hanc constitutionem, qua sublatae sunt secundae nuptiae, non Fraclcto, sed Christo tribuit, et adhibet apostoli verba, qui plenius atque instructius (quam in Vet. Test.) praescripserit, unius matrimonii esse oportere qui allegantur in ordinem sacerdotalem. Tum statim addit: *Usque adeo quosdam memini digamos loco deiectos*. Quod de Catholicis oportet intelligi; nam Montanistae ne laicorum quidem secundarum nuptiarum reum tuisent. In nostro vero loco sic loquitur: *Quantum detrahant fidei, quantum obstrepant sanctitati nuptiae secundae, disciplinae Ecclesiae et praescriptio apostoli declarant, cum digamos non sint praesidere, cum viduam adlegi in ordinem, nisi univiram, non concedit*.

num possint ista tam clara, quae causam a nobis propositam adiuvant, loco convelli aliqua tali similitudine dictorum quorundam, quae sunt in istis libris, cum iis, quae severior Montani disciplina in aliis Tertulliano persuasit. Illud vero unum, quod habet Hoffmannus (l. c. §. 12.), argumentum, quod libri isti scripti sint, cum quaestio de fuga in periculo propter religionem agitata fuisset eaque salutem petere quemquam debere Tertullianus cum Montanistis negasset, hoc illud unum adeo nos non movet, ut eamus in eius sententiam, ut ab ea magis retrahat. Nam ille ipse locus, quem promit e lib. I. cap. 3.: *Etiam in persecutionibus melius est ex permisso fugere de oppido quam deprehensum et distortum negare*, ille satis docet Tertullianum non omnem fugam in tali tempestate non legitimam existimasse, eum igitur confirmat tempore eo, quo hos composuit libros, cum Montanistis minus quam cum ceteris sensisse.

### §. XXXVIII.

Quamobrem etiam hos eximamus e librorum Montanisticorum numero et qui eo rectius referri debeant, videamus. In quibus non dubito aureum de Patientia librum primo loco ponere. Nam etsi Tillemontius\* hunc velit iis adiungere, qui superiores sunt defectione Tertulliani ad Montanistas propterea, quod et fugam in publicis Christianorum propter religionem calamitatibus non spernit et magnam modestiam adhibet, tamen illa nequaquam idonea ad hanc rem confirmandam arbitror. Nam de modestia, ea non video quare uti Tertullianus non etiam post susceptam in Orthodoxos inimicitiam potuisset; neque enim ea propria est virtus recte sentientium, et illi alteri ne sua quidem veritas constat. Etenim in eo loco, e quo potestatem fugiendi a Tertulliano concessam excitare conatur (c. 13. p. 168. A.), fuga illa nullo modo conceditur, sed ipsam patientiam affirmatur firmitatem humanae imbecillitatis praestare, ignem etiam et crucem et bestias et gladium ipsa constantia vinci. Atqui sunt etiam in hoc quamvis praeclaro libello plura, quae animum Tertulliani Montanistarum erroribus non leviter tinctum ostendunt, suntque ibi omnes fere Montanistarum errores propositi. Ac significatio illa quidem Paracleti subobscura est, nonnulla tamen in hoc loco c. 1. (p. 159.): *Ad capienda et praestanda ea, sola gratia divinae inspirationis operatur*. Porro praestantia nuptiarum non repetitarum ita fere proponitur c. 13. (p. 168. A.): *Patientia sanctitati quoque procurat continentiam carnis; haec et viduam tenet et virginem adsignat et voluntarium spandorem ad regna caeli levat*. Secundas item nuptias adulterii nomine traducit c. 12. (p. 167. A.). Inediae ex arbitrio susceptae maxima laus ex h. l. cernitur c. 13. (p. 167. D.): *Afflictio carnis hostia domino placatoria per humiliationis sacrificium, quum sordes cum angustia victus Domino libat, contenta simplici pabulo puroque aquae potu, quum ieiunia coniungit, quum cineri et sacco inolescit*. De fuga iam dixi. Negata denique semotis a societate sacra peccatoribus venia nonne est in his verbis c. 12. (p. 167. A.), ubi omnem peccatorum

g. Mémoires p. s. à l'histoire Ecclésiastique Tom. III. p. 262.

spem non in venia ab Ecclesiae sodalibus obtinenda ponit, sed in salute ea, quam Christiani horum emendationem expectantes vel exoptarent vel exorarent; praeter quod a collegio sacro Montanistarum expectandum nihil erat (Vide de Pudicitia c. 1. extr.)? Qui Montanistarum errores quamvis non possint nisi per quaedam veluti involucra in hoc libro perspici, tamen ex eo nihil efficitur, nisi quod hic libellus sit ex eo tempore, quo illa Tertulliani contentio in defendendis Montanistarum scitis vel nondum exarserat vel restincta aliquo modo erat. Aetas igitur huius libelli non satis certa est. Quod imminente iam Christianis periculo scriptus sit, non admodum dubitem; est enim aliqua huius sententiae non inepta ratio in ipso libri argumento quaerenda. At vero scripseritne illum Tertullianus inter motus Scapulae adversus Christianos imperante Caracallo excitatos, quod Allixio placuit, an sub initium calamitatum publicarum sub Severo Augusto, quo tempore et ille de Fuga in Persecutione placidus ille non minus et mitigatus commentarius prodiit, id nemo facile dixerit; quare ad alium transeamus.

#### §. XXXIX.

Est is de Velandis Virginibus liber, quem ad primos errorum Montani plenos pertinere, non admodum dubito. Nam de illo nos haesitare non sinit creberrima Paracleti novaeque eius disciplinae commemoratio; ut ne necesse quidem sit vel libri istius similitudinem cum iis de Cultu Feminarum, qui sunt e Montanistarum disciplina, vel obscuriorem unius coniugii (c. 3. p. 194. A.) defensionem referre. Quid enim illa significatio revelationum, quibus, ut ait ille (cap. 17. p. 204. A.), Dominus velaminis spatia metatus est? quid novitas correctionis, quam lege fidei (in symbolo apostolico comprehensae) manente, cetera disciplinae et conversationis, operante et proficiente usque in finem gratia Dei, admittant (c. 1. p. 192. C.)? quid ille Paracletus, quem miserit Dominus, ut paulatim dirigeretur et ad perfectum perduceretur disciplina (ibid.)? quid enarratio aetatum disciplinae christianae, in quibus iustitia demum per Paracletum componenda sit in maturitatem? quid, inquam, haec omnia aliud quam Tertullianum Montani discipulum testantur? Sed neque illud magis obscurum est, primum hunc fere foetum esse, quem coniunctus cum Montanistis ediderit. Namque, ut ab hoc ordiar, nullus fere est inter omnes eius Montanisticos liber, in quo maiorem vim adhibeat ad defendendam disciplinam Montanistarum a culpa novitatis, quam is de quo quaeritur, in primis sect. 1. 2.; quod certe dat locum suspicandi non inepte, Tertullianum hunc, quam primum se Montanistis adiunxerat, composuisse, ut crimen a se novarum rerum removeret. Nec in ullo alio magis videtur Paracletum eiusque disciplinae divinam originem defendere nisi in hoc ipso; quam non modo agnitionem Paracleti sed defensionem cum alibi (adv. Praxean c. 1. p. 634. D.) dicat se disiunxisse a Psychicis, facile est intellectu, nostrum librum, in quo vehementer eum quidem defendit, inter primordia temporis ab ipso apud Montanistas acti exaratum fuisse. Atque illud confirmari multis argumentis non probabilitate destitutis potest. Primo sub isto ipso tempore



scripti sunt libri de Cultu Feminarum, ut alio loco disputabamus, isti vero eiusdem prope sunt cum nostro argumenti. Deinde, cum haberet occasionem satis opportunam invehendi severius in orthodoxae ecclesiae addictorum, nonnullorum saltem, in velandis virginibus consuetudinem contrariam suae, tamen hic multo modestius disputat, quam in aliis, qui sunt Orthodoxis oppositi, quod, nisi quod vellemus admittatur, conceptu difficile esse quisque dicet, qui vehementissimam Tertulliani in defendendo Montanismo animi commotionem aliunde intellexit. Denique, tametsi multum profuisset causae, cuius in libro nostro defensionem susceperat, si calamitatum publicarum et periculorum, quibus Christiani a Deorum cultoribus obiciebantur, mentionem inieciisset, ipse etiam Tertullianus, qui nihil solet omittere causae suae proficuum, illud argumentum in libris de Cultu Feminarum nostri similibus adhibuerit, tamen hic ne uno quidem verbo eas ait extitisse. Qua ex re colligi potest, eum scriptum esse tum, cum talibus malis non essent Christiani oppressi. Atqui cum eam dixerimus compositum esse, postquam Tertullianus se Montanistis adiunxerat, apparet, nostrum librum non posse antiquiorem esse anno CC., quoniam Tertullianum alibi docebamus eo anno ad Montanistas transiisse, neque multo posteriorem etiam, cum anno CCII. calamitates a Severo excitatae iam ceperint initium. Sed eum librum noluimus inter illos referre, quorum aetas certissime constaret propterea, quod coniectando magis quam adhibitis certissimis argumentis eius potuerunt natales constitui.

#### §. XL.

Neque vero ita multo post scripti videntur libri ii, quibus domesticae Montanistarum doctrinas a contemptu et impetu contrariae partis vindicare studuit, quales sunt de Exhortatione Castitatis, de Monogamia, de Ieiuniis deque Pudicitia commentationes. Quas esse omnes plenas errorum Montani nemo est, qui dubitet et eos hoc fere tempore h. e. sub initiis Montanismi Septimii prodiisse, dubitari vix magis potest. Quod utrumque singulos hos libros percurrendo breviter docebimus, ne haec nostrae scriptionis pars, quamvis ab aliis etiam tractata, desiderari videatur. Sunt vero isti, si quid video, eodem ordine editi, quo eos enarravimus, ita ut horum primus videri possit is, qui est de Exhortatione Castitatis. Qui quidem non refertur ab Hieronymo (Catal. Scriptor. Eccl. c. 53.) in numero librorum, quos ad defendenda Montani scita Tertullianus composuerit; sunt etiam in hoc libro, quae rem non satis excutienti persuadere possent, nondum tum de illa disciplina eum fuisse; sed ea quidem sunt leviora. Nam quod Hieronymus in indice horum librorum nostrum non habeat, huius rei potest haec ratio esse, quod non voluerit enumerare nisi libros eos, quos opponendi Orthodoxis consilium Tertulliano fuit; is vero de Exhortatione Castitatis liber non iis oppositus est, sed scriptus ad docendum fratrem nescio quem, quem non tam confutare de nuptiis repetendis cogitantem voluit, quam ad omittendas istas adhortari. Praeterea non equidem inficior, satis hic modestiae et plus esse quam in ceteris, qui doctrinam aliquam Montanistarum disputant,

ipsum etiam Tertullianum in hoc libro suadere magis et utile honestumque dicere unum coniugium, quam perfectam intermittendarum secundarum nuptiarum necessitatem defendere; unde colligere quis posset, eum inclinasse forte, sed nec tum se applicasse ad partes Montanistarum, quemadmodum et illud in libris ad Uxorem superius diximus. At ista modestia facilitasque eius apparet etiam in aliis libris haud dubie tempore eo scriptis, quo iam se disciplinae Montani dederat et admiranda non nimis est in libro tali, qui est instar epistolae suasoriae, in qua solemus uti summissiori placidaque dictione, ac scriptus videtur non ad aliquem Montanistarum, qui severiore disciplina delectabatur, sed ad quendam de Ecclesia Orthodoxorum hominem. Cuius rei non obscura est in principiis libri significatio, ubi fratrem illum ait sine dubio *de exitu singularitatis* (h. e. de restaurandis nuptiis) *cogitare*; quod haud scio an non cadat in eum, qui cum Montanistis non legitimas putabat secundas nuptias. Neque ego ignoro scrupulum Tillemontii (l. c. p. 202.), qui et magnam sibi fingit inter hunc et de Monogamia commentarium dissimilitudinem, quae nulla fere est recte attendenti, et praeteritam silentio Montani memoriam miratur. At ne appellem illum locum, quem non expressum in libris nostris Rigaltius (in not. ad h. l. p. 114.) restituit, in quo summae Priscillae, vatis Montanisticae, laudes continentur, non fuisset prudentiae ei laudare Montanum, qui repudiare eius disciplinam videbatur. Sed si qua est etiam alia dubitatio, omni ille opponi potest, non solum summa, etiam ad verba, similitudo cum libro de Monogamia, quem fere libri nostri posses dicere *παράφρασις*, sed quoque id, quod est c. 6. (p. 698. B.): *Deus in primordio sementem generis emisit indultis coniugiorum habentis, donec mundus repletur, donec novae disciplinae materia proficeret; nunc vero sub extremitatibus temporum compressit quod emiserat et revocavit quod indulserat*. Neque vero est a veritate magis alienum, librum nostrum fere primum dicere eorum, quorum ipsum argumentum versatur in defendendis Montanistarum erroribus. Nam de Monogamia librum non possumus eodem, cum nostro, tempore scriptum existimare propterea, quod, ut dicebamus, est prorsus eiusdem argumenti. Deinde nostrum videtur Tertullianus prius scripsisse, quam illum, qui, si iam extitisset, cum se ad nostrum scribendum accingeret, nostri scribendi nulla necessitas fuisset, sed fratrem illum potuisset ad commentarium de Monogamia tanquam ad publice editam disputationem remittere. Sed nostrum si prius scriptum esse arbitremur, non poterat is commendari Psychicis: siquidem non publice erat, sed privato alicui propositus. Denique ostendemus postea, librum de Monogamia esse fere sub initium calamitatum ab ipso Severo a. CCII. excitatarum scriptum, ceterosque Psychicis consulto oppositos posteriores esse eo de Monogamia; itaque necesse est credere, nostrum de Exhortatione Castitatis librum illos aetate fere superare.

#### §. XLI.

Devolvitur ergo oratio nostra ad illum de Monogamia librum; in quo cum ubivis Psychicos redarguat, Paracletum auctorem suum (c. 4.



init. c. 14. cet.) cum nova prophetia decantet suosque crepet spirituales ita propter agnitionem charismatum appellatos, denique in impugnandis secundis nuptiis sermonem consumat universum, non necesse est multis hunc librum asserere Montanisticis. Sed paulum iuvat in tempus scripti huius commentarii inquirere. Cum illum locum Pauli, quo abstinentiam a nuptiis suadet propter iniuriam illius temporis, quo subiecti Christiani erant periculis perpetuitati, Tertullianus ad causam suam contorsisset, *magis nunc*, addit, *tempus in collecto est* (c. 3. p. 675. B.); neque his ipsis verbis obscure significat magnam tempestatem calamitatum tum, cum de monogamia scriberet, in Christianos irruisse. Quod etiamsi quis diceret, etiam dici a Tertulliano potuisse nulla adhuc calamitate publica in Christianos existente, illud tamen multo est probabilius propterea, quod admodum credibile est, Tertullianum statim sub initium suscepti Montanismi animum ad huius disciplinae doctrinam defendendam appulisse. Id si verum sit, incidit profecto hic liber in ea tempora, quibus iam ignis calamitatum publicarum inter Christianos exarserat. Hoc igitur loco dum requiratur, qualis vexatio Christianorum intelligenda sit, demonstrari ista nullo negotio potest. Nam post Tertulliani ad Montanistas secessionem ea repente extitit rerum perturbatio, quam Severus Aug. edicto suo concitaverat. Atque haec cum coepta a CCLII. fere post annum CCIV. desierit, scriptique sint post librum nostrum libri de Ieiuniis deque Pudicitia, non librum nostrum abhorret in annum fere CCIII. conicere. Neque vero vereor huic subiungere illum de Ieiuniis librum, quem posteriorem esse libro de Monogamia et alteram veluti disputationis adversus Psychicos partem, initium istius libri satis ostendit, ipsumque illud docet non ita multo post illum editum a Tertulliano fuisse. Est igitur is quoque in publica quadam vexatione expositus, quam significare hinc inde, veluti in extrema libri parte videtur; nec potest vindicari a Montanismi suspitione non modo propter illam libri aetatem, sed propter Paracleti etiam defensionem<sup>h</sup> et bellum Psychicis publice in hoc libro indictum. Post hunc una restat commentatio Psychicis studio opposita, ea videlicet, quae est de Pudicitia instituta. Quam esse contra adversarios Montanistarum scriptam nemo unquam dubitavit, nec dubitare quis potest propterea, quod ipse illud Tertulliani seque alienum a societate Psychicorum profitetur<sup>i</sup>. Suntque multa vel libro ipsi impressa (c. 22.) vel aliunde certa signa, qualia Orsus<sup>k</sup> produxit, quae non admodum recentiore hunc librum calamitatibus a Severo Christianorum familiae inflictis, annum igitur natalem huius libri fere CCIV. aut sequentem ostendunt.

### §. XLII.

Hos nondum fere libros contra Ecclesiam orthodoxam confecerat, cum alii se generi disputationum adversus haereticos dederet. Nam-

h. c. 10. p. 708. D. c. 11. p. 710. A.  
c. 13. p. 711. C. c. 10. p. 708. C.  
i. c. 1. p. 715. D. c. 6. p. 721. A. c. 10.  
p. 726. D. c. 16. p. 735. D. cet.

k. In Diss. de Pace et Absolutione Capitalium Criminum a Catholica Ecclesia tribus prioribus saeculis non denegata. Cap. IV. Digress. 3. p. 120 sqq.

que horum doctrinas libris statim sibi subiectis Tertullianum exagitate, non abhorret a vero, quoniam ipsi hi libri eandem fere aetatem magna sub Severo calamitate Christianorum paulo posteriorem produnt; et si quis coniecturae dandus est locus, non inepte quis Tertullianum concentum cum vera Ecclesia suum in rebus ad fidem pertinentibus ipsis his doctrinis adversus haereticos defendendis confirmare voluisse diceret. Ac in his libris nulla videtur antiquior disputatio illa, quae est adversus Praxean; nam et videtur paulo ante librum contra Valentinianos conscripta, nusquam enim in hoc Antipraxea, quamvis saepenumero Valentinianos commemoret, ad librum Valentinianis oppositum provocat, quem morem alias, id quod omnibus ipsum legentibus constat, tenere solet Tertullianus; et quod videtur ad ea, quae diximus, confirmanda, accommodatius, Praxearum is erat haereticus, quem Montanistae sibi longe molestissimum putare debebant, quoniam is ipse, praeterquam quod errorem doctrinae de Triade sanctissima adversus disseminaverat, persuaserat etiam Pontifici Romano, quem viri docti satis bene Victorem fuisse existimant, ut iam paratam Montanistis pacem refringeret (Vid. c. 1.). Neque ergo difficile est credere, initium disputationum suarum Tertullianum a velitatione cum Praxea fecisse. Quam nemo negabit a Tertulliano Montanista fuisse susceptam; ipsum enim nomen Psychicorum (c. 1.), ipse Paracletus, in quo se melius de veritate mysterii de summa maxima Triade edoctum profitetur (c. 2. c. 635. A. c. 8. p. 692. D. etc.), ipsa denique professio, agnitionem Paracleti et defensionem seiunxisse se a Psychicis, ponunt illud supra omnem dubitationem. Sed de ipsa huius libri aetate nos non audemus asseveranter pronuntiare, quamvis, si ista adversus Praxean disputatio prima est inter concertationes cum haereticis, atque hae secutae sunt statim libros orthodoxae Ecclesiae oppositos, anno fere CCIV. aut V. adsignari non male possit. Hanc excepisse librum adversus Hermogenem non dubitarim dicere, est enim iste antiquior libro de Anima et illo adversus Valentinianos, ut postea docebitur, qui cum compositi sint fere transactis furoribus Severianis, eidem cum Antipraxea anno tribuendus videtur noster libellus, quem a Montanista Tertulliano profectum esse peracera in repetitis ab Hermogene nuptias oratio (c. 1.) non obscure declarat. Huic veluti appendicem adiecit, quod initium libri et multa alia loca docent, librum de Anima, refertum somniis innumerabilibus, qui habet haud dubias Montanismi notas<sup>1</sup>; sed fueritne eodem fere cum libro adversus Hermogenem anno, an post annum demum CCVIII. scriptus, illud vero cadere in disceptationem potest. Nam c. 2. (p. 324.): *Inesse, ait, nobis τὸ ἀνεξήσους naturaliter iam et Marcioni ostendimus*; quae disputatio in libro, qui extat, adversus Marcionem secundo c. 6. occurrit; sed potest etiam a Tertulliano unus librorum contra Marcionem deperditorum intelligi. Si illud statueris, erit de Anima scriptio posterior anno CCVIII.; sin hoc, potest etiam ante illum annum collocari. Quarum sententiarum mihi magis posterior probatur: nam ut

1. E. c. cum cap. 55 et 58. Paracleti monita et testimonium excitat, ibidemque et c. 9. (p. 311. A.) dicit suos

*spiritalia charismata agnoscere ac post Ioannem quoque prophetiam meruisse consequi.*

appendices librorum, qualis est noster libellus, magis moris est statim, non longo post tempore, iis subiicere, sic et eodem modo in Scorpiace amissos iam libros adversus Marcionem excitat (V. supra §. XXVI.) et erit ordo librorum Tertulliani, si ista admittatur sententia, multo concinnior. Etenim in ista Scorpiace, quam probavimus anno CCIV. scriptam fuisse, haeticos, Gnosticos et Valentinianos, queritur impugnare supplicia sponte a Christianis propter religionem suscepta (c. 1. p. 176. a. c. 4. 3.). Sed in libro de Anima (c. 55.) multa disputat de gloria martyrum et huic libro, ut postea apparebit, statim subiecit adversus Valentinianos librum, in quo (c. 30. init.) impugnata ait a Valentinianis martyrii necessitatem. Itaque satis videtur veritati consentaneum, nostrum de Anima et adversus Valentinianos librum non multo post Scorpiacen anno fere CCV. fuisse conscriptum.

### §. XLIII.

Ordo igitur librorum postulat, ut nunc de hac Valentinianorum reprehensione dicamus. Est vero illa defectione Tertulliani ad Montanistas inferior: quod quidem dicta huic disputationi adpersa non planissime docent; nihil est enim in hoc libello doctrinarum, quod non potuisset etiam ab Orthodoxo proficisci; sed tamen id apparet dupliciter. Primum quod iam se dicat (c. 16. extrem.) cum Hermogene de eodem atque cum Valentinianis argumento congressum fuisse, quae Antihermogeniana disputatio est a nobis modo Montanistico scriptori asserta; deinde quod vehementer optat (c. 5. extrem.), ut sibi daretur assequi Proculum in omni opere, quem et *virginis senectae et christianae eloquentiae dignitatem* appellat. Hunc Proculum ego non dubito Proculum illum Montanistam fuisse, cuius extat apud Eusebium (lib. VI. H. E. c. 20.) memoria, cum propter laudem virginitatis eius, quam tamquam praeclaram in eo virtutem Tertullianus collaudat, tum propterea, quod ipsum *nostrum* nuncupat, distinctum hoc nomine ab iis, quos modo laudaverat, Iustino Martyre, Miltiade (*Eccliesiarum sophista*, ut ait forte incensus odio huius viri, qui, ut refert Eusebius loco cit. lib. V, 17., etiam se Montanistis opposuerat), atque Irenaeo, scriptoribus orthodoxae Ecclesiae. Sed ipsam huius libri aetatem si quis subtilius percunctatur, satis videtur consentaneum dicere, eum esse non ita multo post sopitam quodammodo crudelitatem in Christianos exaratum. Nam et confessionem veritatis christianae sub potestatibus istius saeculi, et apud tribunalia praesidum (quam urget c. 30.) defendere non admodum necesse erat, nisi tum vel ipsum illud calamitosum tempus, vel eius viva memoria extitisset, et est, ut modo dicebamus, hic liber eodem fere cum Scorpiace tempore scriptus, postquam furor Severi restinctus fuerat, ut historia huius temporis docet. Itaque placet ad librum de Praescriptionibus Haeticorum progredi, quem huic subiicere non dubitamus; quidquid etiam in contrariam partem Tillemontius<sup>m</sup> et Whistonus<sup>n</sup> disputaverint. Nam libro I. ad-

m. Loco cit. Part. III. p. 203. et not. 6. sur Tertullien. p. 656.

Sabellian. and Athanasian Doctrines of the Trinity p. 3 sq.

n. In scripto: The true Origin of the

versus Marcionem c. I. (p. 431. A.) se aliquando exaraturum promitti disputationem de Praescriptione adversus Haereticos, ex quo hoc necessaria conclusione elicitur, demum post annum CCVIII. nostrum librum luci fuisse expositum. Atque illud ipsum neque tempore ea, quo librum nostrum perscriberet, vacuum a Montanistarum erroribus fuisse animum Tertulliani, clarissime ostendit; ut non dicam, horum errorum vestigia non obscura esse in hoc libro, veluti c. 40., ubi cum doceat, etiam malignum genium aemulari institutiones divinas, *quid? quod*, inquit, *et summum pontificem in unis nuptiis statuit, habet et virgines, habet et continentes*, et quae sunt generis eiusdem. Sed aperiamus ea capita, unde omnis ad hanc causam disputatio ab illis, qui contra sentiunt, ducitur. Ac primum aiunt, locum a nobis e libro adversus Marcionem excitatum significare etiam posse librum iam scriptum; Whistonus etiam aliud exemplum ponit huius loquendi modi nec necessarium in re omnibus nota nec ullo modo aptum ex lib. V. c. 19. Sed illud defendi non satis potest. Nam quotiescunque Tertullianus aliquem librum iam a se compositum profert, numquam futurum adhibet loquendi genus, sed ubivis praeteritum, atque eodem opinor, modo praeteriti temporis flexionem usurpaturus fuisset Tertullianus, ut fecit de hoc libro alibi, si illum iam a se compositum voluisset dicere. Neque vero illud minus est contortum, cum locum ex Antimarcione Tillemontius putat remanere potuisse e libris illis, quos ante hoc, quod extat, opus adversus Marcionem iam contra eum scripserat. Nam et illud mera coniectura est nullo modo probabilis propterea, quod Tertullianus, cum se ad scribendos nostros adversus Marcionem libros accingeret, unam illi oppositam disputationem rescissam, alteram amissam confirmat, et istud argumentum Tillemontii in se etiam ineptum est. Quod vero dicit librum de Carne Christi esse priorem libris nostris adversus Marcionem, hunc vero posteriorem libro de Haeticorum Praescriptione, ea non conor attingere; est enim ea de re satis §. XXVIII. et §. XXIX. disputatum, unde intelligitur, primum nostrum librum Antimarcionis, de quo hic quaerimus, non esse cum ceteris editum, nec ullo modo illo de Carne Christi posteriorem. Sed in fine libri de Praescriptione Tertullianus: *Nunc quidem generaliter*, inquit, *actum est a nobis adversus haereses omnes, certis et iustis et necessariis praescriptionibus repellendas a collatione scripturum. De reliquo — — etiam specialiter quibusdam respondimus*. Audio. Quid ergo est? omnes sunt Tertulliani adversus haereticos libri posteriores eo qui est de Praescriptione. At istum locum Tillemontius, ut mihi videtur, non recte cepit. Nam in eo loco non generatim in hoc libro, Tertullianus ait, se haereticos confutasse, sed addit, se id fecisse universe *certis et iustis et necessariis praescriptionibus*. Itaque in aliis libris non se pollicetur separatim confutaturum haereticorum singulorum doctrinam, sed ostensurum se singulos etiam haereticos eorumque scita aetate doctrinis recte sententiam cedere. At denuo Whistonus loco cit. p. 4.: antiquior est is de Praescriptione commentarius Apologetico Tertulliani. Quam ob

o. In libro de Carne Christi c. 2. p. 359. A.

rem obsecro? *Expedite*, inquit in Apolog. cap. 47., *praescribimus ad-  
ulteris nostris, illam esse regulam veritatis, quae veniat a Christo,  
transmissa per comites ipsius, quibus aliquando posteriores diversi  
isti commentatores probabuntur.* Acutum vero hominem, qui cum de  
praescriptione audit, etiam librum super ea re scriptum videt! Et ea  
quidem oppugnatio ad aetatem huius libri magis pertinebat; cetera,  
quibus se adactos eo dicunt, ut hunc librum e numero Montanistico-  
rum proscriberent, haec sunt. Primum Whistonus adiectum libro nostro  
libellum, qui haereticos ortos in familia Christianorum recenset, obiicit,  
in quo planissime *οἱ κατὰ Δούνας* haeretici condemnantur; quod  
esset argumentum nullo modo eludendum, si, quod probandum susci-  
pit Whistonus, hic libellus vindicari Tertulliano posset. Sed quid  
pro sententia hodie a viris doctis prorsus profligata disputet, audia-  
mus tamen. Idem est, ait, in hoc, quod in scriptis Tertulliani, dicendi  
genus. Quomodo tandem? Graeca saepius verba libellus latinis miscet;  
loquitur eo modo, quo Africani solent, horrido illo et paene barbaro;  
acutis persequitur haereticos conclusiunculis, multa etiam ex Irenaeo  
sumit; denique haereticos narrat a Tertulliano commemoratos, etiam  
eos, quos unus ille habet, veluti Ebionem et Praxean. At si, qui  
hunc libellum scripsit, Afer genere fuit, vel Tertullianum descripsit?  
Nihil ad haec Whistonus. Progrediamur ergo. Clarissime Augustinus  
(de Haer. n. 86.): *Tertullianus transiit ad Phrygas, quos antea de-  
struxerat.* Ubinam tandem? Nusquam, ait Whistonus, tam ample  
quam in hac appendice. Certe audiam unde haec Whistonus didicerit.  
Hieronymus adversus Luciferianos ex hoc, de quo quaerimus, libello  
multa tamquam ex antiquo scripto sumit, itemque Epiphanius. Sit ita  
sane, descripserint igitur multa; ergo hic libellus magnam habet anti-  
quitatem: habet profecto, etiam Tertulliano forte aequalem; an eum  
etiam parentem habeat, id noudum video a Whistono planum his te-  
stimoniis factum. Deinde abhorrere arbitrantur, quod Tertullianus se-  
paratus a communi Ecclesia scripserit librum tam bellum tamque for-  
tem ad exagitandos omnes, qui se erroribus ab Ecclesia separassent;  
ac, etiamsi tanta vis insit veritati, ut etiam invitis se conspiciendam de-  
fendendamque praebeat, ipse quoque Tertullianum saepius in libris haud  
dubie in Montanismo conscriptis praescriptioni adversus haereticos in-  
sistat, tamen tanto cum consilio et amplitudine nusquam hoc telo  
eum fuisse usum animadvertere iubent. Quae disputatio est magis,  
quam decet, arguta. Nam Montanistae, ipse etiam Tertullianus, id  
quod constat (v. de Ieiun. c. 1. de Virg. Vel. c. 2.), nunquam se alie-  
nos in doctrinis ad fidem pertinentibus ab Orthodoxis professi sunt,  
neque Tertullianus usquam Psychicos ponit in numero haeticorum,  
sed ab iis planissime distinguit (e. g. in libro de Monog. sub init.). Modo  
emendatam aiebant et perductam ad perfectionem disciplinam suam,  
neque in rebus, quae sub fidem cadunt, de quibus dissensio unice  
haereticos constituit, se discrepantes a doctrina Christi et apostolorum  
confirmabant. Itaque nihil mirari attinet quod aetate recentiori doctri-  
narum ab haeticis defensarum argumentum ad eos impugnandos  
duxerit. Alterum vero illud Tillemontii nihil est. Etenim etsi susci-  
piam, quod hic consilio, sed in ceteris libris obiter, de hac regula

doctrinarum iudicandarum Tertullianus disputaverit, tamen illam non obscure, sed plane satis, proponit in libris adversus haereticos et ad illam rem ex instituto disputandam librum nostrum destinaverat atque modo confutat in ceteris haereticorum ineptias. Atque haec ipsa possunt etiam opponi alii cuidam adversariorum argumento, non levi illi quidem, sed ita forti, ut paene nos videri posset pertrahere in adversarias partes posse, sed a Tillemontio, quod miror, non satis illustrato. Videlicet summum in doctrinis apostolicarum ecclesiarum cum suis consensum, sed vehementem ab haereticis dissensum proponit (c. 36.) et, quod longe maius est, vehementer (c. 21.) exagitat haereticos propterea, quod consueverant dicere, non omnia apostolos scisae, quod ipse illis videbatur Iesus Christus dixisse apud Ioannem verbis his: *Multa vobis a me dicenda restant, sed suscipere ea nondum potestis.* Hos postea retundit verbis Christi iis, quae superioribus subiecerat: *Cum venerit ille spiritus, is vos ad omne id, quod verum est, cognoscendum perducet;* unde effici posse putat omnia fuisse edoctos apostolos; nam ipsos illos spiritum a Christo postea omnino accepisse ait ex Actis Apostolorum haud dubie constare. Atque haec cogitanti cuidam et apud se reputanti scita Montanistarum, qui, fere ad eundem illum locum Ioannis posterioriorem provocantes Paracleti disciplinam perfectionem quoque disciplina Christi et apostolorum defendebant, videretur igitur illi Tertullianus tam clare adversus ipsos Montanistas sententiam dicere, ut dubitari de *ὁρθοδοξία* huius libri non posset? Non equidem puto. Nam etsi hic locus magnam habeat rationem, potuit tamen proferri etiam ab eo, qui stabat a Montanistarum partibus. Etenim, uti diximus, nusquam Tertullianus ullum admittit inter Montanistas et orthodoxos apostolorum sectatores dissensum de iis esse, quae fide accipienda sunt, et quod nullius verae doctrinae experte fuisse apostolos defendit, illud dari a quovis Montanistarum poterat. Sed emendatiorem demum per Paracletum disciplinam, doctrinas etiam non novas, sed magis confirmatas veteres Christianorum propagabant, immo ipsos ritus, quos recentius inductos apud Montani sectatores rectius sentientes clamabant, ut probet e sacris litteris, ipsorum etiam apostolorum vel consuetudine vel praeceptis, multis in locis Tertullianus laborat. Sed ii haeretici, adversus quos Tertulliani instituta est in libro de Praescriptione disputatio, multarum Christi doctrinarum vel rudes apostolos fuisse dictitabant, vel Christum non omnia omnibus tradidisse, ut noster ait in ipso hoc, quem tractemus, loco. Quam ob rem cum locus is, de quo disputamus, a Montanista non minus potuerit adhiberi, quam a socio Ecclesiae recte sentientis, hoc quaeritur, utra sit sententia vel interpretatio ad veritatem propensior? Ubi ego non multum dubito, quin ipsum hunc librum dicam a Tertulliano Montanista proficisci. Nam primum sunt libri Septimiani e disciplina Montanistarum ducti, in quibus illi instat praescriptioni in causa haereticorum, nec ullo modo, quod usu ipsi venit de libris omnibus suis, ad quos remittere lectores poterat, suum de Praescriptione Haeret. opus antestatur, veluti in libro adversus Praxean c. 2. et adversus Hermogenem c. 1. Deinde si is esset loci superius tractati e libro nostro sensus, qualem Tillemontius fingit, non admodum credibile est,



Tertullianum potuisse post scriptum hunc librum ad Montanistas delabi, qui tam dilucide sententiam adversus Montani scholam dixerat vel hunc librum, in quo Montani molitiones tanto impetu damnati fuerant, etiam in libris, quos tanquam Montanista exaravit, ut in de Carne Christi (c. 2. extr.), laudare. Neque vero mirari quis debet, Tertullianum tam se adiunxisse defensionem doctrinarum in Christianorum Ecclesiis susceptarum in libro quem tempore defectionis suae ab his Ecclesiis scripserat; tum enim iam ipso tempore restinctus aliquo modo erat ille Tertulliani in secus sentientes orthodoxae Ecclesiae socios furor seque placato paulisper animo in haereticos converterat, unde maior cum recte sentientibus consensus vel mitior de iis sententia extitit.

§. XLIV.

Iam de libris, qui sunt de Carne Christi deque Carnis Resurrectione non est quod multa dicamus, cum hunc eo posteriorem esse illius libri in hoc excitatio satis doceat (c. 2. p. 379. D. et p. 380. C.), ac ille demum post librum de Haereticorum Praescriptione compositus sit, quod eodem modo apparet (vid. §. XLIII.), at certus horum librorum annus non constat. Restant igitur ii libri, quorum nulla, ut mihi videtur, ratio vel aetatis vel doctrinae tradi potest (is enim erat tertius nostrae scriptionis locus), de quibus cum alii, qui eam rem a se perspectam putarunt, decrevisse sibi visi sint cum aliqua certitudine, quaecumque in istam rem disputarunt, ea nos, quibus magis placet in hac causa veracundius loqui, oportet paululum postremo loco excutere. Est huius generis liber de Poenitentia, quem Tertulliani esse adeo negabat Erasmus probatus in hac re a Dallaeo aliquando, etiam ab Hoffmanno, maxime propter stili dissimilitudinem in hoc ceterisque Tertulliani libris; quam ego, fateor, deprehendere non satis possum, etiamsi hic non tam appareat impeditum illud et concisum dicendi genus, quod regnat in ceteris. Neque enim tanta est, quanta putatur, haec dissimilitudo, sed eadem fracta et interrupta dictio hic extat, quae est in aliis mitigatae paulisper dictionis libris, veluti in iis qui sunt de Patientia deque Fuga in Persecutione. Sit igitur hic liber Septimii nostri, sed cum scriberet, cuiusnam sectae fuerit dicere non audeo. At hic intercedunt fere omnes certissimumque esse aiunt cum Orthodoxis tum Tertullianum sensitse, namque et eum coetui sacro potestatem concedere delicta condonandi iis, qui gravius peccassent, quam prorsus destruxisset in libro de Pudicitia, et in illo libro ipsum illum profiteri, se nunc confutare velle librum quem olim haeresi communis Ecclesiae addictus pro hac potestate scripsisset. In qua universa disputatione multo sapientior mihi videtur Hoffmannus quam in ceteris. Namque (l. c. §. XIII.) pulcre monet is, longe diversam esse quaestionem in libro de Poenitentia propositam ab ea, quam Tertullianus in commentario super Pudicitia posuit, atque etiam Montanistas omne illud potuisse defendere, quod est in libro de Poenitentia propositum. Videlicet non super ea re erat Orthodoxos inter et Montanistas quaestio: possentne ii, qui ad impuritatem pri-

stinam gravioribus delictis rediissent, interposita poenitentia veniam malefactorum a Deo impetrare, quod neutri, ne Montanistae quidem, negabant, quos potius constat ipsam *ἔξομολόγησιν* a reis postulasse, sed eam quidem non ita, ut impetraret, qui peccaverat, veniam ab Ecclesia et coniunctionis cum illa restitutionem, sed ut incitarentur prohi ad supplicandum Deo, ut huic peccatori tandem aliquando veniam concederet. Sed illud quaerebatur potius: liceretne Ecclesiam usurpare potestatem, qua se non destitutam etiam ipsa sentiret, recipiendi seiunctos a societate sua peccatores, in amicitiam veterem et communionem sacrorum; quod Montanistae ita negabant fieri debere, sed Orthodoxi ita posse fieri aiebant. Hanc igitur licentiam usurpatam ab Orthodoxis Tertullianus in libro eo, qui est de Pudicitia vehementer salseque exagitat, sed in libro de Poenitentia neque confirmat neque impugnat etiam, sed de illa venia loquitur, ad quam etiam iis, qui immersi essent gravissimis flagitiis, apud Deum, si ad bonam mentem rediissent, aditus non esset impeditus. Ex quo etiam illud efficitur, non revocare Tertullianum in libro de Pudicitia id, quod in singulari libello Orthodoxorum olim sententiae addictus scripsisset, sed nihil nunc fatetur nisi se aliter sentire de ista venia a coetu sacro concedenda, quam olim inter Orthodoxos non quidem scripsisset, sed sensisset tamen. Quid ergo est? Tertullianumne putaremus hunc librum in Montanismo scripsisse? Neque hoc audeo dicere. Nam tametsi peccatoribus ad pristinam eamque perversam vitam redeuntibus non nisi unam eamque ultimam spem veniae apud Deum impetrandae polliceri videatur (c. 8. p. 145. A. C.), tamen et in ea re nihil docet quod proprium fuisse legamus Montanistarum, sed quod etiam ab aliis Orthodoxorum vehementer propugnatum esse invenimus: nullam spem esse salutis iis, qui post susceptum baptismum iterum graves et ad iacturam verae pietatis peccassent, quod pessimam baptismi deferendi consuetudinem in Ecclesiam postea intulit; et quae duris locutus esse videri poterat, ipse his verbis subiectis mitigat: *Venus non statim succidendus ac subruendus est animus desperationi*. Quare ad quam vel aetatem vel doctrinam hic liber referendus sit cum aliae rei dirimendae in hoc libro significationes non extent, ne quidem prorsus nescire profiteor.

## §. XLV.

Atque etiam illud non me fateri pudet de libro, quem adversus Iudaeos conscripsit. In quo nihil est, quod Montani ineptias saperet: sed neque illud admirationem habet; nulla enim fere extitit Tertulliano in hoc libro talium commemorandarum opportunitas. Quare illud est videndum, utrumne ibi aliqua reperiat temporis significatio. Et ea est quidem subobscura in duobus locis. Prima c. 7. in quo (p. 212. D.) *Britannorum inaccessa Romanis loca* commemorat, et

p. Vide Hermae Pastorem Mandato IV. p. 855 sq. et loca ibi a Fabricio citata. in Fabricii Apocryphis N. T. T. III.

paulo post eos *Oceani sui ambitu conclusos*. Quae res quidem Baronium<sup>q</sup>, Allixium aliosque deduxit in eam opinionem, ut crederent post victorias Severi a Britannis reportatas scriptum hunc librum esse, et ita anno fere CCIX.; quod ego non dixerim; nam quomodo tum tandem loco Britannorum dici inaccessa potuissent, quorum sibi aditum Romani fecerant, et qui potuisset Tertullianus dicere: *trans istas gentes Romanos porrigere regni sui vires non posse*, cum illud ipsum inter Britanos fecissent? Nimis profecto clare confirmat Herodianus<sup>r</sup>, Severum non modo Getam in iis Britannorum regionibus reliquisse, quae imperio Romanorum subiectae erant, sed Severum quoque, pergit, latius se profudisse. Neque vero murus a Severo in Britannia extractus, qui Baronium ceterosque decepit, is est, quo Tertullianus significat conclusos finibus suis Britanos fuisse, neque enim mūro sed *intra Oceani ambitum conclusos Britanos* planissime dicit. Sed ista demum, quae de Britannis ceteri scriptores tradiderunt, sunt in expeditione Severi adversus eos facta, quam constat fuisse anno CCVIII. susceptam. Prior igitur hic Tertulliani liber extitit, et multo prior quidem, si quid video, recteque Tertullianus altero in loco disputavit, qui est c. 13. Neque enim tempore scripti huius libri cuiquam Iudaeorum permissus erat aditus ad Bethlehemum aut agrum circumiacentem aut Hierosolyma. Enimvero constat, Severum multas rogasse Iudaeis amicas leges, quas in compendio recitavit Iacobus Basnagius<sup>s</sup>, ac ista iura Spartianus<sup>t</sup> ait fundata ipsis esse tum, cum Severus, capta Ctesiphonte, in Aegyptum proficisceretur, h. e. a. fere CCII. Itaque non est credibile, cum multa ipsis iura concesserit, amplius quemquam prohibuisse ab aditu vel Hierosolymorum vel cuiusquam alius in Palaestina loci, nec dici potest exilium Iudaeorum vel Tertulliani adversus Iudaeos librum demum post illum annum extitisse, sed antea magis. In qua sententia confirmari videor loco aliquo Tertulliani ex Apologetico (c. 21. p. 20. D.) ubi praeter alia Iudaeis narrat ne advenarum quidem iure concedi, ut terram patriam saltem vestigio salutarent. Quod etiamsi falsum sit de universo Palaestinae tractu, ex quo non videntur Iudaei ne per Hadrianum quidem eieci, quod multis locis scriptorum veterum inprimis docuit Io. Massonus<sup>u</sup>, tamen Tertullianum ita oportuit existimasse in Apologetico, unde ceteris, quae diximus, assumtis, eiusdem fere aetatis esse librum adversus Iudaeos colligi quodam modo potest. Sed cum neque annus huius libri accurate possit definiri neque perspicuum sit, senseritne iam tum Tertullianus cum Montanistis, placuit etiam hunc librum iis adiungere, quorum nec aetas nec doctrina apparet, et collectis omnibus iis, quae hactenus proposita sunt, ita fere ordinem librorum Tertulliani constituere:

q. Annal. Ecclesiast. ad a. CCXII.

r. Histor. lib. III. c. 14. p. m. 170.

s. Histoire des Juifs Tom. VIII. p. 49 sq.

t. In Vita Severi. c. 16.

u. In Collectaneis Historicis ad Opera Aristidis edit. a Sam. Iebbio §. VI. n. 8.

Ante susceptum Montanismum.	In Montanismo.	
de Oratione. ad Martyras. de Spectaculis. de Idololatria. Apologeticus. libri II. ad Nationes. de Testimonio Animae. de Baptismo. libri II. ad Uxorem. (adversus Iudaeos).	de Corona. de Virginitibus Velandis. de Cultu Feminarum. de Fuga in Persecutione. de Exhortatione Castitatis. de Monogamia. de Ieiuniis. de Pudicitia. adversus Praxeum. adversus Hermogenem. de Anima.	Scorpiace. adversus Valentinianos. adversus Marcionem lib. I. de Praescriptione Haereticorum. liber II—IV. adversus Marcionem. de Carne Christi. de Resurrectione Carnis. liber V. adversus Marcionem. de Pallio. (de Patientia). ad Scapulam. (de Poenitentia).

## §. XLVI.

Atque hic possemus finem facere disputationis nostrae, neque enim cetera Tertulliani scripta, quae vel perperam sunt ipsi adscripta, vel non extant, excutere nobis est propositum. Sed in animum venit quaedam de actis illis SS. Perpetuae et Felicitatis dicere, quae sunt qui etiam Tertulliano tribuerint. In quibus unum illum Guil. Whistonum impugnare placet, qui omnem operam dedit, ut haec acta Tertulliano assereret\*. Atque is SS. illas martyres non quidem arbitratur e disciplina Montanistarum fuisse, quod quibusdam placuit, veluti Samueli Basnagio<sup>y</sup>, sed haec qui collegit, eum plane putat non Montanistam modo, sed et Tertullianum fuisse. Qua de re nobis sedet contraria sententia. Nam primum multa sunt in ipsis, quae Perpetua reliquit, commentariis, quae haud dubie eam ostendunt et Montanistarum familia fuisse. Idque iam occupavit Basnagius, sed tactus est, qui contra diceret, Iosephum Augustinum Orsi, O. P., qui, quamvis eum, qui acta ista collegit, Montanistam existimet, tamen strenue in defendenda recta harum martyrum fide laborat\*; cuius argumenta memini mihi olim legenti istam rem non persuadere, sed plurima continere ab hac disputatione prorsus aliena. Sed nunc quidem non est ad manus; itaque unum Whistonum persequamur. Ille ne litteram quidem, quae Montanismum sapiat, ait esse in his Perpetuae et Saturi commentariis, e quibus paene ista acta composita sunt, quod quam a veritate abhorret, postea docebimus; deinde hoc unum sufficere ad omnem litem componendam putat, quod Tertullianus primus fuerit, qui errores Montanistarum in Africam tempore fere eo, quo supplicia ab his martyribus sumpta sunt, induceret, quare, cum vix in Africam haec scita fuissent delata, eo tempore non posse dici homines litterarum rudes longe remotos a Carthagine, quales isti fuerunt, iam istam disciplinam suscepisse. In quo sermone non unus error reperitur. Primum hoc sumit sibi haud dubie, quod isti martyres mortem subierint Tuburbii, cuius urbis scio mentionem iniectam esse in spuris horum actorum exemplis, et est quoque eius nomen a

x. In the Sacred History of the Jewish and Christian Church. Part. II. Vol. 6. p. 477. 478.

y. In Annalib. Polit. Eccl. T. III. p. 224 sq.

z. In Diss. Apologet. pro SS. Perpetuae, Felicitatis et sociorum martyrum orthodoxia, adversus Sam. Basnagium. Florent. MDCCXXVIII. 4.

Whistonu expressum, sed et per meliora ἀπόγραφα et argumentis Valesii ac Ruinarti\* satis explosum. Quare si eos, ut illi viri docuerunt, Carthagine interemtis credamus, facile accipere hi notitiam errorum Montanistarum potuissent, cum Tertullianum Carthagine vixisse omnes norint. Unde vero Whistonus docebit Tertullianum primum fuisse, qui in Africa hos errores et tempore fere suppliciorum ab his martyribus sumtorum sparserit? Et si haec etiam dederim, quid obsecro incredibile est errores a Tertulliano in Africa disseminatos, quos ante annum CCV. iam scriptis defenderat (huic enim anno mortem SS. martyrum Whistonus adiunxit) p̄ceptos ab his martyribus fuisse, inprimis cum plurimi ad societatem Montani accedentes expertes litterarum fuerint et ita horum martyrum similes? Ac multo magis abhorret id, quod nihil sit somniorum Montani commentariis ipsius Perpetuae et Saturi adpersum. Nam primum magna est suspicio humani sensus in ipsis speciebus his hominibus obiectis. Etenim Perpetua non modo statim cum baptismo se profitetur dotem futurorum praenunciandorum accepisse<sup>b</sup>, sed ita etiam fidenter de ea dote loquitur, ut pro arbitrio futura praesagire et vel ab ipsis inferni suppliciis mortuos liberare posset<sup>c</sup>. Quam postremam arrogantiam non excutiam nunc quidem, sed vehementer tamen dubito an temporibus iis, in quae aetas Perpetuae incidit, h. e. saeculo p. C. N. secundo labenti, illa miraculorum facultas et quasi immanens virtus, quae Apostolis Ecclesiaeque apostolicae data erat, recte tribui debeat? Cuius sententiae, ut brevitati locus detur, duas proponam rationes. Una haec est, quod doceri nullo modo possit, quemquam, si ab apostolis discesseris, vel accepisse talem facultatem, nisi manibus eorum sibi impositis, vel illam communicare iterum cum aliis potuisse; contra, qui in contrariam partem disputari possint, plures sunt et satis illustres loci. Petrum et Ioannem Apostolos, ut hoc utar, quare tandem a ceteris missos esse Samariam (Act. VIII. 14 sq.), quare manibus impositis virtutem efficiendorum miraculorum distribuisset novis Christianis dicas, cum ipse iam Philippus evangelista multis miraculis Samariae celebritatem esset consecutus? quare Christiani Ephesini (Act. XIX. 2 sq.), ad quos primus nunc Paulus apostolus accesserat, neque accepisse se spiritum S., neque etiam scire quid hoc rei esset,

a. In not. ad Acta Martyr. p. 90. 91. ed. Amstel.

b. Acta Perpet. et Felicit. in Ruinarti Actis martyrum sinceris ed. Amst. p. 93. §. III: *In ipso spatio paucorum dierum baptizati sumus; mihi autem Spiritus dictavit, nihil aliud petendum in aqua, nisi sufferentiam carnis.*

c. Ibid. p. 94. §. IV.: *Dixit mihi frater meus: Domina soror, iam in magna dignitate es, et tanta, ut postules visionem, et ostendatur tibi, an passio sit, an comestus (i. e. an futuram sit, ut mortis periculum effugias. V. Holstenii not. ad h. l. ibid. p. 106. qui bene observat locum Tertulliani, in quo sorores a Domino*

*commemorat dignationem i. e. gratiam singularem, quotiescunque desiderant, consequi). Pergit illa: Et ego, quae me sciedam fabulari cum Domino, cuius beneficia tanta experta eram, fidenter repromisi ei dicens: Crastina die tibi renunciabo. — Deinde (p. 96. §. VII.): profecta est ipsi vox et nominavit Dinocratem, fratrem iam mortuum, et cognovit se statim dignam esse et pro eo petere debere. — Continuo ipsa nocte ostensum est ei in oramate, periclitari mortuum Dinocratem. Sed (§. VIII.) crebras post preces intellexit translatum esse de poena. Tantam vim ne preces quidem Apostolorum aut cuiusvis magni legati Dei anquam legimus habuisse!*

potuissent dicere, nisi ita, quemadmodum dicebamus, fuisset? Quod si ita est, neminem affirmare audeo sub linem saec. II. fuisse Christianorum, qui huiusmodi facultate splenderet; neque enim tum, qui ab Apostolis eam potuissent accipere, in vivis versabantur. Altera ratio in loco Eph. IV. 7 sq. continetur. Etenim cum Paulus multa superius disputasset, quibus iis etiam, qui adhuc fuerant cultum deorum secuti, eandem cum Iudaeis partem vindicaret gratiamque divinam, ut dissentientes inter Christianos Iudaeos ac gentiles in concordiam redigeret, postea animadvertens, facultates ad miracula multum ad alendam utrorumque discordiam facere, et quod ipsae hae pro arbitrio Christi sapientissime singulis sint distributae, et quem finem habeant, et quod non exiturae sint nisi ad certum tempus, perspicue confirmat. Quo in loco quin intelligendae sint non communes omnibus Christianis eaeque spirituales facultates, sed quorundam Christianorum ad propria miracula producenda idoneae, nemo, opinor, dubitabit, qui vel haec cum iis contulerit, quae sunt ab Apostolo Rom. XII. 3—8 et ad 1. Cor. XII. seq. disputata. Atque illas addit Paulus (v. 13.) datas esse *μέχρι καταστήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν ἐνόητια τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ κτλ.*: unde efficitur eo tempore extinctas has facultates fuisse, quo cum ii, qui e Iudaeis, tum qui e gentilibus Christiani facti erant (*οἱ πάντες*<sup>4</sup>), in iisdem rebus credendis agnoscendoque uno illo filio Dei consensissent, et universa ex utriusque collecta societas Christianorum (quae hic ducta a tabernaculo Mosaico, repleto illo divino splendore, similitudine *πλήρωμα τοῦ Χριστοῦ* — coll. c. I., 22. 23. — dicitur) ad virilem quasi aetatem perducta non se iactandam amplius fraudibus doctorum *Ἰουδαϊζόντων* permitteret. Sed istud tempus non ita multo post apostolorum omnium obitum, aut sub mediam fere saec. II. partem extitisse suspicor. Etenim ut Hadrianus Iudaeis Hierosolyma cultumque ibi publice celebrandum interdixerat, Christianos, quorum animi adhuc ad Iudaeorum religionem fuerant inclinati, paucis exceptis, Sulpitius Severus<sup>e</sup> et hunc errorem abiicisse refert, et Marcum e gentilibus episcopum Hierosolymitanum creasse; quorum haud dubie exemplum ceteri eiusdem generis imitati fuere, neque enim posthaec disruptam Christianorum societatem pristinis de observanda lege Moisaica discidiis umquamprehendimus. Nam etsi quis obverterit

d. Illud *οἱ πάντες* non omnes in univ. Christianos significare, sed referri debere ad utrosque, Iudaeos et gentiles inter Christianos, non modo res ipsa docet, cum veras adhuc dum inter nos facultates ad miracula extare nemo, qui sapit, dicat, sed multa etiam aliis planissime confirmant. Nam in universa hac epistola apostolorum erroribus eorum inter Christianos se opposuerat haud dubie, qui non nisi legis Moisaicae cultoribus gratiam Dei asseruerant, eamque ob causam litem moverant adversus eos qui e gentilibus ad Christum accesserant: quare atque Pau-

lus utilitatem e Christi societate capiendam vindicat. Vide e. c. cap. II, 14 sq. Inprimis notat eos, qui legis Moisaicae aequo tenaciores nullam nisi eandem necessitatem eius observandae agnoscentibus esse salutem, opinabantur. Cf. Gal. IV. 3 sq. Denique locus nostri plane similis Coloss. II, 2. 23. de nimio doctorum *Ἰουδαϊζόντων* etiam adversus ipsum Christi summum imperium studio, ipsam etiam hanc rem satis ponit supra dubitationem, ut pluribus haec docere non necesse videatur.

e. In Histor. Sacra lib. II. c. 31.



Cerinthianorum, Ebionitarum, Nazaraeorum et Elcesaitarum familias, tamen, qui his transacta priori saec. II. parte se adiungerent, paucissimi fuere, neque existere ullo tempore tanta Christianorum concordia potest, ut nulli sint prorsus, qui dissensum a ceteris profiteantur.

### §. XLVII.

Huius universae disputationis hic finis est, ut, quae de Perpetua tradita legantur, visiones spurias esse neque ullo modo divinas appareat. Nam, si vel dederim, etiamsi virtutes minime, tamen praeter ordinem nonnumquam Deum etiam post tempus illud modo disputatum visiones his illisve donasse, certe non est ita in Perpetua, quae tam erat de accipienda divina visione secunda, ut, quaecumque vellet, eam se impetraturam diceret. Est porro, quae magnam movet suspicionem Montanismi Perpetuae visio ea, ex qua se illa fatetur instantem sibi violentam mortem intellexisse (Sect. IV.). Nempe illi in visione offertur a quodam pastore buccella casei, edit illa, et qui adstant universi Amen dicunt. Quid hoc est? Nempe significatio necis violentae. Quomodo hoc sequitur: casei particula, et Amen, et violentum mortis genus? Mihi, si quid video, non videntur ea coniuncta aliquo modo, nisi hanc e Montanistarum familia virginem fuisse dicam, quippe quos, aliquos certe, Epiphanius (haer. XLIX. §. 2.) alique dicunt in sacra coena (in agapis forte volebant dicere homines non nimis accurati) caseum adhibuisse. Iam vero usu venerat inter Christianos, ut qui adessent ex multitudine Amen adderent in sacro epulo, id quod constat e Iustino Martyre<sup>f</sup>, et distribui solebat etiam illud in carcere iis, qui morti erant destinati. Omnia igitur perspicua sunt, si ista virgo e Montani disciplina fuisse putatur; si negatur, explicari nullo modo, ut mihi videtur, possunt<sup>g</sup>.

f. In Apologet. mai. c. 85 et 87. ed. Grabii p. 125. 131. 132.

g. Sunt quae ex hac Perpetuae fabula occurrunt non sine magna ratione adversus ea, quae dixi, disputanda et adhibita etiam multo cum ingenio a laudatissimo historiae Montanistarum scriptore, Theoph. Wernsdorffo §. XVII., quibus breviter placet et modeste respondere. Atque mihi non contemnenda omnino videntur, quae veterum nonnulli de adhibito a Montanistis in sacris epulis caseo tradunt, unde nomen Artotyritarum traxerunt. Nam etiamsi illud inepte de modo sacrae coenae apud eos dicatur longeque illud praeclearius etiam a viro docto ad agapas Montanistarum et oblationes referatur, nostra tamen causa nihil postulat magis, nisi ut usus casei his eorum agapis vindicetur. Quod fieri facile potest non modo propterea, quod nulla alia reddi ratio potest originis tam ridiculae culpae atque cognominis, sed quod etiam constat, Montani-

stas xerophagiarum studiosissimos fuisse, unde nec lauta fuisse eorum sacra convivia facile intelligitur. eoque cibo tenui, qualis caseus erat, Perpetuam quoque ceterosque martyres in carcere etiam, cum veluti agapas haberent, usos fuisse, non magis dubitabit qui, quam miserabilis sors eorum in vinculis fuerit, ex actis illis didicerit. Sed quod illam rem adhibuerimus ad efficiendum horum martyrum, imprimis Perpetuae, Montanismum, convelli videtur iis, quae vir doctiss. loco cit. attulit; primum Augustini ac Tertulliani auctoritate, quorum alter illam Perpetuae visionem laudavit, alter non commemoravit in lib. de Anima. Quorum neutrum, opinor, admirationem habet. Tertullianus enim dubitari potest, num hanc ipsam, de qua quaeritur, visionem significaverit, cum a Perpetua non nisi martyres in paradiso visos fuisse dicat; cuius rei quis forte mentionem in nostra visione desiderabit; neque is ad causam eam, quae

## §. XLVIII.

Sed ad alterum veniamus, quod est in eo positum: fueritne is, qui haec acta collegit, vel scriptor e Montanistarum secta, vel item ipse Tertullianus; quod utrumque Whistono placet: recte quidem si de illo quaeritur, si de ipso Tertulliano, longe secus. Illud igitur superius plane Whistono assentior propterea, quod et ille scriptor (in praefatione): *prophetias, ait, se et visiones novas agnoscere et honorare, — unde et se fatetur nova haec documenta martyrum et revelationum adiecisse, seque (c. 26.), quoniam permiserit et permittendo voluerit spiritus S. ordinem istius muneris* (h. e. pugnam martyrum cum bestiis in theatro), *conscribi*, haec composuisse iactitat; quod haud scio an non alium quam Montanicum scriptorem prodat, haec praecipue ob causam, quod Orthodoxi non solebant magni aestimare Montanistarum martyres, et ita multo minus, ut supplicia ipsorum atque constantiam, etiam cum visionibus, quas contemnebant profecto, in litteras referrent. At, quod est caput huius disputationis, Tertullianum eum ipsum scriptorem fuisse, non dabo Whistoni argumentis, quae sunt ab eo latius proposita hoc modo: Primum haec acta sunt ut praefatio docet, non ita multo post ipsum hoc factum composita, deinde, exarata latine, tum, ab homine Africano, cuius rei est non leve in horrido Afrorum dicendi genere hic adhibito documentum, itemque multa adsunt verba familiaria illa quidem Tertulliano (quod pluribus exemplis probant Holstenianae ad haec acta notae); postremo, scriptor fuit haud dubie e schola Montani, quam primus hoc fere, quo isti martyres intererant sunt, tempore Tertullianus in Africa propagavit; necesse est igitur Tertulliani etiam haec acta esse. Quae omnia

unice in asserenda solis martyribus ante ultimum iudicii diem perfecta felicitate versatur, apte congruenterque a Perpetua sumtum casum commemoraturus fuisset. Augustinum vero, qui in laudibus Perpetuae totus est, alioque modo traditam illi casei buccellam interpretatur, eum vero quis hanc rem tamen laudasse mirabitur? Sed alterum gravius est: Augustinus illam casei buccellam signum putat fuisse dulcedinis felicitatis Perpetuae, istamque interpretationem persuasit Viro Cl., qui omnem illam significationem mortis violentae quaerere videtur in scala illa spinis, gladiis, aliisque munita, per quam ascendendum Perpetuae erat; caseus vero cur adhibitus sit ad sempiternam felicitatem adumbrandam, rationem dicit in lege persequendae metaphorae, ductae ab imagine pastoris, fuisse. At ego, si nulla alia, nisi haec, fuisset sumtionis casei significatio, quaererem quid esset, quod Perpetuae caseus a pastore mulgente fuisset oblatas, non aliquid potius lactis, quod esset ad felicitatem caelestis Canaanis, melle quasi et lacte fluentis, adumbran-

dam multo accommodatius. Deinde dicit mihi quis, quare Perpetua hoc commemoret obiectum menti suae, quod ista casei buccellam acceperit iunctis manibus (ex more in coena sacra apud veteres Christianos recepto) et universi circumstantes: Amen! dixerint, cuius quod rationem dare possit quisquam dubito, nisi quis causae nostrae saveat. Denique si ista casei sumtio aliquid in regno caelesti Perpetuae eventurum significat a coenam forte adumbrat agni, descriptum in Apocalypsi Ioannis, ex qua fere omnes sunt istae visiones in actis laudatis desumptae, Montanicam si dixeris Perpetuam, multo faciliorem habet cogitationem, quamobrem ad hoc significandum casei buccella tradita illi fuerit, cum caseo, ut diximus, Montanistae in Agapis uterentur; at si illum caseum non aliquid caelestis dicit respicere, sed coniunctum quidem aliud cum morte violenta Perpetuae, explicari istud visum e coena libera potest, quam acta illa (sect. XVII.) referunt martyres pridie, quam supplicia sustinerent, tamquam agapen sumpsisse.

nihil, si quid video, docent, nisi Tertullianum esse posse eum, cui collecti hi commentarii debeantur, at eum istos etiam condidisse, illud Whistonus non est istis argumentis assecutus. Et sunt profecto in his, quae, cum ficta sint ad libidinem vel plus efficiant quam velit, nihil efficiant. Nam et illud commenticium est, uti diximus, Tertullianum primum Montanismi in Africa disseminati fuisse auctorem; et verba Tertulliani cum his actis communia, non sunt ex eius quidem proprio dicendi genere, sed ex Africano. Etenim si plura verba, quae sunt in Tertulliani consuetudine loquendi, ostenderent, ipsum Tertullianum tale scriptum composuisse, certe necesse esset, ut etiam ipsius Perpetuae Saturique commentarios diceremus non ab ipsis sed a Tertulliano fuisse compositos, multa enim sunt, ut Holstenianae observationes docent, vocabula in illis ipsis commentariis, quae in Tertulliani etiam scriptis reperias. Atque occurri etiam suspicionibus Whistonianis potest argumentis contrariis. Nam in libro de Anima (cap. 55.) Tertullianus quandam Perpetuae visionem in his actis narratam commemorat assertque ad comprobendam aliquam doctrinam, sed ne verbum est quidem ibi, quo se scriptorem horum actorum significaret, quod haud dubito quin, uti solet, facturus fuisset, si ipse scriptor huius historiae extitisset. Deinde nihil, ut mihi videtur, quemquam oportet scripta Tertulliani modumque dicendi cognovisse, qui dicere ausit, genus dicendi illud, quod est in fine horum commentariorum, simile esse eius, quod aliis in scriptis Tertulliani deprehenditur. Itaque eximenda sunt ista acta a libris Tertulliani, nec necesse est igitur de ipsa eorum aetate disputare.

#### §. XLIX.

Atque, dum nos finem scribendi facimus, non dubitamus fore, quibus omnis haec opera, disputandis his rebus impensa, levis maleque collocata videatur. Sunt enim, qui vel contemnendam putent omnem disputationem, quae versatur in rebus parum certis et exsanguibus quodammodo, vel eas res, quarum usus se non prima quasi fronte offert, sed perreconditus est, omni utilitate destitutas pronunciant. Quibus occurrere possemus magnorum virorum exemplis, quibus in hoc genere disputationum versari turpe non fuit visum et praeclaris Vener. Ernestii verbis, qui profecto si quis alius scit, quantum sit pretium cuius disciplinae statuendum, atque (in Prolus. de Usu Chalcographiae p. 5.) de singulis artibus ita iudicandum censet, *ut earum dignitatem et praestantiam non tam utilitatis magnitudine et necessitate quam inveniendi exercendique difficultate metiamur, neque quantum quaeque prosit, sed, quanti quaeque sit, ponderemus; nisi vero, quia magis et necessarium est et utile, panes pinsi, quam tabulas pingi, propterea pistorum opificium arti pictoriae praefere-  
re olem putemus.* Atque ego in enucleandis rebus subobscuris multo rectius industriam ponendam esse arbitror quam in pervagatis aliis, quamvis eae quidem magis videantur ad usum communem accommodatae, cum in his parum vel nihil sit, quod effugerit multorum diligentiam, in illis semper sit quod disputari amplius possit. In rebus vero iis, quae non certae sunt, sed probabiliter constituendae, longe

maior est ad impetrandam intelligendi scribendique facultatem usque quam in certis et quasi necessariis; propterea, quod illae multas habent veluti formas et cogitari ac disputari in utramque partem possunt quod magnam habere vim ad impetrandam ipsam intelligendi subtilitatem dudum est rectissimeque a veteribus traditum. Sed quid ego universa conquiram, cum et operam dederim, ut ipsi causae, quantum fieri poterat, aliena nec tamen a proposito nimis seiuncta interponerem, quibus aliquantum satietati similium rerum mederer et uti licet exemplis, quibus declaratur, ea quae dedimus, quanquam leviora forte tamen esse necessaria, si quis maioris momenti locos velit ex historia sacra excutere. In quibus ponendis non is ego sum, qui velim viri doctos reprehendere, sed pauca, quae non multum quaerenti occurrant offeram, ut usus tamen huius disputationis quodammodo intelligatur. Disputant, ut ab hoc ordiar, viri docti, quid causae fuerit ut se Montanistis Tertullianus adiungeret, in quibus multi audiendum Hieronymum putant, qui odio doctorum Ecclesiae Romanae ait incensum eum valedixisse communi Ecclesiae; quod, ut alia praeteream, vix est credibile propterea, quod magnis laudibus Romanam Ecclesiam in libere de Praescriptione, Montanistico illo, uti diximus, persequitur (c. 36: nec in eo adversus Praxean (cap. 1.), ubi vehementer eum, adulterantem illam Ecclesiam erroribus, insectatur, quidquam contumeliarum in ipsam hanc Ecclesiam eiusve episcopum proicit. In historia deinde Montanistarum quot evitari peccata, quot argumenta emendari potuissent, si, qui ante defectionem Tertulliani quique postea libri scripti fuerint, accuratius fuisset constitutum? Sunt, ut hoc utar, qui in flagitiis Montani ridiculum et muliebre oculos, capillos aliaque ornandi studium posuere, ducti rebus iis, quas Apollonius (apud Eusebium H. E. V. 18.) memoriae prodidit; cuius verba, si quid video, hanc res nullo modo confirmant, estque ab omnibus in eo peccatum, quod prophetam ibi commemoratum Montanum esse crediderint, cum Apollonii verba de vitii universe intelligenda sint, quae a valibus, quorum multos Montanistae iactabant, abesse deberent. Sed potest ista calumniam etiam retundi severioribus illis Tertulliani in libris de Virginibus Velandis Cultuque Feminarum dictis adversus nimium muliebris elegantiae studium. Porro Epiphanius (haer. XLIX. sect. 14.) Montanistas dicit inter orandum manum ori admovisse, unde Tascodrugorum nomen meruissent; quam culpam Wernsdorffius V. Cl. (l. c. §. 21.) confutare vult loco quodam Tertulliani e libro de Orat. c. 13., ubi non esse modestiae ait manus inter preces sublimius efferre; qui locus e libro a Tertulliano recte adhuc sentiente conscripto, nullam vim ad depellendam culpam habet; ut non dicam Epiphanium hoc non nisi de quibusdam Montanistis referre. Praeterea disputatio Tillemontii aliorumque de calamitatibus Christianorum sub Severo, quam confusae sunt eae, omnesque earum loci quam perturbate ac praepostero ordine positi, hanc unam ob causam, quod qui flagrante priore, imperante Severo, vexatione, cum eadem cum Orthodoxis sentiret Tertullianus, quique sub posteriore, cum ab iis se seiunxisset, scripti sint, libros non recte distinxerit. Denique nihil est disputatione nostra efficacius ad convellenda Whistoni somnia, quae in libro superius citato (the

true Origin of the Sabellian and Athanasian doctrines of the Trinity Lond. 1720. 8.) [proposuit, in quo Sabellianorum et, ut eos vocat, Athanasianorum de sanctissima Triade scita inventa per Simonem Magum ac per Montanistas resuscitata fingit, atque propterea Tertuliani ea in re sententiam triplicem fuisse conatur docere e triplici librorum genere, qui essent ab eo exarati, cum vel recte sensisset vel inclinasset ad Montani errores, vel imbutus iis omnino fuisset. Ubi in quovis librorum genere tales libros refert, qui plane alii librorum generi a nobis asserti fuere, quo ipso omnis Whistoniana disputatio ad nihilum redigitur. Sed est tandem aliquando desinendum, ne nimium in his rebus videamur, et committendus noster libellus doctorum hominum iudicio, quod tanto magis aequum rogamus nobis, quo magis vel ipsa rerum disputatarum natura, vel, quibus oppressi in iis proponendis fuimus, labores alii effecerunt, ut non potuerimus accuratiora tradere.

---

DISSERTATIO  
DE VARIA ET INCERTA INDOLE LIBRORUM  
**Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIA**  
AUCTORE IOH. SALOM. SEMLER.

---

§. I.

De Tertulliani quaedam historica.

Quintus Septimius Florens Tertullianus, ut solet integrum men<sup>a</sup> ferri, si fidem habemus libello de Virginibus Velandis, nos suum sic ipse adscripsit<sup>b</sup>: Septimius Tertullianus: sed cum sint in cunctis his libris satis multa hic ibi addita, licet codices scilicet non semper additionum talium suggerant indicium, per omissionem eorum, quae in aliis codicibus leguntur, parum commoda et tutata esse videtur auctoritas. Solent autem mediocria et parum luculenta esse, quae horum librorum auctor de se et de suis rebus commemorat. Non desunt sententiae, quibus pars anteactae vitae describitur cum Christianus nondum esset: sed historiae utilis et clarae nihil inest. Eius generis sunt ista<sup>c</sup>. „Hoc hominum genus, *quod et retro fuimus*, caeci sine domini luce.“ „Nam et nos risimus haec: *quando* (de iudicio extremo etc.); de vestris *fuimus*; fiunt, nascuntur Christiani<sup>d</sup>.“ Talia plura facile occurrunt legentibus; nihil historici luminis secum ferunt; itaque nec illa commemorandum opus est, quibus abiectissime de se et peccatis olim suis, adule etiam loquitur<sup>e</sup>, aut cum impatientiam et constantis virtutis defectum

a Sic praeter libros MSS. iam Angelus Politianus designavit lib. IV. Epist. 5. De nominibus his plura Pamelius in Tertulliani vita collegit.

b. De Virg. Veland. cap. 17. seu ultimo: „Haec cum bona praeponentibus utilitatem consuetudini praeponentibus pax et gratia a domino nostro Iesu redundet, cum<sup>e</sup> Septimio Tertulliano, cuius hoc opus-

culum est.“ Similis est clausula de Baptismo: „Tantum oro, ut, cum titis, etiam Tertulliani peccatoris muneritis.“ Similis est clausula libri de hortatione Castitatis: „Memento in orationibus tuis Tertulliani exhortatus.“

c. Tertull. Apologet. c. 19.

d. Ibid.

e. De Poenitent. aliquoties.



quartus trib. pot. Getae medio a. CCXI. merito debet adsignari; a quo si regrediamur numerando, efficitur sane, Getam post confectam dimidiam partem a. CCVIII. suscepisse dignitatem Augusti; unde apparet et hoc, librum Tertulliani de Pallio medio eius anni esse recentiore.

### §. XXXI.

Sed cum accuratior anni eius, quo scriptus hic liber est, ratio postuletur, qui ista subtilius disserunt, abeunt, quantum video, in eam sententiam, ut in annum CCXI. eum coniiciendum arbitrentur. Nihil enim ceteros moramur, qui versus finem imperii Severi hoc opus exaratum magis universe pronunciant. Sed qui magis eam rem ad subtilitatem chronologicam exegerunt. Sam. Basnagius<sup>p</sup> et qui istum sequitur, Ven. Gottingensium Walchius<sup>q</sup>, hi, inquam, eo quo diximus anno scriptum hunc librum esse decernunt; sunt enim quaedam eius libri similitudines cum rebus quarum hic Tertullianus mentionem iiecit. Verum ista re diligenter examinata, mihi animus magis inclinavit in eam sententiam, quod iste libellus sit fere ad finem a. CCVIII. compositus. Quam ob rem, pace Venerandi Viri, quem spero facile veniam daturum esse homini ingenuo verumque sine ulla contentione invenire volenti, ea explicabo brevissime, quae me movent, ut de veritate eius sententiae subdubitem, quaeque ad eam, quam obiri vellem, commendandam facere aliquo modo videntur. Videlicet ista secus sententiarum opinio universa efficitur similitudine eorum, quae Tertullianus habet, cum iis, quae scimus isto anno CCXI. contigisse. Sed istud quidem argumentum tametsi non videatur repudiandum per se, non tamen multum, opinor, firmitatis habet, si eadem similitudo ea, quae a Tertulliano dicta sunt, intercedit cum iis, quae extiterunt a. CCVIII. et amittit vim probandi omnem, si possit ostendi a. CCXI. plane diversa accidisse ab iis, quae is in libro nostro memoriae prodidit. Quod utrumque hic ita se prorsus habet. Nam, ut de hoc dicam primo loco, cum nostrum libellum litteris mandaret Tertullianus, Africa iam vacabat a terrae motibus (c. 2. p. 133. A.): *pacis erant et avaritiae otia, ab imperio et a coelo bene erat* (c. 1.). Sed eo tempore, quo ad Scapulam perscripsit ea, quibus animum eius revocaret a crudelitate adversus Christianos, quod fere factum est a. CCXI., ut postea docebimus, iam ante annum imbris, igne, tonitribus, defectu solis aliisque perterriti erant Africani. Quae omnia cum Tertullianus defendat poenarum instar fuisse deorum cultoribus propterea, quod in miseriarum in Christianos incendia excitaverant, necesse est esse istam horum vexationem iam usque ab integro anno ductam fuisse. Age igitur fac a. CCXI. scriptum esse de Pallio libellum, nonne Tertullianus pugnantly loquitur, qui eidem tempori et summum prosperitatem et calamitates gravissimas tribuit? Atque hic ego non inficias dici forsitan posse, quod his calamitatibus aliquantisper remissis quies quasi ac tranquilla interiecta intervalla fuerint. Sed cum veteris li-

p. In Annalibus Politico-Ecclesiasticis. Tom. II. p. 217.

q. In Antiquitatibus Pallii Philosophi Veterum Christianorum p. 227 sq.

quodam, qui se dicebat hoc didicisse ex notario quodam Cypriani, quod Cyprianus quotidie in Tertulliano legerit, solitus sic a notario poscere: *Da magistrum* scil. Tertullianum. Illa autem obscuritas historiae magis miranda est, quod Tertullianus, ut scribit Hieronymus, usque ad mediam aetatem presbyter ecclesiae (Africanae? an vero Romanae? Romanae putamus, ut statim pluribus illustrabimus) permansit, postea vero *invidia et contumeliis clericorum Romanae ecclesiae* (scilicet impetitus atque ista ecclesia expulsus) ad Montani dogma delapsus est etc. Haec narratio Hieronymi videri omnino potest historiam ipsi non ignotam involvere, etsi verbosius atque accuratius eam describere noluit. Nisi quidem putemus, talia Hieronymum ipsum coniecturis reperisse ex variis horum scriptorum locis, ut e libro contra Praxeam ab initio; e quibus sententiis videri possit, quod Tertullianus Romae et ipse tum fuerit, cum Praxeas Romam ex Asia veniens de Montanistis talia episcopo Romano narravit, ut hic statuerit, esse e re Romanae societatis ecclesiasticae, si nihil commercii porro cum Montanistis continuetur. Scribit certe Tertullianus<sup>k</sup>: *Episcopum Romanum agnoscentem iam prophetias Montani, Priscae, Maximillae, et ex a agnitione pacem<sup>l</sup> ecclesiis Asiae et Phrygiae inferentem, falsa de ipsi prophetis et ecclesiis eorum asseverando et praecessorum eius auctoritates defendendo coegit et litteras pacis revocare iam emissas et proposito recipiendorum charismatum concessare. Ita duo negotia diaboli Praxeas Romae procuravit, prophetiam expulit* (i. e. Montani fautores, qui ibi apud episcopum illas ecclesias Asiae commendatas ibant; quos inter haud dubie hic Tertullianus ipse fuit) *et haeresim intulit* (iam Tertullianus putat Romanam ecclesiam ipsam in haeresim incidisse, itaque ab illa ipse secessit), *Paracletum fugavit et patrem crucifixit*. Addit luculenter paula post: *et nos quidem postea agnitione Paracleti atque defensio disiunxit a Psychicis*. Hic, ut opinamur, non obscure indicat Tertullianus, quod antea cum istis Romanis in conjunctione ecclesiastica vixerit, quos hic nominat Psychicos. Ex isto igitur loco potuit Hieronymus ad historiae instar reperire *invidia et contumeliis clericorum Romanae ecclesiae* factum esse, ut Tertullianus ad Montanistas ipse transierit; nec enim ulla species historiae accuratioris apud alios scriptores superest, quae persuadeat nobis Hieronymum talia aliunde accepisse. Illud *expellere, fugare*, significat non obscure *contumelia* affectum fuisse *ecclesiastica*, seu loco atque ordine sacro, presbyteri scilicet, hunc scriptorem motum atque deiectum a Romanis clericis, sic mitius loquitur Hieronymus; ab ipso enim episcopo Romano id factum esse, clericorum studiis improbis, facile intelligimus<sup>m</sup>. Forte hanc causam postea licet diligentius excutere.

i. Nicephor. lib. IV, 34. similiter describit; sunt ex Hieronymo desumpta, ut multa alia: *φθόνῳ καὶ προπηλαξισμοῖς* Sophronius.

k. Contra Prax. c. 1.

l. Nempae pacis litteras ab illis episcopis Romanis, qui praecesserant, nondum habuerant. Sic statim sequitur: *Praxeas*

*defendit auctoritates praecessorum huius Romani episcopi*; i. e. serio id agit, ne recedendum esse ab illorum episcoporum Romanorum sententia, qui Montanistas a communionem ecclesiae non admiserant.

m. Cum Hieronymus istum catalogum scripserit serius, istam in Romanos clericos sententiam sine verae historiae luce ipsi scripsisse videtur, ut se ulcisceretur ab

Hieronymum per ecclesiae presbyterum intelligere Romanae ecclesiae presbyterum, vel ex Eusebii illa narratione lib. II. cap. 2. satis certum est. Ita enim ille de Tertulliano scribit, fuisse eum τῶν μάλιστα ἐπὶ Ρώμης λαμπρῶν. Sed et clarissime ipse Tertullianus scribit Romae se vixisse: *Gemmarum quoque nobilitatem vidimus Romae, de fastidio Parthorum et Medorum ceterorumque gentilium suorum coram matronis erubescens.* Labet addere hoc loco alias sententias, quae id comprobant, Tertullianum in ecclesia Romana vixisse clericum. Huc maxime pertinet ille locus: *Ubi tunc Marcion, Ponticus nauclerus, Stoicae studiosus? Ubi tunc Valentinus, Platonicae sectator? Nam constat illos Antonini principatu et in catholicam primo doctrinam credidisse apud ecclesiam Romanensem, donec sub episcopatu Eleutheri benedicti ob inquietam semper eorum curiositatem, qua fratres quoque vitiabant, semel et iterum eieci, Marcion quidem cum ducentis sestertiis suis, quae ecclesiae intulerat, novissime in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminaverunt. Postmodum Marcion poenitentiam confessus cum conditioni datae sibi occurrit ita pacem recepturus, si ceteros quoque, quos perditioni erudisset, ecclesiae (scil. Romanae) restitueret: morte praeventus est.* Hic satis patet eum qui haec tam accurate sciret fuisse Romae ipsum, fuisse inter clericos, qui rebus istis sic gestis interfuerant. Nempe si adhuc Romae fuisset, cum hunc librum scripsit, illam sententiam, apud ecclesiam Romanensem non sic perscripsisset, quasi ipse non sit apud istam ecclesiam; fuit igitur iam Roma expulsus et vixit in Africa. Id clarius patet ex cap. 36. huius eiusdem libri: *percurre ecclesias apostolicas — proxima est Achaia? Habes Corinthum — si autem Italiae adiuces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est.* (Nempe Africanos describit, latina lingua utentes.) Ista ecclesia Romana videamus, quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque ecclesiis contesserarit. Hic est longe clarissimum, scriptorem iam in Africa versari, cum haec scribit; eum igitur antea oportet Romae fuisse, in ista ecclesia Romanensi, inter clericos; neque enim scire istas ecclesiasticas interiores res atque historias potuerant alii quam clerici. Huius generis sunt et plurima alia, τοπικά, historica et politica, quae hominem Romae multum versatum inter alios clericos facile produunt.

### §. III.

De graecis scriptionibus, quas suas allegat.

Simillimus illi loco, quem ex initio libri adversus Praxean describebamus, est ille alter ex libro de Corona Militis: narrat varias sententias proditas fuisse de isto milite, qui coronam manibus gestavit et

eis, quorum maligna iudicia post Damasi mortem ipse expertus fuerat.

n. De Cultu Feminae. lib. I. c. 6. Huius loci iam usus est Ceillier in Histoire Générale des Auteurs Ecclesiastiques tom. II. p. 376. contra Praedestinatum, qui Ter-

tullianum adversus Montanistas scripsisse dicit, presbyterum Carthaginiensem.

o. De Praescript. c. 30.

p. Locum iam illustravimus in appendice ad Wetstenii Prolegomena observ. I. p. 585. edit. Hal.

Christianos inimicitiae pariantur\*, et quod cum Caracalli temporibus haec, quae tradita sunt in nostro libello, optime consentiant. Tametsi enim non sit certissime exploratum, quo anno haec Christianorum defensio elaborata sit, tamen ratione quadam probabili, ut est in tali re, primo imperii Antoniniani anno vindicari ea posse videtur. Namque illum solis defectum, quem Tertullianus ait anno superiori extitisse (c. 3. p. 86. D.), Antoninus Lalo vera asseruit a. CCX.<sup>b</sup>; cui quamvis Tillemontius resistat eo, quod Tertullianus *solem dixerit non potuisse hoc ex ordinario deliquo pati, cum fuerit in suo hypsomate positus*, tamen hunc Septimii argumentandi modum, qui omnia novit saepius inepta satis in rem suam convertere, iamdudum derisit harum rerum peritissimus Scaliger\*. Deinde cum nullam unquam legem Caracallus tulerit adversus Christianos, oportet profecto has calamitates iis a Scapula inflictas reliquias Severianae crudelitatis fuisse, quae tum penitus extinctae videntur, cum Caracallus, imperium sibi confirmaturus, in exilium missos revocasset<sup>d</sup>. Quod cum fecerit paulo post quam Getam fratrem sub initium a. CCXII. substulerat, non inepte id quidem dicimus, Scapulam a. CCXI. adversus Christianos egisse.

### SECTIO III.

DE LIBRIS TERTULLIANI QUORUM VEL AETAS VEL DOCTRINA VEL UTRAQUE LATET.

#### §. XXXIII.

Tertia haec disputatio finem faciet exercitationum, quas instituimus Septimianarum; in quibus cum hactenus pertractati sint isti libri, quorum et aetas et doctrina poterat certa quadam via et ratione demonstrari, nunc oportet subiici ceteros, qui aetatem suam non satis definite produnt, sed doctrina tamen non est admodum obscura, nisi in quibusdam paucis, qui ancipitem habere formam videntur. Itaque primum illos excitabimus aetate maiores, qui Tertullianum ostendunt nondum plane Montanistarum partibus addictum; deinde eos, quibus notae Montansimi non sunt leviter impressae; postremo hos, qui lectorem dimittunt dubitantem, fueritne Tertullianus tum, cum illos perscriberet, a communi ecclesia seiunctus necne. Cui triplici librorum Septimianorum generi cum dicamus aetatem asseri non satis certe posse, non volumus id quidem, prorsus ignorari aetatem cuius tribuendam (erit enim etiam quod probabiliter de hac disputari possit), sed accurate ipsum annum scriptorum librorum definire posse, id quidem audemus negare propterea, quod nullae in iis sunt significationes certae, quae vindicari certo quodam ac definito anno possint. Sed ad propositum veniamus.

a. Hoc satis adversus Scaligerum alioque defendit Sam. Basnagius loco cit. p. 218. not. 11.

b. In epist. ad Io. Bessonium quam edidit Petr. Possinus in notis ad Acta Perpetuae et Felicitatis in Ruinarti Actis Pri-

morum Martyrum Sinceris. ed. Amstelodam p. 119.

c. In Animadvers. ad Eusebii chronicon p. 10.

d. V. Dionem Cassium lib. LXXVII. c. 3.

domestica? ut nihil praecipue attendatur ad illud *passus*; sicut graece solet *πάσχειν* non raro usurpari. *Ἰδιὸν ἤδη πρᾶγμα πεπονθῶς τῆς ἐμῆς γνώμης*, aut *δόξης*, possit graece facillime reddi.

## §. IV.

Hic scriptor non in manibus habuit graecos libros sacros.  
Locus Ioh. I, 13. excussus.

Sed si hic scriptor se profiteatur graece lubentius et frequentius scribere quam latine, oritur non exiguus alius scrupulus, qui fiat, ut hic homo nunquam tamen graecum textum librorum sacrorum manibus suis versaverit? De eo enim satis certi iam sumus, etsi solent viri docti aliter statuere, hunc scriptorem oculis suis manibusque nunquam usurpasse graecum ullum codicem evangeliorum aut epistolarum; adeo nunquam latinam istam, qua utitur, translationem comparat cum graeco quodam codice, si vel maxime differentem et variam scripturam adesse in codicibus variis ipse fateatur. Res profecto mira est atque nostra omni attentione digna, quae si tandem feliciter potest illustrari, multum omnino lucis diffundet ad plura alia momenta, quae solet ista nostra vulgata historia ecclesiastica parum fideliter et certo informare. Exposuimus de hac re primum in appendice ad Westeni Prolegomena, quae hic Halae edidimus, observatione I. p. 587 sqq. Et quod ad istum locum Iohannis I. 13. attinet, in notis ad paraphrasin eius evangelii latinam; sed res, quam hic agimus, atque instituti nostri ratio maxime iam secum fert, ut paulo studiosius atque accuratius haec explicemus.

Diximus eruditos viros aliter sentire; nempe sic Pamelius scribit: *In Novo Testamento non tam latinis translatis quam graecis veteribus codicibus usum auctorem, ex eius peculiari versione ab aliis omnibus multum subinde diversa manifestum fit.* Sed sunt haec omnino falsa atque non parum errant qui sic statuunt, licet sint numero plerique. Dabimus certe hanc hic operam, ut luculentius intelligatur per illustrationem diligentiore tot locorum ex libris Novi Testamenti, quae Tertullianus sic omnino tractat, ut sit certissimum, eum nec adhibuisse graecos codices nec adhibere voluisse. Adeo plane confidit latinis suis libris, quasi graecis nulla sit fides atque auctoritas, quam revereri ipsum ius fas sit. Huic rei praecipue inserviunt illa capitula Ioh. I. 13.: *natus est*, Galat. II. 1.: *cessimus ad horam*, sine negatione, Hebr. VI. 5.: *occidente iam aeo*; praeterea etiam aliis quibusdam locis credimus lucem novam posse affundi et rebus historicis, quas minus recte solebamus nobis fingere. Illud certe patebit, hunc scriptorem sic omnino agere, ut adversus graecorum codicum lectionem suam istam latinam defendat, si qua fuit inter utrosque varietas; quasi satis sit certum, paria, aequalia esse iura latinorum librorum et graecorum, immo quasi graeci libri isto iam tempore fuerint dedita opera corrupti atque adulterati. Adeo porro illa honorifica sententia valuit etiam ad posteros, ut similiter latini plures antiquiores scriptores porro sequantur tenaciter istam lectionem, quam praeivit Tertul-

<sup>s</sup> In Vita Tertulliani ad annum CXCVII.

lianus; ut fidem quasi, negent graecis codicibus auctoritatem honorem latinae ecclesiae laedi atque minui putent, si graecorum lectionem illam admitterent, quae differat ab illis latinis lectionibus atque sententiis. Hoc si diligentius illustretur, plures difficultates poterunt explicari, quae adhuc criticorum diligentiam non mediocriter exercuerunt; sic quidem, ut de dam lectionibus sententia satis commode ferri posse vix vider

Igitur ille locus Ioh. I., 13. a Tertulliano sic tractatus omnibus studiis viribusque quibus potest defendat et sanciat, lectionem esse: *sed ex Deo natus est*; falsam vero atque a nianis adulteratam esse illam scripturam: *sed ex Deo na* Negat Christianos, in Christi nomine credentes, sic describi pitulo; non esse arcanum illud semen electorum et spiritualium adeo illis obiicere hoc facinus, quod adulteraverint hunc loc lentiniani; scriptum enim fuisse singulariter, ut de domino (*Christus ex Deo natus est*. Non opus est, ut omnem istam describamus; nec enim ignota res est: quam nos etiam in paraphrasin latinam non negligenter illustravimus. Rem omnem viter explicamus eiusque causis reperiendis hanc damus: Tertullianus igitur affirmat ante istam Valentinianorum fraud imposturam in evangelio Iohannis cap. I., 13. scriptum le semper fuisse: *ex Deo natus est*; igitur ex adulteratione et im horum haereticorum iam legi in plurali: *nati sunt*. Haec est historica atque omnino nititur historicis documentis, tam tullianus codicem scriptum graecum nullum excitat, nec certo dicit in latinis libris, qui hic aut illic extant, legi illam et authenticam scripturam: *natus est*; nec allegat scriptores et sticos, qui hanc lectionem in singulari excitaverint. Sed omnem, quam agere instituit Tertullianus, defendit atque argumentis et rationibus internis; Iohannem omnino de Christ scribere, non vero de Christianis quibuscunque, qui *per fidem ex Deo nati esse*. Sic enim ipse scribit: *de Domino scriptum ex Deo natus est. Merito, qui verbum Dei et cum verbo Deus et in spiritu Dei virtus, et quicquid Dei est Christus.* — *telligimus ergo ex concubitu nativitate Domini negatam etc.* nec latinorum codicum auctoritatem affert Tertullianus nec gra sed argumentis logicis atque internis utitur. Et sane hoc ipis mirabile atque inusitatum, quasi Valentiniani illi fuerint possessores codicum evangelii, ut eos corrumpere potuerint, ptosque sic in aliorum manus dederint, ut tandem hos alios tentiarum perscripta indole sententiam illam corruptam in pristinae reddere oportuerit. Horum etiam auctoritatem, qua rectionem emendationemque illius imposturae et fraudis op putat hic scriptor satis grandem esse atque probabilem, licet sive graecorum sive latinorum testimonio nullo suam in rem sint. Sed huc iam accedit illud alterum, quod profecto non

1. De Carne Christi c. 18. 19.

u. Mira est illa mutatio, *verbum Dei*, cum Iohannes numquam sic scripserit:

Θεός ἦν ὁ λόγος scribit, non ἦν ὁ λόγος.



secus est. Nam tametsi in utroque libro velit, ut virgines obtegantur velo, non ipse tamen iste consensus librorum ex eadem disciplina prodiisse utrumque demonstrat, sed, si quis utriusque loca accurate contulerit, magnus erit a se Tertulliani dissensus, qui nostram multo magis quam Hoffmanni sententiam confirmat. In libro de Virg. Velandis vehementer et ex ipsa inprimis lege Paracleti Montanistarum hanc consuetudinem defendit, sed in nostro de Oratione libello (c. 22. p. 43.) non tenendam iubet hanc consuetudinem, *legemque adeo virginibus quoque iniicientem velamentum, ait, excusari posse; atque in principiis illius disputationis (c. 21.), quasi incertum retractandum esse illud quod promiscue observetur per Ecclesias velarine debeant virgines an non.* Leve igitur est istud viri docti argumentum, potuissetque ille rectius ad testimonium sententiae suae citare cap. 6., ubi, dum rogationem quartam orationis dominicae non proprie sed tropice de sacra coena esse intelligendam dixerat, *sed et quia, adiicit, carnaliter admittitur ista vox, non sine religione potest fieri et spiritalis disciplinae,* ubi *spiritalis disciplina* aliquam dat Montanistici scriptoris suspicionem, qui spiritalis se, ceteros psychicos appellabant. Sed potuit Tertullianus sub spiritalibus etiam quosvis probos homines et Christianos intelligere, quod mihi magis placet propterea, quod hoc non ita multo post interpretatur per *fideles*, eosque non Orthodoxis vel Psychicis opponit, sed *nationibus* h. e. non credentibus in Iesum; neque usquam reperi Tertullianum vel in ipsis Montanisticis libris Orthodoxis nomen fidelium negasse. Iam cum hunc librum ex his esse satis constet, qui castigatiorem doctrinam continent, quemcumque illi locum in huiusmodi Septimianis scriptis dederis, idem est. Nobis, quibus ex eo nulla se vel levis suspicio errorum Montanistarum obtulit, optimum videtur eum in primis huius generis collocare.

#### §. XXXV.

At dicere, quaenam doctrina asserenda sit libro de Baptismo, maiori est cum difficultate coniunctum. Equidem non ignoro, omnes sic sentire, quasi sit huius libri *ὀρθοδοξία* extra omnem dubitationem posita, leviter, ut in ceteris, repugnante Hoffmanno; sed in ea re miranda venit multorum doctorum hominum levitas, qui libros alios, quorum argumentum certam habet puritatis significationem, Tertulliano Montanistae tribuerint, et hoc tuto exemerint e numero horum librorum, cuius tamen loci, si vel praecipuas Montanistarum in eo vel Orthodoxorum sententias requisiveris, tam sunt obscuri, ut inquisitis omnibus vix quo se vertat animus videat. Sed ut, quantum fieri possit, dicamus tamen, quaenam in libro nostro doctrina vel ad hoc vel ad illas magis inclinata regnet, primum placet examinare locos, qui huic libro suspicionem Montanismi conficiunt, deinde eos, qui sunt in contrariam partem, rarius licet, propositi. Atque, ut mittamus ea, quae subdubitans obiecit Baronius, satis ille ab Allixio confutatus (in Vita Tertull. p. 29. sqq.), Hoffmannus in illam superiorem partem haec excitat argumenta. Primum quod in libro de Baptismo Tertullianus dictis utatur similibus eorum, quae in eo de Pudicitia

defenderat, ita ut exagitet eos, qui sibi sumebant potestatem dandi veniam delictorum, quae uni tamen Deo competeret. Cuius rei, ni fallor, significationem in illis verbis reperit: *neque peccatum dimittit, neque spiritum indulget nisi Deus solus*; quae quomodo nonnisi a scriptore disciplinae Montani dedito pronuntiari potuerint, non perspicio. Nam neque illud sodales orthodoxae Ecclesiae negabant, neque de ea re erat eos inter et Montanistas disputatio; sed illi Orthodoxi, quamvis nonnisi Deo potestatem remittendorum peccatorum assignarent, negandam tamen pacem iis, qui propter peccata fuerant e societate sacra eieci, non putabant, siquidem illi se vitam emendaturos pollicerentur. Postea hunc librum vir doctus ait ad calamitatum Christianis a deorum cultoribus immissarum plena tempora pertinere; quae est levis profecto coniectura. Nam c. 16. libri nostri, quem locum ille antestatur: *est nobis etiam secundum lavacrum, sanguinis scilicet*, nullo modo tum praesens periculum ostendit. Quod si commemoratum etiam a Tertulliano fuisset, non propterea hic liber ad scripta Montani erroribus referta abiici posset, sunt enim multa Tertulliani scripta (ut Diss. I. docebamus), aequalia his calamitatibus, ante Tertulliani defectionem composita. Sed neque ipse ille dicendi modus, quo Tertullianus cruciatus aliquem veluti baptismum appellat, statim Montanistam prodit, nisi velimus dicere Origenem quoque et alios, quorum loca habet Dodwellus<sup>i</sup> qui nunquam accusati Montanismi fuere, propter eam rem societati Montanistarum addictos haberi debere<sup>k</sup>. Denique quod non obscure Tertullianum eodem in loco

i. Dissert. Cyprian. XIII. quae est de secundo martyrii baptismo, in primis §. 2.

k. At dicere qui posset, illos, qui post Tertullianum vixerint, Christianos scriptores, cum summa existimatio eorum orta esset, qui vel morte vel cruciatibus susceptis Christum confessi publice erant, ut alia plura, hanc quoque dicendi consuetudinem a Montanistis sumpsisse, neque ergo horum loca esse idonea ad liberandum hunc sermonem a Montanismi suspitione, praesertim cum is primus in Tertulliano aliorumque Montanistarum scriptis, veluti in Actis Perpetuae et Felicit. (§. 22.), appareat. Quam forte suspitionem peliam alia suspitione, si ostendero, ipsum Marcionem eandem dicendi consuetudinem habuisse. Nempe Epiphanius haeres. XLII. §. 3. edit. Colon p. 304. tres ait baptismos defensos a Marcione fuisse (*οὐ μόνον παρ' αὐτοῦ ἐν λουτρῶν διδοται, ἀλλὰ καὶ ἕως τριῶν λουτρῶν*). In quo narrando etsi damus vera esse falsis ab Epiphanio permista, tamquam cum dicat Marcionem triplicem baptismum excogitasse, ut se a flagitio cum virgine commisso purgaret (quod est, ut multi ostenderunt, mera calumnia), etiam cum dicat dedisse Marcionem triplicem baptismum, quod cum argumento ad hunc

baptismum triplicem confirmandum, ut postea patebit, nullo modo consentit, neque tamen hoc Epiphanius testimonium universe contemnendum arbitror. Erit igitur operae pretium, ut quisnam is fuerit triplex Marcionis baptismus breviter ostendam. 1) Multa sunt in disciplina Marcionis similia disciplinae Manichaeae, quem Manetem constat suos in Auditores et Electos distinxisse; quare haud scio an Marcionitis non possit eadem distributio assignari, cum Tertullianus adversus Marcionem lib. V. c. 7. p. m. 588 C. videatur indicare, nonnisi sanctioribus ex suis Marcionem nuptiarum licentiam negasse, his verbis: *Marcion totum concubitum auferet fidelibus; viderint enim catechumeni eius*; in quibus potuit catechumenos appellare minus perfectos modo eo, quo Epiphanius aliique hoc nomen etiam adhibent de auditoribus Manichaeorum; neque credibile est, Marcionem in universum omnes nuptias sustulisse apud suos, cum, quemadmodum constat, nuptiarum auctorem non deum malum sed medium illum putari, quem instum nuncupabat. Ex quo 2) non inepte potest cum Bellosobrio conici (Histoire du Manichéisme Tom. II. p. 122.), unum Marcionis baptismum in omnes collatum, altero initiatos fuisse interioris ad-

solebant, eo vehementius vellicaret. Spernit igitur codices graecos quasi corruptos, atque sic posset ratio quaedam reddi, cur nunquam lectionem aliquam auctoritate graecorum codicum confirmatum eat; contempsit ultro et dedita opera graecos codices, quos sciebat esse in manibus Catholicorum, quos iam adversarios suos expertus fuerat. Hac sola ratione potest illud explicari, cur non solum hic scriptor tueatur et defendat lectionem, aliamque dicat esse corruptam, sed etiam quid fiat, ut tot alii latini scriptores, licet sciverint postea diversitatem et varietatem esse in graecis codicibus, tamen porro semper, quasi nihil quicquam ad eos pertineat, latinam pristinam recensionem mordicus retinuerint. Forte iam hoc seculo II. divisa Romae fuit ecclesia illorum, qui graece loquebantur et graecis codicibus utebantur, ab ecclesia horum, qui latina lingua et latina translatione utebantur. Hi Latini, quia non ignorabant translationem auctoritate esse secundam et minorem, hac porro ratione singularem praestantiam latinis suis codicibus conciliatum iverunt, quod novas glossas hic ibi inseruerunt, quibus graeci libri illi carebant; hac ratione praestantiae praecipuae aliquod instar accessit ad hos libros latinos, atque haec tam vetus accusatio, corruptos esse libros graecos per haereticos, eo facilius in memoria latinorum scriptorum haesit, quia invidia quasi quadam in graecos laborabant, qui archetypos quidem libros sacros haberent, graecos ipsos, sed minus fideles atque integros, corruptos potius atque minus copiosos et frugiferos, quam Latinorum libri essent. Sed de illa causa porro pluribus agendum est.

#### §. V.

Pluribus enim locis nobis opus est, ut tandem ex istis tenebris aliquid lucis perspicere contingat. Igitur Galat. II. iam designavimus; istum locum similiter paulo diligentius excutere videtur operae pretium, quia porro confirmabitur, quod diximus, hunc scriptorem tantum latino textu usum, atque vel in quaestione de variis lectionibus atque de praeferenda scriptioe quadam ad codicum graecorum nun-

*illarum. Porro si sunt, non aliae erunt quam quae retractantur. Nemo tam otiosus fertur stilo, ut materias habens fingat. Totus hic locus videtur aliquid monstri prodere. Si omnia Romae alibique vivebant homines haeretici, eos igitur non solus Tertullianus noverat; Christiani alii similiter hanc haeticam causam sciebant. Itaque non intelligimus, qua ratione amoliatu hic scriptor eam suspicionem, qua dici ipse possit sibi sinxisse materias. Porro ipsa illa defensio est satis mediocris et imbecillis. Iustini illius scriptoris causam ipsam scimus esse satis dubiam atque ancipitem; eius nomine conficti sunt tales libelli, eo consilio, ut auctoritate eius porro liceat uti. Miltiades vero? ecquid tandem illud est, ecclesiarum sophista? quid tandem est? Putamusne*

*Tertullianum legisse aliquid huius Miltiadis? Miltiadis aliquas scriptiones Eusebii ex Rhodone nominat, contra Montanum, Priscillam et Maximillam, contra gentes et Iudaeos, sed contra Gnosticos aut Haereticos nihil. Cur ergo hic excutatur, quasi scripserit adversus Valentinianos? Irenaei causa similiter monstro non caret, ut paulo post videbimus; adeo Tertullianus exscripsit latine quod in Irenaeo legitur graece, ipso tamen non nominato. Proculus autem ille, si forte est Proclus, pertinet ad Montanistas. Hieronymus nihil eius rei dixit, quod eloquentiae christianae dignitatem in eo spectare iubeat. Igitur non est nulla suspicio confinxisse Tertullianum scribendi argumentum, ut faciunt declamatores.*

accidisset. Denique dicas velim, si non introuissent falsi illi ad speculandam libertatem eorum, cessissent subiectioni? Non Ergo cesserunt, quia fuerunt, propter quos cederetur; hoc est fidei et adhuc de legis observatione suspensae competebat — que frustrandi erant falsi fratres, speculantes libertatem christiane ante eam in seruitutem abducerent Iudaismi, quam Paulus se non in vacuum cucurrisset — — Necessario igitur cessit Paulus etc. Haec omnis disputatio scriptoris, quae est tam sollicita, poterat, quod nemo negabit, longe facilius, longe longe fortius institui, si hic scriptor provocasset ad graecorum auctoritatem. Cur igitur hac in causa, quae est histodolis, hic scriptor vitiationem illam, corruptionem scripturae audet tribuere adversariis, non appellat fidem codicum graecorum? Utrum vitiat Marcion codices graecos omnes? Illic scriptor authenticas litteras apostolorum ipse ablegabat Corinthum, etc., cur non et hic ad Galatas provocat, penes quos erat authentica Pauli epistola? Quot autem exemplaria epistolae huius in Italia et Romae iam fuisse putamus? Tamen ad graecos non provocat? Idem vero scriptor quidni ad latinae translatae exemplaria lectores ablegat? quidni profert et affert latinae exemplaria, quae essent Romae aut alibi omnium in manibus? Fuit an vero scivit et satis certo scivit, ad suae partis homines iam auctoritatem ab ipso porro pendere, omnes secuturos hanc admonitionem, graecorum librorum vel multorum auctoritatem fore apud latinos homines? Haec vero tam sunt rei et convenientia, ut vix dubitem fore qui statuunt de hac re aliter inepte sedula et parum venusta erat omnis illa diligentia, quae mentis internis utitur ad scripturae veteris modum et ordinem rigendum, quae collectiunculas tantum adfert sine historicis testimoniis. Rem ipsam teneo; fuit a Paulo scriptum: *cessit horam*, seu: *ad tempus*, ut postea transfertur hic scriptor; sed



niliter mirum accidit illud, Irenaeum, uti quidem nobis superest, ere similiter: *ad horam cessimus subiectiōni, uti veritas evangelii rseveret apud nos*. Certum igitur est fuisse sacram societatem tinorum, qui hic nullam negationem insertam legere solebant. Atque ile apparet Marcionem graecis codicibus usum, quia vetusti Latini entur esse antiquum dissensum inter lectionem codicum graecorum codicum latinorum; non solum hoc fatentur, sed et praeterea di- nt et aperte prae se ferunt corruptionem, interpolationem studio- m in graecorum libris locum habuisse, quia ex consilio domestico luerint pro eo, quod sentire et intelligere solebant, auctoritatem quam scripturae afferre; itaque graecos sic scripsisse, uti intellexerint. ec causa est omnino magni momenti, nec dubitamus, si accuratius cutiatur, post multas tenebras, in quibus versabamur, multum tam- m lucis etiam rediturum. Sic ille Ambrosiaster, quicumque tandē auctor commentariorum satis utilium in Pauli epistolas, satis erte scribit, auctor commentariorum, qui inter Hieronymiana esse let, quem scholiasten Hieronymi quidam dicebant, ille, quem nos lagium esse scimus, fatetur, esse dissensionem hic inter codices aecos et latinos, sed et, quod est mirabile, utitur iste contraria llectione, qua efficere vult male opinari quosdam legendum esse re negatione. Cur vero et hi non provocant ad antiquos, ad dignis- nos et accuratos codices, tam latinos, quam graecos? Nempe, res im haec aliter habuit, quam quidem opinari nostri solent, qui de ra canonis multa praecipunt, aut ex loco dogmatico de Scriptura era sibi aliisque fingunt historias falsas.

## §. VI.

Testimonia Ambrosiastri de antiqua dissensione lectionis.

Satis igitur vehementer ille Ambrosiaster<sup>h</sup> isto suo tempore ad- rsus graecos sophistas insurgit eisque id omnino vitio dat, quod ddiderint in codicibus suis aliquid minus recte: *Nunc dicant sophi- ae graecorum, qui sibi peritiam vindicant, naturaliter subtilitate genii se vigere: quae tradita sunt gentibus observanda? quae igno- bant, an quae sciebant?* — *tria haec mandata ab apostolis et nioribus data reperiuntur, quae ignorant leges Romanae, i. e. ut serservent se ab idololatria et sanguine, sicut Noë, et fornicatione; tae Sophistae graecorum non intelligentes, scientes tamen a san- tine abstinendum, adulterarunt scripturam, quartum mandatum ad- entes et a suffocato abstinendum; quod, puto, nunc Dei nutu intel- cturi sunt, quia iam supra dictum erat quod addiderunt.* Haec his erbis ille scriptor Graecis obiicit; porro autem scribit, cum recitasset al. II., 4. *propter autem subintroductos fratres falsos, qui subin-*

re et emendare lectionem; falso igitur baterius adfert illud: *nec ad horam ces- mus*; Tertullianam enim vitiationem raeci exemplaris) scripturae esse dicit, od legitur negatio; vult abesse ne- tionem.

g. Irenaeus lib. III. c. 13.

h. In caput II. Epist. ad Galatas.

i. Attingit hic locum illum Actor. XV. v. 29. et hic dicit additum fuisse a Graecis: *de suffocato*.

traverunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, ut nos in servitutem subicerent, ad horam cessimus subiectioni, ut veritas evangelii permaneat apud vos. — — Graeci sic pergit, e contra dicunt: nec ad horam cessimus, et hoc aiunt venire causae, quia qui fieri prohibebat, non oportebat, inquit, dicere se fecisse, ne probaret esse faciendum. Iam refutat istam lectionem graecorum, quae differebat a latina usitata lectione: Sed apostolus, vir divinus, sciens posse hoc opponi, ipse illud proponit, ut praemuniat calumniosos, et reddit causas, quibus compulsus et facere quod volebat. Propter subintroductos autem, inquit, falsos fratres: subintroductos dicit, quia cum dolo introierunt, ostentans se fratres, cum essent inimici. Qui subintraverunt: hoc est, cum humilitate intraverunt, fingentes amicitiam — — Libertas in Christo Iesu haec est, non subiici legi; ut nos in servitutem subicerent — ad horam cessimus: hoc est, ad horam nos subiecimus servituti, humiliantes nos legi, ut circumciso Timotheo cessaret dolus et scandalum Iudaeorum. Parati enim erant, sicut datur intelligi, commoveri illi tumultum et seditionem — — ad horam ergo cessit: ut veritas evangelii permaneat apud gentes, cum non subiiciunt se circumcisioni. Apud Iudaeos autem non erat veritas Evangelii, qui (etiam) credentes circumcidebant (tamen) filios suos. — Non solum historici, sed et litterae hoc indicant, quia cetera. Nam supra dicit Titum, cum esset graecus, non esse compulsus circumcidi, et subiicit dicens: propter subintroductos autem falsos fratres. Quid iam sonat, nisi qui cessit ad horam, propter subintroductos falsos fratres? Si qui minus, quomodo verba aut sensus se sequerentur? etc., nec enim universam illam disputationem opus est a nobis huc transferri. Hic igitur scriptor similiter, uti Tertullianus, rationibus variis illud efficere vult, falsam esse illam lectionem Graecorum, qui solebant legere: non cessimus, addita negatione. De ipsa autem illa causa, corruptione usque, quae in codices graecos fuerit illata, alibi longe clarius hic idem scriptor agit<sup>k</sup>, atque suam mentem sic exponit, ut dubitari nequeat. Latinos ecclesiasticos auctores studiose id tenuisse et defendisse, Graecorum codices, sicubi different a Latinorum lectione, corruptos atque interpolatos esse. Igitur antiqua iam et quasi continua est illa sententia, atque a Tertulliani illis scriptis inter Latinos valuit semper. tandem Damasus per Hieronymum iussit Graecorum etiam libros conferri cum latinis, a quo tempore nova quaedam recensio textus latinum repetenda est. Eam igitur sententiam ibi explicat ille Ambrosiaster: regnavit mors etiam in eos, qui (non) peccaverunt in similitudine praevaricationis Adae, — et convenit, ut, quia antequam lex daretur mors regnavit, in eos regnasse dicatur, qui peccaverunt (sine negatione) in similitudine praevaricationis Adae, sicut supra memoravimus. — — Iam pluribus interiectis addit: et tamen sic praescribitur nobis de graecis codicibus. Quasi non ipsi (graeci codices in hac sententia) ab invicem discrepent. Quod fecit studium contentionis. Quia enim propria quis auctoritate uti non potest ad victi-

k. In commentario ad Rom. V.



riam, verba legis<sup>1</sup>, adulterat, ut sensum suum quasi verba legis asserat, ut non ratio, sed auctoritas praescribere videatur. Constat autem quosdam Latinos (scil. codices) porro olim de veteribus Graecis translato codicibus (esse), quos incorruptos<sup>m</sup> simplicitas temporis servavit et probat. Postquam autem a concordia animis dissidentibus et haereticis perturbantibus torqueri quaestiones coeperunt, multa immutata sunt ad sensum humanum, ut hoc contineretur in litteris (sacris Novi Testamenti) quod homini videretur. Unde et ipsi Graeci diversos codices habent. Hoc autem (ex variis his lectionibus) verum arbitror, quando et ratio et historia et auctoritas observatur. Nam hodie quae in Latinis reprehenduntur codicibus, sic inveniuntur a veteribus (Latinis) posita, Tertulliano, Victorino et Cypriano.

Hic locus est satis clarus; nec enim circuitione utitur hic scriptor, sed 1) praefert Latinorum lectionem, quae sit antiquiorum Latinorum auctorum, 2) tribuit illam diversitatem studio et consilio illorum, qui quaestiones natas secundum suam sententiam ausi fuerint diiudicare, atque eam in rem suum sensum nunc, hodie, seriori tempore, intulerint in codices Graecos, 3) negat recte reprehendi Latinorum lectionem hanc usitatam, cuius in locum e Graecis codicibus quibusdam quidam vellent lectionem contrariam substituere, 4) dicit Graecorum codices ipsos non consentire, sed variare in illa eadem huius loci scriptura, 5) praescribi iam Latinis de Graecis codicibus, i. e. esse qui Latinos codices, in quibus supersit antiqua lectio, mutari iubeant et corrigi ad codices Graecos. Ex hoc igitur loco patet apud ecclesiasticos Latinos scriptores ante Hieronymum in tanta auctoritate fuisse codices Latinos, ut pati et ferre nollent, si quis iam e Graecorum codicibus aliquid corrigere in istis Latinorum antiquis lectionibus. Haec sententia videtur inde a primo illo tempore, quod Latinam translationem prodidit, continua quasi successione viguisse apud Latinos; certissimum enim est nec Tertullianum nec Cyprianum nec ullum scriptorem e Latinis illis ecclesiasticis provocare unquam ad Graecorum librorum auctoritatem si vel maxime obscura aut contraria lectio occurreret; saltim clam quasi et furtim tandem melior lectio substituta fuit.

### §. VII.

Eiusdem rei illustratio ex Morino.

Ambrosiaster igitur, qui sic omnino scripsit, iam a Morino alias consilii studioso sic illustrabatur. Hic enim, Morinus, qui Sancti Ambrosii nomine excitavit istum locum, Rom. V.<sup>a</sup> annotavit, etiam Origenem in commentario in Epistolam ad Romanos sic legisse, sine negatione; itaque vivente Origene plerosque Graecos codices antiquis Latinis hac in re fuisse similes; quorundam enim dissimilium meminit, quibus adscripta erat negatio<sup>o</sup>. Augustinus autem isto suo tempore

l. Scil. Christianorum seu Novi Testamenti.

m. Latinos istos codices, in quibus illa lectio erat sine negatione, dicit hic incorruptos.

n. Morinus Exercitationum Biblicarum II.

c. 1. p. 34. fol.

o. Scimus etiam hodie in Anglia superesse codicem Graecum, qui negationem ibi omittit; ea de re exposuit doctissimus

annotavit plerosque codices iam legere, addita negatione; quae etiam Latinos sic exhibere, quibus ipse accedit. Nempe, ut ille brosiaster explicabat, post istas lites cum Pelagio. Idem Morinus isto altero loco Galat. II. observavit utramque lectionem explicari Hieronymo, qui neutri fecerit praeiudicium. Idem fecisse Primum; sed Sedulius audet Latinos codices corrigere. Itaque ad Sedulii pora pervenerunt adhuc codices Latini, qui ibi negationem praerebant eandemque lectionem adhuc post annum Christi DCCC. in his libris extitisse patet ex commentario in hanc epistolam C. Antissiodorensis episcopi; tandem sic pergit Morinus: *Ab ipsa quietate variarunt codices Graeci; sine enim negatione hunc citat Irenaeus et Tertullianus. Universa enim capituli illius ratio et complexio negationem illam abesse supponit; licet in citatione intra textum ab aliquo sensum non intelligente addita.* Haec postrema recte sic addit Morinus; Paulus sine negatione scilicet alius vero, qui putavit hinc doctrinae mixtionem et corruptionem pendere, addidit ipse negationem; antiquissimi temporis haud est haec interpolatio et est Graecorum scriptorum; itaque Latini habent Latinos libros praeferre. In commentario Attonis, Vercelle ista adhuc leguntur: *duobus modis iste locus legitur. In veris quae Graecis exemplaribus habetur: neque ad horam. In quibus Latinis: quibus ad horam cessimus. Sed si secundum Graecos satis est sensus etc. Si vero legas secundum Latinos: cessit (sine negatione) non intelligendum est de circumcissione, sed de refectione, quae facta est Antiochia Ierosolymis, super hac quaene: — et ideo cessisset Apostolus, ut pro re certa et explorata mitteretur: — et ideo cessit, ut veritas evangelii maneret aperta etc.*, quae sunt ex Hieronymo fere desumpta. Ex his satis constat, Latinos satis diu secutos fuisse auctoritatem suorum librorum versus Graecos, nec concessisse, nisi serius, cum Augustini et Eusebii nova auctoritas iuvare videretur.

## §. VIII.

Falsa latina lectio Hebr. VI, 4 sqq.

Tertullianus, ut plura alia exhibet capitula ex Latina translatione ipsius novis et recentibus glossis aucta, quae tamen, licet in Latinis Graecorum codicibus, apud Latinos scriptores ecclesiasticos porro solebant scribi, sic luculenter alicubi prodit Latinae trans-

Griesbachius, in illa Dissertatione de recensione N. T. per Origenem.

p. Sedulii Collectan. in Galat. II. p. 70. b. edit. 1528. fol.: male in Latinis codicibus legitur: *quibus ad horam cessimus.*

q. Hoc minus certum est, variasse hic Graecos codices; ex testimonio Tertulliani et Irenaei id non liquet; nec enim unquam Tertullianus Graecum textum adduxit. Potius diversa disciplina, diversa

sententia legentium effecit duplicem translationem per emendationem. Alii tamen Paulum concedendo nihil docuisse concessisse, ut nihil docuisse sineretur.

r. Tom. Opp. II. fol. 22. ed. Baronii (Vercellis MDCCLXVIII.). Ad hoc, illud *neque supra verbum ad* inspicitur, eodem tamen characterum tamen est, scribam recte omnia addidisse ex Vulgata.

ipsa prima initia et recentia rudimenta ab ipsius tempore repetenda esse nisi ab ipso adeo auctore. Res est clarissima, etsi nondum ab eruditis viris ad hanc causam accuratius illustrandam adhibita. Sic igitur Tertullianus excitat<sup>s</sup> illum locum ex Epistola ad Hebraeos VI. 4 sqq.: *Impossibile est enim, eos, qui semel illuminati sunt et donum coeleste gustaverunt et participaverunt spiritum sanctum et verbum dei dulce gustaverunt, occidente iam aevo, cum exciderint, rursus revocari (renovari) in poenitentiam, reficientes cruci in semet ipsos filium Dei et dedecorantes*<sup>t</sup>. Terra enim etc. Comparemus autem illa graeca nostra: ἀδύνατον γὰρ τοὺς ἀπαξ φωτισθέντας, γευσάμενους δὲ τῆς θωρεᾶς τῆς ἐπουρανίου, καὶ μετόχους γενηθέντας πνεύματος ἁγίου, καὶ καλὸν γευσάμενους Θεοῦ ἔχημα, δυνάμεις τε μέλλοντος αἰῶνος, καὶ παραπεσόντας πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετανοίαν, ἀνασταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τρυ Θεοῦ, καὶ παραδειγματίζοντας. Γῆ γὰρ ἡ πιούσα κτλ.

Praeterimus alia mediocria et minus nobis iam utilia; quid autem est illud; *occidente iam aevo: δυνάμεις τε μέλλοντος αἰῶνος*. Quomodo illa latina his graecis respondent? Notavimus iam alibi<sup>u</sup> in translatione hac latina nec volam esse nec vestigium nominis graeci *δυνάμεις*, sicut in graeco nihil est quod referri possit ad illud *occidente iamiam aevo*. Tertullianum igitur ipsum hic libro graeco non usum fuisse, sed confisum latino. Translationis vero auctorem, rudem adhuc et imperitum christianarum phrasium, sic reddidisse deceptum compendio litterarum graecarum: *δύς loco δυνάμεις legit pro δῦσαι, occidere, δῦσαι μέλλοντος transtulit, occidente iamiam*. Neque tum observaveram etiam Millium<sup>x</sup> hoc vidisse, ex male intellecto compendio litterarum ΔΥΝΑΣΤΕ, *δύναεις pro δυνάμεις*. Est autem haec convenientia opinionis aut coniecturae vel ipsa indicium veri atque ingenui iudicii. Atque ne lectores rerum harum minus periti mirentur eius coniecturae rationem, haud dubitent porro, utrum satis bene sit a nobis sic coniectum: possum simillimo exemplo huius rei fidem facere; licet eruditi viri, qui non sunt omnino alieni ab harum rerum criticarum consuetudine, haud dubie nobiscum omnes consentiant. Ego igitur observavi locum alium<sup>y</sup>, ubi graece legitur: ὑπὲρ δύσιν, latinus vero ille interpres reddidit, *supra vires, ὑπὲρ δυνάμεις*, nempe deceptus et ipse oculorum aberratione simillima. De eo igitur dubitari non potest: 1) Primum hic quasi deprehendi auctorem latinae translationis, cui minus notae erant illae phrases: *δυνάμεις μέλλοντος αἰῶνος*, qui finem seculi, ex ista vulgari opinandi consuetudine facilius hic inveniebat: 2) Ex uno quodam graeco libro, qui compendiis litterarum perscriptus erat, hanc translationem factam fuisse: 3) Secure et sine ulla haesitatione Tertullianum haec hic excitare, quasi satis

s. In libro de Pudic. c. 20.

t. Antiqua translatio apud Harduinum tom. I. Conciliorum p. 678. reddit *publicantes*; in codice Sangermanensi et Regio seu Claromontano (graeco-latinis) *populare, παραδειγματίζονται*, in infinitivo. Vulgata: *ostentui habentes*.

u. In appendice ad Prolegomena Wetstenii ed. Hal. p. 587.

x. In prolegomenis num. 626. nec debebat Wetstenius negligere antiquissimam hanc aberrationem scripturae.

y. Vide Harduini Concilia tom. V. p. 1187.

certum suae causae. Itaque aut ipse auctor fuit huius translationi aut vixit illo ipso tempore quo inter Latinos primum exiit latina quaedam translatio in usum Latinorum. Nam ceteri omnes Latini ex alio codice graeco aut ex luculenta intelligendi consuetudine correxerunt istum errorem, etiam illi qui solent Tertullianum propius sequi in ista latina translatione afferenda. Omnes hic legunt: *virtutes, divitiae*. Cur enim Tertullianus illam phrasin: *occidente iam aevo* tam facillime patitur et sine haesitatione perscribit? Quia vix unico codice graeco ille utebatur qui translationem hanc primus prodidit. Cur vero non pluribus codicibus usus est, nec peritiorum hominum consuetudinem in consilium adhibuit Tertullianus? Quia latinis libris solebat praestantior auctoritatem tribuere ac graecis: immo maiorem. Ille vero idem Tertullianus affert etiam capitula ex libris sacris, quae ab ipso, primo et novae auctore, fuerunt glossis et sententiis additis aucta; has easdem sententias, etsi praeter omnium graecorum librorum regulam atque auctoritatem additas, alii multi Latini solent porro constanter repetere; adeo confidunt latino codici, adeo ex uno illo codice, quo Tertullianus usus fuit, derivatur in ceteros codices latinos, ut dubitari non possimus, praestare Tertullianum latinae translationis prima rudimenta.

#### §. IX.

Supersunt igitur variae novae glossae atque interpretationes, quarum primus et solus auctor certus est ille Tertullianus; has vero interpolationes cum ceteri scriptores latini, ut diximus, constanter in latinis libris retineant, certum est Latinos numquam in consilium adhibuisse libros graecos; adeo solebant fidem maxime habere latinis libris; quae quidem consuetudo videtur non obscure niti illa tam vetusta accusatione, quam Tertullianus primus praeivit, Graecorum libros adulteratos fuisse ab haereticis illis graecis, gnosticis. In eodem libro de Carne Christi paulo ante illo verba ex evangelii Iohanni cap. 1.<sup>a</sup> Tertullianus excitat Ioh. III, 6., hac ratione: *quod natum est ex carne, caro est (quia ex carne natum est); et quod de spiritu natum est, spiritus est (quia Deus Spiritus est, et de Deo natus est)*. Idem paulo post sic repetit: *ita, cum ipse sit de spiritu Dei, et spiritus Deus est: ex Deo natus ipse est, et ex carne hominis homo in carne generatus*. Haec sic Tertullianus; sed istae partes, quas indicimus, in graeco nullo libro unquam reperiri potuerunt; itaque dubium non est, saltem si quis huius scriptoris ingenium noverit, haec addidisse a Tertulliano. Iam vero mirum est, hanc glossam similiter lectam in codice antiquo Corbeiensi: *quod natum est de carne, caro est (quod de carne natum est); et quod natum est de spiritu, spiritus est (quod de spiritu est)*. Sic alii excitant; Calmetus vero sic repetiit hanc lectionem: *quia Deus spiritus est*. Annotavit etiam Millius sic haec legi antiquissimo latino codice bibliothecae Bodleianae; ita et in Verceller

z. Scilicet de Deo natus est; de qua lectione copiosissime egit Ansaldi libris duobus de

Authenticis S. S. apud S. S. Patres Lecturis.

codice legitur<sup>a</sup>. Porro vero Sabaterius iam attulit magno numero scriptores<sup>b</sup>, e. c. Hilarium, libros de Trinitate, qui hanc sententiam: *quia Deus spiritus est*, bis repetit, quasi Iohannis verba. Ambrosius autem non solum libro II. de Spiritu Sancto sic ipse excitat, sed etiam libro III. scribere audet: *quem locum ita expresse, Ariani, testificamini esse de spiritu, ut eum de vestris codicibus auferatis; atque utinam de vestris, et non etiam de ecclesiae codicibus tolleretis. Eo enim tempore, quo — Auxentius Mediol. ecclesiam — occupaverat, vel a Valente atque Ursacio, nutantibus sacerdotibus suis, incursabatur ecclesia Sirmiensis: falsum hoc et sacrilegium vestrum in ecclesiasticis codicibus deprehensum est.* Sic et Fulbertus, Carnotensis, scribere audet: *Arii auditores, quoniam spiritum sanctum Deum esse negabant, de evangelio eraserunt illud, quod Salvator ait: Spiritus est Deus.* Mirum omnino est, Ambrosium talia scribere sustinuisse; sed hinc discimus latinorum codices illos antiquiorum semper in tanta fuisse auctoritate, ut numquam cum graecis exemplaribus collati fuerint ab istis fervidis latinae Ecclesiae adversus Graecos Arianosque defensoribus. Itaque bona fide, Tertulliani exemplo, Ambrosius accusavit haereticorum depravationem, cum audiret alios istum locum legere breviorē, carentem ista postrema sententia. Plures enim Latini eam partem constanter solent recitare; auctor libri de Fide Orthodoxa, Vigilius, bis; etiam auctor Explanationis Symboli ad Cyrillum, quae olim excudi solebat inter Hieronymiana opera; Germonius<sup>c</sup> advocat etiam Nemesianum, an Thubunis, in Synodo Carthaginensi: atque ipse statuit omnino in codicibus pluribus, Ecclesiae saltim occidentalis, atque ex his detracta fuisse fraude Arianorum. Constantius vero in Vindiciis veterum codicum confirmatis recte illam sententiam reiecit, et vidit Tertullianum has partes addidisse primum explicationis causa<sup>d</sup>. Sed nemo eruditorum virorum hic attendit ad hanc causam, de qua agimus: Tertulliani scilicet hanc tantam apud tot Latinos scriptores, qui hunc locum Ioh. III, 6. sic excitant, auctoritatem id secum ferre, ut statuerint illi Latini istam latinorum suorum codicum recensionem non subesse censurae graecae, Tertulliani vero illam latinam recitationem et recensionem adeo esse primam, ut ipsa prima et recentia initia latinae translationis occupet; fuisse etiam studiosissimos harum partium, quibus praefuit Tertullianus, sectatores inde ab isto eius tempore, qui graecae linguae hominibus aliisque codicibus nihil quicquam auctoritatis tribuerent.

## §. X.

Hieronymi locus de Tertulliano, in Catalogo, illustratus.

Observavimus paulo ante hunc scriptorem allegare suas scriptio-  
nes graecas, quas praeter istas latinas iam ediderit. Id igitur magis

a. In Blanchini Evangeliiario Quadripartito tom. I.

b. In Bibliorum Latinorum Corp. tom. III.

c. In tractatu de Veteribus Haereticis

Ecclesiasticorum Codd. Corruptoribus lib. I. P. II. c. 5.

d. Vid. et Analdi in ista Dissertatione, advers. Barzanum p. 74. 75.

irum est quod Hieronymus scribitur demum primum post Victorem optare licet, ut Hieronymus scripsit *ullianus Latinorum presbyter primorum hominum, qui Romae latinae primum presbyter*. At hic idem descriptionum se auctorem dixit; quomodo esse Romanus presbyter? Certe Graece loquentes, quales Romae Martiani quam ex Latine loquentibus. Loco loco<sup>f</sup>, quod videtur ad hunc *curiositate et maiore longe memoriae elicit ex litteris receptissimis quibus vel quorumlibet doctrinae ac sapientiae testimonia excerpere Christianae veritatis de pristina litteratura et cultura perseveravit, ad eum modum operam memorantes et contestificantes<sup>k</sup> in citationem et sententiarum argumentationem aut novum aut portentosum si nunes et publicae litterae<sup>l</sup> ad suum Locus argumento isto maxime notum melius<sup>m</sup> ista addit: *Scripta quoque versus gentes illius (Tertulliani) contra id quae alludit: nonnulli, inquit, et Quadratus, Aristides, Anaxiphilus Antiochenus, Apollinarius, et Apollonius senator. Denique ab Iustinus, philosophus et martyr, Marcianus, omnium doctrinarum curio. quibus evolvendis et ante et post, vel ex Apologetico patet, in quo datur. Haec sic Pamelius; quae quae Namque Quadrati, Aristidis, Melitoni nihil eius generis aut nobis superest satis certo sciamus, hos scriptores qui pristinae litteraturae dederint Christianismi indolem ex communibus licentur scripsisse; sed huius generis fuerint petita ex gentiliis scriptori**

e. Catal. c. 53.

f. De Testim. Animae init.

g. Quasi *γράμματα* expresserit.

h. Secularis, *τῷ αἰῶνι τούτῳ*, novo omnino usu.

i. Intelligit *τὰ ἰδιώτα*. \*

k. *συμμαρτυροῦντες*.

l. *Κοινὰ τὰ γράμματα*, itaque sta-



atque videntur satis mediocres fuisse scriptiones, quibus ad posteros transmittendis tam parum studii fuit impensum. Cur igitur dicit Pamelius Tertullianum fere ad verbum imitari solitum istorum auctorum scripta? Nos potius parum probabile putamus istos scriptores designari a nostro, qui narrat de eruditis viris, qui sic collegerint decreta et sententias ex libris graecorum philosophorum et poëtarum, ut ostenderint christianismum nihil novi continere. Confictum est hoc argumentum universum, declamatorum more; nisi putamus huius generis scriptores, tam antiquos, tam frugiferos, adeo oblivioni statim addictos fuisse neglectosque et deperditos omnino, ut ne Eusebius quidem vestigium vel notam talium scriptorum reperire potuerit, qui in isto opere de Praeparatione Evangelica id omnino egit, quod hic Tertullianus dicit suo iam tempore quosdam instituisse. Eusebius vero nihil quicquam eius rei didicit; nec Hieronymus aliquid reperire potuit. Audemus igitur statuere scriptorem talia ultro conflinxisse, ex suo ingenio rem illam arbitratum. Pamelii sententiam vel illud evertit: Tertullianus Romae, Carthagine tot scriptorum libellos, qui inter Graecos satis remoti ab istis urbibus vivebant, nancisci non potuit. Quis autem sine taedio et stomacho legat istam declamationem: *Irenaeus, omnium doctrinarum curiosissimus explorator*? Nos certe statuimus, hoc encomium monstro non carere. Ea quae nobis supersunt Irenaei, profecto hominis ingenium humile et parum excultum prae se ferunt; ista vero Tertulliani nostri scripta, sic turgent rerum fere omnium copia et varietate, ut in ipsum hoc maxime conveniat hunc scriptorem id diligenter egisse, ut *omnium doctrinarum curiosissimus explorator* videretur. Unicus Clemens Alexandrinus eius generis scriptiones confecit, et, si minus severi sumus, Iustinus ille, latini nominis scriptores. Videbimus autem paulo post, siquidem tempus nobis non desit, multa Tertulliani latine scribi, quae graece leguntur in isto Irenaeo, in Clemente vero quaedam extare quae sunt etiam in Irenaeo. Forte tandem aliquid lucis colligere licet, post tam longi temporis tenebras, ex una atque eadem officina quidam libri videntur prodixisse, quos studiosissime solebant variis et diversis scriptoribus dividere. Antiquissima fuit haec societas et impensa sive ab uno sive a duobus diligentia, quae cum Romana illa tam graeca quam latina societate nova videtur sic cohaerere, ut communi consilio operam dederint. Illustrabimus autem istam sedulitatem ineptam quorundam hominum, qui ex veteribus novas scriptiones compilare solebant, luculento exemplo<sup>a</sup> istius libri quem contra Iudaeos Tertullianus scripsisse dicebatur.

## §. XI.

Compilatio libri contra Iudaeos ex libris contra Marcionem.

Oculis, ut dici solet, videre licet istam sedulitatem atque imposturam hominis, qui plures libros Tertulliani conficere volebat, si compa-

n. Eam in rem etiam conferri facile possunt libri Tertulliani adversus Nationes cum Apologetico. Unus omnino est liber, si consilium scriptoris et argumen-

tum spectamus; longo ordine verborum et rerum series convenit; alio tantum loco utraque scriptio exhibet easdem sententias.

ramus istum librum adversus Iudaeos cum tertio libro contra Marcionem. Viderat Iunius et alii eius rei aliquid; sed nimis verecunde ea causa sentire solebant viri docti. Nos tandem diligentius recensimus ea, quae iam in editione Tertulliani Halensi aliquoties indicimus. Comparent iam ipsi lectores utrumque exemplum; attendant mediocrem artem, qua usus est auctor novi libelli adversus Iudaeos sicut etiam non observare vix possunt ineptias et sedulitates hominibus quibus ipse auctor librorum adversus Marcionem uti solet. Adeo indigna et abiecta declamatio, e qua vix aliquid commodi et emolumenti derivari ad nos possit. Quid tandem Marcionis et cultum hominum ingenia putabimus utilitatis hausisse ex tam neglecta descriptione!

## TERTULLIANUS

adversus Marcionem lib. III.

cap. 7.

Discat nunc populi — (*paucis exceptis eadem leguntur in lib. adv. Iud.*).

Quae ignobilitatis argumenta primo adventui competunt, sicut sublimitatis secundo; cum fiet iam non lapis offensionis nec petra scandali, sed lapis summus angularis post reprobationem assumptus et sublimatus in consummationem *templi ecclesia scilicet*. Et petra sane illa apud Danielem de monte praecisa, quae imaginem secularium regnorum comminet et conteret. De quo adventu idem propheta: Et ecce cum nubibus caeli tanquam filius hominis veniens venit usque ad veterem dierum, et aderat in conspectu eius: et qui assistebant, adduxerunt illum, et data est ei potestas regia: et omnes nationes terrae secundum genera et *omnis gloria famulabunda*, et potestas eius usque in aevum, quae non auferetur: et regnum eius, quod non vitabitur. Tunc scilicet habitaturus et speciem honorabilem, et decorem indeficientem *super filios hominum*: tempestivus enim, *inquit*, decore citra filios hominum, effusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te deus in a-

adversus Iudaeos

cap. 14.

Discite nunc — populi.

Quae ignobilitatis argumenta primo adventui competunt: sicut sublimitatis secundo; cum fiet, iam non lapis offensionis nec petra scandali; sed lapis summus angularis post reprobationem assumptus et sublimatus in consummationem. Et petra sane illa apud Danielem de monte praecisa, quae imaginem secularium regnorum comminet et conteret. De quo *secundo* adventu *idem Daniel dixit*. Et ecce cum nubibus caeli tanquam filius hominis veniens, venit usque ad veterem dierum, et aderat in conspectu eius. Et qui assistebant adduxerunt illum, et data est ei potestas regia, et omnes nationes terrae secundum *genus et omnia gloria servient illi*; et potestas illius aeterna, quae non auferetur et regnum eius quod non *corrumpetur*. Tunc scilicet speciem honorabilem et decorum habitaturus est indeficientem *supra filios hominum*: tempestivus enim decore citra filios hominum. Effusa est gratia, *inquit*, in labiis tuis, propterea benedixit te deus in a-

## Adversus Marcionem.

Accingere ense[m] *super* femur, potens tempestivitate et pulcritudine tua: cum et *posteaquam* diminuit eum cum *quid* citra angelos, gloria et honore coronabit illum et *eriet* omnia pedibus eius. *Tunc* cognoscent eum, *qui* computet, et caedent pectora sua tria et tribum, utique quod retro *agnoverunt* eum in humiliditionis humanae: *Et homo* *inquit* Hieremias, et quis coeet illum? Quia et *nativitatus* Esaias, *quis*, *inquit* enarrabit? Sic et apud Zachariam in *na Iesu*, immo et in *ipso* no-sacramento, verus summus dos patris, Christus Iesus, *si* habitu in duos adventus *atur*, primo sordidis indutus, *t* carnis passibilis et mortidignitate, cum et diabolus *sabatur* ei, auctor scilicet *Iu-traditoris*, *ne dicam etiam* *baptisma* tentator. Dehinc *liatus* pristinas sordes, et *ex-us* podere et mitra et cidaria, id est secundi adventus *et honore*.

## Adversus Iudaeos.

*cula*. Accingere ense[m] *tuum* *circa* femur tuum potens tempestivitate et pulcritudine tua: cum et pater *postea*, cum diminuit illum modicum *qui* citra angelos, gloria et honore coronavit illum, et *subiecit* omnia *sub* pedibus eius. *Et tunc* cognoscent eum, *quem* pupugerunt; et caedent pectora sua tribus ad tribum, utique quod retro non *agnoverint* eum, in humilitate conditionis humanae constitutum. *Hieremias inquit*: et homo est, et quis cognoscet illum? quia et *nativitatem* eius, *inquit* Esaias, *quis* enarrabit? Sic et apud Zachariam in *persona ipsius*, immo et in *ipsius* nominis sacramento, verus summus sacerdos patris Christus Iesus, duplici habitu in duos adventus delineatur. Primo sordidis indutus est, id est, carnis passibilis et mortalis indignitate, cum et diabolus *adversabatur* ei, auctor scilicet *Iudae* traditoris, *qui eum etiam post baptismum tentaverat*. Dehinc *spoliatus* pristinas sordes, exornatus podere et mitra et cidari munda, id est secundi adventus: *quoniam gloriam et honorem adeptus demonstratur*. [*Hic addita sunt quaedam, quae scriptor ex antea dictis repetere videtur, ab-sunt autem a l. contra Marc.*] (Nec poteritis eum Iosedech filium dicere, qui nulla omnino veste sordida, sed semper sacerdotali fuit exornatus, nec unquam sacerdotali munere privatus. *Sed Iesus iste Christus Dei patris summus sacerdos, qui primo adventu suo humana forma et passibilis venit in humilitate usque ad passionem, ipse enim effectus hostia per omnia pro nobis, qui post resurrectionem indutus podere, sacerdos in aeternum Dei nuncupatus est.*)

## Adversus Marcionem.

Sic enim et duorum hircorum, qui ieiunio offerebantur, faciam interpretationem, nonne et illi utrumque ordinem Christi *figurant*? Pares quidem atque consimiles propter eundem domini conspectum, *quia* non in alia venturus est forma, ut qui agnoscere *habeat*, a quibus et laesus est. Alter autem eorum circumdatus coccino maledictus et consputus, et convulsus, et compunctus a populo extra civitatem abiiciebatur in perditionem, manifestis notatus insignibus *dominicae* passionis. Alter vero pro delictis oblatus, et sacerdotibus templi in pabulum datus, secundae repraesentationis argumenta signabat, qua delictis omnibus *expiatis*, sacerdotes templi spiritalis, id est ecclesiae, dominicae gratiae quasi visceratione quadam fruerentur, ieiunantibus ceteris a salute. Igitur quoniam primus adventus et *plurimum* figuris obscuratus, et omni inhonestate prostratus caneatur; secundus vero et manifestus et Deo condignus: idcirco, quem facile et intelligere et credere potuerunt, eum solum intuentes, id est secundum, non immerito decepti *sunt circa obscuriorem, certe indigniorem* id est primum: atque ita in hodiernum negant venisse Christum suum, quia non in sublimitate venerit, dum ignorant, *etiam* in humilitate fuisse venturum.

(Quatuor quae sequuntur capita in libro adversus Iudaeos non inveniunt; continent autem convicia contra Marcionem.)

## Adversus Iudaeos.

Sic enim et duorum hircorum qui ieiunio offerebantur, faciam interpretationem. Nonne et utrumque ordinem *nominis* Christi *qui iam venit, ostendunt*? quidem atque consimiles, propter eundem Domini conspectum non alia venturus est forma qui agnoscere *habet* a quibus et laesus est. *Unus* autem eorum circumdatus coccino, maledictus consputatus, et convulsus, et punctus a populo extra civitatem abiiciebatur in perditionem, manifestis notatus insignibus *Christi* passionis; *qui coccinea circumdatus veste, et consputatus et insignibus contumeliis afflictiis civitatem crucificus est* [iterum *priori sermone hoc desumptum est*]. Alter vero pro delictis oblatus et sacerdotibus *tantum* templi in pabulum datus secundae praesentationis argumenta signabat, qua delictis omnibus *expiatis* sacerdotes templi spiritalis, id est ecclesiae, Dominicae gratiae quasi visceratione quadam fruerentur, ieiunantibus ceteris a salute. Igitur quoniam primus adventus et *plurimum* figuris obscuratus, et omni inhonestate prostratus, caneatur secundus vero et manifestus Deo condignus: idcirco quem facile et intelligere et credere potuerunt, eum solum intuentes, id est secundum, *qui est in humilitate et gloria*, non immerito decepti *sunt circa indigniorem certe obscuriorem*, id est primum. Atque ita in hodiernum negant venisse Christum suum, quia non in sublimitate venerit, dum ignorant, humilitate *primo* fuisse venturum.

Adversus Marcionem.

Cap. 12.

*Provoça nunc, ut soles ad hanc re comparisonem Christi, conens illam in nullo convenire. Non enim, inquis, Christus Esaimmanuel vocari habebit, de virtutem sumere Damasci et a Samariae adversus regem Assurum. Porro iste, qui venit, e sub eiusmodi nomine est, neque ulla re bellica functus. At ego te admonebo, uti cohaerentia quoque utriusque capituli reoscas. Subiuncta est enim interpretatio Emmanuelis, nobiscum Deus, uti non solum sonum nominis spectes, sed et sensum. Sonus enim hebraicus, quod est Emmanuel suae gentis est. Sensus nomen eius, quod est Deus nobiscum, ex interpretatione communis. Quaere ergo, an ista vox, nomen Deus, quod est Emmanuel, id quod Christus illuxit agite in Christo. Et puto non negas. [Pauca hic inserta sunt, quae in contra Iud. requires.] Atque ita videtur, venisse iam illum qui praedicabatur Emmanuel, quia quod significat Emmanuel, venit, id est nomen Deus.*

Cap. 13.

*Et neque et sono nominum ducuntur, cum virtutem Damasci, et a Samariae, et regem Assyriorum, sic accipis, quasi bellatorem portendant Christum creaturam; non animadvertens, quid scriptura promittat. Quoniam priusquam cognoscat vocare patrem et matrem, accipiet virtutem Damasci et spolia Samariae adversus regem Assyriorum. Ante enim, in spicias aetatis de-*

Adversus Iudaeos.

Ex cap. 9.

*Provochemus istam praedicationem Esaias et faciamus comparisonem an Christo, qui iam venit, competat illi primo nomen, quod Esaias praedicavit, et insignia eius, quae de eo nunciavit. Equidem Esaias praedicat eum Emmanuelem vocari oportere, dehinc virtutem sumpturum Damasci et spolia Samariae adversus regem Assyriorum. Porro, inquit, iste qui venit, neque sub eiusmodi nomine est editus, neque re bellica functus. At nos e contrario admonendos eos existimavimus, uti cohaerentia quoque huius capituli recognoscant; subiuncta est enim et interpretatio Emmanuel, nobiscum Deus, uti non solum sonum nominis spectes, sed et sensum. Sonus enim hebraicus, quod est Emmanuel suae gentis est. Sensus autem eius, quod est Deus nobiscum, ex interpretatione communis est. Quaero ergo, an ista vox nobiscum Deus, quod est Emmanuel, exinde, quo Christus illuxit, agitur in Christo? Et puto ex toto non negabis.*

*(Addita sunt pauca.)*

*Atque ita constat iam venisse illum qui praedicabatur Emmanuel, quia quod significat Emmanuel, venit, id est nobiscum Deus.*

*Aequè et sono nominis inducuntur, cum virtutem Damasci, et spolia Samariae adversus regem Assyriorum, sic accipiunt quasi bellatorem portendant Christum, non animadvertentes, quid scriptura praemittat. Quoniam priusquam cognoscat puer vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci et spolia Samariae adversus regem Assyriorum. Ante est enim in spicias aetatis demonstrationem, an*

## Adversus Marcionem.

monstrationem, an *hominem* iam Christum exhibere possit, nedum imperatorem? Scilicet vagitu ad arma esset convocaturus infans? Et *signa* belli, non tuba, sed crepitacillo daturus? Nec ex equo, *vel de curru* vel de muro, sed de nutricis, *aut* gerulae suae *collo*, *sive dorso* hostem destinaturus? Atque ita Damascum et Samariam pro *mammillis* subacturus? Aliud est, si penes *Ponticos barbaricae gentis* infantes in praelium erumpunt, credo ad solem uncti prius, dehinc pannis armati, et butyro stipendiati, qui ante norint lanceare, quam lancinare. Enimvero, si nusquam hoc natura concedit, ante militare *quam vivere*, ante virtutem Damasci sumere, quam *patris et matris vocabulum nosse*: sequitur, *ut figurata pronuntiatio* videatur. Sed et virginem, *inquit*, parere natura non patitur, et tamen creditur prophetae. Et merito; praestruxit enim fidem incredibili rei, *rationem edendo*, quod *in signo* esset *future*. Propterea, *inquit*, *dabit vobis Dominus signum*, Ecce Virgo concipiet in utero, et pariet filium. Signum autem a Deo, nisi novitas aliqua monstruosa, *tam dignum non fuisset*. Denique *et Iudaei si quando ad nos deiiciendos mentiri audent*, quasi non virginem, sed iuenculam concepturam et parituram scriptura contineat: hinc *revincuntur*, quod nihil signi videri possit, res quotidiana, iuenculae scilicet praegnatus et partus. In signum ergo *disposita* virgo, *et mater*, merito creditur: infans vero bellator non aequae. Non enim hic signi ratio versatur; sed signo *nativitatis novae* adscripto, exinde post signum alius *iam ordo* infantis

## Adversus Iudaeos.

*virum* iam Christum exhibere *istae aetas* possit, nedum imperatorem? Scilicet vagitu ad arma esset convocaturus infans, et *signum* belli non tuba, sed crepitacillo daturus: nec ex equo, *vel de muro*, sed de nutricis *et gerulae suae dorso* in collo hostem destinaturus; *sicut* ita Damascum et Samariam pro *mammis* subacturus. Aliud est, si penes *vos* infantes in proelium erumpunt, credo ad solem uncti prius, dehinc pannis armati, et butyro stipendiati, qui ante norint lanceare quam lancinare. Enimvero si nusquam hoc natura concedit, ante militare *quam virum facere*, ante virtutem Damasci sumere, quam *patrem nosse*, sequitur, *ut figurata pronuntiatio* videatur. Sed et virginem, *inquit*, parere natura non patitur, et tamen credendum est prophetae. Et merito. Praestruxit enim fidem incredibili rei, *dicendo* quod *signum* esset *future*. Propterea, *inquit*, *dabitur vobis signum*. Ecce virgo concipiet in utero, et pariet filium. Signum autem a Deo nisi novitas aliqua monstruosa *fuisset*, *signum non videretur*. Denique *si*, quando ad deiiciendos aliquos *ab hac divina praedicatione vel convertere singulos simplices quosque gestitis mentiri audent*, quasi non virginem, sed iuenculam concepturam et parituram scriptura contineat, hinc *quoque revincuntur* quod nihil signi videri possit res quotidiana, iuenculae scilicet praegnatus et partus. In signum ergo *nobis posita* virgo mater merito creditur, infans vero bellator non aequae. Non enim hic signi ratio versatur, sed signo *nativitatis novae* adscripto, exinde post signum alius *iam ordo* infantis edicitur, me et butyrum manducaturi. Nec *hoc* utique in signum est, et hoc enim



## Adversus Marcionem.

itur, mel et butyrum mandu-  
 ri. Nec hoc utique in signum  
*malitiae non assenturi*, et  
 enim infantia est, sed acce-  
 ri virtutem Damasci et spolia  
 ariae adversus regem Assyrio-  
 . *Serva* modum aetatis, et  
 ere sensum praedicationis: im-  
 redde EVANGELIO *veritatis, quae*  
*terior detraxisti*, et tam in-  
 gigitur prophetia, quam renun-  
 ar expuncta. Maneant autem  
 ntales illi Magi in infantia  
 istum, recentem, auro et thure  
 erantes, et acceperit infans  
 item Damasci, sine proelio et  
 is. Nam praeter quod omni-  
 notum est, Orientis virtutem,  
 est vim et vires auro et odo-  
 s pollere solitam: certe est  
 tiori virtutem *ceterarum quo-*  
*gentium* aurum constituere,  
 t per Zachariam, Et Iudas  
 etendet apud Hierusalem, et  
 gregabit omnem valentiam po-  
 rorum per circuitum, aurum et  
 ntum. De illo autem tunc  
 munere etiam David, Et da-  
 r illi ex auro Arabiae. Et  
 sus, reges Arabum et Saba  
 era offerent illi. Nam et Ma-  
 reges habuit fere Oriens; et  
 ascus Arabiae retro deputa-  
 ar, antequam transcripta erat  
 Syrophoenicen, ex distinctione  
 arum, cuius tunc virtutem  
 istus accepit; accipiendo in-  
 ia eius, aurum scilicet et odo-  
 spolia autem Samariae, ipsos  
 os: qui cum illum cognon-  
 ent, et muneribus honorassent,  
 enuposito adorassent, quasi  
 m et regem sub testimonio  
 cis et ducis stellae, spolia  
 t facti Samariae, id est idolo-  
 ae, credentes videlicet in Chri-  
 n. Idololatriam enim Sama-  
 mmine notavit, ut ignomi-

## Adversus Iudaeos.

infantiae est; sed accepturum vir-  
 tutem Damasci et spolia Samariae  
 adversus regem Assyriorum, hoc  
 est mirabile signum. *Servate* mo-  
 dum aetatis, et quaerite sensum  
 praedicationis: immo reddite veri-  
 tati quae credere non vultis et tam  
 intelligitur prophetia, quam renun-  
 ciatur expuncta. Maneant enim  
 orientales illi Magi infantiam Christi  
 recentem auro et thure munerantes,  
 et acceperit infans virtutem Damas-  
 ci sine proelio et armis. Nam praeter  
 quod omnibus notum est,  
 Orientis virtutem, id est vires, auro  
 et odoribus pollere solitam, certum  
 est, et ex divinis scripturis, virtu-  
 tem quoque ceterarum gentium au-  
 rum constituere. Sicut per Zacha-  
 riam dicit: Et Iudas pertendet Hie-  
 rusalem, et congregabit omnem val-  
 entiam populorum per circuitum  
 aurum et argentum. Nam de hoc  
 auri munere etiam David dixit: Et  
 dabitur illi de auro Arabiae. Et  
 iterum: Reges Arabum et Saba  
 munera afferent illi. Nam et Magos  
 reges fere habuit Oriens, et Damas-  
 cus Arabiae retro deputabatur, an-  
 tequam transcripta esset in Syro-  
 phoenicen ex distinctione Syria-  
 rum, cuius tunc virtutem Christus  
 accepit, accipiendo insignia eius,  
 aurum scilicet et odores: spolia  
 autem Samariae, ipsos Magos, qui  
 cum illum cognovissent et mune-  
 ribus honorassent, quasi Dominum  
 et regem sub testimonio indicis et  
 ducis stellae, spolia sunt facti Sa-  
 mariae, id est idololatriae, creden-  
 tes videlicet in Christum. Idololatriam enim Samariae nomine no-  
 tavit, ut ignominiosae ob idololatriam, qua desciverat tunc a Deo  
 sub rege Hieroboam. Nec hoc enim  
 novum scripturis divinis, figurate  
 uti translatione nominum ex comparatione criminum. Nam et Ar-

## Adversus Marcionem.

niosae ob idololatriam, qua desciverat tunc a Deo, sub rege Hieroboam. Nec hoc enim novum est creatori, figurate uti translatione nominum, ex comparatione criminum. Nam et Archontas Sodomorum appellat Archontas Iudaeorum, et populum ipsum populum Gomorrae vocat. Et idem alibi: Pater, inquit, tuus Amorraeus, et mater tua Chetaea: ob consimilem impietatem, quos aliquando etiam suos filios dixerat, filios generavi, et exaltavi. Sic et Aegyptus nonnunquam totus orbis intelligitur apud illum, superstitionis et maledictionis elogio. Sic et Babylon etiam apud Iohannem nostrum Romanae urbis figura est, proinde magnae et regno superbae et sanctorum dei bellatrix. Hoc itaque usu Magos quoque Samaritarum appellatione titulavit, despoliatos, quod habuerant cum Samaritis, ut diximus, idololatriam. Adversus regem autem Assyriorum, adversus Herodem intellige, cui utique adversati sunt Magi, tunc non renuncians de Christo, quem interceptare quaerebat.

## Cap. 14.

Adiuvabitur haec nostra interpretatio, dum et alibi bellatorem existimans Christum, ob armorum quorundam vocabula et eiusmodi verba ex reliquorum quoque sensum comparatione convinceris: Accingere, inquit David, ense super femur. Sed quid supra legis de Christo? Tempestivus decore praeter filios hominum, effusa est gratia in labiis tuis. Rideo si quem ad bellum ense cingebat, ei de tempestivitate decoris, et labiorum gratia blandiebatur: sic item subiungens, et extende et

## Adversus Iu-

chontas Sodomorum chontas vestros, et morrhae vocat: cum sent civitates istae alibi per prophetam Israel: Pater, inquit, inquit, rhaeus, et mater tua rum ex genere proced sed ob consimilem quos aliquando etiam dixerat per Esaiam filios generavi et ex Aegyptus nonnunquam intelligitur apud illum nis et maledictionis Babylon apud Ioan Romanae urbis figura et magnae, et regno sanctorum bellatrix modo Magos quoque. rum appellatione titi spoliatis, quod habu maritis, ut diximus, Adversus regem autem adversus diabolum, regnare putat, si sione Christi deturba

Adiuvabitur autem interpretatio, dum et rem Christum scrigant, ob armorum quocabula, et eiusmodi ver reliquorum sensuum convincentur Iudaei: inquit David, ensem Sed quid supra legis Tempestivus decore hominum, effusa est gratia in labiis tuis. Valde autem abs quem ad bellum ense de tempestivitate decorum gratia blandieba

## Adversus Marcionem.

perare et regna: adiecit, *ter veritatem et lenitatem et iam.* Quis enim ense operatur, et non contraria potius et asperitatem et iniustitiam propria scilicet negotia praemia? Videamus ergo an alius nensis ille, cuius alius est actus.

et apostolus Ioannes in alypsi ensem describit ex dei prodeuntem bis acutum, acutum quem intelligi oportet onem divinum, bis acutum us testamentis legis et evangelium acutum sapientia infestum illo etc.

cuit ergo et Christo creatoris salmo sine bellicis rebus ense onis praecingi figurato, cui adicta tempestivitas congruat, ratia labiorum, quem tunc cingebatur super femur apud David, quandoque missurus in terram.

hic rursus quinque lineae extant in lib. adv. Iud. requires.)

deducet te, inquit, *mirifica gratia tua.* Virtus scilicet gratia spiritualis, qua Christi agnitione deducitur. Sagittae tuae acutae, plantia ubique praecepta, et e traductiones cordis, commentes et transfigentes conscientiam quamque. Populi sub te cadent, utique adorantes. bellipotens et armiger Christus creatoris: Sic et nunc accipis spolia, non solius Samaritanorum et omnium gentium. Agnosce et spolia figurata, cuius arma allegorica didicisti. Fide itaque et domino eiusmodi agnitione, et Apostolo scribente temere interpretationibus eius usur, quarum exempla etiam Samaritanorum admittunt, atque ita in

## Adversus Iudaeos.

subiungens, dicebat: *Extende, et prospera et regna.* Et adiecit: *propter lenitatem et iustitiam tuam.* Quis enim ense operabitur, et non contraria lenitati et iustitiae exercet? id est dolum et asperitatem et iniustitiam, propria scilicet negotia praeliorum? Videamus ergo an alius sit ensis ille, cuius est alius actus, id est dei sermo divinus bis acutus duobus testamentis, legis antiquae et legis novae acutus sapientiae suae aequitate, reddens unicuique secundum actum suum.

(Hic auctor libri adv. Iud. lineas quasdam omisit.)

Licuit ergo et Christo. Dei in Psalmis sine bellicis rebus ensem sermonis Dei praecingi figurato, cui praedicta tempestivitas congruat cum gratia labiorum, quem tunc cingebatur super femur apud David, quando venturus in terras etc.

Et deducet, inquit, *te magnitudo dexterarum tuarum,* virtus scilicet gratiae spiritualis de qua Christi agnitione deducitur. Sagittae tuae, inquit acutae, pervolant utique Dei praecepta minantes traductionem uniuscuiusque cordis, compungentes et transfigentes conscientiam quamque. Populi sub te cadent, utique adorantes. Sic bellipotens et armiger Christus est. Sic recipiet spolia, non solius Samaritanorum et omnium gentium. Agnosce et spolia figurata cuius et arma allegorica didicisti. Atque ita in tantum Christus qui venit, non fuit bellator, quia non talis ab Esaia praedicabatur.

Adversus Marcionem.

tantum *Esaiae erit* Christus, qui venit, in quantum non fuit bel-  
lator, quia non talis ab *Esaia*  
praedicatur.

Ex capite 16.

Constabit autem utrumque in Christo creatoris, in quo invenitur etiam Iesus. *Quomodo inquis? Disce et hic cum partiaris erroris tui Iudaeis. Cum successor Moysi destinaretur Auses filius Nave, transfertur certe de pristino nomine et incipit vocari Iesus. Certe, inquis. Hanc prius dicimus figuram futuri fuisse. Nam quia Iesus Christus secundum populum, quod sumus nos, nati in seculi desertis, introducturus erat in terram promissionis melle et lacte manantem, id est vitae aeternae possessionem, qua nihil dulcius, idque non per Moysen, id est non per legis disciplinam, sed per Iesum, per Evangelii gratiam provenire habebat, circumcisis nobis petrina acie, id est Christi; petra enim Christus: Ideo is vir, qui in huius sacramenti imagine parabatur, etiam nominis dominici inauguratus et figura, Iesus cognominatus. Hoc nomen ipse Christus suum, iam tunc esse testatus est, cum ad Moysen loquebatur. Quis enim loquebatur, nisi spiritus creatoris, qui est Christus. Cum ergo mandato diceret populo, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui te custodiat in via, et introducat in terram, quam paravi tibi, intende illi et exaudi eum, ne inobaudieris eum. Non enim celabit te, quoniam nomen meum super illum est. Angelum quidem eum dixit, ob magnitudinem virtutum, quas erat editurus et ob officium prophetae, nuntiantis scilicet divinam voluntatem.*

Adversus Iudaeos.

(*Omisit hic auctor cap. 15. et Marcion., nec non initium cap. 16.*)

Constabit autem utrumque nomen in Christo Dei, in quo invenitur etiam Iesus appellatus. *Disce erroris tui morem. Dum Moysi successor destinaretur Auses filius Nave, transfertur certe de pristino nomine et incipit vocari Iesus. Certe inquis. Hanc prius dicimus figuram futuri fuisse. Nam quia Iesus Christus secundum populum, quod sumus nos, nationes in seculo deserto commorantes antea introducturus esset in terram promissionis melle et lacte manantem, id est in vitae aeternae possessionem, qua nihil dulcius; idque non per Moysen, id est non per legis disciplinam, sed per Iesum, id est per novae legis gratiam provenire habebat circumcisis nobis petrina acie, id est Christi praecipue (petra enim Christus multis modis et figuris praedicatus est.) Iste is vir qui in huius sacramenti imaginem parabatur, etiam nominis dominici inauguratus est figuram ut Iesus nominaretur. Nam quod ad Moysen loquebatur, ipse est Dei filius qui et semper videbat Deum enim patrem nemo vidit unquam, et vixit: et ideo constitutum ipsum Dei filium Moysi esse locutum, et dixisse ad populum: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, id est populi, qui te custodiat in itinere, et introducat in terram, quam praeparavi tibi intende illi, et audi eum, et inobediens fueris ei: Non enim celavit te, quoniam nomen meum super illum est. Populum enim introducturus erat Iesus in te*



## Adversus Marcionem.

sum autem ob nominis sui  
ri sacramentum. *Identidem*  
en suum confirmavit, quod  
ei indiderat, quia non ange-  
nec Ausen sed Iesum eum  
erat exinde vocitari. Ergo si  
mque nomen competit in Chri-  
i creatoris etc.

Ex capite 17.

enim plenitudo in illo spi-  
constitit, agnosco virgam de  
de Iesse. Flos eius meus erit  
stus, in quo requievit secun-  
Esaiam spiritus sapientiae et  
lectus, spiritus consilii et vi-  
s, spiritus agnitionis et pieta-  
spiritus timoris Dei. Neque  
ulli hominum, diversitas spi-  
um documentorum compete-  
nisi in Christum; flori qui-  
ob gratiam spiritus adaequa-  
ex stirpe autem Iesse depu-  
n, per Mariam inde censendum.  
stulo autem de proposito, si  
ei omnis humilitatis et patien-  
et tranquillitatis intentionem  
x his Esaiæ erit Christus,  
o in plaga, et sciens fere im-  
ilitatem: qui tanquam ovis ad  
nam adductus est et tanquam  
s ante tondentem non aperuit  
Qui neque contendit neque  
avit, nec audita est foris vox  
qui arundinem contusam, id  
uassam Iudaeorum fidem, non  
ninuit: qui linum ardens, id  
momentaneum ardorem gen-  
non extinxit. Non potest

## Adversus Iudaeos.

ram repromissionis non Moyses.  
Angelum quidem dixit eum ob  
magnitudinem virtutum, quas erat  
editurus (quas virtutes fecit Iesus  
Nave et ipsi legitis) et ob officium  
prophetae, nunciantis scilicet di-  
vinam voluntalem.

(*Pauca hic inserta sunt quae a  
lib. adv. Marc. absunt.*)

Sic et Iesus ob nominis sui fu-  
turum sacramentum: id enim no-  
men suum confirmavit, quod ipse ei  
indiderat, quia non angelum, nec  
Ausen, sed Iesum eum iusserat ex-  
inde vocari. Sic igitur utrumque  
nomen competit Christo Dei.

(*Denuo quaedam hic ommissa  
sunt.*)

Evidenter Propheta in sequenti-  
bus dicit: Et nascetur, inquit, vir-  
ga de radice Iesse, quod est Maria,  
et flos de radice eius ascendet. Et  
requiescet super illum spiritus Dei  
et spiritus sapientiae et intellectus,  
spiritus consilii et virtutis, spiritus  
agnitionis et pietatis, spiritus Dei  
timoris implebit illum. Neque enim  
ulli hominum universitas spirita-  
lium documentorum competebat,  
nisi in Christum, flori quidem ob  
gratiam adaequatum, ex stirpe au-  
tem Iesse deputatum per Mariam  
scilicet inde censendum. Fuit enim  
de patria Bethlehem et de domo  
David, sicut apud Romanos in  
censu descripta est Maria, ex qua  
nascitur Christus. Expostulo etiam  
et quia a Prophetis praedicabatur  
ex Iesse genere venturus, et om-  
nem humilitatem, et patientiam et  
tranquillitatem esset exhibiturus,  
an venerit? Atque ita is homo, qui  
talis ostenditur, ipse erit Christus  
qui venit. De hoc enim Propheta  
dicit: homo in plaga positus et  
sciens fere imbecillitatem: qui tan-  
quam ovis ad victimam ductus est,

## Adversus Marcionem.

alius esse, quam qui praedicabatur. Oportet actum eius, ad scripturarum regulam recognosci. Duplici, nisi fallor, operatione distinctum, praedicationis et virtutis. Sed de utroque titulo sic disponam.

*Hic autem generaliter expungamus ordinem coeptum, docentes praedicatorem interim annunciari Christum, per Esaïam.*

*(Citantur nunc loca ex V. T. sed utrimque inter se differunt.)*

## Cap. 18.

*De exitu plane puto diversitatem tentatis inducere, negantes passionem crucis in Christum creatoris praedicatam, et argumentantes insuper, non esse credendum, ut in id genus mortis exposuerit creator filium suum, quod ipse maledixerat: maledictus, inquit, omnis qui pependerit in ligno. Sed huius maledictionis sensum differo etc.*

*(Utrunque alia exhibita sunt.)*

Et utique vel maxime sacramentum istud figurari in praedicatione oportebat: quanto incredibile, tanto magis scandalum futurum, si nude praedicaretur: quantoque magnificentum, tanto magis obumbrandum, ut difficultas intellectus gratiam Dei quaereret. Itaque in primis Isaac, cum a patre in ho-

## Adversus Iudaeos.

*et sicut agnus coram tondenti non aperuit os suum. Si neq. contendit, neque clamavit, neq. audita est foris vox eius, qui ar. dinem contusam, id est quassa Israelis fidem, non commin. qui linum ardens, id est moment. neum ardorem gentium non exit, sed lucere magis fecit ortu. h. minis sui, non potest alius em. quam qui praedicabatur. Oport. itaque actum Christi eius qui ven. ad scripturarum regulam recogno. sci; duplici enim, nisi fallor, oper. tione distinctum eum legimus, pra. dicationis et virtutis. Sed de utro. que titulo sic disponam.*

*(Sequentem periodum omis. scriptor.)*

*Itaque specialiter dispungam ordinem coeptum, docentes praedicatorem adnunciatum Christum ut per Esaïam etc.*

*De exitu plane passionis em. ambigeris, negantes passionem crucis in Christum praedicatam et argumentantes insuper non esse credendum, ut ad id genus mortis exposuerit Deus filium suum, quod ipse dixit: maledictus, omnis homo qui pependerit in ligno. Sed huius maledictionis sensum antecedit rerum probatio.*

Et utique sacramentum passionis ipsius figurari in praedicatione oportuerat: quantoque incredibile tanto magis scandalum futurum si nude praedicaretur: quantoque magnificentum, tanto magis obumbrandum, ut difficultas intellectus gratiam Dei quaereret.



## Adversus Marcionem.

*deditus lignum sibi ipse* rat, Christi exitum iam tunc abat, in victimam concessi a , et lignum passionis suae ntis. Ioseph et ipse Chri- *figuratus*, nec hoc solo (*ne rer cursum*) quod persecu- n a fratribus passus est, *ob iratiam, sicut et Christus a is, carnaliter fratribus*, cum licitur a patre, etiam in haec , Tauri decor eius, cornua rnis, cornua eius in eis na- s ventilabit pariter ad sum- usque terrae. Non utique ceros destinabatur unicornis, minotaurus bicornis, sed Chri- in illo significabatur, taurus ramque dispositionem, aliis ut iudex, aliis mansuetus ut or. Cuius cornua essent cru- *ctrema*. Nam et in *antem- uae crucis pars est, extremi- cornua* vocantur. Unicornis i media stipitis palus. Hac ue virtute crucis et hoc more tus universas gentes et nunc at per fidem, auferens a terra elum et tunc *per iudicium* *abit*, deiiciens de caelo in n. Idem erit et alibi taurus eandem scripturam, cum Ia- n Simeonem et Levi, *id est ribas et Pharisaeos*. Ex illis deducitur census istorum. *taliter interpretatur*, Simeon vi perfecerunt iniquitatem, ex *haeresi*, qua scilicet Christum persecuti. In concilium eo- ne venerit anima mea et in nem eorum ne incubuerint i mea, *quia in indignatione* *nterfecerunt homines*, id est *metas*, et in concupiscentia sua *lerunt nervos tauro*, id est *to quem post necem prophe-* *suffigendo nervos eius cla-* *saevierunt*. Ceterum vanum,

## Adversus Iudaeos.

## Cap. 10.

Itaque in primis Isaac, quum a patre *hostia duceretur et lignum ipsi sibi portaret*, Christi exitum iam tunc denotabat, in victimam concessi a patre, lignum passionis suae baiulantis. Ioseph et ipse Christum *figuravit*, vel hoc solo, *ne cursum demorer ipse*, quod persecu- tionem a fratribus passus est, *et venundatus, a Iuda quum traditur*. Nam et benedicitur *in haec verba Ioseph*: Tauri decor eius, cornua unicornis cornua eius, in eis nationes ventilabit pariter ad summum usque terrae. Non utique rhinoceros destinabatur unicornis *vel* minotaurus bicornis, sed Christus in illo significabatur: taurus ob utramque dispositionem, aliis ferus ut iudex, aliis mansuetus ut salvator. Cuius cornua essent crucis *extima*. Nam et in *antenna navis* quae crucis pars est, *cornua extremitates* vocantur. Unicornis autem media stipitis, palus. Hac denique virtute crucis, et hoc more cornutus, universas gentes et nunc ventilat per fidem, auferens a terra in caelum et tunc *ventilabit per iudicium*, deiiciens de caelo in terram. Idem erit et alibi taurus apud eandem scripturam, cum Iacob in Simeonem et Levi *porrexit benedictionem de scribis et Pharisaeis prophetas*. Ex illis enim deducitur census illorum, *interpretatur enim spiritualiter sic*: Simeon et Levi perfecerunt iniquitatem, ex sua *secta*, qua scilicet Christum sunt persecuti. In concilium eorum ne venerit anima mea et in stationem eorum ne incubuerint iecora mea: *quoniam indignatione sua interfecerunt homines*, id est prophetas; et in concupiscentia sua *subnervarunt taurum*, id est Christum, quem post necem prophetarum *interfecerunt*.

## Adversus Marcionem.

si post *homicidia*, alicuius bovis *illis* exprobrat carnificinam. Iam vero Moysis, quid utique tunc tantum, cum Iesus adversus *Amalech* proeliabatur, expansis manibus *orat* residens, quando in rebus tam attonitis, magis utique genibus *depositis* et manibus caedentibus pectus et facie humi *volutante*, orationem commendare debuisset? Nisi quia illic, ubi *est* nomen *domini*, dimicabat, dimicaturi quandoque adversus diabolum, *crucis quoque erat habitus* necessarius, per quam Iesus victoriam esset relaturus. Idem rursus Moyses, post interdictam omnis rei similitudinem, cur *aereum* serpentem ligno impositum, pendentis habitu in spectaculum salutare proposuit? *An et hic dominicae crucis vim intentabat*, qua serpens diabolus *publicabatur* et laeso cuique *a spiritalibus colubris*, intuenti tamen et credenti in eam, *sanitas morsuum peccatorum, et sanitas exinde praedicabatur?*

## Cap. 19.

Age nunc, si legisti penes *David*, *Dominus* regnavit a ligno, expecto quid intelligas, *nisi* forte lignarium aliquem regem significari *Iudaeorum*, et non Christum, qui exinde a passione ligni, superata morte, regnavit.

Etsi enim etc.

(*Haec omissa est periodus in libro adv. Iudaeos.*)

Proinde et *Esaias*: quoniam, *inquit*, *puer* natus est nobis. Quid novi, si non de filio Dei dicit? *Et datus* est nobis, cuius imperium

## Adversus Iudaeos.

*et nervos eius suffigendo clavis saevierunt*. Ceterum vanum, si *homicidium* iam ab eis commisit alicuius bovis *ipsis* exprobrat carnificinam. Iam vero Moyses, utique tunc tantum, cum Iesus versus *Amalec* proeliabatur, expansis manibus *orabat* residens; quando in rebus tam attonitis magisque genibus *positis*, et manibus caedentibus pectus, et facie *holutata*, orationem commendare debuisset? nisi quia illic, ubi non *Iesu* dimicabat, dimicaturi quandoque adversus diabolum, *crucis habitu quoque erat* necessarius, per quam Iesus victoriam esset relaturus. Idem rursus Moyses post interdictam omnis rei similitudinem, cur *aereum* serpentem ligno impositum pendentis habitu in spectaculum *Israel* salutare proposuit, *eo tempore*, quo a serpentibus post *idolatriam* exterminabantur? *nisi* quod hic *dominicam crucem* iam *intendebat*, qua serpens diabolus *publicabatur* et laeso cuique *a colubris*, id est *angelis eius*, *et delictorum peccantia ad Christianis sacramenta intento salus* exhibebatur. Nam qui in illam *intendebat*, a morsu serpentium *liberabatur*.

Age nunc, si legisti penes *Prophetam in Psalmis*, *Deus* regnavit a ligno; expecto quid intelligas, *nisi* forte lignarium aliquem regem significari *putetis*, et non Christum, qui exinde a passione Christi superata morte regnavit.

(*Cetera desunt.*)

Proinde et *Esaias*: quoniam *puer* *inquit*, natus est nobis. Quid novum, si non, *est* de filio Dei, dicit? *Filius* natus est nobis, cuius imperium

## Adversus Marcionem.

im est super humerum ipsius. s. omnino regum insigne potestatis suae humero praefert, et aut capite diadema, aut manutrium, aut aliquam propriae venotam? Sed solus novus rex aevorum Christus Iesus, e gloriae et potestatem et sublimitatem suam humero extulit, em scilicet, ut secundum superiorem prophetiam exinde dominus aret a ligno. *Hoc lignum et emias tibi insinuat dicturis dicens Iudaeis.* Venite iniuius lignum in panem eius, ut in corpus. *Sic enim Deus in gelio quoque vestro revelavit,* m corpus suum appellans, *ut inc iam eum intelligas corpus sui figuram panis dedisse,*

retro corpus in panem proes figuravit, ipso domino hoc mentum postea interpretatus. Si adhuc quaeris dominicae s. predicationem, satis iam tibi t. facere vigesimus primus us, totam Christi continens onem, canentis iam tunc glori- suam: Foderunt, inquit, man- neas, et pedes, quae propria ia crucis. Et rursus, cum ium patris implorat: *Salvum, t, fac me* ex ore leonis, utique is, et de cornibus unicornis litatem, de apicibus scilicet s, ut supra ostendimus. Quam m nec ipse David passus est, illus rex Iudaeorum, ne putes us alicuius, qui solus a populo nsigniter crucifixus est. Nunc omnes istas interpretationes erit et irriserit haeretica du- concedam illi nullam Christi m significatam a creatore: quia x hoc probabit alium esse, qui fixus est, nisi forte ostenderit

## Adversus Iudaeos.

rium factum est super humerum ipsius. *Quis omnino regum insigni potestati suae humero praefert, et non aut capite diadema, aut in manu sceptrum aut aliquando propriae vestis notam?* Sed solus novus rex seculorum Christus Iesus novae gloriae et potestatem et sublimitatem suam in humero extulit, crucem scilicet, ut secundum superiorem prophetiam exinde dominus regnaret a ligno. *De hoc enim ligno etiam Deus insinuat per Hieremiam quod essent dicturi:* Venite mittamus in panem eius lignum, et conteramus eum a terra virorum, et nomen illius non memorabitur amplius. Utique in corpus eius lignum missum est. *Sic enim Christus revelavit, panem corpus suum appellans,*

(*Haec a libro adv. Iud. absunt.*) cuius retro corpus in panem prophetes figuravit. Si adhuc quaeres dominicae crucis praedicationem, satis iam poterit tibi facere XXI. Psalmus, totam Christi continens passionem, canentis iam tunc gloriam suam. Foderunt, inquit, manus meas, et pedes, quae propria est atrocitas crucis. Et rursus, cum auxilium patris imploraret: *Salvum me fac, inquit,* ex ore leonis, utique mortis, et de cornibus unicornuorum humilitatem meam. De apicibus scilicet crucis, ut supra ostendimus, quam crucem nec David passus est, nec ullus regum Iudaeorum, ne putetis alterius alicuius prophetari passionem, quam eius, qui solus a populo tam insigniter crucifixus est. Nunc et si omnes interpretationes istas respuerit et inriserit duritia cordis vestri, probavimus.

(*Cetera omissa sunt.*)

## Adversus Marcionem.

hunc exitum eius a suo Deo praedicatum, ut diversitas passionum, ac per hoc etiam personarum, ex diversitate praedicationum vindicetur. Ceterum, nec ipsi Christo eius praedicato, nedum cruce ipsius, *sufficit in meum Christum solius mortis prophetia: ex hoc enim, quod non est edita qualitas mortis, potuit et per crucem evenisse, tunc alii deputanda, si in alium fuisset praedicatum* etc. etc..

*Et mortem autem, et sepulturam et resurrectionem Christi mei, una voce Esaiæ volo ostendere dicentis, sepultura eius sublata de medio est. Nec sepultus enim esset, nisi mortuus, nec sepultura eius sublata de medio, nisi per resurrectionem. Denique subiicit: propterea ipse multos hereditati habebit, et multorum dividet spolia, pro eo quod tradita est anima eius in mortem. Ostensa est enim causa gratiae huius, pro iniuria scilicet mortis repensandae. Pariter ostensum est, haec illum propter mortem consecuturum, post mortem utique per resurrectionem consecuturus.*

## Cap. 20.

Sufficit, hucusque de his interim ordinem Christi *decucurrisse*, quo talis *probatus qualiter annunciabatur, non alius haberi debeat, quam qui talis annunciabatur, ut iam ex ista consonantia rerum eius et scripturarum creatoris, illis etiam restituenda sit fides ex praeiudicio*

## Adversus Iudaeos.

*sufficere posse mortem Christi prophetatam, ut ex hoc, quod esset edita qualitas mortis, imitatur par crucem evenisse, alii deputandam fuisse passionem crucis quam cuius mors praedicabatur.*

(Desunt pauca denuo.)

*Nam mortem eius, et passionem et sepulturam una voce Esaiæ lo ostendere: a facinoribus, qui, populi mei perductus est in mortem etc. Dicit enim adhuc sepultura eius sublata est e medio. Nec sepultus enim est nisi mortuus, nec sepultura eius sublata e medio, nisi per resurrectionem eius. Denique subiungit: propterea ipse multos in hereditatem habebit, et multorum dividet spolia. Quis enim alius, nisi qui natus est supra ostendimus, pro eo quod tradita est in mortem anima eius. Ostensa enim causa gratiae est pro iniuria scilicet mortis repensandae, pariter ostensum est, illum propter mortem consecuturum, post mortem utique resurrectionem consecuturum.*

(Plura hic inserta sunt.)

## Ex cap. 11.

(Videatur et cap. XIV. circa nem; ibi cum hoc nostra congruit.)

Sufficit hucusque, de his interim ordinem Christi *decucurrisse*, quod talis *probatur qualis annunciabatur, etiam ex ista consonantia scripturarum, quas ex praeiudicio partis adversum Iudaeos, elidimus. Neque enim in deducant vel negent, quae se*

## Adversus Marcionem.

ris partis, quae ad diversas  
ntias vel in dubium deducun-  
vel negantur. Amplius nunc  
rstruimus ea quoque paria ex  
turis creatoris, quaeque post  
stum futura praecinebantur.  
enim dispositio expuncta in-  
etur, si non ille venisset post  
1 habebat evenire.

## Adversus Iudaeos.

proferimus ut ex hoc quoque paria  
esse scripturis divinis negare non  
possint: ut quae post Christum  
futura praecinebantur adimpleta  
cognoscantur. Neque enim dispo-  
silio expuncta inveniatur, nisi ille  
venisset post quem habebant ex-  
pungi quae nunciabantur, quae  
completa esse etiam probarentur.

## Cap. 12.

aspice universas nationes de vo-  
re erroris humani, exinde emer-  
es ad Deum creatorem, ad Deum  
atum, et si audes, nega prophe-  
n. Sed statim tibi in psalmis  
issio patris occurrit. Filius  
es tu, ego hodie generavi te.  
ula de me, et dabo tibi gentes  
ditatem tuam et possessionem  
terminos terrae. Nec poteris  
s David filium eius vendicare,  
1 Christum: aut terminos ter-  
David potius promissos, qui  
1 unicam Iudaeorum gentem  
avit, quam Christo, qui totum  
orbem Evangelii sui fide cepit.  
et per Esaiam: Ecce dedi te in  
ositionem generis in lucem na-  
um, aperire oculos caecorum,  
re errantium, exsolvere de vin-  
vinctos, id est de delictis li-  
re, et de cella carceris, id est  
lis, sedentes in tenebris, igno-  
ae scilicet. Quae si per Chri-  
1 eveniunt, non in alium erunt  
hetata, quam per quem eveni-  
etc.

Aspicite universas nationes, de  
voragine erroris humani exinde  
emergentes ad Dominum Deum  
creatorem, et ad Deum Christum  
eius, et si audes, nega propheta-  
tum. Statim tibi promissio patris  
occurrit in psalmis dicens. Filius  
meus es tu, ego hodie genui te.  
Pete a me, et dabo tibi gentes he-  
reditatem tuam et possessionem  
tuam terminos terrae. Nec poteris  
eum magis David filium dicere,  
quam Christum: aut terminos ter-  
rae David potius promissos, qui in-  
tra unicam Iudaeam regnavit, quam  
Christo, qui totum iam orbem  
Evangelii sui fide cepit. Sicut per  
Esaiam dicit: Ecce dedi te in dispo-  
sitionem generis mei in lucem gen-  
tium, aperire oculos caecorum,  
utique errantium, exsolvere de vin-  
culis vinctos, id est, de delictis li-  
berare, et de domo carceris id est  
mortis; sedentes in tenebris igno-  
rantiae scilicet. Quae si per Chri-  
stum eveniunt, non in alium erunt  
prophetata, quam per quem ex-  
puncta consideramus.

## Cap. 13.

(Utrisque alia invenies: cap.  
autem 13. adv. Iudaeos longam lo-  
corum quae citantur seriem sistit.)

## Cap. 14. in fine.

enique et thronus in aevum, et  
um in aevum, magis Christo

Denique et thronus in aevum  
magis Christo Dei filio competit

Adversus Marcionem.

competit, quam Salomoni temporali scilicet regi; sed à Christo misericordia Dei non abscessit. Salomoni vero etiam ira Dei accessit, post luxuriam et idololatriam. Suscitavit enim illi Satan hostem Iudaeum. Cum ergo nihil horum competat in Salomonem, sed in Christum, certa erit ratio interpretationem nostrarum, ipso etiam exitu rerum probante, quas in Christum apparet praedicatas: et in hoc erunt sancta et fidelia David. Hunc Deus testimonium nationibus posuit, non David: principem et imperantem nationibus, non David, qui soli *Israeli* imperavit. Christum hodie invocant nationes, quae eum non sciebant, et populi ad *Christum hodie* confugiunt, quem retro ignorabant. Non *potest* futurum dici, quod vides fieri.

Ex cap. 21. in fine.

Haec aut prophetata nega, cum coram videntur, aut adimpleta, cum leguntur. Aut si non negas utrumque, in eo erunt adimpleta, in quem sum prophetata.

Cap. 23.

Nunc quia cum Iudaeis negas venisse Christum eorum, recognosce et exitum ipsorum, quem post *Christum* relaturi praedicabantur ob impietatem, qua eum despexerunt et interemerunt. Primum enim, *ex die, qua* secundum *Esaiam* proiecit homo *aspersamenta* sua aurea et argentea, quae fecerunt adorandis vanis et noctuis, id est, ex quo *genus hominum*, dilucidata per Christum veritate, *idola* proiecit, vide an quod sequitur expunctum sit: *Abstulit* enim Dominus Sabaoth a Iudaea et ab Hierusalem inter cetera et prophetam, et sapientem architectum, *spiritum scilicet sanctum*, qui aedificat ecclesiam, tem-

Adversus Iudaeos.

quam Salomoni temporali scilicet regi,

*(Haec omissa sunt.)*

qui soli *Israel regnavit*. Christum enim hodie invocant nationes, quae eum non sciebant, et populi *hodie ad Christum* confugiunt, quem retro ignorabant: non *potest* futurum contendere, quod vides fieri.

Ex cap. 14. in fine.

Haec aut prophetata nega, cum coram videntur: aut adimpleta, cum leguntur: aut si non negas utrumque, in eo erunt adimpleta in quem sunt prophetata.

Ex cap. 13. circa finem.

*Igitur quoniam adhuc contendunt Iudaei, nec dum venisse Christum eorum, quem tot modis adprobamus venisse, recognoscant Iudaei exitum suum, quem post adventum Christi relaturi praecinebantur ob impietatem, qua eum et despexerunt et interfecerunt.* Primo enim *ex die* secundum *illud dictum Esariae* proiecit homo *abominamenta* sua aurea et argentea, quae fecerunt adorandis vanis et noctuis, id est, ex quo *gentes, nos*, dilucidata per Christum veritate *proiecimus idola, videant Iudaei* quod sequitur expunctum est. *Abstulit* enim Dominus Sabaoth a Iudaea et ab Hierusalem inter cetera, t



## Adversus Marcionem.

*scilicet et domum et civitatem* Nam exinde *apud illos destitit* gratia, et *mandatum est* nubibus, ne pluerent imbrem super vineam Sorech, id est caelestibus beneficiis, ne provenirent domui *Israëlis*. Fecerat enim spinas, ex quibus *dominum* coronaverat: et non *iam*, sed clamorem, quo in crucem eum extorserat. Et ita sub *charismatum roribus*, lex et aetate usque ad Iohannem. *Decum* ea perseverantia furoris, *men domini* per ipsos blasphematur, sicut scriptum est: *Pro vos blasphematur nomen meum nationibus*, ab illis enim *coënfamia*: et tempus medium a *no* usque ad Vespasianum, *non intelligentiam* intellexissent, facta *terra* eorum deserta, *civitates* in exustae, *regionem eorum psorum* in conspectu extranei *deut*, derelicta filia Sion, et *tantquam* specula in vinea, vel in cucurbitario casula, ex quo scilicet *Israëlinum* non cognovit, et *populum* non intellexit, sed *derectionem*, et in indignationem provocatum *Israëlis*. Sic et *machaerae* conditionalis comminatio, *lueritis nec audieritis me, machaera* vos comedet, probavit *Christum* fuisse, quem non audiendo *runt*. Qui et in psalmo *quintissimo octavo* dispersionem eius *lat* a patre. *Disperge* eos in vinea tua. Qui et *rursus* per *mach* in exustionem eorum *perieritis*: propter me haec, inquit, *facta* sunt vobis: in anxietate dormietis.

*Altera quae contra Marcionem tantur a libro adv. Iudaeos ut.)*

## Adversus Iudaeos.

sapientem architectum, qui aedificat ecclesiam, *Dei templum et civitatem sanctam et domum domini*. Nam exinde *destitit apud illos* Dei gratia. Et *mandatum est* nubibus, ne pluerent imbrem super vineam Sorech, id est caelestibus beneficiis ne provenirent domui *Israël*. Fecerat enim spinas, ex quibus *Christum* coronaverat, et non *iustitiam*, sed clamorem, quo in crucem eum extorserat; et ita *subtractis charismatis prioribus* lex et prophetae usque ad Iohannem fuerant. *Et piscina Bethsaida usque ad adventum Christi curando invaletudines ab Israël, desitit a beneficiis* deinde, cum ex perseverantia furoris *sui*, *nomen domini* per ipsos blasphemaretur: sicut scriptum est, *propter vos nomen Dei blasphematur in gentibus*. Ab illis enim *incipit* infamia, et tempus medium a *Tiberio* usque ad Vespasianum. *Quae cum ita commisissent nec intellexissent Christum in tempore suae visitationis inveniendum*, facta est *terra* eorum deserta et *civitates* eorum *igni* exustae. *Regionem ipsorum in conspectu* eorum extranei *devorantes*: *derelicta est* filia Sion *tantumquam* specula in vinea, vel *ut* in cucumerario casula: Ex quo scilicet *Israël* *Dominum* non cognovit, et *populus* eum non intellexit, sed *dereliquit magis*, et *ad indignationem* provocavit *sanctum Israël*. Sic et *machaerae* conditionalis comminatio: Si nolueritis, nec obaudieritis, *gladius* vos comedet, probavit *Christum* fuisse, quem non audiendo *perierunt*, qui et in Psalmo *dispersionem eius* postulat a patre *dicens*: *disperge* illos in virtute tua. Qui et *rursum* per *Esaiaem* *exustionem* eorum *orat*. Propter me, inquit, haec *facta* sunt vobis: in anxietate dormietis.

## §. XII.

Iam novae rei alius superest observatio, quae non parum ad illustrandam huius suspicionis rationem. Ista enim Irenaei, sunt nostris in manibus, scripta, si comparantur cum his Tertulliani, mirifice conveniunt. Scimus autem Tertullianum istum illorum primum, qui Irenaei nomen recitant inter scriptores; omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem dicebat Irenaeus noster Tertullianus (pag. 238. n. 27.). Si vero ille Irenaeus Lipsius scripsit istos libros adversus haereses, quomodo Tertullianus istos libros tempore hos libris oculis et manibus usurpavit suis? Quo autem sic fecit Tertullianus, ut ex graeco illo textu Irenaei sublegere et latine repeteret, quae ille creditur scripsisse graece? Atque quidem, ut ne nominaverit quidem Irenaeum, quem tamen latine scribebat? Viderint lectores, quid statuendum putent de ista re, nobis certe non videtur monstro carere. Eligimus autem istam quam agimus, documenta.

Tertullianus adversus Valentin. cap. 7.

Illic etiam Valentinianorum Deus ad summas tegulas<sup>a</sup> habitat, hunc *substantialiter*<sup>b</sup> quidem *αἰῶνα τέλειον* appellant; *personaliter*<sup>c</sup> vero *προάρχην* et *τὴν ἀρχὴν*<sup>d</sup>, etiam Bythion, quod in sublimibus habitanti<sup>e</sup> minime congruebat. Innatum<sup>f</sup>, *immensum*, infinitum, invisibilem, aeternumque definiunt etc. Sic itaque Bythos iste *in finitis retro aevis*, in maxima et altissima quiete, in ocio plurimo, placidae, etc. *et tamen quem solum volunt*, dant ei *secundam*, in ipso et cum ipso, *personam*<sup>g</sup>, Ennoeam, quam et Charin et Sigen insuper nominant. Et forte accedunt in illa commendatissima quiete, *movere* eum de proferendo tandem *initio* rerum *a semetipso*. Hoc *vice*<sup>h</sup> *seminis* in Siges *suae* velut in genitalibus vulvae locis *collocat*. Suscipit illa statim, et praegnans efficitur, et parit, utique

Irenaeus contra Haereses lib. I. c. p. 5. ed. Massuet.

*Λέγουσι γὰρ τινα εἶναι ἐλάτοις καὶ ἀκατονομάστοις ἡμασι, τέλειον αἰῶνα προῦτον δὲ καὶ . . . προπῶτα καὶ Βυθὸν καλοῦσιν . . . ἔχοντα δ' αὐτὸν ἀχώρητον καταρατον, ἀϊδιὸν τε καὶ ἀγέννητον ἐν ἡσυχίᾳ καὶ ἡρεμίᾳ ποιεῖσθαι ἐν ἀπείροις αἰῶσι νων. συνπαρχειν δ' αὐτῷ Ἐννοίαν, ἣν δὴ καὶ Χάριν καλεῖσθαι ὀνομαζοῦσι. καὶ ἐννοεῖσθαι ποτε ἀφ' ἑαυτοῦ προβαλέτωσαν τὸν Βυθὸν τοῦτον ἀρχὴν πάντων. καὶ καθάπερ σπέρμα τὴν προβολὴν ταύτην (ἣν καλεῖσθαι ἐνενοήθη) καὶ καθάπερ ὡς ἐν μήτρᾳ, τῇ συνπαρχειν ἑαυτῷ Σιγῇ. ταύτην δὲ ὑπολαμβάνειν τὸ σπέρμα τοῦτο, καὶ μόνον γενομένην ἀποκυψαί*

a. Parum commode iocatur in re serie.

b. οὐσιώδως.

c. ὑποστατικῶς; Tertullianus dicit explicatius, nempe ipse sui interpres.

d. Active igitur intelligebant hoc nomen.

e. Ineptè iocatur. Eodem ominè altis-

simus ὑπιστος dici poterat, et profunditas.

f. ἀγέννητον, alio ordine hic.

g. Est explicatio τοῦ συνπαρχειν

h. καθάπερ σπέρμα.

i. μήτρα.

Tertull. adv. Valent.

silentio, Sige; (et quem parit, Nus est) Simillimum patri et parem per omnia. Denique solus hic capere sufficit immensam illam et incomprehensibilem magnitudinem patris. Ita est ipse pater dicitur, et initium omnium et proprie Monogenes etc. Nam cum illo processit et femina, cui<sup>k</sup> veritas Monogenes, quia prior genitus, quanto congruentius Protogenes vocaretur? Ergo Bythios, et Sige, Nus, et veritas, prima *quadriga*<sup>l</sup> defenditur, Valentinianae factionis, matrix et origo cunctorum. Namque ibidem<sup>m</sup> Nus simul accepit prolationis suae officium<sup>n</sup>: emitit et ipse ex semetipso *sermonem* et *vitam* etc. Sed et haec soboles, ad initium universitatis et formati Pleromatis totius emissa, facit fructum; hominem et Ecclesiam procreat, habes Ogdoadem, tetradem duplicem, ex coniunctionibus masculorum et feminarum, cellas, ut ita dixerim primordialium Aeonum, etc.

Cap. 8.

Ecce enim secunda tetras, Sermo et Vita, Homo et Ecclesia, quod in patris gloriam fructicasset<sup>o</sup>, huic numero gestientes et ipsi tale quid patri de suo offerre, alios ebulliunt foetus proinde *coniugales*, per copulam utriusque naturae. Ac sermo et vita decuriam aeonum simul fundunt<sup>p</sup>. (Illac homo et ecclesia, duos amplius, aequiparando parentibus, quia et ipsi duo cum illis, decem; tot efficiunt, quot ipsi procreaverunt.) Reddo nunc nomina, quos decuriam dixi. *Bythos*, et *Mixis*, et *Hedone*, *Acinetos*, et *Syncrasis*,

k. Scil. nomen est veritas.

l. Ludit alio nomine, loco *τετρακτύς*.

m. *is idem*, forte.

n. Explicat ipse illud *αἰσθανόμενον* ἐφ' οἷς etc.

Iren. contra Haeres.

ὁμοῖόν τε, καὶ ἴσον τῷ προβαλόντι, καὶ μόνον χωροῦντα τὸ μέγεθος τοῦ πατρὸς. τὸν δὲ Νοῦν τοῦτον καὶ Μονογενῆ καλοῦσι, καὶ πατέρα καὶ ἀρχὴν τῶν πάντων. συμπροβεβλήσθαι δὲ αὐτῷ Ἀλήθειαν καὶ εἶναι ταύτην πρῶτον καὶ ἀρχέγονον Πυθαγορικῆν τετρακτῦν, ἣν καὶ εἶζαν τῶν πάντων καλοῦσιν. ἔστι γὰρ Βυθὸς καὶ Σιγή, ἔπειτα Νοῦς καὶ Ἀλήθεια. αἰσθόμενον τε τὸν Μονογενῆ τοῦτον ἐφ' οἷς προεβλήθη, προβαλεῖν καὶ αὐτὸν Λόγον, καὶ Ζωὴν, πατέρα πάντων. τῶν μετ' αὐτὸν ἔσομένων, καὶ ἀρχὴν καὶ μόρφωσιν παντὸς τοῦ Πληρώματος. ἐκ δὲ τοῦ Λόγου καὶ τῆς Ζωῆς προβεβλήσθαι κατὰ συζυγίαν Ἄνθρωπον καὶ Ἐκκλησίαν. καὶ εἶναι ταύτην ἀρχέγονον Ὀγδοάδα εἶζαν καὶ ὑπόστασιν τῶν πάντων, κτλ.

§. 2.

Τούτους δὲ τοὺς Αἰῶνας εἰς δόξαν τοῦ πατρὸς προβεβλημένους βουληθέντας καὶ αὐτοὺς διὰ τοῦ ἰδίου δοξάσαι τὸν πατέρα, προβαλεῖν προβολὰς ἐν συζυγίᾳ. τὸν μὲν Λόγον καὶ τὴν Ζωὴν μετὰ τὸ προβαλέσθαι τὸν Ἄνθρωπον καὶ τὴν Ἐκκλησίαν, ἄλλους δέκα Αἰῶνας ὧν τὰ ὀνόματα λέγουσι ταῦτα. Βύθιος καὶ Μίξις, Ἀγήρατος καὶ Ἐκωσις, Αὐτοφνῆς καὶ Ἡδονὴ καὶ Μακάρια. οὗτοι δέκα Αἰῶνες, οὓς καὶ φράσκουσιν ἐκ Λόγου καὶ Ζωῆς προβεβλήσθαι. τὸν δὲ Ἄνθρω-

o. Scil. *τετράς* prima hanc secundam.

p. Ista in ( ) inclusa explicationem novam secum ferunt, quae cum graeco non cohaeret; auctori eidem id licebat.

Tertull. adv. Valent.

Monogenes, et Macaria<sup>q</sup>. Contra duodenarius numerus hi erunt: Paracletus et Pistis, Patricos et Elpis, Metricos et Agape, Aeinous et Synesis, Ecclesiasticus et Macariotes, et Theletus et Sophia etc.

Hoc erit Pleroma illud arcanum divinitatis tricenariae plenitudo. Videamus, quae sint istorum privilegia numerorum, quaternarii, et octonarii, et duodenarii etc.

Cap. 9.

Sed et hoc exceptio personarum est, quod *solus ille Nus* ex omnibus immensi patris fruitur notione: *gaudens* et *exultans*, illis utique moerentibus<sup>r</sup>. Plane Nus et quantum in ipso fuit, et voluerat et tentaverat, *ceteris quoque communicare*<sup>s</sup> quae norat, quantum et quam *incomprehensibilis Pater*; *sed intercessit Mater Sige* etc.<sup>t</sup>. Etsi de patris *nutu*<sup>u</sup> aiunt factum, volentis omnes in desiderium sui accendi. Itaque dum macerantur intra semetipsos, dum tacita cupidine cognoscendi patrem uruntur: *paene scelus factum est*<sup>x</sup>.

q. Hic latina variant a graecis, sed et in graeco deest αἰών masculus, ante μακαρία.

r. Haec pars: illis utique moerentibus, est irrisio sic narrantis.

Iren. contra Haeres.

πον καὶ αὐτὸν προβαλεῖν μετὰ τῆς Ἐκκλησίας Αἰῶνας δόξα οἷς ταῦτα τὰ ὀνόματα χαρίζονται, Παράκλητος καὶ Πίστις, Μετρικός καὶ Ἐλπίς, Μετρικός καὶ Ἀγάπη, Ἀεινους καὶ Σύνεσις, Ἐκκλησιαστικός καὶ Μακαρίως, Θελητός καὶ Σοφία.

§. 3.

Οὗτοι εἰσιν οἱ τριάκοντα Αἰῶνες τῆς πλάνης αὐτῶν, τοῦτο ἄόρατον καὶ πνευματικὸν καὶ ἀτόνους πλήρωμα τριχῆ διεσταμένον εἰς ὀγδοάδα καὶ δεκάδα, καὶ ἐν δεκάδα κτλ.

Cap. 2.

§. 1.

Τὸν μὲν οὖν Προπάτορα αὐτῶν γινώσκουσαν μόνω λέγουσιν τῷ ἕξ αὐτοῦ γεγονότι Μονογενῆ τοῦτ' ἔστι τῷ Νῶ, τοῖς δὲ λοιποῖς πᾶσιν ἄόρατον καὶ ἀπύλητον ὑπάρχειν. μόνος δὲ ὁ Νῶς κατ' αὐτοὺς ἐτέρετο δεικνύων τὸν Πατέρα, καὶ τὸ μέγεθος τὸ ἀμέτρητον αὐτοῦ κατανοῶν ἠγάλλετο, καὶ διενοεῖτο καὶ τοῖς λοιποῖς Αἰῶσιν ἀνακοινώσασθαι τὸ μέγεθος τοῦ Πατρὸς ἡλικος καὶ ὅσος ὑπῆρχε, καὶ ὡς ἦν ἀσπύχος τε καὶ ἀχώρητος, καὶ οὐκ ἐταληπτός ἰδεῖν. κατέσχε δὲ αὐτὸν ἡ Σιγή, βουλήσει τοῦ Πατρὸς διὰ τὸ θέλειν πάντας αὐτοὺς ἐν ἑννοίαν καὶ πόθον ζητήσεως τῷ προειρημένον προπάτορος αὐτῶν ἀγαγεῖν, καὶ οἱ μὲν λοιποὶ ὁμοίως Αἰῶνες ἡσυχῇ πως ἐπεπόθησεν τὸν προβολέα τοῦ σπέρματος αὐτῶν ἰδεῖν, καὶ τὴν ἀναρχον εἰς ἱστορήσαι.

s. Haec satis conveniant. Cetera latine dicuntur brevius.

t. Addit et hic scomma: quae haereticis tacere praescribit.

u. βουλήσει.

x. Irrisio scriptoris hic additur.

Tertull. adv. Valent.

Iren. contra Haeres.

§. 2.

imque ex illis duodecim aeoni-  
quos Homo et Ecclesia edide-  
novissima nati Aeon, *viderit*  
*ecismus*; Sophia enim nomen  
incontinentia<sup>a</sup> suisne coniugis  
*ti*<sup>a</sup> societate prorumpit in pa-  
iuquirere, et genus contrahit  
quod *exorsum* quidem fuerat  
lis *aliis*<sup>b</sup>, qui circa Nun<sup>a</sup>, in  
autem, (vel<sup>d</sup> in Sophiam) de-  
at. Sed enim sub *praetexto*<sup>o</sup>  
tionis in patrem aemulatio sub-  
bat in Nun, *solum* de patre gau-  
em. Ut vero *impossibilia con-*  
*ens* Sophia frustrat, et vincu-  
difficultate et *extenditur* affe-  
ie: modico abfuit prae vi dul-  
nis et *laboris* devorari, et in  
*nam*<sup>f</sup> substantiam *dissolvi*<sup>g</sup>:  
alias quam pereundo cessasset,  
bono fato in Horon incurssasset.  
adam et huic vis est, fundamen-  
universitatis illius extrinsecus  
os etc.

a Sophia periculo exempta et  
e persuasa, declinata investiga-  
e patris conquievit, et totam  
ymesin, i. e. animationem, cum  
ione, quae insuper occiderat,  
suil.

Cap. 10.

ed quidam<sup>h</sup> exitum Sophiae et

Ridet scriptor.  
Graeca exprimuntur *επαθε πάθος*,  
e porro legendum cum aliis: *sui*,  
*coniugis* etc. *άνευ*. Contra ex Ter-  
no graece legendam est: *επιπλοκῆς*  
*γού*.  
Θ, theta et φ, phi, hic mutarunt.  
In illis (aliis vix verum), *έν τοῖς κτλ*.  
In graeco porro est: *et veritatem*.  
Haec additio ( ) etiam in latina illa  
latione Irenaei invenitur: *in hoc no-*  
i. e. Sophiam.

*Προήλατο* δὲ πολὺ ὁ τελευ-  
*τατος* καὶ νεώτατος τῆς δωδεκά-  
*δος*, τῆς ὑπὸ τοῦ Ἀνθρώπου καὶ  
τῆς Ἐκκλησίας προβεβλημένος  
*Αἰών*, τοῦτ' ἐστὶν ἡ Σοφία, καὶ  
*ἔπαθε* πάθος ἀνευ τῆς ἐπιπλο-  
*κῆς* τοῦ ζυγοῦ τοῦ Θελητοῦ· ὃ  
*ἐνήρξατο* μὲν ἐν τοῖς περὶ τὸν  
*Νοῦν*, καὶ τὴν Ἀλήθειαν, ἀπέ-  
*σκηψε* δὲ εἰς τοῦτον τὸν παρατρα-  
*πέντα*, πρόφρασιν μὲν ἀγάτης,  
*τόλμης* δὲ διὰ τὸ μὴ κεκοινωνῆ-  
*σθαι* τῷ Πατρὶ τῷ τελείῳ, κα-  
*θῶς* καὶ ὁ Νοῦς. τὸ δὲ πάθος  
*εἶναι* ζήτησιν, τοῦ πατρὸς· ἢ θελε-  
*γάρ*, ὡς λέγουσι, τὸ μέγεθος αὐ-  
*τοῦ* καταλαβεῖν, ἔπειτα μὴ δυνη-  
*θῆναι*, διὰ τὸ ἀδυνάτω ἐπιβα-  
*λεῖν* πράγματι, καὶ ἐν πολλῷ πά-  
*νω* ἀγῶνι γερόμενον, κτλ. Ἐπει-  
*νόμενον* αἰεὶ ἐπὶ τὸ πρόσθεν, ὑπὸ  
τῆς γλυκύτητος αὐτοῦ τελευταίου  
*άν* καταπεπόσθαι, καὶ ἀναλεῖ-  
*σθαι* εἰς τὴν ὅλην οὐσίαν εἰ μὴ  
*τῇ* στηριζούσῃ, καὶ ἐκτὸς τοῦ ἀρ-  
*ρήτου* μεγέθους φυλασσούσῃ τὰ  
*ὅλα* συνέτυχε δυνάμει· ταύτην δὲ  
*τὴν* δύναμιν καὶ Ὅρον καλοῦσιν κτλ.

Καὶ μόγις ἐπιστρέψαντα εἰς  
ἐαυτὸν — ἀποθέσθαι τὴν προ-  
τέραν ἐνθύμησιν σὺν τῷ ἐπιγινο-  
μένῳ πάθει ἐκ τοῦ ἐκπλήκτου  
ἐκείνου θαύματος.

§. 3.

Ἔνιοι δὲ αὐτῶν πῶς τὸ πάθος

e. Legit *προφάσει*, ut interpres Irenaei:  
*sub occasione*; sic et alicubi translatio  
bibliorum offert.

f. Quasi legisset: *ἄλλην*, loco ὅλην.  
*Integram*, scribit interpres Irenaei.

g. Quae iam sequuntur latina, variant  
a graeco.

h. Satis clarum est, auctorem illa graeca  
prae oculis habuisse, sed et de suo mu-  
tasse.

Tertull. adv. Valent.

restitutionem aliter *somniaverunt*. Post irritos conatus et spei deiectionem *deformatam* eam, pallore credo<sup>k</sup> et macie et incuria formae, uti quae patrem non minus denegatum dolebat, quam amissum. Dehinc in illo moerore ex semetipsa sola, nulla opera coniugii, concepit, et procreat feminam<sup>l</sup> etc. Et metuere postremo ne finis<sup>m</sup> quoque insisteret, haerere<sup>n</sup> de *ratione* casus<sup>o</sup>, curare de *occultatione*. etc. Dum in malis<sup>p</sup> res est: suspicit<sup>q</sup>. convertit<sup>r</sup> ad patrem, sed incassum enisa; et vires deserebant, in preces succidit. Tota enim<sup>s</sup> propinquitas pro ea supplicat, vel maxime Nus etc. Siquidem et illa tunc conflictatio in *materiae originem* pervenit, ignorantia, pavor, moeror<sup>t</sup>, substantiae fiunt<sup>u</sup>.

Ibi demum pater aliquando motus, *quem supra diximus*, Horon, per Monogenem Nun<sup>x</sup> in haec<sup>y</sup> promit, in *imagine sua*, femina ma-

i. Hic scriptor imperite graeca torsit et pervertit, quasi legeret *ἐκείνην* (loco *τεκεῖν*) et *οὐσαν* loco *οὐσίαν*. Unde patet, quam parum fidei mereantur tam negligentes et rerum, quas tamen exagitant, ignari scriptores.

k. Illa omnia — *quam amissum*, sunt ridentis et iocantis.

l. *Θήλειαν τέκει*. Iam in Tertulliano Rigaltii recte legitur, post illa scommata de gallina et vulturibus: *primo quidem* (huc refertur *postremo*) *contristari propter inconsummationem generationis* (haec ipsa verba in latino Irenaei interprete). *Et metuere* etc.

m. Legit *τέλος* loco *τελείως*; illud et latinus Irenaei interpretis habet: ne hoc ipsum finem habeat. Videntur diversae graecae descriptiones esse: *μη· και· αυτό*

Iren. contra Haeres.

*τῆς Σοφίας, και· τὴν ἐπιστημυθολογοῦσιν. ἀδυνάτω και· ταλήπτω πράγματι αὐτὴν χειρήσασαν, τεκεῖν οὐσίαν ἄφρον, οἷαν φύσιν εἶχε, θῆ· τεκεῖν.*

*ἦν και· κατανοήσασαν πρὸς μὲν λυπηθῆναι, διὰ τὸ αὐτῆς γενέσεως, ἔπειτα φοβηθῆν μηδὲ αὐτὸ, τὸ εἶναι τελείως ἢ εἶτα ἐκστῆναι και· ἀπορῆσαι τοῦσαν τὴν αἰτίαν, και· ὄν τρόπον ἀποκρύψαι τὸ γερῆ· Ἐγκαταγενημένην δὲ τοῖς παλαβεῖν ἐπιστροφῆν, και· ἐπὶ Πατέρα ἀναδραμεῖν πειραναί, και· μέχρι τινὸς τολμησε ἔξασθενῆσαι, και· ἰκέειν τοῦ· τρὸς γενέσθαι, συνδεηθῆναι αὐτῇ και· τοὺς λοιποὺς Αἰὼ· μάλιστα δὲ τὸν Νουν ἐπιλέγουσι πρώτην ἀρχὴν ἐσθῆ· τὴν οὐσίαν, τῆς ὕλης ἐκ τῆς νοίας, και· τῆς λύπης, και· τοῦ· βου, και· τῆς ἐκπλήξεως.*

#### §. 4.

Ὁ δὲ πατὴρ τὸν προειρημῆ· Ὅρον ἐπὶ τούτοις διὰ τοῦ Μι· γενοῦς προβάλλεται ἐν εἰκότι· κτλ. τὸν γὰρ πατέρα ποτὲ

*τέλος ἔχη, μηδὲ αὐτὸ τὸ εἶναι τὸ· ἔχειν.* Illud melius

n. Haerere, *ἀπορῆσαι*.

o. Casus, *τὸ γεγονός*.

p. *res* non est in graeco, sed de Sophia hoc narratur; itaque aut factio lectio aut Tertullianus ipse pervertit bene redditur *malis, πάθει*.

q. *suspicit* non est in graeco.

r. *ἐπιστροφῆ*. Forte legebatur: *πρὸς τὸν πατέρα*.

s. Forte *una*. Illud enim certe nihil.

t. In graeco sunt quatuor nomina.

u. Non sic est in graeco. Materie describitur, substantia *τῆς ὕλης*, describitur pavorem, moerorem, fioritiam. *Πάθη* sunt Sophiae, non substantiae extra illum.

x. Nun non est in graeco.

y. An ἐπὶ τούτοις?



Tertull. adv. Valent.

rem, quia de patris sexu ita variant<sup>a</sup>. Adiiciunt autem Horon etiam<sup>a</sup> Metagoea, (i. e. circumductorem) vocari, et Horotheten. Huius praedicant opera<sup>b</sup>, et repressam ab illicitis et purgatam a malis<sup>c</sup>, et deinceps confirmatam Sophiam et coniugio restitutam, et ipsam quidem in Pleromatis censu remansisse. Enthymesisin vero eius et illam appendicem<sup>d</sup> Passionem ab Horo relegatam et crucifixam<sup>e</sup>, et extra aevum<sup>f</sup> factam; malum<sup>g</sup>. (quod aiunt) foras: spiritalem tamen substantiam illam, ut naturalem quendam impetum Aeonis, sed informem et inspectatam, quatenus nihil apprehendisset, ideoque fructum infirmum, et feminam<sup>h</sup> pronunciatam.

Cap. 11.

Igitur post Enthymesisin extorrem<sup>i</sup>, et matrem eius Sophiam coniugi reducem, ille iterum Monogenes, ille Nus, ociosus<sup>k</sup> plane de patris cura, atque prospectu<sup>l</sup> solidandis rebus et pleromati muniendo iamque figendo<sup>m</sup> ne qua eiusmodi rursus concussio incurreret, novam excludit copulationem, Christum et spiritum sanctum turpissimum par duorum masculorum; aut femina erit spiritus sanctus; et vulneratur a femina spiritus S.<sup>n</sup> etc. Christi erat, docere aeonas naturam coniugiorum. Vides quam rem planes;

z. In graeco clarius. Variant, ποτέ — ποτέ.

a. Omittitur duplex nomen graecum aliud.

b. Alii operam. Latine plura dixit; postea vero brevius.

c. πάθει.

d. ἐπιγινωμένω. Latinus Irenaei interpres reddit simillime: cum appendice passione. Hic Idiotismus utriusque scriptoris notandus est.

e. Quasi legisset ἀποσταρωθῆναι, loco ἀποστερηθῆναι.

Iren. contra Haeres.

μετὰ συζυγίας τῆς Σιγῆς, ποτέ δὲ καὶ ὑπὲρ ἄρῶν, καὶ ὑπὲρ Θῆλον εἶναι θέλουσι. Τὸν δὲ Ὄρον τοῦτον καὶ Συλλυτρωτὴν, καὶ καρπιστὴν, καὶ Ὀροθέτην, καὶ Μεταγωγέα καλοῦσι. διὰ δὲ τοῦ Ὄρου τούτου φασὶ κεκαθάσθαι, καὶ ἀποκατασταθῆναι τῇ συζυγίᾳ. χωρισθείσης γὰρ τῆς Ἐνθύμησεως ἀπ' αὐτῆς, σὺν τῷ ἐπιγινωμένῳ πάθει, αὐτὴν μὲν ἔντος Πληρώματος εἶναι· τὴν δὲ ἐνθύμησιν αὐτῆς, σὺν τῷ πάθει, ὑπὸ τοῦ Ὄρου ἀφορισθῆναι, καὶ ἀποστερηθῆναι, καὶ ἐκτὸς αὐτοῦ γενομένην εἶναι μὲν πνευματικὴν οὐσίαν, φυσικὴν τινα Αἰῶνος ὁρμὴν τυγχάνουσαν, ἄμορφον δὲ καὶ ἀείθεον διὰ τὸ μηδὲν καταλαβεῖν. καὶ διὰ τοῦτο καρπὸν ἀσθενῆ καὶ Θῆλον αὐτὸν λέγουσι.

§. 5.

Μετὰ δὲ τὸ ἀφορισθῆναι ταύτην ἐκτὸς τοῦ πληρώματος τῶν Αἰώνων, τὴν τε Μητέρα αὐτῆς ἀποκατασταθῆναι τῇ ἰδίᾳ συζυγίᾳ, τὸν Μονογενῆ πάλιν ἐτέραν προβαλέσθαι συζυγίαν, κατὰ προμήθειαν τοῦ Πατρὸς ἵνα μὴ ὁμοίως ταύτη πάθῃ τις τῶν Αἰώνων, Χριστὸν καὶ πνεῦμα ἅγιον, εἰς πῆξιν καὶ στηριγμὸν τοῦ πληρώματος κτλ. Αἰῶνας. τὸν μὲν γὰρ Χριστὸν διδάξαι αὐτοὺς συζυγίας φύσιν, ἀγεννήτου κατάληψιν γινώσκοντας ἱκανοὺς, εἶναι, ἀναγορεῦσαι τε ἐν αὐτοῖς

f. eum, scil. ἐκτὸς αὐτοῦ, πλήρωμα. Male aevum legitur.

g. De suo addit hoc.

h. Hic presse secutus est haec graeca.

i. Scil. extra pleroma Aeonum.

k. Haec addit hic scriptor de suo.

l. κατὰ προμήθειαν τοῦ πατρὸς. Alia vero immiscuit de suo, triaectis partibus.

m. εἰς πῆξιν καὶ στηριγμὸν τοῦ πληρώματος.

n. Haec de suo ridens addit, parum opportune aut pudice.

Tertull. adv. Valent.

et innati coniectionem °, et idoneos<sup>p</sup> efficere, generandi<sup>q</sup> in se agnitionem patris, quod capere eum non sit, neque comprehendere, non visu denique, non auditu compotiri eius, nisi per Monogenem<sup>r</sup> etc. Doctrinae denotabo perversitatem, quod docebantur, incomprehensibile quidem patris, causam esse *perpetuitatis ipsorum*. Comprehensibile vero eius generationis illorum et formationis esse rationem<sup>s</sup> etc. — *Filium*<sup>t</sup> autem constituunt adprehensibilem patris.

Spiritus vero sancti propria: ut de doctrinae studio<sup>u</sup> omnes peraequali gratiarum actionem prosequi nossent, et veram inducerentur quietem.

## Cap. 12.

Itaque omnes forma et scientia peraequantur, facti omnes quod unusquisque; nemo aliud, quia alteri omnes refunduntur in Nun<sup>v</sup>, omnes in Homines, in Philetos<sup>x</sup>. Et quae feminae, in Sigas<sup>y</sup>, in Zoas, in Ecclesias, in Fortunatas<sup>z</sup> etc. Exinde resecti sunt, et *constabilitati* sunt, et in requiem ex veritate<sup>a</sup> compositi, magno cum gaudii fructu, hymnis patrem concinunt. Diffundebatur et ipsa laetitia, et utique bene, cantantibus filiis, nepotibus<sup>b</sup>

o. κατάληψιν.

p. Sic et latinus interpres Irenaei: *sufficientes sive idoneos esse*.

q. Loco *ἀναγορεύσαι* legit latinus noster male *ἀναγεννησαι*, vel simile, sine omni sensu.

r. Hic de suo addit: *et tamen tolerabo, quod ita discabant patrem nosse etc.*

s. Tertullianus quaedam mutavit. In graeco loco *ἴσος* olim fuit, *ὃ δὲ νῖός ἐστι*, sic interpres Irenaei: *quod quidem filius est*.

t. *doctrinae studio* addit ad *exaequatos*; bene, ad sensum.

Iren. contra Haeres.

*τὴν τοῦ Πατρὸς ἐπίγνωσιν, τε ἀχώρητός ἐστι, καὶ ἀκατάλητος, καὶ οὐκ ἔστιν οὔτε ἰδῆ οὔτε ἀκοῦσαι αὐτόν, ἢ διὰ μὴ τοῦ Μονογενοῦς γινώσκεται. ἢ τὸ μὲν αἴτιον τῆς αἰωνίου ἁμονίης τοῖς λοιποῖς τὸ πρῶτον καταληπτὸν ὑπάρχειν τοῦ Πατρὸς, τῆς δὲ γενέσεως αὐτοῦ, μορφώσεως, τὸ καταληπτὸν τοῦ, ᾧ δὴ ἴσος ἐστι καὶ κτλ.*

## §. 6.

*Τὸ δὲ ἐν πνεῦμα τὸ ἁγιὸν ἠσθεύοντας αὐτοὺς πάντας ἐριστεῖν ἐδίδαξε· καὶ τὴν ἀληθινὴν ἀνάπαυσιν ἠγήσατο.*

*Οὕτως τε μορφῇ καὶ ἰσοῦς κατασταθῆναι τοὺς Ἀναγασ λέγουσι, πάντας γενομένους Νοῶς, καὶ πάντας Λόγους, πάντας Ἀνθρώπους, καὶ πᾶν Χριστοῦς, καὶ τὰς Θηλείας ὅσας πάσας Ἀληθείας, καὶ πᾶσας Ζῆ καὶ Πνεύματα καὶ Ἐκκλησιαστικὰ ἀγαθὰ δὲ ἐπὶ τούτῳ τὰ ὀνόματα καὶ ἀναπαυσάμενα τελῶς μὴ μεγάλης χαρᾶς φησὶν ἐμνήσασθαι Προπάτορα, πολλῆς εὐφροσύνης μετασχόντα. Καὶ ὑπὲρ τῆς εἰρη-*

u. Aliter descripsit. *Noas* legens esset.

x. Hoc non est in graeco; sicut omisit Logos et Christos.

y. Hoc non est in graeco. Omisit *Πνεύματα*.

z. Nihil eius generis est in graeco. dit Tertullianus: *ut Oridius Metamorphoses suas delevisset, si hodie maiorem α visset. Talibus additionibus et corruptus et perversus fuit sensus verus.*

a. *ex veritate*, forte fuit *ex veritate* sicut postea: *ex varietatis gratia*. Adfectum, interpres Irenaei, *τελέως*.

b. *Scotoma* scriptoris huius; a

Tertull. adv. Valent.

que ut nautae ad symbolam exultant, tale aliquid et aenum iam omnes etiam forum sententia, convenientis quoque fratribus et matris Christo et spiritu, quod n atque pulcherrimum unum florebat<sup>a</sup>, conferunt in met. Igitur ex aere collatitio iunt) in honorem et gloriam pulcherrimum Pleromatis fructumque perfectum com-  
 Iesum, eum cognominant n, et Christum, et Sermonem uitis<sup>f</sup>, et omnia iam, ut ex a defloratione constructum t autem tantum sigillarium eus quoque inornassent, sa-  
 ei angelos proferunt. Par-  
 te.<sup>h</sup>

Cap. 14.

que Enthymesis sive iam<sup>i</sup> oth, quod abhinc scriptum, o ininterpretabili nomine, ut itio individuae passionis<sup>k</sup> z est<sup>l</sup>, in loca luminis alie-  
 ius pleromatis res est<sup>m</sup>,  
 ium atque inane illud Epi-  
 miserabilis enim de loco res  
 rte nec forma nec facies ulla;

nam irrisionem de nautis et sym-  
 utarum. Quod genus scribendi in-  
 rica est parum frugiferum aut op-  
 m; adeo omnia quasi fumo et ne-  
 cumdantur.

ec graeca: τοῦ πατρὸς αὐτῶν  
 φραγίζομένου, omisit etiam in-  
 Irenaei.

rebat, ἀνδρωτάτον. Ceterum  
 omittit Tertullianus, partim ludicra  
 it.

τρον, iam sequitur graeca pres-

patruitis, graeco πατρωνμικῶς.  
 et interpres Irenaei.

ertull. multa iam de suo addit, ut  
 Inter illa etiam haec habet: si  
 leri consubstantivos (ambigue enim  
 inveni), quae erit eminentia eius

Iren. contra Haeres.

ίας ταύτης βουλή μιᾶ καὶ γνώμη  
 τὸ πᾶν πλήρωμα τῶν Αἰώνων.  
 συνεῦδοκοῦντος τοῦ Χριστοῦ καὶ  
 τοῦ πνεύματος, τοῦ\* δὲ πατρὸς  
 αὐτῶν συνεπισφραγίζομένου ἕνα  
 ἕκαστον τῶν Αἰώνων, ὅπερ εἶ-  
 χεν ἐν ἑαυτῷ κάλλιστον καὶ ἀν-  
 δρωτάτον συνενεγκαμένους, καὶ  
 ταῦτα ἀρμοδίως πλέξαντας, καὶ  
 ἐμμελῶς ἐνώσαντας προβαλέ-  
 σθαι προβλήματα εἰς τιμὴν καὶ  
 δόξαν τοῦ βυθοῦ τελειοτάτου  
 κάλλος τε καὶ ἄστρον τοῦ πλη-  
 ρώματος τέλειον καρπὸν τὸν Ἰη-  
 σοῦν, ὃν καὶ Σωτῆρα προσαγο-  
 ρευθῆναι καὶ Χριστὸν καὶ Λόγον  
 πατρωνμικῶς, καὶ (κατὰ) πάν-  
 τα, διὰ τὸ ἀπὸ πάντων εἶναι.  
 δοροφόρους τε αὐτῶν εἰς τιμὴν  
 τὴν αὐτῶν ὁμογενεῖς Ἀγγέλους  
 συμπροβεβλήσθαι κτλ.

Cap. 4.

Τὴν Ἐνθύμησιν τῆς ἄνω Σο-  
 φίας, ἣν καὶ Ἀχαμῶθ καλοῦσιν,  
 ἀφορισθεῖσαν τοῦ Πληρώματος,  
 σὺν τῷ πάθει, λέγουσιν ἐν σκιάς,  
 καὶ κενώματος τόποις. ἐκβεβρά-  
 σθαι κατὰ ἀνάγκην, ἔξω γὰρ φω-  
 τὸς ἐγένετο, καὶ Πληρώματος  
 ἄμορφος, καὶ ἀνείδεος, ὥστε  
 ἔκτρωμα, διὰ τὸ μηδὲν κατελι-

inter satellites coaequales? Illud inveni  
 est scriptoris refugium, qui non intellige-  
 bat. Irenaeus habet totum caput tertium  
 cuius in Tertulliano tantum est brevissima  
 epitome cap. 13.

i. quam ei, ἦν καὶ, describit; iam —  
 quod abhinc scriptum, clare ostendit aucto-  
 rem praee oculis habuisse graeca haec;  
 quod autem negat se interpretari posse,  
 demonstrat quod vix leviter has res tra-  
 ctaverint Catholici.

k. Tam multis verbis describit, σὺν τῷ  
 πάθει.

l. Addi debebat: e (superiori) pleromale;  
 explosa, ἐκβεβράσθαι.

m. Sic describit: ἐν σκιάς τόποις.

n. Sensus: quod lumen etc. In graeco  
 vero aliter habet.

o. De suo addit et ridet.

Tertull. adv. Valent.

defectiva scilicet et abortiva genitura<sup>p</sup>. Dum ita rerum habet, flectitur a superioribus Christus, deducitur<sup>r</sup> per Horon<sup>r</sup>, aborsum ut illud *informet de suis viribus*, solius substantiae, non etiam scientiae forma. Et tamen cum aliquo peculio<sup>q</sup>; relinquitur interim odor corruptibilitatis, quo compos casus sui potiorum desiderio suppararetur. Hac misericordia functus non sine spiritus sancti societate recurrit<sup>r</sup> Christus in Pleroma. Usus est rerum ex liberalitatibus quoque nomina accedere etc.<sup>r</sup>. Sophia de matre<sup>x</sup> manat, spiritus sanctus ex angelo accipit Christum<sup>y</sup>, a quo derelicta statim senserat<sup>z</sup> desiderium. Itaque *prosiluit* et ipsa lumen eius *inquirere*; quem<sup>a</sup> si omnino non noverat, ut invisibiliter operatum etc. Tamen *tentavit*, et fortasse *apprehendisset*<sup>b</sup>, si non idem Horos, qui matri<sup>c</sup> eius tam prospere generat, nunc tam importune filiae occurrisset, ut etiam in-clamaverit in eam Iao etc. Inde invenitur Iao in scripturis<sup>d</sup>. Ita depulsa, quo minus pergeret, nec habens supervolare crucem, id est Horon etc.<sup>e</sup>. Ut *destituta*<sup>f</sup> passioni illi suae, in trichea<sup>g</sup> multiplicia atque perplexa, omni genere eius coepit affligi; moerore, quod non

p. *ἐκτρομα*: alii legunt *decestita*, minus bene.

q. In graeco non est.

r. Sicut Theodoretus: *διὰ τοῦ ὄρου καὶ σταυροῦ*. Fuit igitur in graeco.

s. Sic ridet Tertullianus; cetera aliter divisit; *recurrit* paulo serius posuit, quam hic *ἀναδραμεῖν*.

t. Haec disiecit Tertullianus.

u. Sic ridet scriptor.

x. *patre* alii legunt *rectias*.

y. *angelo* locus non est. Videtur in graeco fuisse: *ἀπὸ τοῦ περὶ τὸν χριστόν ἄλλου* (scilicet *πνεύματος*). Nomen Sophiae habet a patre Sophia; nomen Spiritus Sanctus, habet ab alio qui apud

Iren. contra Haeres.

φέναι. οὐκ εὐλαστά τε αὐτῆν Χριστόν, καὶ διὰ τοῦ Στῆσῆ ἐπεκταθέντα, τῇ ἰδίᾳ ὁμομορφῶσαι μόρφωσιν τὴν π οὐσίαν μόνον, ἀλλ' οὐ τὴν π γνώσιν. Καὶ ἐκράξαντα τῆσ ἀναδραμεῖν, συστέλλαντα αὐτὴν τὴν δύναμιν, καὶ καταλιπεῖν (αὐτὴν), ὅπως αἰσθημένη τοῦ π αὐτὴν πάθους διὰ τὴν ἀπαίτη γῆν τοῦ πληρώματος ὄρεχθῆναι διαφερόντων, ἔχουσα τινα ὁμο ἀφθαρσίας, ἐγκαταλειφθεῖσα τοῖς ἀμφοτέροις ὀνόμασι κτισθῆναι Σοφίαν τε πατρωνικῆν κτλ. Καὶ πνεῦμα ἅγιον, ἀπὸ π περὶ τὸν Χριστόν πνεύματος, μὴ φωθεῖσάν τε αὐτὴν, καὶ ἐμφανῶς γενηθεῖσαν, παραντίχα δὲ κεν θεῖσαν ἀοράτου αὐτῆσ συνόπῃ. Λόγου τοῦτ' ἔστι τοῦ χριστοῦ ἐπὶ ζήτησιν ὀρεμῆσαι τοῦ π λιπόντος αὐτὴν φωτός, καὶ π δυνηθῆναι καταλαβεῖν αὐτό, καὶ τὸ κωλυθῆναι ὑπὸ τοῦ ὄρου καὶ ἐνταῦθα τὸν ὄρον κωλύσαν αὐτὴν τῆσ εἰς τοῦμπροσθεν μῆσ εἰπεῖν Ἰαώ. ὄθεν τὸ ὄνομα γεγενῆσθαι φάσκουσι π δυνηθεῖσαν σὲ διοδεῖσαι τὸ ὄρον διὰ τὸ συμπεπλεγθεῖν π πάθει, καὶ μόνην ἀπολειφθεῖσαν ἔξω, παντὶ μέρει τοῦ πάθους ὑποπεσεῖν πολυμεροῦς, καὶ π

Christum. Pro ἄλλου Tertull. legit γέλου, et sensum mutavit. Nisi id Christum falso additum est a librario.

z. Haec latine multo brevius quam graeco dicuntur.

a. Haec Tertullianus inserit, parum portuna.

b. Ipse mutavit et lusit.

c. Tertulliani risus est.

d. Ludit antea addendo: in eam, h quasi, proh (alii porro) Quirites, est factus Caesaris. Inde etc. Non sic est in graeco.

e. Addit ludens: quia nullam (sicut laureolum fuerit exercitata).

f. *μόνην ἀπολειφθεῖσαν*.

g. Hoc nominis pertinet ad supra

Tertull. adv. Valent.

trasset inceptum<sup>b</sup>; metu, ne, luce, ita et vita orbaretur; conatione, tam ignorantia<sup>i</sup>. Nec ater eius. Illa enim Aeon; at pro conditione<sup>k</sup>, deserius, inante adhuc et alio fluctu<sup>l</sup> cononnis in Christum, a quo vivificuerat, et in hanc ipsam cononem temperata.

Cap. 15.

e nunc discant Pythagorici, scant Stoici, Plato ipse, unde ia<sup>m</sup>, quam innatam volunt, et mem et substantiam<sup>n</sup> traxerit mem hanc struem mundi. Auconversionem, genus aliud onis. Ex hac omnis anima mundi, dicitur constitisse ipsius Demiurgi. Audisti orem et timorem. Et his ini<sup>o</sup> sunt cetera. Nam ex lacryius universa aquarum natura vit<sup>o</sup> etc. Proinde et consterne et pavore, corporalia elea ducta sunt, et tamen in tanta nstantia solitudinis, in tanto mspectu<sup>r</sup> destitutionis, rideiterdum, qua conspecti Christi dans, eodem gaudio risu<sup>r</sup> lueffulsit. —

Tertullianus igitur brevius hic iocos suos exhibet, quam qui in eo sequuntur §. 3. Nempe sic Irenaeus pergīt post enarratas nes aquarum et luminis. Atque hic iam non levis tragoedia et inatio existit, cum unusquisque illorum alio modo exprīcet, quo

hai; alii: in trica multiplici atque ra.

In graeco οὐ κατέλαβε.

Brevius reddit graeca.

De suo addit et mutat.

Ideri posset legi debere affectu, διά, nisi soleret mutare aliena.

Haec de suo addit.

σύστασις καὶ οὐσία.

ἰνιαια, ἀρχὴν ἐσχηκέναι τὰ λογικά.

Iren. contra Haeres.

λυποικίλου ὑπάρχοντος, καὶ παθεῖν, λύπην μὲν, οὐ κατέλαβε, φόβον δὲ, μὴ καθάπερ αὐτὴν τὸ φῶς, οὕτω καὶ τὸ ζῆν ἐπιλήπη, ἀπορίαν τε ἐπὶ τούτοις. Ἐν ἀγνοίᾳ δὲ τὰ πάντα καὶ οὐ καθάπερ ἡ μήτηρ αὐτῆς ἢ πρώτη Σοφία καὶ Αἰὼν ἑτεροίωσιν ἐν τοῖς πάθεσιν εἶχεν, ἀλλὰ ἐναντιότητα. ἐπισυμβεβηκέναι δ' αὐτῇ καὶ ἑτέραν διάθεσιν, τὴν τῆς ἐπιστροφῆς ἐπὶ τὸν ζωοποιήσαντα.

§ 2.

Ταύτην σύστασιν καὶ οὐσίαν τῆς ὅλης γεγενῆσθαι λέγουσιν, ἐξ ἧς ὅδε ὁ κόσμος συνέστηκεν. ἐκ μὲν γὰρ τῆς ἐπιστροφῆς τὴν τοῦ κόσμου καὶ τοῦ δημιουργοῦ πᾶσαν ψυχὴν τὴν γένεσιν εἰληφέναι, ἐκ δὲ τοῦ φόβου καὶ τῆς λύπης τὰ λοιπὰ τὴν ἀρχὴν ἐσχηκέναι. ἀπὸ δὲ τῶν δακρυῶν αὐτῆς γεγονέναι πᾶσαν ἔνογρον οὐσίαν. ἀπὸ δὲ τοῦ γέλωτος τὴν φωτεινὴν. Ἀπὸ δὲ τῆς λύπης καὶ ἐκπληξέως τὰ σωματικά τοῦ κόσμου στοιχεῖα, ποτὲ μὲν γὰρ ἐκλαίει καὶ ἐλυπέιτο, ὡς λέγουσι, διὰ τὸ καταλελειφθαι μόνην ἐν τῷ σκότει καὶ τῷ κενώματι. ποτὲ δὲ εἰς ἔννοιαν ἤκουσα τοῦ καταλιπόντος αὐτὴν φωτὸς διεχεῖτο καὶ ἐγάλα — —

p. Hic copiosius nugae addit Tertullianus.

q. circumsepto destitutionis melius legitur, ut describat κένωμα, locum omnino vacuum.

r. Alii aliter hic legunt. An eodem gaudii rictu, ut exprimat διεχεῖτο, aut effudit legendum? Hic multa inepta assuit Tertullianus. Itaque accuratius exponemus istas scriptoris utriusque additiones.

quidem ex πάθει et ex quo elemento ἡ οὐσία ortum duxerit. It videntur mihi non abs re minime cunctis palam exponere velle, iis solis, qui ingentem mercedem pro talibus mysteriis pendere possunt etc. §. 4. Sed et ipse cupio aliquid ad eorum fructificationem conferre. Quoniam enim aquas partim dulces, ut fontes etc., partim salsas, ut in mari, video: equidem putarim non omnes aquas illi ex lacrimis promanasse. Itaque salsae erunt ex lacrimis. Est etiam credibile eam in tanta anxietate etiam sudoribus non carere atque fontes et aquae dulces erunt ex eius sudoribus. Porro et in mundo etiam calidae quaedam atque acres sint aquae, καὶ ὀφείλεις, τί ποιήσασα καὶ ἐκ ποίου μορίου προήκατο ταῦτα, (faciens et ex quo membro emisit has.) Haec ille graecus, si placeat Irenaeus, addit, ut ridendo et iocando nihil omnino differat hic graecus scriptor ab isto stilo ioculari Tertulliani.

Iam vero rogo, ut lectores Tertulliani ista comparent ex cap. 15. Hic aestimandum (plane est illud graecum νοεῖν ὀφείλεις) quod exitum duxerit (nempe describebat vesicam, a qua urina educitur, ποίου μορίου προήκατο, graece) quantis lacrimarum generibus in daverit (nempe genera distinguere vult aquarum, uti Irenaeus Habuit et salsas, habuit et amaras et dulces, et calidas et frigidas (an rigidas, δριμέας? austeras reddit latinus interpres Irenaei) gustas et bituminosas, et ferruginantes et sulphurantes utique et venenosas etc. Iam enim alia plura parum opportuna de suo superaddit scriptor petulantior. Haec fere sola pars sufficit nostro consilio.

Tertull. adv. Valent.

Iren. contra Haeres.

Cap. 16.

§. 5.

Convertitur ad preces et ipsa (more materno)\*. Sed Christus, quem iam pigebat<sup>t</sup> extra Pleroma proficisci — Paracletum, Soterem. (Hic erit Iesus)<sup>n</sup> largito ei patre universorum aeonum<sup>x</sup> summam potestatem subiiciendis eis omnibus, uti in ipso secundum Apostolum omnia conderentur<sup>z</sup>: ad eam emittit cum officio atque comitatu<sup>a</sup> coetaneorum Angelorum. — Ibidem adventu pompatico eius concussa Achamoth protinus velamentum sibi obduxit, ex officio primo venerationis et verecundiae. Dehinc contemplatur eum

Ἐπὶ ἰκέσιαν τραπήναι τοῦ ταλιπόντος αὐτὴν φωτός, καὶ ἔστι τοῦ Χριστοῦ, λέγουσαν ἀγγελῶν μὲν εἰς τὸ Πλήρωμα αὐτὸς μὲν, εἰκὸς ὅτι ἄκησθη δευτέρου κατελθεῖν, τὸν Παρκλητον δὲ ἐξέπεμψεν αὐτὴν, καὶ ἔστι τὸν Σωτῆρα, ἐνδόντος αὐτῇ πᾶσαν τὴν δυναμὶν τοῦ Πατρὸς καὶ πᾶν ὑπὲρ ἐξουσίαν πατρὸς, καὶ τῶν Αἰώνων δεσποῦ ὅπως ἐν αὐτῷ τὰ πάντα κτίσθη — ἐκπέμπεται δὲ πρὸς αὐτὴν μετὰ τῶν ἡλικιωτῶν αὐτοῦ ἑπτὰ Ἀγγέλων. τὴν δὲ Ἀχαμῶθ ἐκπέμψαν αὐτὸν λέγουσι πρὸς

s. Haec addit.

t. ὠκνησεν; rursus etiam est in editione Opp. Tertulliani Franek.

u. Haec addit ipse.

x. Monuit iam Grabius falso sic hic describi. Irenaeus vult: etiam Aeonibus donantibus ei potestatem etc.

y. ei melius legit Massuet.

z. Sic legendum, κτισθῆ, non consoederentur.

a. cum officio atque comitatu de addit; uti et illud postea adventu pompatico.



Tertull. adv. Valent.

iferum suggestum, quibus inde operat viribus, occurrit illi, ε χαῖρε<sup>b</sup>. Hic opinor susce- ille conformat agnitione iam omnibus iniuriis passionis ex- cat, non eadem negligentia in *minium*<sup>c</sup> discretis, quae acci- in casibus matris. Sed enim *citata*<sup>d</sup> vitio et usu vitiosa con- . Atque ita massaliter solidata *it seorsum* in materiae *corpo-* *n*<sup>e</sup> paraturam, commutans ex porali passione indita habilita- atque naturam, qua pervenire posset in aemulas<sup>f</sup> aequipa- as corpulentiarum, ut duplex antiarum conditio ordinaretur, tiis pessima, de conversione onalis. Haec<sup>g</sup> erit materia, nos commisit cum Hermogene isque, qui Deum ex materia, ex nihilo, operatum cuncta umunt.

Cap. 17.

hinc Achamoth, expedita tan- de malis omnibus — — Prae o — — simulque contempla- ipsa angelicorum luminum, ut xerim, *subfermentata* (pudet, iliter non est), quodammodo *ruit*<sup>h</sup> intra et ipsa, in illos, et ptu statim intumuit spirituali aginem ipsam, quamvis — —

perit denique, et facta est ex- trinitas<sup>i</sup> generum ex trinitate rum. Unam *materiale*, quod issione; aliud *animale*, quod nversione; tertium *spiritale*, ex imaginatione.

addit de suo.

d ἀφανισθῆναι pertinet.

πτικα, vitiosa, δυνατά.

egit Tertullianus εἰς σώματος, aut ale mutavit; incorpoream debebat

Iren. contra Haeres.

μὲν κάλυμμα ἐπιθέσθαι δι' αἰ- δῶ, μετέπειτα δὲ ἰδοῦσαν αὐτὸν σὺν ὅλῃ τῇ καρποφορίᾳ αὐτοῦ, προσδραμεῖν αὐτῷ δυνάμιν λα- βούσαν. — — Κάκεινον μορφῶ- σαι αὐτὴν μόρφωσιν τὴν κατὰ γνώσιν, καὶ ἴασιν τῶν παθῶν ποιήσασθαι αὐτῆς, χωρίσαντα δὲ αὐτὰ αὐτῆς μὴ ἀμελήσαντα δὲ αὐτῶν, οὐ γὰρ ἦν δυνατὰ ἀφανι- σθῆναι, ὡς τὰ τῆς προτέρας, διὰ τὸ ἐκτικὰ ἦδη καὶ δυνατὰ εἶναι. ἀλλ' ἀποκρίναντα χωρὶς συγγέαι καὶ πῆξαι, καὶ ἐξ ἀσώματου πά- θους εἰς ἀσώματον τὴν ὕλην με- ταβαλεῖν αὐτὰ· εἰδ' οὕτως ἐπι- τηδειότητα, καὶ φύσιν ἐμπεποιοη- κέναι αὐτοῖς, ὥστε εἰς συγκρίματα καὶ σώματα ἐλθεῖν, πρὸς τὸ γενέ- σθαι δύο οὐσίας τὴν φάυλην τῶν παθῶν, τὴν τε τῆς ἐπιστροφῆς ἐμπαθῆ· καὶ διὰ τοῦτο δυνάμει τὸν Σωτῆρα δεδημιουργηκέναι φάσκουσι.

Τὴν τε Ἀχαμῶθ ἐκτὸς πάθους γενομένην καὶ συλλαβοῦσαν τῇ χαρᾷ τῶν ἐν αὐτῷ φώτων τὴν θεωρίαν, τοῦτ' ἔστι τῶν ἀγγέλων τῶν μετ' αὐτοῦ, καὶ ἐγκισσῆσα- σαν αὐτοὺς [κεκνηκέναι καρπούς μετὰ τὴν εἰκόνα διδάσκουσι κή- μα πνευματικὸν καδ' ὁμοίωσιν. —

Cap. 5.

§. 1.

Τριῶν μὲν οὖν ἦδη τούτων ὑποκειμένων, κατ' αὐτοὺς, τοῦ μὲν ἐκ τοῦ πάθους, ὃ ἦν ὕλης, τοῦ δὲ ἐκ τῆς ἐπιστροφῆς, ὃ ἦν τὸ ψυ- χικόν, τοῦ δὲ ὃ ἀπεκίησε, τοῦτ' ἔστι τὸ πνευματικὸν οὕτως ἐτρά- πη ἐπὶ τὴν μόρφωσιν αὐτῶν.

f. Addit de suo.

g. Haec de suo addit.

h. subavit alii rectius legant; satis for- titer describit ἐγκισσῆσασα.

i. De suo sic describit.

Tertull. adv. Valent.

Iren. contra Haeres.

## Cap. 18.

— *formāre* singula genera constituit, sed spiritale quidem non ita potuit attingere, ut et ipsa<sup>k</sup> spiritalis. — — Eo animo se unum ad animale convertit, prolatis Soteris disciplinis. Et primum (quod cum magno horrore blasphemiae et praenuntiandum et legendum est et audiendum)<sup>l</sup> Deum fingi (adhuc nostrum et omnium, praeter haereticorum patrem, et)<sup>m</sup> eum — — et regem universorum quae post illum — a qua (Achamoth) *occulto* — nihil sentiens — in omnem operationem *movebatur*. Denique ex hac personarum in operibus ambiguitate nomen illi Metropatoris *miscuerunt*<sup>n</sup> — — ut animalium quidem substantiarum, quas ad dextram commendant, patrem nuncupent; maternarum vero, quas ad laevam delegant, Demiurgum nominent. Legem autem communiter, in universitatem.

## Cap. 19.

— Cum enim dicant Achamoth in honorem aeonum imagines commentatam, rursus hoc in Soterem auctorem detorquent, qui *per illam* sit operatus, ut ipsam quidam imaginem patris invisibilis et incogniti *daret*<sup>o</sup>, incognitam scilicet et invisibilem Demiurgum, eundem autem Demiurgum *νοῦν* filium effingeret, Archangeli vero Demiurgi opus, reliquos aeonas exprimerent<sup>p</sup>. — —

k. *ἐπειδὴ ὁμοούσιον ὑπῆρχεν αὐτῇ*. Notemus illud vocabulum. *Consubstantivum* dixit Tertullianus.

l. Haec admonitione facilius carebamus quam accuratiori descriptione et fide in narrando.

m. Haec inclusa Tertulliani indignatio addit qua non opus erat.

n. De suo; sic indicat ipse. In Irenaeo praecedit: patrem πάντων, τῶν τε ὁμοουσίῳν αὐτῷ, τοῦτ' ἔστι τῶν ψυχι-

ἀλλὰ τὸ μὲν πνευματικὸν μὴ δυνῆσθαι αὐτῇ μορφῶσαι, ἐκ δὴ ὁμοούσιον ὑπῆρχεν αὐτῇ. τράφθαι δὲ ἐπὶ τὴν μορφὴν τὴν γενομένην ἐκ τῆς ἐπιστροφῆς αὐτῆς ψυχικῆς οὐσίας, προβαλεῖ τε τὰ παρὰ τοῦ Σωτῆρος μέματα. καὶ πρῶτον μεμορφωσάμεν αὐτὴν ἐκ τῆς ψυχικῆς οὐσίας, ἵνα γουσι τὸν πατέρα καὶ βασιλέα πάντων — — λεληθότων κειμένων ὑπὸ τῆς μητρὸς, ὅστις Μητροπάτορα — καὶ Δημιουργὸν αὐτὸν καὶ Πατέρα καλοῦσι

τῶν μὲν δεξιῶν πατέρα λέγουσιν αὐτὸν, τοῦτ' ἔστι τῶν ψυχικῶν δεξιῶν, τῶν δὲ ἀριστερῶν, τοῦτ' ἔστι τῶν ὑλικῶν Δημιουργὸν, συμπάσι δὲ βασιλέα.

Τὴν γὰρ Ἐνθύμησιν τῶν βουληθείσαν εἰς τιμὴν τῶν Αἰώνων τὰ πάντα ποιῆσαι, εἰπεῖν λέγουσι πεποιημέναι αὐτῶν, μέλον δὲ τὸν Σωτῆρα δι' αὐτῆς, αὐτὴν μὲν ἐν εἰκόνι τοῦ ἁγίου Πατρὸς τετηρημένην, μὴ γινώσκουσαν μὲν ὑπὸ τοῦ Δημιουργοῦ, πᾶσι δὲ τοῦ Μονογενοῦς υἱοῦ, πᾶσι δὲ λοιπῶν Αἰώνων τοὺς ἐπιπέτα των γεγονότας Ἀρχαγγέλους καὶ Ἀγγέλους.

κῶν, ἃ δὴ δεξιὰ καλοῦσι, καὶ τῶν τοῦ πάθους καὶ τῆς ἕλης, ἃ δὲ ἀριστερὰ καλοῦσι. Tertullianus autem huiusmodi omissis describit: *miscuerunt* distinctis appellationibus ceteris, seu status et situs operum; ut animalium dem substantiarum.

o. Addit a graeco.

p. Hic multa inserit Tertullianus ut reprehendat.

Tertull. adv. Valent.

Iren. contra Hæres.

Cap. 20.

§. 2.

Demiurgus extra pleroma-  
 constitutus in ignomi-  
 rni exilii vastitate novam  
 m<sup>a</sup> condidit, hunc mun-  
 urgata confusione et di-  
 versitate duplicis sub-  
 lius destrusae, animalium  
 arum. Ex incorporalibus  
 edificat, gravia, levia, sub-  
 atque vergentia, caelestia  
 rena; tum ipsam caelo-  
 templicem scenam solio  
 suo finit. Unde et sabba-  
 m est, ab hebdomade, se-  
 , et Ogdoas mater Acha-  
 argumento Ogdoadis pri-  
 is. Caelo autem noëros  
 et interdum<sup>x</sup> angelos eos  
 sicut et ipsum Demiurgum<sup>y</sup>  
 Paradisum, archange-  
 artum, quomodo et hunc  
 elum tertium pangunt, ex  
 lute sumserit Adam dever-  
 c inter nubeculas et ar-

Πατέρα οὖν καὶ Θεὸν λέγουσιν  
 αὐτὸν γεγονέναι τοῦ ἔκτος τοῦ  
 Πληρώματος ποιητὴν ὄντα πάν-  
 των ψυχικῶν τε καὶ ὑλικῶν. δια-  
 κρίναντο γὰρ τὰς δύο οὐσίας συγ-  
 κεχυμένας, καὶ ἐξ ἀσωμάτων σω-  
 ματοποιήσαντα δεδημιουργηκέ-  
 ναι τὰ τε οὐράνια καὶ τὰ γῆα,  
 καὶ γεγονέναι ὑλικῶν καὶ ψυχι-  
 κῶν, δεξιῶν καὶ ἀριστερῶν δη-  
 μιουργῶν, κορυφῶν καὶ βαρέων,  
 ἀνωφερῶν καὶ κατωφερῶν. ἑπτὰ  
 γὰρ οὐρανοὺς κατεσκευασμένοι, ὡν  
 ἐπάνω τὸν Δημιουργὸν εἶναι λέ-  
 γουσι. καὶ διὰ τοῦτο Ἐβδόμαδα  
 καλοῦσιν αὐτὸν, τὴν δὲ μητέρα  
 τὴν Ἀχαμῶθ, Ὀγδοάδα, ἀποσω-  
 ζουσιν τὸν ἀριθμὸν τοῦ ἀρχεγό-  
 νου καὶ πρώτης τοῦ πληρώμα-  
 τος Ὀγδοάδος, τοὺς δὲ ἑπτὰ οὐ-  
 ρανοὺς οὐκ εἶναι νοητοὺς φασιν,  
 ἀγγέλους δὲ αὐτοὺς ὑποτίθενται,  
 καὶ τὸν Δημιουργὸν δὲ καὶ αὐτὸν  
 Ἄγγελον Θεῶ ἐοικότα· ὡς καὶ τὴν  
 παράδεισον ὑπὲρ τρίτον οὐρανὸν  
 ὄντα, τέταρτον Ἄγγελον λέγουσι  
 ὑπάρχειν, καὶ ἀπὸ τούτου τὸ εἰ-  
 ληφέναι τὸν Ἀδὰμ διατετριφότα  
 ἐν αὐτῷ.

Cap. 21.

§. 3.

um tenendum, Sophiam  
 nari, et terram et matrem  
 trem terrae, et quod ma-  
 as etiam spiritum san-

— ταύτην δὲ τὴν μητέρα καὶ  
 Ὀγδοάδα καλοῦσι, καὶ Σοφίαν,  
 καὶ Γῆν — — καὶ ἅγιον Πνεῦ-  
 μα — —

Cap. 21.

§. 4.

in Demiurgus adeo rerum

— — διὰ τοῦτο ἀτονώτερον

mo addidit.  
 ρίξαντα τὰς δύο οὐσίας συγ-  
 f.  
 true legit Rigaltius.  
 sposuit sententias.  
 os haud dubie legendum.  
 dum faciunt, ὑποτίθενται.  
 sit deo similem.  
 raeco est Ἄγγελον. Sed et la-

tinus interpres Irenaei habet Archangelum  
 quartum.

a. Hic multas nugas serias Tertullianus  
 addit de suo.

b. Parum verecunde locatur: omnem ho-  
 norem contulerunt feminae, puo et barbam,  
 ne dixerim cetera. Nempe talibus iocis  
 opus erat. Gnostici eo delabebantur. lam

Tertull. adv. Valent.

non erat compos, de animalibus scilicet censu invaliditudinis<sup>a</sup> spiritalia accedere: ut se solum ratus concionaretur, Ego Deus et absque me non est<sup>b</sup>. — —

Cap. 22.

Tolerabilior infamia est apud illos in diabolum, vel quia origo sordidior capit<sup>c</sup>. Ex nequitia enim moeroris illius deputatur, ex qua angelorum et Daemonum et omnium *spiritalium malitiarum* genituras notant; et tamen diabolum quoque opus demiurgi affirmant, et *Munditenentem* appellant, et superiorum magis gnarum defendunt, ut spiritalem natura, quam Demiurgum, ut animale. —

Cap. 23.

— In summis summitatibus praesidet *Tricenarius*, *pleroma*<sup>f</sup> — — inferius illum metatur *medietatem* Achamoth, filium calcans. Subest enim Demiurgus in hebdomade sua, magis<sup>h</sup> diabolus, in isto nobiscum communi mundo — —

Cap. 24.

— Molitus enim mundum Demiurgus ad hominem manus confert et substantiam ei *capit*<sup>k</sup> non ex ista, inquirunt, arida quam — — novimus terram — —, sed ex invisibili corpore<sup>l</sup> materiae illius philosophicae, de fluxili et fusili eius<sup>m</sup> — Figulat ita hominem Demiurgus et de af-

Tertullianus partim omittit, partim brevissimè contrahit.

c. Legendum omnino de *animalium scilicet censu* (sic ludit Tertullianus) *invalidus spiritalia agnoscere*.

d. Misera sunt quae hic addit Tertullianus, ut refutet.

e. Ipse hoc addit.

f. *mater* tantum graece: nihil autem de *summis summitatibus*, in quibus sit *pleroma*.

Iren. contra Haeret.

αὐτὸν ὑπάρχοντα πρὸς τὸ ποιεῖν τινὰ πνευματικά, αὐτὸ νομικέναι μόνον εἶναι θεῶν, καὶ διὰ τῶν Προφητῶν εἰρηάζει Ἐγὼ θεός, πληρὴ ἐμοῦ οὐδείς.

ἐκ δὲ τῆς λύτης τὰ πνευματικά τῆς πονηρίας διδάσχοσι γενεῖναι, ὅθεν τὸν Διάβολον τῆς πονηρίας ἐσχημέναι, ὃν καὶ Κοσμοκράτορα καλοῦσι. καὶ τὰ δαιμόνια καὶ τοὺς Ἀγγέλους καὶ αἰετὴν τὴν πνευματικὴν τῆς πονηρίας ὑπόστασιν — — τὸν δὲ κοσμοκράτορα γινώσκουσιν τὰ ὑπὲρ αὐτὸν, ὅτι πνεῦμά ἐστι τῆς πονηρίας. τὸν δὲ Δημιουργὸν αἰετὴν καὶ χικὸν ὑπάρχοντα.

Οἰκεῖν δὲ τὴν μητέρα αὐτοῦ εἰς τὸν ὑπερουράνιον τόπον, καὶ ἔστιν ἐν τῇ μεσότητι, τὸν Δημιουργὸν δὲ εἰς τὸν ὑπερουράνιον τόπον, τοῦτ' ἐστιν ἐν τῇ ἐβδόμη, τὸν δὲ παντοκράτορα<sup>g</sup> ἐν τῇ κατ' ἡμᾶς κόσμῳ.

§. 5.

Δημιουργήσαντα δὲ τὸν κόσμον πεποιθέναι καὶ τὸν ἄνθρωπον τὸν χοϊκόν· οὐκ ἀπὸ ταύτης δὲ τῆς ξηρᾶς γῆς, ἀλλ' ἀπὸ τῆς οὐρανοῦ οὐσίας, ἀπὸ τοῦ περιεργασθέντος καὶ ῥευσσοῦ τῆς ὕλης λαβόντα<sup>h</sup> εἰς τοῦτον ἐμφυσησάμενον τὸν ψυχικὸν διορίζονται. Καὶ τοῦτοι<sup>i</sup>

g. *ἐπουράνιον* legendum. *Locus in caelo*, habet latinus Irenaei interpretas.

h. Scil. *subest*.

i. *κοσμοκράτορα* legendum, ut in latino interprete Irenaei omnino legitur, pro eo Tertullianus dixit *diabolum*.

k. Sequitur in graeco paulo post *βόντα*.

l. *οὐσίας*, ex invisibili corpore materiae.

m. Multa de suo addit Tertull.

Tertull. adv. Valent.

uo animat<sup>2</sup>; sic erit et choi-  
animalis ad imaginem et si-  
linem factus. — — Interim  
em superficiem<sup>o</sup> postea aiunt  
supertextam, et hanc esse  
am tunicam, obnoxiam sen-

Cap. 25.

rat autem in Achamoth ex  
ntia<sup>r</sup> Sophiae matris pecu-  
quoddam seminis spiritualis,  
et ipsa Achamoth in filio De-  
sequestraverat, ne hoc qui-  
naro. — — Ad hoc enim de-  
rat et occultaverat, ut, cum  
rgus animam mox de suo affla-  
Adam communicaret, pariter  
ten illud spiritale quasi per  
em animam derivaretur in  
m: atque ita foeturatum in  
e materiali, velut in utero, ut  
m illic idoneum inveniretur  
iendo quandoque sermoni<sup>r</sup>  
lo. Itaque cum Demiurgus  
em<sup>r</sup> animae suae committit  
m, latuit homo spiritualis flatu  
o insertus, et pariter corpori  
us; quia non magis semen  
d matris Demiurgus, quam

Hoc semen ecclesiam di-  
ecclesiae supernae speculum<sup>t</sup>,  
inis censum<sup>2</sup>. Proinde eum<sup>r</sup>  
amoth deputantes, quemad-  
m animalem, a Demiurgo;  
m substantia ἀρχῆς<sup>r</sup>, carnem  
a.

Cap. 26.

et exitum singulis dividunt.  
iali quidem, id est carnali,

αφυσῆσαι.

nalem superficiem, σαρκίον.

ισούσιον, ex substantia reddit.

igit λόγον et reddit sermoni; inter-

tem Irenaei rationi reddidit.

equentissimum postea Africanis no-

c legendum, non Iesus insertus.

ULLIANI OPP. ED. OENLER. Tom. III.

Iren. contra Haeres.

ναί τὸν κατ' εἰκόνα, καὶ ὁμοιω-  
σιν γεγονότα — — ὕστερον δὲ  
περιτεθεῖσθαι λέγουσιν αὐτῶ τὸν  
δερμάτινον χιτῶνα· τοῦτο δὲ τὸ  
αἰσθητὸν σαρκίον εἶναι λέγουσι.

§. 7.

Τὸ δὲ κήμα τῆς μητρὸς αὐτῆς  
τῆς Ἀγαμῶθ, ὃ — — ἀπεκίτησεν  
ὁμοούσιον τῇ μητρὶ πνευματικὸν  
καὶ αὐτὸν ἠγνοηκέναι τὸν Δημι-  
ουργὸν λέγουσι· καὶ λεληθότως  
κατατεθεῖσθαι εἰς αὐτὸν, μὴ εἰ-  
δότος αὐτοῦ, ἵνα δι' αὐτοῦ εἰς  
τὴν ἀπ' αὐτοῦ ψυχὴν σπαρῆν,  
καὶ εἰς τὸ ὑλικὸν τοῦτο σῶμα  
κνοφορηθῆν, ἐν τούτοις καὶ αὐ-  
ξηθῆν, ἐτοιμον γένηται εἰς ὑπο-  
δοχὴν τοῦ τελείου. ἔλαθεν οὖν ὡς  
φασὶ τὸν Δημιουργὸν ὃ συγκατα-  
σπαρεῖς τῷ ἐμφυσήματι αὐτοῦ  
ὑπὸ τῆς Σοφίας πνευματικὸς ἀν-  
θρώπων ἀβρόβητο προνοῶν. ὡς γὰρ  
τὴν μητέρα ἠγνοηκέναι, οὕτω καὶ  
τὸ σπέρμα αὐτῆς. ὃ δὴ καὶ αὐτὸ  
Ἐκκλησίαν εἶναι λέγουσιν, ἀντί-  
τυπον τῆς ἀνω Ἐκκλησίας. καὶ  
τότε εἶναι ἐν αὐτοῖς ἀξιοῦσιν,  
ὥστε ἔχειν αὐτοὺς τὴν μὲν ψυχὴν  
ἀπὸ τοῦ Δημιουργοῦ, τὸ δὲ σῶμα  
ἀπὸ τοῦ χοῦς, καὶ τὸ σαρκικὸν  
ἀπὸ τῆς ὕλης — —

Cap. 6.

§. 1.

Τριῶν οὖν ὄντων, τὸ μὲν ὑλι-  
κόν, ὃ καὶ ἀριστερόν καλοῦσι, κα-

t. exemplum, ἀντίτυπον reddit inter-  
pres Irenaei antiquus.

u. Respicit ad ἀξιοῦσιν. Legendum  
enim cum vetere latino: καὶ τοῦτον εἶναι  
τὸν ἐν αὐτοῖς ἀξιοῦσιν.

x. Scil. spiritalem.

γ. Chocicum substantia corpus postulant  
graeca. Porro carnem a materia.

Tertull. adv. Valent.

quem et sinistrum vocant, indubitatum *interitum*°. Animalis vero, quem et dextrum appellant, dubitatum eventum, utpote inter materiale spiritalemque nutanti et illac debito, qua plurimum *adnuerit*. Ceterum spiritalem emitti in animalis comparationem°, ut erudiri cum eo et exerceri in conversationibus possit. Indiguissae enim animale etiam sensibile disciplinarum, in hoc et paraturam mundi prospectam, in hoc et Soterem in mundo repraesentatum, in salutem scilicet animalis. Alia adhuc compositione monstruosum volunt illum *prospicias*° earum substantiarum induisse, quarum summam saluti esset redactura; ut spiritalem quidem suscepit ab Achamoth, animale vero, quem mox a Demiurgo induit Christum. Ceterum corporalem ex animali substantia, sed miro et inenarrabili rationis ingenio constructum, *administrationis*° causam vi contulisse, quo congressui et conspectui et contactui et *defunctui*°<sup>d</sup> ingratis subiaceret. Materiale autem nihil in illo fuisse, utpote salutis alienum°. 1. Inserunt *quidam*, esse etiam Demiurgo suum Christum, filium naturalem, denique *animalem*, prolatum ab ipso, promulgatum prophetis, in praepositionibus positum, id est *per* virginem, non ex

z. Itaque longa disputatio fuit de *σωτηρίᾳ* carnis, quam Gnostici negabant.

a. *συζυγῆν*, comparatione exprimit.

b. *prospicias*, aut *primitias*, ἀπαρχάς. Verum de suo addidit *quarum summam* etc.

c. Hic forte antiquissima mentio *οἰκονομίας*, de historia Christi humana. *Administrationis causa ei contulisse* forte legere licet.

d. *defunctui*, τῷ πάθει, morti.

e. Iam multa in Irenaeo sequuntur clarior cap. 6. n. 2., quae Tertullianus partim tacet, partim involvit c. 30. E. c. Irenaeus num. 4. scribit: — *θεῖν αὐτοῦς*

- Iren. contra Haeres.

τὰ ἀνάγκην ἀπόλλυσθαι λέγουσιν, ἅτε μηδεμίαν ἐπιδείξονται πνοὴν ἀφ' ἑαυτοῦ δυνάμεως. ἡ δὲ ψυχικὸν, ὃ καὶ δεξιὸν προγορεύουσιν, ἅτε μέσον ὄν τι πνευματικῶν καὶ υἱαῖον, ἐκχωρεῖν, ὅπου ἂν καὶ τὴν πρῶτην ποιήσεται. τὸ δὲ πνευματικὸν ἐκπεπέμφεται, ὅπως ἐκδὲ τῷ ψυχικῷ συζυγῆν μορφῆ συμπαυδενθὲν αὐτῷ ἐν τῇ ἀστροφῇ. — — ἔδει γὰρ τῶν ψυχικῶν καὶ αἰσθητῶν καὶ κτιστῶν. δι' ὧν καὶ κόσμον καταστάσαι λέγουσι, καὶ τὸν Σωτῆρα δὲ ἐπὶ τοῦτο παραγεγονῆναι ψυχικόν, ἐπὶ καὶ ἀσπεύοντα ἔστιν, ὅπως αὐτὸ σώσει. ἡ γὰρ ἡμελλε σώσειν, τὰς ἀπαρχὰς τῶν εἰληφέναι φάσκουσιν. ἡ μὲν τῆς Ἀχαμῶθ τὸ πνευματικόν, ἀπὸ δὲ τοῦ Δημιουργοῦ δεδύσθαι τὸν ψυχικόν Χριστὸν ἀπὸ δὲ τῆς οἰκονομίας° παραδεῖσθαι σῶμα ψυχικὴν ἔχουσαν, κατεσκευασμένην δὲ ἀπὸ τῆς τέχνης, πρὸς τὸ καὶ ἀόρατον καὶ ἀπαθὸν γεγενῆσθαι καὶ τὸν δὲ οὐδ' ὅτι οὖν εἰληφέναι ἰσχυροῦν αὐτόν. μή γὰρ εἶναι τὴν ὅλην δεκτικὴν σωτηρίας.

1. Eīsi δὲ οἱ λέγοντες, προβαῖν αὐτὸν καὶ Χριστὸν τὸ ἴδιον, ἀλλὰ ψυχικόν, περὶ τοῦ διὰ προφητῶν λελαλημένου.

αἰεὶ τὸ τῆς συζυγίας μελετᾶν μνησίων etc. Tertullianus cap. 30.: *Et apud illos meditandum atque celebrandum semper sacramentum comiti, i. e. sem adhaerendo etc.* Satis clarum tamen Tertullianus cap. 31. 32. desumpta ex capite Irenaei 7. num. 1., variis Tertulliani nugis aucta. Nec enim dubitavit, Irenaeum et Tertullianum, siem cunque est scriptor, ignorasse veram sententiam Gnosticorum, et sententias perfectioris cognitionis indices cōpisse, ut rideri possent. Contra e hic in Irenaeo statim sequuntur p. 2. Tertullianus refudit in suam cap



editum. Quia delatus in  
 am transmeatorio potius quam  
 torio more processerit *per*  
 , non *ex ipsa*, non matrem  
 sed *viam* passus. 2. Super  
 taque Christum devolasse tunc  
 tismatis sacramento *Iem* (Ie-  
 Sotere) per effigiem colum-  
 3. Fuisse autem et in Christo  
 ex Achamoth spiritalis semi-  
 ondimentum ne marcesceret  
 t reliqua farsura.) Nam in fi-  
 i principalis tetradis quatuor  
 substantiis stipant: spiritali,  
 iothiana; animali, demiurgia-  
 orporali, *inenarrativa*<sup>f</sup>; et  
 tericiana, id est columbina.

Cap. 27.

Et soter quidem permansit in  
 o, impassibilis, inlaesibilis,  
 ehensibilis. Denique cum ad  
 ensiones venit, discessit ab  
 n *cognitione*<sup>g</sup> Pilati. Proinde  
 atris semen admisit iniurias,  
*insubditivum*<sup>h</sup>, et ne ipsi  
 n Demiurgus compertum. Pa-  
 vero animalis et carneus Chri-  
 in delineationem superioris  
 i, qui ad Achamoth forman-  
 substantivali, non agnitionali  
 cruci, id est Horo fuerat in-  
 Ita omnia in imagines ur-

Cap. 28.

Interea Demiurgus omnium  
 nescius, et si aliquid et ipse

ic sole clarius est Tertullianum e  
 copiosioribus reddidisse parcius.  
 nomia in Irenaeo cap. 5. n. 6.  
 y *προνοία*, et cap. 6. 1. de *οσco-*

ναι δὲ τοῦτον διὰ Μαρίας διο-  
 δεύσαντα, καθάπερ ὕδωρ διὰ σω-  
 λῆγος ὀδεύει. 2. Καὶ εἰς τοῦτον  
 ἐπὶ τοῦ βαπτίσματος κατελθεῖν  
 ἐκείνον τῶν ἀπὸ τοῦ πληρώματος  
 ἐκ πάντων Σωτήρα, ἐν εἶδει πε-  
 ριστερᾶς. 3. Γεγονέναι δὲ ἐν αὐ-  
 τῷ καὶ τὸ αὐτὸ τῆς Ἀχάμωθ  
 σπέρμα πνευματικὸν. τὸν οὖν Κύ-  
 ριον ἡμῶν ἐκ τεσσαρῶν τούτων  
 συνθετον γεγονέναι φάσκουσι,  
 ἀποσώζοντα τὸν τύπον τῆς ἀρ-  
 χειόνου καὶ πρώτης τετρακτύος,  
 ἐκ τε τοῦ πνευματικῆς, ὃ ἦν ἀπὸ  
 τῆς Ἀχάμωθ, καὶ ἐκ τοῦ ψυχ-  
 κῆς, ὃ ἦν ἀπὸ τοῦ Δημιουργοῦ,  
 καὶ ἐκ τῆς<sup>i</sup> οἰκονομίας, ὃ ἦν κα-  
 τεσκευασμένον ἀρρήτων τέχνη, καὶ  
 ἐκ τοῦ Σωτήρος, ὃ ἦν κατελθού-  
 σα εἰς αὐτὸν περιστερά.

Cap. 7.

§. 2.

4. Καὶ τοῦτο μὲν ἀπαθῆ δια-  
 μεμενηκέναι· (οὐ γὰρ ἐνεδέχето  
 παθεῖν αὐτὸν, ἀκράτητον καὶ ἀό-  
 ρατον ὑπάρχοντα) καὶ διὰ τοῦτο  
 ἦρθαι, προσεγομένον αὐτοῦ τῷ  
 Πιλάτῳ, τὸ εἰς αὐτὸν κατατεθὲν  
 πνεῦμα Χριστοῦ· ἀλλ' οὐδὲ τὸ  
 ἀπὸ τῆς μητρὸς σπέρμα πεπον-  
 θέναι λέγουσιν. ἀπαθὲς γὰρ καὶ  
 αὐτὸ τὸ πνευματικὸν καὶ ἀόρα-  
 τον, καὶ αὐτῷ τῷ Δημιουργῷ·  
 ἔπαθε δὲ λοιπὸν κατ' αὐτοὺς ὁ  
 ψυχικὸς Χριστὸς — ἔν' ἐπιδείξῃ,  
 αὐτοῦ ἢ μητῆρ τὸν τύπον τοῦ ἄνω  
 Χριστοῦ, ἐκείνου τοῦ ἑπεκταθέν-  
 τος τῷ Σταυρῷ, καὶ μορφώσαν-  
 τος τὴν Ἀχάμωθ μόρφωσιν τὴν  
 κατ' οὐσίαν. πάντα γὰρ ταῦτα  
 τύπους ἐκείνων εἶναι λέγουσι.

§. 3.

5. Τὰς δὲ — ψυχὰς — πλεῖον  
 τῶν ἄλλων ἠγαπήσθαι ὑπὸ τοῦ

nomia praecessit; Tertullianus vero per-  
 turbat ordinem.

g. Sic Tertullianus ipse de scribit.

h. ἀνυπεκείμενον, scil. πάθει.

Tertull. adv. Valent.

per prophetas concionabitur, ne huius quidem operis sui intelligens; (dividunt enim et prophetiale patrocinium<sup>i</sup> in Achamoth, in semen, et in Demiurgum), ubi adventum Soteris accepit, propere et ovanter accurrit, cum omnibus viribus suis, centurio de Evangelio<sup>k</sup>. Et de omnibus inluminatus ab illo etiam spem suam discit, quod successurus sit in locum matris<sup>l</sup>. Ita exinde securus dispensationem mundi huius, vel maxime ecclesiae protegendae nomine, quanto tempore oportuerit, insequitur<sup>m</sup>.

Cap. 29.

— Triformem naturam primordio professi, et tamen inunitam in Adam, inde iam dividunt singulares generum proprietates, nacti occasionem distinctionis huiusmodi ex posteritate<sup>n</sup> ipsius Adae. — Cain et Abel, et Seth, — in totidem derivant argumenta, naturae atque essentiae *Choicum* salutis degeneratum ad Cain redigunt; animali, me-

i. Satis obscure Tertullianus haec hic descripsit. Gnostici hi statuebant prophetias ista etiam spirituales animas semen illud in ipsis alicubi praeclaras sententias protulisse. Nempe satis recte; nisi Catholici solerent involvere.

k. Minus clare describit, ut rideri facilius possit quam intelligi. Hic tibi tamen emicat sententia Gnosticorum satis prava et casta.

Iren. contra Haeres.

Δημιουργοῦ, μὴ εἰδότης τῆς τῆς, ἀλλὰ παρ' αὐτοῦ λογιζομένου εἶναι τοιαύτας. διὸ καὶ Προφήτας, φασὶν, ἔτασσε τους, καὶ ἱερεῖς καὶ βασιλεῖς πολλὰ ὑπὸ τοῦ σπέρματος του εἰρησθαι τῶν προφητῶν λοιπὸν τέμνουσι τὰς προφητὰς τὸ μὲν τι ἀπὸ τῆς μητρὸς σθαι θέλοντες, τὸ δέ τι ἀπὸ τοῦ σπέρματος, τὸ δέ τι ἀπὸ τοῦ δημιουργοῦ.

§. 4.

τὸν δὲ Δημιουργὸν — διατεκνέαι ἄχρι τῆς παρουσίας τοῦ ρίου. ἔλθόντος δὲ τοῦ Σωματοῦ αὐτὸν παρ' αὐτοῦ λέγουσι, καὶ ἄσμενον αὐτῶν χωρήσαντα, μετὰ πάσης τῆς γάμεως αὐτοῦ, καὶ αὐτὸν τὸν ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ ἑκατόχον — — αὐτὸν τὴν κατοικίαν οἰκονομίαν μέχρι τοῦ οὐρανοῦ καιροῦ, μάλιστα δὲ διὰ τῆς Ἐκκλησίας ἐπιμέλειαν, καὶ διὰ τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ μασθέντος αὐτῶ ἐπάθλου, ὅτι τὸν τῆς μητρὸς τόπον χωρεῖ

§. 5.

Ἀνθρώπων δὲ τρία γένη σταντες, πνευματικὸν, χοϊκὸν καὶ καθῶς ἐγένετο Κάιν, Σηθ, καὶ ἐκ τούτων τὰς τρεῖς σεις, οὐκέτι καθ' ἑν, ἀλλὰ γένος καὶ τὸ μὲν χοϊκὸν εἰς ἑσθὴν χωρεῖν· καὶ τὸ ψυχικὸν τῶ τῆς μεσότητος τόπῳ πάσθαι — τὰ δὲ πνευματικὰ, ἃ ἂν κατασπείρη ἡ Ἀχα

l. Huc retraxi, cum in graeco statar sub finem demum.

m. Addit Tertullianus: colligam disperso, ad concludendum, quae de generis humani dispositione differant formem etc. Siccine colligit? ex diu In Iraeneo enim adhuc brevis.

n. ἐκ τούτων, tam copiose & latine.

Tertull. adv. Valent.  
 ei deliberatum, ad Abel com-  
 l; *spiritalē*, certae salutis  
 dicatum, in *Seth*° recondu-  
 sic et animas ipsas duplici  
 etate discernunt bonas et ma-  
 — Choicum enim genus, id  
 las animas, numquam capere  
 ia.

utabilem enim et inreforma-  
 naturam pronunciarunt<sup>7</sup>.

Cap. 31.

Igitur in primis ipsa Acha-  
 de regione medietatis, de ta-  
 secundo, in summum trans-  
 restituta pleromati et staci-  
 pigit comparcinus<sup>r</sup> ille Soter,  
 is scilicet; ambo coniugium  
 fiet. Hic erit in scripturis  
 is, et sponsale Pleroma.

a ad Cain, ad Abel, in Seth, ipsi  
 ertullianus.  
 ec: *ἐκ τότε* — *παιδευθέντα* etc.  
 Tertullianus.  
 : multa hic inserit, qui *colligere ex*  
 voluit. Immo vero bene compo-  
 rmonem seionxit: et dispersit ipse,  
 labitu. Haec enim, quae faciunt  
 ipitis in Irenaeo, retraxit huc, at-  
 demum immutat sic: *Id ergo*  
*spiritualis seminis modicum et par-*  
*ictu, sed eruditio huius, fides auge-*  
*provehitur, supra diximus. Ani-*  
*hoc ipso ita ceteris praeveriunt, ut*  
*us tunc ignorans magni fecerit.*  
 : igitur illa graeca comparabimus:  
*πνευματικά, ἃ ἂν ἐγκατασπείρη*  
*ωθ, ἐκ τότε ἕως τοῦ νῦν δι-*  
*ψυχῆς παιδευθέντα ἐνθάδε καὶ*  
*έντα διὰ τὸ νήπια ἐκπεπέμ-*  
*ύστερον τελειότητος ἀξιωθέντα,*  
*ἀποδοθήσεται τοῖς τοῦ σω-*  
*γγέλοις.* Hic inseruit Tertullia-  
 num etc.; *eruditio* est ex *παιδευ-*

Iren. contra Haeres.

*ἐκ τότε*<sup>r</sup> ἕως τοῦ νῦν *δικαίαις ψυ-*  
*χαῖς παιδευθέντα κτλ.*

8. *Καὶ αὐτὰς μὲν τὰς ψυχὰς*  
*πάλιν ὑπομερίζοντες λέγουσιν, ἃς*  
*μὲν φύσει ἀγαθὰς, ἃς δὲ φύσει*  
*πονηρὰς. — τὰς δὲ φύσει πονη-*  
*ρὰς, μηδέποτε ἂν ἐπιδέξασθαι*  
*ἐκεῖνο τὸ σπέρμα.*

Cap. 6.

§. 2.

*Ὡς γὰρ τὸ χοικὸν ἀδύνατον σω-*  
*τηρίας μετασχεῖν.*

Cap. 7.

§. 1.

*Ὅταν δὲ πᾶν τὸ σπέρμα τε-*  
*λειωθῇ, τὴν μὲν Ἀχαμῶθ τὴν*  
*μητέρα αὐτῶν μεταβῆναι τοῦ τῆς*  
*μεσότητος τόπου λέγουσι, καὶ ἐν-*  
*τὸς πληρώματος. εἰσελθεῖν, καὶ*  
*ἀπολαβεῖν τὸν νυμφίον αὐτῆς*  
*τὸν Σωτῆρα, τὸν ἐκ παντῶν γεγο-*  
*νότα, ἵνα συζυγία γένηται τοῦ*  
*Σωτῆρος καὶ τῆς Σοφίας τῆς*  
*Ἀχαμῶθ, καὶ τοῦτο εἶναι νυμ-*  
*φίον καὶ νύμφην, νυμφῶνα δὲ τὸ*  
*πᾶν Πλήρωμα.*

*θέντα; parvulum iactu, νήπια ἐκπεπέμ-*  
*φθαι.* Iam Tertullianus pergit: *Ex eo-*  
*rum ego laterculo et in reges et in sacer-*  
*dotes allegere consueverat.* Haec autem de-  
 bebatur capiti 28. addidisse; extant enim  
 in Irenaei cap. 7. num. 3. iamiam: *ἔτασ-*  
*σεν αὐτοὺς καὶ ἱερεῖς καὶ βασιλεῖς.*  
 Hoc hic dicit *allegerat, ἔτασσαν.* Hoc est  
 dispergere, an ex disperso colligere? Per-  
 git autem: *quae nunc quoque si plenam*  
*atque perfectam notitiam adprehenderit*  
*istarum naeniarum, naturificatae iam spiri-*  
*talis conditionis germanitate certam obti-*  
*nebunt salutem.* Nempe haec graeca huc  
 pertinent: *παιδευθέντα ἐνθάδε* (nunc  
 quoque) — *ύστερον τελειότητος ἀξιω-*  
*θέντα, (si plenam etc.) νύμφας ἀποδο-*  
*θήσασθαι, sponsas reddi saluatoris angelis,*  
 transtulit Irenaei interpretes. Hic: *naenia-*  
*rum (Nympharum ausim legere) obtinebunt*  
*certam salutem.*

r. Hoc nomen videtur exprimere illud:  
*τὸν ἐκ πάντων γεγονότα; comparcinus,*  
 quasi a parsimonia, ex omnibus.

Tertull. adv. Valent.

Iren. contra Hæres.

Cap. 5. §. 3. circa lineam

— Et Demiurgus tunc de hebdomade caelesti in superiora mutabit.

Τὸν Δημιουργὸν δὲ εἰς τὸ ὑπουράνιον τόπον, τοῦτ' ἔστιν ἐν τῇ ἑβδομάδι (scil. οὐρανῷ), τὸν Δημιουργὸν μεταβῆναι καὶ εἰς τὸν τῆς μητρὸς Σοφίας τόπον τοῦτ' ἔστιν ἐν τῇ μεσότητι.

Cap. 32.

§. 1.

9. Iustorum animae, id est nostrae, ad Demiurgum in medietatis receptacula transmittentur. Agimus gratias, contenti erimus cum Deo nostro deputari, qua census nihil animale in Pleromatis palatium admittitur, nisi spiritale examen Valentini.

9. Τὰς δὲ τῶν δικαίων ἀναπαύσεσθαι καὶ αὐτὰς ἐν τῇ μεσότητι τόπῳ. καὶ τὰ ψυχικὸν ἐν τῷ Πληρωματικῷ εἶναι. τούτων δὲ γενομένων οὐκ ἐμφωλευόν τῷ κόσμῳ ἐκλάμπαν, καὶ ἐξαφέν, καὶ τεργασάμενον πᾶσαν ἕλκ, σπυλαλωθήσεσθαι αὐτῇ, καὶ ἐν μηκῆτι εἶναι χωρησεῖν διδάσκων.

10. His nuptiis recte deducendis pro face et flammeo tunc credo ille ignis arcanus erumpet, et universam substantiam depopulatus, ipse quoque decineratis omnibus in nihilum finiatur.

Cap. 12.

Cap. 63.

§. 1.

Producam — aliter atque aliter commendata ab emendatoribus Ptolemaei. Extiterunt enim de schola ipsius discipuli *super magistrum*, qui duplex coniugium Bytho suo adfingerent, cogitationem et voluntatem. Una enim satis non erat cogitatio, qua nihil producere potuisset. Ex duabus facillime prolatum. Primum coniugium Monogenem, veritatem; ad imaginem quidem cogitationis feminam veritatem, ad

Ὁ Πτολεμαῖος, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ, εἶμι ἐμπειροτέροις ἡμῶν ἐναντῶν διδασκάλου. . . . διὰ τὸ ζύγουσ τῷ Θεῷ, τῷ πατρὶ αὐτῶν Βυθῷ καλουμένῳ, ἐπενοήσθη καὶ ἐχαρίσατο. ταύτας δὲ καὶ θεοφεισὶν ἐκάλεσεν, Ἐννοίας καὶ Θέλημα. πρῶτον γὰρ ἐνοήσθη προβαλεῖν, φησὶν, εἶτα ἡθέλησεν διὰ καὶ τῶν δύο διαθέσειν ταύτων — τῇ προβολῇ τοῦ Μονογόνου καὶ τῆς Ἀληθείας κατὰ

s. locatur Tertullianus.

l. Hic multa addit Tertullianus, quae conveniunt cum Irenaei cap. 7. 5., seu sine, de sponsis, Salvatoris angelis etc.

u. Ludit Tertullianus.

x. Hic post alios Irenaeus cap. 33. Tertullianus ipse dicit: *Producam denique velut epicitharisma, post fabulam tantam etiam illa, quae, ne ordini obstreperet et lecloris intentionem interiectione dispargerent, hunc malui in locum distulisse, aliter etc.*

Quid tandem dicit? ne ordini obstreperet etc. Nempe omisit et transiit ad quae iam in Irenaeo faciebant cap. 9. 10. 11; et statim iam describit initium capitis 12. Hoc enim est nem observare?

y. Irenaeus aliter dicit Ptolemaeusque socios peritiores se fecisse, si fuerit ipsorum magister.

z. facillimo prolatum, primum etc. aligunt.

Tertull. adv. Valent.

inem voluntatis mare Mono-  
m. Voluntas enim vis utique,  
;) effectum praestat cogitationi  
s obtinet censum\*.

Cap. 35.

unt qui nec principatum Bytho  
idunt, sed postumatum, Og-  
em ante omnia praemittentes,  
etrade quidem et ipsam, sed et  
nominibus derivatum. Primo  
constituunt *proarchen*; se-  
o *anennoeiton*, tertio *arrheton*,  
to *aoraton*. Ex proarche ita-  
processisse primo et quinto lo-  
*irchen*, ex *anennoeito* secundo  
exto loco *acatalepton*, ex ar-  
o tertio et septimo loco Ano-  
astum, ex invisibili quarto et  
vo loco *agenetton*.

Cap. 36.

l. Quanto meliores, qui totum  
laedium de medio amoliti\* nul-  
aeonem voluerunt, alium ex  
*per gradus* revera Gemonios<sup>a</sup>,  
atum. Sed mappa (quod aiunt)  
a\* semel octoiugem istam, et  
parte<sup>f</sup>, Ennoea eius ex causa  
ipso denique eius motu nomina  
unt<sup>g</sup>; cum, inquit, cogitavit  
erre, hoc *pater* dictus est. Cum  
ulit, quia vere protulit, hic *ve-*  
s appellata est. Cum semetip-

Postquam caput 34. Insibus et iocis  
im adiecit, iam capite 35. redit Ter-  
tullius in Irenaei caput 11. in fine, et  
haec hic inserit quae ille praemi-

Iam hic cap. eodem 11. fine sequi-  
n Irenaeo de Bytho: οἱ μὲν αὐτὸν  
ον λέγουσι, μήτε ἄρῃνα, μήτε θή-  
ν, μήτε ὄλωσ ὄντα τι. Ἄλλοι δὲ  
ρόδηλον αὐτὸν λέγουσιν εἶναι, Ἐρ-  
ροδίτου φῶσιν περιάπτουσι. Hinc  
tullianus argumentum capitis sui 34.  
ripit: *maluerunt nullum Bytho sexum  
tare — alii contra magis et masculinum*

Iren. contra Haeres.

Ζυγίαν ἐγένετο, οὗς τινὰς τύπους  
καὶ εἰκόνας τῶν δύο διαθέσεων  
τοῦ Πατρὸς προελθεῖν — — ὁ  
μὲν ἄρῃν εἰκὼν τῆς ἀγεννήτου  
Ἐννοίας γέγονεν, ὁ δὲ θήλυς τοῦ  
Θελήματος. τὸ θέλημα τοῖνον δύ-  
ναμις ἐγένετο τῆς Ἐννοίας.

Ἄλλοι δὲ πάλιν αὐτῶν τὴν  
πρώτην καὶ ἀρχέγονον Ὀυδοάδα  
τούτοις τοῖς ὀνόμασι κεκλήκασι·  
πρώτον προαρχήν, ἔπειτα ἀνε-  
νόητον, τὴν δὲ τρίτην ἄρῃητον,  
καὶ τὴν τετάρτην ἀοράτον· καὶ ἐκ  
μὲν τῆς πρώτης προαρχῆς προ-  
βεβλήσθαι πρώτῳ καὶ πέμπτῳ  
ἀρχήν, ἐκ δὲ (τῆς ἀρχῆς) τῆς ἀνε-  
νοήτου δευτέρῳ καὶ ἕκτῳ τόπῳ  
ἀκατάληπτον, ἐκ δὲ τῆς ἀρῃήτου  
τρίτῳ καὶ ἑβδόμῳ τόπῳ ἀνονό-  
μαστον, ἐκ δὲ τῆς ἀοράτου ἀγέν-  
νητον<sup>b</sup>.

Τὴν πρώτην ὀυδοάδα οὐ καθ'<sup>d</sup>  
ὑπόβασιν ἄλλον ὑπὸ ἄλλον Αἰῶ-  
να προβεβλήσθαι, ἀλλ' ὁμοῦ καὶ  
εἰς ἅπαξ τὴν τῶν ἐξ Αἰώνων  
προβολὴν ὑπὸ τοῦ προπάτορος  
καὶ Ἐννοίας αὐτοῦ τετέλεσθαι, ὡς  
αὐτὸς μαιωσάμενος διαβεβαι-  
οῦνται. — ὅτι ὅπερ ἐνενοήθη  
προβαλεῖν ὁ Προπάτωρ, τοῦτο  
πατὴρ ἐκλήθη. ἐπεὶ δὲ ὁ προεβά-  
λετο ἀλήθεια ἦν, τοῦτο Ἀλήθεια  
ὠνομάσθη· ὅτε οὖν ἠθέλησεν

et feminam dicunt, ne apud solas Lunenses  
Hermaphroditum existimet annalium condi-  
tor Fenestella. Sic Tertullianus Irenaeum  
discerpsit.

c. De suo adiecit. Epiphanius autem  
et Theodoretus Colarbasis tribuunt.

d. De suo addidit καθ' ὑπόβασιν.

e. ὁμοῦ καὶ εἰς ἅπαξ, sic describit.

f. Legendum omnino: ex patre et En-  
noea eius exclusam. Frat enim graece,  
ἐκ τοῦ προπάτορος. Porro illa — —  
μαιωσάμενος omisit noster. Videtur graeco  
aliter legendum esse.

g. Addit haec Tertullianus.

Tertull. adv. Valent.

sum voluit *probari*<sup>k</sup>, hoc homo pronunciatum est. Quos autem praecogitavit, cum protulit, tunc *ecclesia* nuncupata est. *Sonmit*<sup>l</sup> homo sermonem, et hic est primogenitus filius, et sermoni accessit *vita*, et Ogdoas prima conclusa est.

Cap. 37.

Accipe alia ingenia Currucae Enniani insignioris<sup>k</sup> apud eos magistri qui. — Est, inquit, ante omnia Proarche inexcogitabile et inenarrabile. Inenarrabile, quod ego nomeno *Monoteta*. Cum hac erat alia virtus, quam et ipsam appello *Henoteta*. Monotes et Henotes, id est solitas et unitas; cum unum essent, protulerunt, non proferentes, initium omnium intellectualem, innascibile, invisibile, quod sermo monada vocavit. Huic adest constantiva virtus, quam appellat unio. Haec igitur virtutes solitas unio ceteras prolationes aeonum propagarunt.

Cap. 38.

Humanior iam *Secundus*<sup>m</sup>, ut brevior, Ogdoadem in duas tetradas dividens, in dexteram et sinistram in lumen et tenebras, tantum quod desultricem et defectricem illam virtutem non vult ab aliquo deducere aeonum, sed a fructibus de substantia veniant.

h. *ἐπιδείξειαι*. Latinus Irenaei interpret reddidit *ostendere*; rectius. Sic Iren. lib. I. cap. 14. num. 1. sermo iam adstans, hypostasis, *ἐπέδειξεν* (*ἐπέδειξεν*) *αὐτῶν*, ὃ ἦν.

i. Deest in graeco *verbum*.

k. *Ἐπιφανοῦς*, fait nomen proprium. Haec repetit Tertullianus ex Irenaei cap.

Iren. contra Haeres.

*ἐπιδείξειαι αὐτὸν, τοῦτο Ἄνδρος ἐλέχθη. οὗς δὲ προελογίσα ὅτε προέβαλε, τοῦτο Ἐκκλησίᾳ ὠνομάσθη. καὶ ὁ Ἄνθρωπος Λόγον, οὗτός ἐστιν ὁ πρῶτος υἱός· ἐπακολουθεῖ δὲ τῷ Λόγῳ καὶ ἡ Ζωή· καὶ οὕτως πρὸς Οἰδοῦς συνετελέσθη.*

Cap. 11.

§. 3.

— *ἔστι τις πρὸ πάντων ἀρχῆς, προανεννόητος, ἀβήτῳ καὶ ἀνονόμαστος, ἣν ἐγὼ μόνοντα ἀριθμῶ· ταύτη τῇ μόνοντα συνπαρχει δύναμις, ἣν καὶ τὴν ὀνομάζω ἐνόητα. αὐτῇ ἐνόητος, ἢ τε μονόητος, τὸ ἐνοῦν προήκοντο μὴ προέμεναι ἀπὸ ἐπὶ πάντων νοητῆν, ἀγεννητῶν καὶ ἀόρατων, ἣν ἀρχὴν ὁ λόγος μονάδα καλεῖ. ταύτη τῇ μόνοντα συνπαρχει δύναμις ὁμοούσιος αὐτῇ, ἣν καὶ αὐτὴν ὀνομάζει ἐν. αὐταὶ αἱ δυνάμεις, ἢ τε μετῆς καὶ ἐνόητος, μόνος τε καὶ ἐν, προήκοντο τὰς λοιπὰς πρὸς βολὰς τῶν Αἰώνων.*

Cap. 11.

§. 2.

*Σκοῦνδος λέγει εἶναι τὴν πρῶτην οἰδοάδα, τετραδάδα δεξίαν, τετραδάδα ἀριστεράν, οὕτως πρὸς διδόνος καλεῖσθαι, τὴν μὲν φῶς, τὴν δὲ ἄλλην σκοτός. δὲ ἀποστᾶσαν τε καὶ ὑπερῶσαν δύναμιν μὴ εἶναι ἀπὸ τριάκοντα Αἰώνων, ἀλλὰ...*

12. num. 3. Adeo omnia volens turbat.

l. *ὁμοούσιος συνπαρχει*, non descriptio.

m. Haec pars in Irenaeo praecogitata narrationem de Epiphane.

n. Deest *triginta*.

o. Quae hic graeco desunt, leguntur Irenaei interprete: *sed a fructibus*



Tertull. adv. Valent.

Cap. 39.

ipso iam domino Iesu quanta  
 ilas scinditur. Hic *ex omni-*  
*onum* flosculis eum constru-  
 li ex solis decem constitisse  
 dunt, quos Sermo et Vita  
 erunt. Inde et in ipsum ser-  
 et vitae concurrerunt oculi:  
 : Christo, potius ex hominis  
 lesiae foetu, ideoque *filium*  
 is aiunt<sup>p</sup> pronunciatum; alii,  
 sto et spiritui sancto *consta-*  
*lae*<sup>q</sup> universitati provisus con-  
 , et in se paternae appellatio-  
 eredem. Sunt qui filium ho-  
 aliunde conceperint dicen-  
 quanquam ipsum patrem pro  
 , nominis sacramento homi-  
 pellasse praesumerint.

Iren. contra Haeres.

Cap. 12.

§. 4.

Πολλή δὲ μάχη παρ' αὐτοῖς  
 καὶ περὶ τοῦ ζωῆτος. οἱ μὲν γὰρ  
 αὐτὸν ἐκ πάντων γεγονέναι λέ-  
 γουσι. οἱ δὲ ἐκ μόνων τῶν δέκα  
 Αἰώνων, τῶν ἀπὸ Λόγου καὶ  
 ζωῆς, προβεβλήσθαι αὐτὸν λέ-  
 γουσι. τὰ προγονικὰ ὀνόματα (τὰ)  
 διασώζοντα. οἱ δὲ ἐκ τῶν δεκα-  
 δύο Αἰώνων, τῶν ἐκ τοῦ Ἀνθρώ-  
 που καὶ ζωῆς γενομένων, καὶ διὰ  
 τοῦτο τὸν ἄνθρωπον ὁμολογεῖ,  
 ὡσανεὶ ἀπόγονον Ἀνθρώπου. οἱ  
 δὲ ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ καὶ τοῦ ἁγί-  
 ου Πνεύματος εἰς στήριγμα τοῦ  
 πληρώματος γεγονέναι λέγουσιν  
 αὐτὸν, καὶ διὰ τοῦτο Χριστὸν λέ-  
 γεσθαι αὐτὸν, τὴν τοῦ Πατρὸς —  
 διασώζοντα προσήγοριαν. ἄλλοι  
 δὲ — τινὲς ἐξ αὐτῶν ὀψιῶδοι  
 τὸν προπάτορα, — Ἀνθρώπον  
 λέγουσι καλεῖσθαι· καὶ τοῦτ' εἶ-  
 ναι τὸ μέγα καὶ ἀπόκρυφον μυσ-  
 τήριον, ὅτι ἡ ὑπερ τὰ ὅλα δύνα-  
 μεις, καὶ περιεκτικὴ τῶν πάντων  
 Ἀνθρώπος καλεῖται.

## §. XIII.

Hic Tertullianus libri adversus Valentinianos finem sic fecit: *ut  
 amplius speres de eius Dei fide, cui nunc adaequaris? Talia  
 ia superfruticant apud illos ex materiae seminis redundantia:  
 ita insolescentes doctrinae Valentinianorum in silvas iam exo-  
 int Gnosticorum.* In Irenaeo autem cap. 13. sequitur de Marci  
 igiis longa tractatio, cuius nec vestigium nec vola in Tertulliano  
 tur, qui tamen illa Irenaei sursum deorsum, ut dicitur, versa-  
 Superest autem pars non exigua ex isto Irenaei libro primo,  
 i capite 23., quod de Simone Mago et Menandro exponit etc., in  
 'ertulliani libro de Praescriptionibus Haereticorum, sic quidem,  
 n sint obscura vestigia disiecti corpusculi atque in aliam seriem  
 i. Hic, ut in illa temporis penuria licet, breviter tantum indi-  
 us diligentis et studiosae scriptionis illam ambiguum et dubiam  
 em.

vite extat in vulgatis Tertulliani edi-  
 s; Rigaltius reponit aiunt. Sed  
 ianus videtur hic graeca quae-

dam omisisse. Καὶ ζωῆς, ex homine  
 et vita.  
 q. στήριγμα.

Illa igitur, quae sequuntur in Tertulliani libello de Praescriptionibus cap. 45. post illa verba: *etiam specialiter respondebimus*, in codice Hirsaugiensi praecedebant hunc ipsum de Praescriptionibus librum in codice Paternaciensi erat libellus separatus, sine epigraphe: in alio vero codice titulus novus erat *Adversus Omnes Haereses*. haec et in Rhenani editione haec separatim excusa sunt, quasi libellus novus. In Rigaltii editione similiter hic libellus hoc in loco sic dicitur: — *respondebimus. Haec in fide veritatis ei . . . . . legantibus pax et gratia domini nostri Iesu Christi in aeternum.* (In subscriptio pergebat:) *Contra haereticos explicit.* Nunc porro quae sequebantur, deerant in codice Agobardi.

Haec etsi obscura indicia, nobis non sunt negligenda; superius enim per haec indicia et vestigia illa suspicandi ratio, hunc libellum varie compilatum fuisse, non vero una serie ab auctore quodam contextum, a scribis potius latinas partes vetustas undecunq; deceptas varie adiectas fuisse. Non opus est, ut exscribamus illa omnia; sed si quis compararet, invenitur, Tertullianum ex isto Irenaei corpusculo desumsisse, sicut illi Iustinus de Simone Mago narrat idem quod omnes boni atque ingenui scriptores ignorant, Simonem statim honoratum fuisse a Claudio Caesare, propter magicam artem. In infitiamur omnia illa Iustini scripta nobis esse maxime suspecta. Quoties hic ibi Tertullianus seriem atque ordinem simul mutavit, brevissime scripsit. Sed iam non licet pluribus componere similes istas sententias, cum haereticis non disputandum esse ex scriptis eos Apostolis partim negare scientiam perfectam, partim tribuere opulentiam oeconomiam etc. Tertullianus cap. 39. de Homocentibus loquitur, Irenaeus ex Homeri versibus totam componit descriptionem cap. 9.

Sufficit nostro consilio, quod iam effecimus ista comparatione Tertulliani his descriptionibus parum a nobis tribui posse auctoritatis.

#### §. XIV.

Neque vero omittendum hic est illud problema, satis novum et minus certe expectatum, quod longam orationis partem quae in Omentis, Alexandrini illius doctoris, Stromat. VII. sub finem habet, etiam in isto Irenaei corpusculo invenimus, totam atque universam libro V. contra Haereses cap. 8. Agebat Irenaeus, ut scribit in principio huius libri, de eversione τῆς ψευδωνύμου γνώσεως — eo conatus ut neophytorum quoque sensum confirmaret, ut stabilem custodiant fidem quam bene custoditam ab ecclesia acceperunt. Cap. I. Vani sunt qui Christum dicunt putative apparuisse. Cap. II. Christus non venit in saecula aliena. Cap. III. In infirmitate carnis elucet virtus et gloria. Cap. IV. Falluntur qui praeter mundi fabricatorem alterum Deum patrem confingunt. Cap. V. Priscorum vita longaeva, Eliae et Enoch cum propriis corporibus translatio, Ionae, Ananiae, Agaricae et Mariae conservatio ostendunt Deum excitare posse corpora nostra ad vitam aeternam. Cap. VI. Integrum et perfectum hominem, corpore et spiritu constantem, salvum faciet Deus. Cap. VII. Quia Christus in saecula

resurrexit, sequitur, et nos in eadem resurrecturos. Iam se-  
aput nostrum VIII: dona Spiritus Sancti, quae recipimus, prae-  
ios ad incorruptelam, spiritualesque reddunt, et a carnalibus  
it, qui mundis et immundis animalibus in lege significantur.  
igitur capite reperimus illa eadem quae leguntur in isto loco  
is, cuius omnis *συνάφεια* sic omnino cohaeret et coniungitur,  
uis comparet, non possit non fateri hanc orationem hic quasi  
es et penates versari; sique iam in Irenaeo extet, furto quasi  
m esse, atque parum commode aut opportune ibi adsuta legi.  
iam lectores et statuunt ipsi de hac causa.

renaeus lib. V. cap. 8.

Clem. Alex. Stromatum lib. VII. fine.

§. 2. in fine.

t nos in consuetudine hu-  
homines (*eos nimirum qui  
arnalem et irrationalem*  
iumenta et pecora irratio-  
icimus.

§. 3.

xit autem figuraliter omnia  
t de animalibus delineans  
: Quaecumque, inquit, du-  
ngulam habent et ruminant,  
nuntians, quaecumque au-  
utrumque, vel alterum ho-  
habent, velut immunda se-  
Qui sunt ergo mundi?  
atrem et Filium per fidem  
ter faciunt; haec est enim  
eorum, qui duplicis sunt  
et eloquia Dei meditan-  
c nocte, uti bonis operibus  
ur; haec est enim ruminan-  
us. Immunda autem, quae  
uplicem ungulam habent,  
minant (hoc est, qui neque  
fidem habent, neque elo-  
i meditantur: haec autem  
nm est abominatio). Quae  
minant quidem, non habent  
ugulam duplicem, et ipsa  
; haec Iudaeorum est ima-  
escriptio, qui quidem elo-  
in ore habent, stabilitatem  
dicis suae non infigunt in  
in Filio: propter hoc au-  
bricum est genus ipsorum.

Ὅπῃν οὖν τινα ὀλίγην ὑποδεί-  
ξαντες τοῖς φιλοθεάμοσι τῆς ἐκ-  
κλησίας, ἐκ τοῦ κατὰ τὰς θύσιας  
νόμου, περὶ τε Ἰουδαίων τῶν χυ-  
δαίων, περὶ τε τῶν αἰρέσεων μυ-  
στικῶς διακρινομένων, ὡς ἀκα-  
θάρτων ἀπὸ τῆς περὶ καθαρῶν  
καὶ ἀκαθάρτων ζώων θείας ἐκ-  
κλησίας κατεπαύσωμεν τὸν λόγον.  
τὰ μὲν γὰρ διηλοῦντα καὶ μηρυ-  
κισμὸν ἀνάγοντα, τῶν ἱερῶν κα-  
θαρὰ καὶ δεκτὰ τῷ Θεῷ παραδί-  
δωσιν ἢ γραφῇ, ὡς ἂν εἰς πατέρα  
καὶ εἰς υἱὸν διὰ τῆς πίστεως τῶν  
δικαίων τὴν πορείαν ποιουμένων.  
αὕτη γὰρ τῶν διηλοῦντων ἐδραι-  
ότης τῶν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ νό-  
κτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν μελετῶν-  
των, καὶ ἀναπεμπασμένων ἐν τῷ  
τῆς ψυχῆς τῶν μαθημάτων δο-  
χείῳ, ἣν καὶ συνάσκησιν γνωστι-  
κὴν ὑπάρχουσαν καθαρῶ ζώου  
μηρυκισμὸν ὁ νόμος ἀλληγορεῖ.  
ὅσα δὲ μήτε ἐκάτερον, μήτε τὸ  
ἕτερον τούτων ἔχει, ὡς ἀκάθαρτα  
ἀφορίζει.

(*quae uncinis inclusa sunt ea Ire-  
naeus addit.*)

αὐτίκα τὰ ἀνάγοντα μηρυκισμὸν,  
μὴ διηλοῦντα δὲ τοὺς Ἰουδαίους  
αἰνίσσεται τοὺς πολλοὺς· οἱ τὰ  
μὲν λόγια τοῦ Θεοῦ ἀνὰ στόμα  
ἔχουσι, τὴν δὲ πίστιν καὶ τὴν βί-  
σιν δι' υἱοῦ πρὸς τὸν πατέρα πα-  
ραπέμπουσαν οὐκ ἔχουσιν ἐπε-

Irenaeus lib. V. cap. 8.

Etenim quae sunt unius unguulae animalia, facile labuntur; firmiora autem sunt quae duplicem unguulam habent, succedentibus invicem unguulis fissis secundum iter, et altera unguula subbaulant aliam. Immunda autem similiter quae duplicem quidem unguulam habent, non autem ruminant: haec est autem omnium videlicet haeticorum ostensio, et eorum qui non meditantur eloquia Dei, neque operibus iustitiae adornantur, quibus et dominus ait: Quid mihi dicitis Domine, Domine, et non facitis quae dico vobis? Qui enim sunt tales, in Patrem quidem et Filium dicunt se credere, nunquam autem meditantur eloquia Dei, quemadmodum oportet, neque iustitiae operibus sunt adornati.

Clem. Alex. Stromatum lib. VII. f  
 ρειδομένην τῇ ἀληθείᾳ· ὁ δὲ  
 ὀλισθηρὸν τὸ γένος τῶν τοιαύτων  
 θρημμάτων, ὡς ἂν μὴ σιγήσαν  
 θῶν ὄντων, μὴ δὲ τῇ διπλῇ  
 πίστεως ἐπερειδομένων. ἂ  
 γὰρ κτλ.

ἐμπάλιν τε αὐτὰ ἀκάθαρτα ὁμοίως  
 κάκεῖνα, ὅσα διχηλεῖ μὲν, μαρτυροῦν  
 δὲ οὐκ ἀνάγει. ταύτην τὴν  
 αἵρεσιν τοὺς αἵρετικοὺς ἐνδείκνυται,  
 ἵνα μὲν πατὴρ καὶ υἱὸς ἐπι  
 βηκότας· τὴν δὲ τῶν λογίων ἀ  
 βῆ σαφήνειαν λειτουργεῖν καὶ  
 ταλαίνειν ἐξασθενούντας, καὶ  
 δὲ καὶ τὰ ἔργα τῆς δικαιοσύνης  
 ὀλοσχερέστερον, οὐκ ἔστιν ἀ  
 σιγῆρον μετερχομένων. εἴγε  
 μετέλθοιεν τοιοῦτοις τισὶν ὁ  
 ριος λέγει, τί με λέγετε κύριε,  
 ρι, καὶ οὐ ποιεῖτε ἃ λέγω, ἐ  
 θάρτοι δὲ πάνπαν, οἳ μὴ δι  
 λύντες, μηδὲ ἀνάγοντες μαρτυροῦν.

## §. XV.

Novum documentum furti ex Clemente Alexandrino.

Etsi haud dubie lectores mirabuntur rei quam indicavi novitatem tamen multo magis credo omnes miraturos esse rei hanc indolem a destinato furto atque impostura vix abesse possit ille scriptor, ista suam in rem corrasit, licet non commodissima aut consilio xime apta. Nempe libro III. contra Haereses cap. 21. admonet Irenaeus de Aquilae et Theodotionis illa interpretatione loci les VII., qui νεῆνις posuerint loco παρθένος, quod legatur in interpretatione τῶν ὁ; cuius ut praestantiam et auctoritatem adversus translationem ista iam scripsit; graecum vero textum Irenaei non excitavit Eusebius lib. V. Histor. cap. 8., et post eum Nicephorus lib. IV. cap. 14. Nec ulla suspicio eruditus viris de ea re adhuc nascebatur, haec aliunde desumpta esse. Iam vero, postquam isto exemplo patet, hunc scriptorem omnino omnem istam tractatum de animalibus fissarum unguularum ex Clemente surripuisse, auctor nominato quidem, facilius mihi dabunt eam veniam, quod contra audeo etiam hanc narrationem derivatam esse ex Clemente Alexandrino. Comparant igitur lectores ipsi utramque scriptionem.

Alex. Stromatum lib. I. p. 341.  
Sylburgii Colon. 1688.

Irenaeus contra Haereses lib. III. cap. 21.

## §. 2.

νευθῆναι δὲ τὰς γραφὰς, τοῦ νόμου, καὶ τὰς προ-, ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων δια- εἰς τὴν Ἑλλάδα γλωττίαν πὶ βασιλέως Πτολεμαίου γου, ἢ ὡς τινες, ἐπὶ τοῦ ἴφρου ἐπικληθέντος — ἐτι κεδόνων<sup>α</sup> τὴν Ἀσίαν κατ-, φιλοτιμούμενος ὁ βα- τὴν ἐν Ἀλεξανδρίᾳ πρὸς νομένην βιβλιοθήκην πά- κατακοσμήσαι γραφαῖς, καὶ τοὺς Ἱεροσολυμίτας<sup>β</sup> αὐτοῖς προφητείας εἰς ἄδα διάλεκτον<sup>γ</sup> ἐρμηνευ- ἰ δὲ ἐτι ὑπακούοντες Μα- τῶν παρὰ σφισιν εὐδοκι- ν περι τὰς γραφὰς ἐμ-<sup>δ</sup> καὶ τῆς Ἑλληνικῆς δια- εἰδήμονας ἐβδομήκοντα ἔρους ἐκλεξάμενοι, ἀπέ- αὐτῷ μετὰ καὶ τῶν θείων ἐκάστου δὲ ἐν μέρει κατ' ἐκάστην ἐρμηνεύσαντος εἶαν, συνένπνευσαν αἱ πᾶ-

Πρὸ γὰρ τοὺς Ῥωμαίους κρα- τῦναι τὴν ἀρχὴν αὐτῶν, ἐτι τῶν Μακεδόνων<sup>α</sup> τὴν Ἀσίαν κατ- εχόντων, Πτολεμαῖος ὁ Ἄγρου, φιλοτιμούμενος τὴν ἐπ' αὐτοῦ κατεσκευασμένην βιβλιοθήκην ἐν Ἀλεξανδρίᾳ κοσμήσαι τοῖς πάν- των<sup>β</sup> ἀνθρώπων συγγράμμασιν, (ὅσα γε σπουδαῖα ὑπῆρχεν), ἠτή- σατο παρὰ τῶν Ἱεροσολυμίτων<sup>γ</sup> εἰς τὴν ἑλληνικὴν διάλεκτον<sup>δ</sup>. σχεῖν αὐτῶν μεταβεβλημένας τὰς γραφὰς οἱ δὲ (ὑπῆρχον<sup>ε</sup> γὰρ ἐτι τοῖς Μακεδόσι τότε) τοὺς παρ' αὐτοῖς ἐμπειροτάτους<sup>α</sup> τῶν γρα- φῶν καὶ ἀμφοτέρων<sup>β</sup> τῶν δια- λέκτων ἐβδομήκοντα πρεσβυτέ- ρους ἐπέμψαν Πτολεμαίῳ, ποιή- σαντος τοῦ Θεοῦ ὕπερ ἐβούλετο<sup>γ</sup>. ὁ δὲ ἰδίᾳ πείραν αὐτῶν λαβεῖν θελήσας, εὐλαβηθεὶς τε μήτι ἄρα συνθήμενοι ἀποκρύψωσι<sup>δ</sup> τὴν ἐν ταῖς γραφαῖς διατῆς ἐρμηνείας ἀλήθειαν, χωρίσας αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων, ἐκέλευσε τοὺς πάντας

satis bene procedit utriusque

σκεύαζε scribit etiam Iustinus

non omnino est πάντων ἀνθρώ-  
τα Ptolemaeum conquisitum ius-  
aec eadem sententia extat in In-  
pologia II., licet impostor porro  
bi, Herodem regem misisse Ro-

isti alii fixerunt libros πάντων  
ν.

iam nominis etiam servat. In-  
, quia tota fabula nondum sa-  
limitibus constabat, addit Hero-  
m Iudaeorum. Tam imperitus  
est Iustinus ille: eum tamen  
onore et iure ornabimus? Idem  
mo libros hebraicos (graeco)  
erodem misisse, deinde mississe  
. Idem igitur Tertullianus post  
arrat: libros a Iudaeis postu-  
ias scilicet et vernaculis litteras  
habebant; sed ne notitia vacaret,  
e Ptolemaeo a Iudaeis subscri-

ptum est septuaginta et duobus interpreti-  
bus indultis. In Apolog. cap. 18.

γ. Servantur etiam haec verba.

z. Clarissimum signum describentis, non  
scribentis.

α. Primum superlativum omisit et pro  
ἐμπείρους fecit ἐμπειρωτάτους.

β. Iustinus: τοὺς καὶ τὴν Ἑλλήνων  
καὶ Ἑβραίων διάλεκτον εἰδόντας, in Co-  
hortat. ad Gentes.

γ. Hic iam illud exhibet, quod paulo  
post Clemens effert: Θεοῦ γὰρ ἦν βούλη-  
μα, μεμελετημένον εἰς ἑλληνικὰς ἀκοάς.

δ. Aliam rationem hic ipse addit. In  
Iustino aliter: εἰργέσθαι τῆς πρὸς ἀλ-  
λήλους ὁμιλίας, ἵνα τὸ τῆς ἐρμηνείας  
ἀκριβὲς καὶ διὰ τῆς τούτων συμφω-  
νίας γνωσθῆναι δυναθῆ. Cohortat. ad  
Graecos.

ε. Clemens his verbis rem eandem in-  
nuit, separatos fuisse iussa regis. Iusti-  
nus domunculas addit, quas ipse vidisse se  
dicit. O mendacia! Tamen Iustinus audeat  
scribere, quasi sores suo iudicio se pro-  
dens: O viri graeci ταῦτα οὐ μύθος.

Clemens Alex. Stromatum lib. I. p. 341.  
ed. Sylburgii Colon 1688.

σαι συναντιβληθεῖσαι. καὶ τὰς  
διανοίας καὶ τὰς λέξεις. Θεοῦ  
γὰρ ἦν βούλημα μεμελετημένον  
εἰς Ἑλληνικὰς ἀκράς. οὐ δὴ ξέ-  
νον ἐπιπνοία Θεοῦ, τοῦ τὴν προ-  
φητείαν δεδωκότος, καὶ τὴν ἐρ-  
μηνείαν, οἷον εἰ Ἑλληνικὴν προ-  
φητείαν, ἐνεργεῖσθαι· ἐπεὶ καὶ  
τῇ Νεβουχοδονόσορ αἰχμαλωσίᾳ  
διαφθαρεῖσάν τῶν γραφῶν, κα-  
τὰ τοὺς Ἀρταξέρξου τοῦ Περσῶν  
βασιλέως χρόνους ἐπίπνους Ἐσ-  
δράς ὁ Λευΐτης ὁ ἱερεὺς γενόμε-  
νος, πάσας τὰς παλαιὰς αὐτοῦ

Irenaeus contra Haereses lib. III. c. 21

τὴν αὐτὴν ἐρμηνείαν γρά-  
σαι καὶ τοῦτ' ἐπὶ πάντων τῶν βί-  
βλων ἐποίησε. συνελθόντων δὲ  
τῶν ἐπὶ τὸ αὐτὸ παρὰ τῷ Ι  
λεμαίῳ, συναντιβαλόντων  
στον τὴν ἑαυτοῦ ἐρμηνείαν, ὁ  
Θεὸς ἐδοξάσθη, αἱ δὲ γραφαί  
τως θελαὶ ἐγνωσθήσαν, τῶν  
τῶν τὰ αὐτὰ ταῖς αὐταῖς λέξ-  
και τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασιν ἀρ-  
ρευσάντων ἀπ' ἀρχῆς μέγ-  
λους, ὥστε καὶ τὰ παρόντα ἐ-  
γνῶναι, ὅτι κατ' ἐπίπνοια  
Θεοῦ εἰσὶν ἐρμηνευμένοι αἱ γ-  
φαί. καὶ οὐδὲν γε θαυμάσι-  
τον Θεὸν τοῦτο ἐηρηγήμεναι,  
γε καὶ ἐν τῇ ἐπὶ Νεβουχοδό-  
σορ αἰχμαλωσίᾳ τοῦ λαοῦ  
φθαρεῖσάν τῶν γραφῶν καὶ  
τὰ ἐβδομήκοντα ἔτη τῶν Ἰου-  
δαιῶν ἀνελεθόντων εἰς τὴν γῆν  
αὐτῶν, ἔπειτα ἐν τοῖς χρό-  
νοις Ἀρταξέρξου τῶν Περσῶν βα-  
σιλέως ἐνέπνευσεν Ἐσδρά τῷ

f. Utriusque idem verbum συναντιβάλ-  
λειν.

g. Brevisime effert, quod iam ab Ire-  
naeo post Iustinum confingitur copiosius:  
ἐπεὶ δὲ ἐγνώ τοὺς ὁ ἄνθρωπος μὴ μόνον  
τῇ αὐτῇ διανοίᾳ, ἀλλὰ καὶ ταῖς αὐταῖς  
λέξεσι χρησαμένους καὶ μηδὲ ἄχρι μιᾶς  
λέξεως τῆς πρὸς ἀλλήλους συμφωνίας  
δημαρτηκότας, ἀλλὰ τὰ αὐτὰ καὶ περὶ  
τῶν αὐτῶν γεγραφότας, ἐκπλάγεις  
καὶ θεῖα δύναμις τὴν ἐρμηνείαν γεγρά-  
φθαι πιστεύσας κτλ. Brevisius Tertullianus:  
quos Menedemus quoque de sententiae  
communione suscepit. Ex Aristaea. Nempe  
Iustinus allegat Philonem et Iosephum;  
Tertullianus Aristaeam. Clemens allegat  
neminem; nec Irenaeus.

h. Latius describit illud consilium Dei.

i. Clemens: οὐ δὴ ξένον κτλ.

k. In Clemente idem verbum ἐνεργη-  
σθαι.

l. Haec τεκμήρια utrimque sunt cla-  
rissima.

m. Est levis mutatio. Rem ipsam etiam  
Tertullianus sic effert cap. 3. de Habitu  
Malerum: quemadmodum et Hierosolymis  
Babylonica captivitate deletis omne in-

strumentum Iudaicae. literaturae per Ed  
constat restauratum. Nempe ex IV. Es  
14. 21 sqq. Ex hoc forte igitur quae  
illa persuasio; hic autem liber quae  
Esdrae videtur iam seculo primo Aca-  
driae notus fuisse.

Liceat vel paucis hic admonere de  
munculis divisis et de inspiratione  
singulari primum ex tot scriptoribus  
minuisse Iustinum, si nomen placet, C  
mentem, Irenaeum. Aristaea enim  
uno in loco συνέδριον nominat; qui  
inter se communi opera contulisse,  
translatione optime consignanda. Ex  
primis scriptoribus, qui quasi unici  
tes fuerant, quis res Christianorum  
adhuc limitibus et tantum maiorem  
urbibus continebantur, Christiani plerumque  
ceteri hauserunt. Mendaciam autem  
vel ille Iustinus non pepercit, qui  
dem regem ausus est addere; hic  
non videt Aristaeae narrationem ma-  
terpolatam et intellectam fuisse? ἢ  
ἐπέτλουν ἕκαστα σύμφωνα ποσὶ  
πρὸς ἑαυτοὺς ταῖς ἀντιβολαῖς ἢ  
ἐκ τῆς συμφωνίας γενόμενον πρὸς  
τως ἀναγραφῆς, οὕτως ἐπέγχετο



Alex. Stromatam lib. I. p. 341.  
d. Sylburgii Colon. 1688.

ύμενος προεφήτευσε γρα-

Irenaeus contra Haereses lib. III. c. 21 §. 2.

ρεϊ ἐκ τῆς φυλῆς Λευϊ, τοὺς τῶν προγεγονότων προφητῶν πάντας ἀναταξάσθαι λόγους, καὶ ἀποκαταστήσαι τῷ λαῷ τὴν διὰ Μωϋσέως νομοθεσίαν.

§. XVI.

Alius locus Platonis, quem Irenaeus ex Clemente desumpsit.

Alex. Strom. lib. II. p. 418. ed. Colon.

Irenaeus lib. III. cap. 25.

§. 5

ὁ κατ' ἀρετὴν τελειότα-  
οὔτο δὲ ἐν ἐπισιτήμῃ τοῦ  
ὑ τίθεται, καὶ ἐν ἐξομιώ-  
πρὸς τὸν Θεόν. ὁμοίωσι-  
νόμενος (scil. ὁ Πλά-  
τωνα καὶ ὅσιον μετὰ φρο-  
εῖναι — λέγει οὖν ἐν τοῖς  
. Ὁ μὲν δὲ Θεὸς, ὡς περ  
παλαιὸς λόγος, ἀρχὴν τε,  
καὶ τελευτὴν τῶν πάν-  
των, εὐθείαν περαίνει κατὰ  
περιπορευόμενος· τῷ δὲ  
ἐπιτετα δίκη, τῶν ἀπολει-  
ον τοῦ Θείου νόμου τιμω-

Quibus religiosior *Plato* osten-  
ditur, qui eundem Deum et iustum  
et bonum confessus est, habentem  
potestatem omnium, ipsum facien-  
tem iudicium, sic dicens: Et Deus  
quidem, quemadmodum et *vetus*  
*sermo* est, initium, et finem, et me-  
diatates omnium quae sunt habens,  
recte perficit, secundum naturam  
circumiens: hunc autem semper  
consequitur iustitia, ultrix in eos,  
qui deficiunt a lege divina.

que hic porro lubet et illud observare, quod forte nondum ab  
servatum fuit, Iustini illius, quem Martyrem dicere solent, multa,  
i illa Cohortatione ad Graecos leguntur, desumpta similiter esse  
nente Alexandrino; quae inter etiam hic locus Platonis est de  
s lib. IV. Sunt autem et cetera satis clara documenta, tum  
ue hoc maxime luculentum τεκμήριον, quod Iustinus illam ex-  
nem: *vetus verbum*, quam subiecit ibi Clemens ipse, similiter  
ipsit, ut dubitari nequeat, hunc scriptorem, quisquis est, sua  
isse ex Clemente. Ita vero scribit: — ὁ Πλάτων ἀνταῖς λέ-  
οὔτω γέγραπεν. ὁ μὲν δὲ Θεὸς (ὡς περ καὶ ὁ παλαιὸς λό-  
ρχὴν καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν πάντων ἔχων. Ἐνταῦθα δ  
in σαφῶς καὶ φανερώς τὸν παλαιὸν λόγον Μωϋσέως ὀνο-  
νόμον, τοῦ μὲν ὀνόματος Μωϋσέως φόβῳ τοῦ κωνελου με-  
αι δεδιώς. Hic illud addimus: Irenaeus ille excitat Iustinum,

ιητρίον. In Philone extat, eos  
rasse; iam addit ipse Irenaeus  
si curam fecisse Irenaeus, ut eos  
t; Philo autem dicit ipsos sic in-  
ut in loco essent extra orbis  
1. Itaque Christiani quidam plura

addiderunt de inspiratione; primus certe  
ille scriptor, Irenaeus, audent auctoritatem  
repetere ab inspiratione huius translationis,  
adversus Aquilae et Theodotionis aliam  
interpretationem.



Tertullianus adv. Praxean.

esse Iesum Christum. — —  
 nim ipse (diabolus) potius a  
 rdio mendax est, et si quem  
 em de suo subornavit ut Pra-  
 Nam iste primus ex Asia hoc  
 perversitatis intulit homo etc.  
 tus et *inflatus* de iactatione  
 rii etc. Nam idem tunc epum  
 um — coëgit et litteras pacis  
 ire — Paracletum fugavit. —

Cap. 2.

vero — *unicum* quidem De-  
 edimus sub hac tamen *dis-*  
*tione*, quam *οικονομίαν* dici-  
 it *unici* Dei sit et filius sermo

passum, hunc mortuum et sen-  
 n — et resuscitatum a patre  
 dere ad dexteram patris ven-  
 iudicare vivos et mortuos.

Unicum Deum non alias putat  
 ndum, quam si ipsum eundem-  
 t patrem et filium et spiritum  
 im dicat. Quasi non sic quo-  
 nus sit omnia, dum ex uno  
 per substantiae scilicet uni-

es redit ad articulum. Est hic oblectio alterius partis.  
 ULLIANI OPP. ED. OENLER. Tom. III.

Hippolytus contra Noëtum.

τέρα, καὶ αὐτὸν τὸν Πατέρα γε-  
 γενήσθαι καὶ πεπονθέναι. —  
 Ὁρᾶτε, ὅσον ἔπαρμα καρδίας καὶ  
 φροσύωμα πνεύματος ἁλοτροῦ  
 ὑπείσθηθεν εἰς αὐτὸν, ἥδη μὲν  
 οὖν ἐκ τῶν ἑτέρων πράξεων εἰς  
 τοῦτο φέρεται ὁ ἔλεγχος αὐτῶν,  
 ὅτι μὴ καθαρῶ πνεύματι ἐφθέγγ-  
 γετο. (Cap. 1. statim ab initio)  
 Ἔτεροι τινες ἑτέραν διδασκαλίαν  
 παρεισάγουσι, γενόμενοι τινος  
 Νοήτου μαθηταί, ὃς τὸ μὲν γένος  
 ἦν Συρναῖος, οὐ (πρὸ) πολλοῦ  
 χρόνου γενόμενος. — Ταῦτα ἀκού-  
 σαντες οἱ μακάριοι πρεσβύτεροι  
 — ἐξήταζον — ὃν πάλιν — ἤλεγ-  
 ξαν (paulo ante Hipp. inquit). Ὁ  
 γὰρ εἰς πνεῦμα ἅγιον βλασφη-  
 μῶν ἐκβλητός γένηται κληρου  
 ἁγίου.

Πρὸς ὃν ἀνταποκρίνονται οἱ  
 πρεσβύτεροι, καὶ ἡμεῖς ἓνα Θεὸν  
 οἶδαμεν ἀληθῶς, οἶδαμεν Χρι-  
 στὸν κτλ.

Cap. 3. Τίς γὰρ οὐκ ἐρεῖ ἓνα  
 Θεὸν εἶναι; ἀλλ' οὐ τὴν οἰκονο-  
 μίαν ἀναιρήσει. — (Idem cap. 14.  
 ταύτην τὴν οἰκονομίαν παραδί-  
 δωσιν ἡμῖν, Iohannes in Evangel.  
 cap. 1. — οἰκονομίαν δὲ τρίτην,  
 gratiam Spiritus S.)

οἶδαμεν τὸν υἱὸν παθόντα, —  
 ἀποθάνοντα — καὶ ἀναστάντα  
 τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ὄντα ἐν δε-  
 ξιά τοῦ Πατρὸς καὶ ἐρχόμενον  
 κρίναι ζῶντας καὶ νεκρούς.

§. 2.

— οὕτω φάσκουσι συνιστᾶν  
 ἓνα Θεὸν — εἰ οὖν Χριστὸν ὁμο-  
 λογῶ Θεὸν, αὐτὸς ἄρα ἐστὶν ὁ  
 Πατὴρ, εἰ γὰρ ἐστὶν ὁ Θεὸς.

Tertullianus adv. Praxean.  
tatem: et nihilominus custodiatur  
οἰκονομία sacramentum. —

## Cap. 3.

Simplices enim — ne dixerim  
imprudentes et idiotae — quoniam  
et ipsa regula fidei a pluribus diis  
seculi ad unicum et verum Deum  
transfert: non intelligentes unicum  
quidem, sed cum sua οἰκονομία  
esse credendum. —

At ego — monarchiam nihil aliud  
significare scio, quam singulare et  
unicum imperium.

## Ex cap. 4.

Adeo autem manet in suo statu,  
— ut etiam restitui habeat patri  
a filio. Siquidem Apostolus scribit  
de ultimo fine, cum tradiderit reg-  
num Deo et patri. Oportet enim  
eum regnare, usque dum ponat ini-  
micos eius Deus sub pedibus ipsius.  
— Cum autem subiecta erunt illi  
omnia, (absque eo, qui ei subiecit  
omnia) tunc et ipse subiicietur illi,  
qui ei subiecit omnia, ut sit Deus  
omnia in omnibus.

## Cap. 5.

— Ante omnia enim Deus erat,  
solus ipse sibi et mundus, et locus,  
et omnia°. Solus autem quia nihil  
extrinsecus praeter illum. Ceterum  
ne tunc quidem solus: habebat enim

ο. μηδὲν αὐτῷ σύγχρονον.

Hippolytus contra Noctam.

## Ex §. 2.

Τίς γὰρ οὐκ ἐρεῖ ἕνα Θεὸν  
ναί; ἀλλ' οὐ τὴν οἰκονομίαν  
ρῆσει.

## §. 3.

Ἄλλ' οὐτε ἐκεῖνοί τε νεκ-  
σιν ἀληθεῖς, οὐδ' οὔτοι, καὶ  
αὐταὶ αἱ γραφαὶ ἐλέγχουσι  
τῶν τὴν ἀμαθίαν, μαρτυροῦ-  
σιν τῇ ἀληθείᾳ.

## §. 4.

Ἐν τινι δὲ, ὁ Θεός, ἀλλ'  
Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ πατρὶ  
γω, καὶ τῷ μυστηρίῳ τῆς οὐ-  
μίας.

## §. 81.

Καλῶς εἶπε (scil. Ioannes):  
τοκράτορα Χριστὸν — καί  
των κρατεῖ παντοκράτωρ:  
Πατὴρ καταστάθη Χριστός

Ἦδη δὲ καὶ Παῦλος δε-  
δοκίμασεν ὅτι πάντα αὐτῷ παραδίδ-  
οῦνται οὕτως ἔφη. — εἶτα τὸ τέλος,  
παραδίδῃ τὴν βασιλείαν τῷ  
καὶ πατρί. — Δεῖ γὰρ αὐτῷ  
σιλεῖν ἄχρις οὗ ὅτῃ πάντα  
ἐχθροὺς ὑπὸ τοὺς πόδας αὐ-  
τοῦ. — Εἰ οὖν τὰ πάντα ὑποτάσσονται  
αὐτῷ ἐκτὸς τοῦ ὑποτάξαι  
τε καὶ αὐτὸς ὑποτάσσεται  
ὑποτάσσονται αὐτῷ τὰ πάντα,  
ἢ ὁ Θεὸς πάντα ἐν πᾶσι.

(ordine paululum mutato  
ut magis Tertulliani citatis  
spondeant congesta sunt.)

## § 10.

Θεὸς μόνος ὑπάρχων καὶ  
δὲν ἔχων ἐαυτῷ σύγχρονον, ἐ-  
λήθη κόσμον κτίσαι. Ὁ πᾶσι  
ἐγνωθεὶς, φελέσας τε καὶ φ-  
ξάμενος ἐποίησεν — αὐτῷ

Tertullianus adv. Præzean.

quam habebat in semetipso, rem suam scilicet. *Rationalis* Deus, et ratio in ipso prius: ab ipso omnia. — — Nam et us nondum sermonem suum at: proinde eum cum ipsa et sa *ratione* intra semetipsum at, tacite cogitando et dispo- secum quae per sermonem erat dicturus. —

Cap. 6.

Ipsum *primum* protulit ser- monem, habentem in se individuas *rationem* et *Sophiam*, ut per fieret universa per quem cogitata atque disposita, immo a quantum in Dei sensu —

Cap. 7.

recigitur etiam ipse sermo spe- et ornatum suum sumit, so- et vocem, cum Deus dicit: fiat —

Ex cap. 8.

imo autem spiritu structus est, ita dixerim, sermonis corpus spiritus. — Protulit enim Deus onem — sicut radix fruticem, is *fluvium*, et *sol radium*. — — profiteor, me duos dicere, et sermonem, patrem et filii- us — — Tertius enim est us a Deo et filio. — Ita tri- per consertos et connexos s a patre decurrens, et mo- iae nihil obstrepat, et *oikono-* statum protegit.

ἐκ ἄλλοις.

Paulo post Tertullianus iungit: *Ra-* et *Sophiam*.

Hippolytus contra Noëtam.

οὐκ ἡμῖν ἐστὶν μόνον εἰδέναι ὅτι σύγχρονον Θεοῦ οὐδὲν, πλὴν αὐ- τὸς ἦν, αὐτὸς δὲ μόνος ὢν πο- λὺς ἦν, οὔτε γὰρ ἄλογος, οὔτε ἄσοφος, οὔτε ἀδύνατος, οὔτε ἀβούλευτος ἦν, πάντα δὲ ἦν ἐν αὐτῷ, αὐτὸς δὲ ἦν τὸ πᾶν. Παν- τα γὰρ τὰ γινόμενα διὰ λόγον καὶ σοφίας τεχνᾶται, λόγῳ μὲν κτιζῶν, σοφίᾳ δὲ κοσμῶν. — τῶν δὲ γινομένων ἀρχηγὸν καὶ σύμβουλον καὶ ἐργάτην ἐγέννα Λόγον, ὃν Λόγον, ἔχων ἐν ἑαυ- τῷ ἀόρατόν τε ὄντα τῷ κτιζομέ- νῳ κόσμῳ, ὄρατόν ποιεῖ.

Προτέραν φωνὴν φθεγγόμενος, καὶ φῶς ἐκ φωτὸς γεννῶν, προῆ- κεν τῇ κτίσει Κύριον, τὸν ἴδιον νοῦν, αὐτῷ μόνῳ πρότερον ὄρα- τὸν ὑπάρχοντα. —

§. 11.

Καὶ οὕτως παρίστατε αὐτῷ ἕτερος. Ἐτερον δὲ λέγω οὐ δύο Θεοὺς λέγω ἀλλ' ὡς φῶς ἐκ φω- τὸς, ἢ ὡς ὕδωρ ἐκ πηγῆς ἢ ὡς ἀκτῖνα ἀπὸ ἡλίου. Δύναμις γὰρ μία ἢ ἐκ τοῦ παντός. —

§. 14.

Εἰ δὲ οὖν ὁ Λόγος πρὸς τὸν Θεόν, τί οὖν φήσειεν ἂν τις δύο λέγειν Θεοὺς (Ioannem); δύο μὲν οὐκ ἐρῶ Θεοὺς ἀλλ' ἢ ἓνα, πρὸς- ὡπα δὲ δύο, *οἰκονομίαν* δὲ τρί- την, *gratiam Spiritus S. Patris* μὲν γὰρ εἷς, πρὸς ὡπα δὲ δύο, ὅτι καὶ ὁ υἱὸς, τὸ δὲ τρίτον τὸ ἅγιον πνεῦμα. — *Οἰκονομία* συμ- φωνίας συνάγεται εἰς ἓνα Θεόν.

r. Hic Latini tandem *filioque* repeti- erunt.

Tertullianus adv. Praxean.

Cap. 9.

— Ecce — dico alium esse patrem et alium filium, et alium spiritum. — Pater — *tota substantia* est, filius vero *derivatio* totius et portio. —

Cap. 11.

Probare autem tam aperte debetis ex scripturis, quam nos probamus illum sibi filium fecisse sermonem suum. Si enim filium *nominat*, filius autem non alius erit, quam qui ex ipso prodiit; sermo autem prodiit ex ipso: hic erit filius, non ipse, de quo prodiit — —

**Porro, qui eundem patrem dicis et filium, eundem et protulisse ex semetipso facis et prodisse, quod Deus est. —**

Ex cap. 15.

— Atquin videmus et audivimus et contractavimus. — Sed quem Deum? scilicet patrem? — Ipse et auditus et visus — hunc et Paulus conspexit, nec tamen patrem vidit — — Christum autem et ipsum dominum cognominavit, quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui et super omnia Deus benedictus in aevum.

Ex cap. 23.

— Et ego et pater unum sumus. Hic ergo iam gradum figere stulti, immo caeci, qui non videant: primo, ego et pater, duorum esse significationem. Dehinc in novissimo, *su-*

s. ἀπόφρατα, graecis aliis. Ἐξ αὐτοῦ, graece.

t. Operae pretium non putamus studiosius hic colligere theologorum illustrationes, quia auctor hic suo ingenio obsequitur.



Tertullianus adv. Praxean.

*non ex unius esse persona, pluraliter dictum est. Tunc unum sumus, non unus sumus. — Unum sumus, dicens, ego iter: ostendit duos esse quos at et iungit. — Adeo totum hoc crederat inducere, ut duo tacerentur in una virtute.*

Ex cap. 24.

Et pervenimus iam ad Philippum qui spe excitatus videndi patrem — Ostende, inquit, nobis, inquit, et sufficit nobis. Et domini Philippe, tanto tempore vobis sumus, et non cognovistis me. n. n. dicit cognosci ab illis debuit (hoc enim solum discuti oportet quasi patrem, an quasi filium? quasi patrem doceat Praxeas tempore Christum cum eis ersatum — Nobis omnes scribitur, et veteres, Christum Dei, et eum, filium Dei, praefiniunt. — me videt, videt et patrem. — Unde haec enim vicarium se ostenderat, per quem pater diceretur in verbis et cognoscitur in filio facta et verba patris ministrante: quia invisibilis pater, et Philippus didicerat. —

Ex cap. 25.

Ceterum de meo sumet, inquit sicut ipse de patris, ita consensu patris in filio, et filii in patre, tres efficit cohaerentes, alter ex altero. Qui tres unum sunt, unus: quomodo dictum est, ego iter unum sumus: ad substantiam unitatem non ad numeri similitudinem.

Hippolytus contra Noëtum.

*ἐφ' ἑνὸς λέγεται, ἀλλ' ἐπὶ δύο πρόσωπα ἔδειξεν, δύναμιν δὲ μίαν. —*

— *Εἰ δὲ καὶ Φίλιππον ἐπερωτῶν περὶ πατρὸς βούλοιντο λέγειν, δεῖξον ἡμῖν τὸν Πατέρα, καὶ ἀρεῖ ἡμῖν. πρὸς ὃν ἀπεκρίθη ὁ Κύριος, λέγων. τοσοῦτον χρόνον μεθ' ὑμῶν εἰμι, Φίλιππε, καὶ οὐκ ἔγνωκας με; — — θέλουσι λέγειν, διὰ τοῦτου κρατύνεσθαι τὸ δόγμα αὐτῶν, ὁμολογοῦντος αὐτοῦ ἑαυτὸν πατέρα. γνώτωσαν ὅτι μέγιστον ἑαυτοῖς ἐναντίωμα ἐπιφέρουσι ὑπ' αἰτοῦ τοῦ ῥητοῦ ἐλεγχόμενοι κτλ. Ὁ ἑωρακῶς ἐμὲ ἑώρακε τὸν Πατέρα, τοῦτο ἔστιν, εἰ ἐμὲ ἑώρακας δι' ἐμοῦ, τὸν πατέρα γνῶναι δύνη. διὰ γὰρ τῆς εἰκόνης ὁμοίας τυγχανούσης εὐγνωστός ὁ πατήρ γίνεται. Εἰ δὲ τὴν εἰκόνα, ἣτις ἔστιν ὁ υἱός, οὐκ ἔγνωσ, πῶς ἰδεῖν θέλεις τὸν πατέρα; —*

§. 8.

*Ἀνάγκη οὖν ἔχει καὶ μὴ θέλων ὁμολογεῖν πατέρα Θεὸν παντοκράτορα, καὶ Χριστὸν Ἰησοῦν υἱὸν Θεοῦ, Θεὸν ἀνθρωπῶν γενόμενον, ᾧ πάντα πατήρ ὑπέταξε παρεκτός ἑαυτοῦ καὶ πνεύματος ἁγίου, καὶ τοῖτους εἶναι οὕτως τρία. Εἰ δὲ βούλεται μαθεῖν, πῶς εἰς Θεὸς ἀποδείκνυται, γινώσκω ὅτι μίαν δύναμιν τούτου, καὶ ὅσον μὲν κατὰ τὴν δύναμιν, εἰς ἑστὶ Θεός, ὅσον δὲ κατὰ τὴν οἰκονομίαν, τρίτη ἢ ἐπίδειξις.*

Hoc nomine praeter Tertullianum et hunc scriptorem nemo usus fuit ad demonstrandam trinitatem.

Tertullianus adv. Praxean.

Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum: pater ad patrem, et Deus ad Deum? An filius ad patrem, et sermo ad Deum? — Igitur quaecunque ex his putaveris ad demonstrationem eiusdem patris et filii proficere tibi posse, adversus definitivam Evangelii sententiam niteris.

Cap. 27.

Ecce inquit — Caro itaque nata est, caro itaque erit filius Dei. Imo de spiritu Dei dictum est. Certe enim de spiritu sancto virgo concepit, et quod concepit, id peperit; id ergo nasci habebat, quod erat conceptum et pariundum, id est spiritus. Caro autem Deus non est, — sed ille, qui in ea natus est, Deus. — Quis Deus in ea natus? sermo et spiritus, qui cum sermone de patris voluntate natus est.

Certe usque quaque filium Dei et filium hominis, eum Deum et hominem, sine dubio, secundum utramque substantiam, in sua proprietate distantem: quia neque sermo aliud, quam Deus, neque caro aliud, quam homo. Apostolus de utraque eius substantia docet: qui factus est, inquit, ex semine David, hic erit homo et perfectus filius hominis: qui definitus est filius Dei secundum spiritum. Hic erit Deus, et sermo, Dei filius. Videmus duplicem statum; non confusum, sed coniunctum in una persona coniunctum, Deum et hominem Iesum.

— Et adeo salva est utriusque proprietates substantiae, ut et spiritus res suas egerit in illo: — et

Hippolytus contra Noëtam.

§. 6.

Υπάγω πρὸς τὸν πατέρα μ καὶ πατέρα ὑμῶν, καὶ Θεὸν μ καὶ Θεὸν ὑμῶν. Εἰ οὖν Νότι τολμᾷ λέγειν αὐτὸν εἶναι τὸν πτέρα, πρὸς ποῖον πατέρα ἐ παρενεσθαι Χριστὸν κατὰ τ εὐαγγελικὴν φωνήν; εἰ δὲ ἄ καταλείψαντας ἡμᾶς τὸ Εἶσα, λιον, τῇ αὐτοῦ ἀφροσύνη πιστε ειν, ματην κάμνει.

Ex §. 4.

— Μήτι ἐρεῖ, ὅτι ἐν οὐρα σὰρξ ἦν; ἐστὶ μὲν οὖν σὰρξ ὑπὸ τοῦ λόγου τοῦ πατρὸς παρενεχθεῖσα δῶρον, ἢ ἐκ πματος καὶ παρθένου, τέλειος τι Θεοῦ ἀποδεδειγμένος. Τίς ἦν ἐν οὐρανῷ ἄλλ' ἢ λόγος ἁσος; — Λόγος σὰρξ ἦν, πει ἦν, δύναμις ἦν. —

§. 17.

Παρὼν ἐφρανέρωσεν ἑαυτὸν ἐ παρθένου καὶ ἁγίου Πνεύματος καινὸς ἄνθρωπος γενόμενος, τ μὲν οὐράνιον ἔχων τὸ πατρὸς ὡς Λόγος, τὸ δὲ ἐπίγειον ὡς παλαιὸν Ἄδαμ διὰ παρθε σαρκούμενος. Οὗτος προελθὼν ἐ κόσμον Θεὸς ἐν σώματι ἐφανερ θη, ἄνθρωπος τέλειος προελθὼ οὐ γὰρ κατὰ φαντασίαν ἢ τροπῆ ἄλλ' ἀληθῶς γενόμενος ἄνθρωπος.

§. 18.

Οὕτως οὖν καὶ τὰ ἄνθρωπο ἑαυτοῦ οὐκ ἀπαναίγεται ἐπὶ κνύμενος Θεὸς ὢν, ὅτε πεινᾷ

Tertullianus adv. Praxean.

*caro* passiones suas functa sit, esuriens sub diabolo, sitiens sub Samaritide, flens Lazarum, anxia usque ad mortem, denique et mortua. —

Hippolytus contra Noëtum.

κοπιᾷ, καὶ κάμνων διψᾷ, — καὶ ἀγωνιῶν ἰδοῦ.

## §. XVIII.

## C o n c l u s i o.

Sed iam otio destituimur, quo ad prosequendam illam causam non modico opus est. Fas sit itaque interea nos abire ab ista tam molesta et difficili provincia, quam hac prima dissertatione gerendam susceperamus. Ea etsi minime sic nos perfunctos esse statuimus, ut quidem ipsi institueramus, perpetuis aliorum negotiorum impedimentis saepe avocati: tamen non piget aut poenitet nos eius operae, quam huic argumento impendimus. Nèc dubitamus fore, ut exoremus aequorum iudicum benignam veniam, qui ipsi et perspexerint rei illam, quam devoravimus, molestiam, et his ex rudimentis studiorum novorum didicerint nec diligentiam mihi defuisse, nec, si dicere fas est, alicubi fortunam. Novarum certe observationum quarumdam nos non pudet, quarum utilitas, si eruditorum aliorum commoda accesserint beneficia, haud dubie novae ad historiam ecclesiasticam lucis non parum adferet. Obscurissima enim illa tempora, quae Iustini, Tatiani, Irenaei, Tertulliani nominibus et scriptis tantum distinguuntur, atque a Christianorum societatum publicis initiis propius absunt, videntur parum certae historiae ad nos transmittere; historiae autem verae atque ingenuae quasi paupertatem atque inopiam ex incertis atque dubiis illis libris satis commode suppleri posse minime credimus. Scimus nondum luculentum atque splendidissimum esse illud beneficium, quod historiae ecclesiasticae sic praestitimus, deesse adhuc illam lucem claram et faustam, quae veritati et historiae solet propria esse. Sed non dubitamus, parvis his initiis tandem feliciores successus non defuturos. Veniam interea dabunt, qui historiae tam vetustae et tam difficili bene cupiunt, quod ausi sumus nostram diligentiam longe aliter atque alio consilio impendere, quam fieri solebat. Nondum sententiam omnino tulimus de his Irenaei et Tertulliani libris; sed suspicionis novae iustam rationem non attulisse opinamur. Non deerit illa opportunitas prosequendi atque illustrandi argumenti, cum ad secundam dissertationem Tertullianeam accesserimus, de notionibus dogmaticis, quas hi libri, quos eius nomine legimus, praeceunt, et quas Gnosticis tribuere solet Irenaeus ille et Tertullianus; quod argumentum maxime frugiferum speramus, si Deus voluerit, sic illustrare, ut obscuritatem illam paululum dispellamus, quae locum illum de Gnosticis eius temporis occupat, quod post Clementem Alexandrinum de-

y. Has sententias non obscure imitatur Leo in illa Epistola ad Flavianum.



## DE TERTULLIANO ET EIUS SCRIPTIS.

JOHANNIS KAYE, EPISCOPI LINCOLNENSIS, HISTORIA ECCLESIASTICA SAECULORUM II. ET III. EX TERTULLIANI SCRIPTIS ILLUSTRATA. ED. III.

LOND. 1845. 8. p. 6 sqq.)

Quae Hieronymus<sup>a</sup> de Tertulliano<sup>b</sup> tradit haec sunt: „Tertullianus byter, nunc demum primus post Victorem et Apollonium Latinorum tur, provinciae Africae, civitatis Carthaginensis, patre centurione onsulari\*. Hic acris et vehemens ingenii sub Severo principe et nino Caracalla maxime floruit multaue scripsit volumina, quae, nota sunt pluribus, praetermittimus. Vidi ego quemdam Paulum ordiae, quod oppidum Italiae est, senem, qui se beati Cypriani grandis aetatis notarium, quum ipse admodum esset adolescens, ae vidisse diceret, referreque sibi solitum nunquam Cyprianum ue Tertulliani lectione unam diem praeterisse, ac sibi crebro dicere: magistrum! Tertullianum videlicet significans. Hic usque ad me- aetatem Presbyter Ecclesiae permansit, invidia postea et contu- s Clericorum Romanae Ecclesiae ad Montani dogma delapsus in is libris novae prophetiae meminit, specialiter autem adversum esiam texuit volumina: De Pudicitia, De Persecutione, De Ieiuniis, monogamia, De Ecstasi libros sex<sup>d</sup> et septimum quem adversum

In Catalogo Scriptorum Ecclesiasti- cap. 53.

In libris MSS. nominatur Quintus nius Florens Tertullianus: in extre- verbis libelli de Virginibus velandis ipse nominat Septimum Tertullia-

Quae tamen verba an genuina sint libitari potest, eademque dubitatio de extremis verbis libelli de Baptis- : de Exhortatione Castitatis. Nam in idem extremam Tertulliani mentio- omittit Codex Agobardi. Hieronymus ominat Septimum Tertullianum. Ep- biolam de Vestitu Sacerd. sub fine. Centurio proconsularis videtur fuisse tratus quidam militaris, qui perpetuo colaretur proconsuli ad eius imperia

excipienda. Vide Valesii notam in Euseb. Eccl. Hist. II. 2. Haec pars narrationis Hieronymi visa est quibusdam ducta esse ex Apolog. cap. 9. *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad pro- consulatum Tiberii, qui ipsos sacerdotes in iisdem arboribus templi sui obumbratricibus scelerum votivis crucibus exposuit, teste militia patriae nostrae, quae id ipsum munus illi proconsuli functa est.* Rigaltio auctore in uno MS. legitur *Patris nostri.*

d. Sex de Ecstasi libri et septimus contra Apollonium perierunt. Montanus iac- tabat se saepe in insaniam quandam sive ecstasin rari et ita affecto sibi visa offerri et colloqui cum Spiritu S., quibus ido- neus redderetur ad futura praedicenda.

Apollonium\* composuit; ferturque vixisse usque ad decrepitam aetate et multa quae non extant opuscula condidisse.“ Huius narrationis partium quarundam fides in quaestionem adducta est. Ac primam dubitationes iniectae sunt an Tertullianus fuerit presbyter. Hoc quidem certum est eum matrimonium iniisse, nam inter eius opera sunt libelli ad uxorem scripti. Quomodo iam Catholici Romani viderentur ea re, quae videretur vehementer repugnare ipsorum doctrinae longe gratissimae de coelibatu clericorum? Facillima ratio haec est ut negarent eum inquam fuisse presbyterum; ad quam opinionem fulciendam duo loci, quibus de semet ipso ut laico loqui videtur allati sunt ex libris quos probabile est scriptos esse ab eo iam profecto aetate. De his locis Allixius<sup>e</sup> monet Tertullianum ipsa argumentationis necessitate quodammodo compulsam esse ut prima persona uteretur; opponitque iis locum libelli de Anima<sup>h</sup>, ubi Tertullianus narrat se, dimisso populo, remansisse in ecclesia sive loco conventus religiosi eo consilio ut litteris consignaret et investigaret narrationem muliere Christiana, cui visiones obvenissent, factas de iis quae videntur in ecstasibus spiritualibus; quod quidem munus Allixio iudicari non fuisse demandatum, nisi presbyter fuisset. Quum tamen huiusmodi sit, isto loco controversiam minime dirimi, satis habere nos oportet, Tertullianum in ordinem clericorum admissum credere, sicut plerique theologorum Catholicae fidei Romanae addictorum crediderunt.

Hoc eius adversarii cupide arripuerunt quo impugnarent fidem inactatae ab eo inspirationis; Miltiades, quem Tertullianus non sine honore appellat, libello quodam demonstratum ivit, prophetam non oportere dicere in ecstasi, *περὶ τοῦ μὴ θεῖν προφητῆν ἐν ἐκστάσει λαλεῖν*. Euseb. Eccl. Hist. V. 17. Tertullianus cum suos de Ecstasi libros Montani defendendi causa acripit, tum loco quodam libri IV. contra Marcionem c. 22. lectorem certiore facere vult quid ipse de prophetica inspiratione sentiat. Loquitur ibi de transfiguratione, quum, auctore St. Luca, St. Petrus quid diceret nesciebat: qua de re Tertullianus monet: *Quomodo nesciens? utrumne simplici errore, an ratione quam defendimus in causa Novae prophetiae gratiae ecstasim, id est, amentiam consequi? In Spiritu enim homo constitutus, praesertim quum gloriam Dei conspicit vel quum per ipsum Deus loquitur, necesse est excidat sensu, obumbratus scilicet virtute divina, de quo inter nos et Psychicos (quod nomen Tertullianus Orthodoxis tribuit) quaesitio est.* Comp. adv. Marc. l. 21. sub f. V.8. sub f. adv. Praxeum cap. 15. Eadem ratione Tertullianus existimat in alto isto somno sive ecstasi (*ἐκστασι* apud LXX.), qua Adam immersus est, quam coxa ab eo sumebatur ad Evam formandam, ipsum idoneum factum esse ad sempiternam Christi et Ecclesiae unionem praedicandam. Nam

*eisi Adam statim prophetiae magnum in sacramentum in Christum et Ecclesiam potentia referuntur ad Ephes. V. 32. „Hoc nunc os ex ossibus meis, et ex carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adglutinabitur se ipsae, et erunt duo in carne una.“. Ecstasim Spiritus passus est; cecidit in ecstasi super illum, Sancti Spiritus operatrix Prophetiae.* De Anima c. 3. Hanc notionem alti somni sive ecstasi quam Adam raptus sit Tertullianus vehementer adamavit; reperitur etiam de Belgin. Vel. c. 5. De Anima c. 21, 43. de Ieiuniis c. 3.

e. Apollonius ut adversarius Montani commemoratur ab Eusebio Eccl. Hist. V. 18.

f. Vani erimus si putaverimus, quod Sacerdotibus non liceat, Laicis licere. Non et Laici Sacerdotes sumus? Scriptum est regnum quoque nos et Sacerdotes Deo Patri suo fecit. De Exhort. Castit. c. 1. Praeterea: sed quum extollimur et infirmam adversus Clerum, tunc unum omnes sumus tunc omnes sacerdotes, quia Sacerdotes Deo et Patri fecit. Quum ad persequendum disciplinae sacerdotalis provocamus, denimus infirmos et impares sumus. De Innogamia c. 12.

g. Dissertatio de Tertulliani Vita Scriptis c. 2.

h. Cap. 9.

propter auctoritatem Hieronymi. Infra locus erit commemorandi varias coniecturas ab illis propositas hoc consilio ut adversarios suos Probstantes privarent argumento, quod Tertulliani exemplum in favorem coniugii sacerdotibus concessi suppeditat.

Alia quaestio mota est de loco, ubi Tertullianus presbyteri munere sanctus sit; utrum Carthagine an Romae. Eum aliquando habitasse Carthagine, cum ex Hieronymi narratione colligi potest tum confirmatur quibusdam locis eius librorum. Allixius statuit opinionem, qua presbyter ecclesiae Romanae fuisse putatur, originem debere Hieronymo tradenti, invidiam et abusus clericatus Romani eum impulsisse, ut Monachi partes amplecteretur. Optatus<sup>k</sup> et auctor<sup>l</sup> libri de Haeresibus, quem Sirmondus sub Praedestinati nomine edidit, eum diserte vocat presbyterum Carthaginensem. Semlerus tamen in Dissertatione inserta editioni operum Tertulliani (c. 2.) contendit, eum fuisse presbyterum ecclesiae Romanae. Is sic argumentatur: Scimus Tertullianum Romam visisse; loquitur enim<sup>m</sup> de profusione gemmarum et lapidum pretiosorum, quam ibi viderit. Eusebius<sup>n</sup> nobis narrat, eum legum Romanarum peritissimum et aliis in rebus hominem illustrem Romae fuisse. Praeterea<sup>o</sup> quomodo ecclesia Romana egerit adversus Marcionem et Valentinum, qui olim ei addicti fuerunt, tam accurate novit quam vix poterat is, qui non ipse inter eius presbyteros numeratus fuisset. Tota haec quaestio parvi momenti est neque argumenta pro alterutra opinione videntur tam ad persuadendum apta esse, ut certi quidquam statui queat. Semlerus coniicit, Tertullianum posteaquam ex ecclesia secesserit, Romam reliquisse et Carthaginem reversum esse.

Hieronymus nos non docet fueritne Tertullianus christianis parentibus natus an conversus ad fidem christianam. Extant loci in eius scriptis<sup>p</sup> qui fidem facere videantur, eum fuisse gentilem: fortasse tamen mens eius haec est, ut describat non quae ipsius condicio fuerit, sed quae in universum sit gentilium ante eorum conversionem. Allixius et plerique commentatorum eos sensu litterali intelligunt, perinde atque alios quosdam locos<sup>q</sup> quibus de suis infirmitatibus et pravitate loquitur.

Tertullianum floruisse ea aetate quam Hieronymus denotat, i. e. imperatoribus Severo et Antonino Caracalla sive intra annos CXCIII. et CCXVI., ipsius scripta testantur; neque tamen iis accurate edocemur aut de anno eius natalicio aut de ulla graviore vitae vicissitudine. Allixius

i. De Pallio c. 1. Apol. c. 9. Scorpiace c. 6. De Res. Carnis c. 42.

k. Adv. Parmenianum l. 1.

l. Cap. 26.

m. De Cultu Feminarum I. 7. Gemmarum quoque nobilitatem vidimus Romae etc.

n. Eccl. Hist. II. 2. Hoc tamen notandum est, Valesium exemplo Rufini verba τῶν μάλιστα ἐπὶ Ρώμης λαμπρῶν ita intellexisse ut significant, Tertullianum excelluisse inter scriptores Latinos.

o. De Praescriptione Haereticorum c. 30. p. Poenitentiam hoc genus hominum, quod

et ipsi retro fuimus, caeci, sine Domini lumine, natura tenuis norunt. De Poenitentia c. 1. Nobis autem et via nationum patet, in qua et inventi sumus. De Fuga in Persec. c. 6. Et nationes, quod sumus nos. Adv. Marc. III. 21. Haec et nos risimus aliquando; de vestris fuimus. Apol. c. 18. His locis Dodgsonus addit de Spect. c. 19.

q. De Cultu Fem. II. 1. De Res. Carnis c. 59. De Poenitentia 4. 12. De Patientia c. 1. In libro de Idololatria c. 4. de semet ipse ait: Et quid ego modicæ memoriae homo?



eum natum esse ponit circa a. CXCIV. vel CL.; conversum ad Christianam fidem c. CLXXXV.; matrimonium iniisse c. CLXXXVI.; in ordinem clericorum admissum c. CXCII.; Montani opiniones suas fecisse c. C mortuum esse c. CCXX.: verum haec omnia meris coniecturis nituntur. Dodgsonus eius ad Christianismum conversionem ponit a. CXC putatque eum haud dubie Montanistam fuisse a. CCI.

In Tertulliani vita quum res maxime memorabilis haec sit, quod Montani errores secutus sit, necesse erit de hoc Haeresiarcha quaedam tradere. Apud Eusebium<sup>r</sup> narratio extat auctoris anonymi, quem Lactantius et alii Asterium Urbanum esse coniciunt; quam narrationem ille scripsit tredecim fere annis post mortem Maximillae, unius prophetissae Montanum comitantibus. Ex hac narratione comperimus eum Ardabavi, pago quodam in ea Mysiae parte quae contermina est Phrygiae, coepisse prophetare tum quum Gratus proconsul erat Asia cum multos homines inductos esse ad credendum eum divinitus esse inspiratum, tum in primis duas mulieres, Maximillam et Priscillam sive Priscam, quae et ipsae easdem divinandi facultates se habere simularent; harum simulationis fraudem esse patefactam et doctrinam condemnatam; ipsasque excommunicatas a variis Synodis Asiae habitis. Idem auctor anonymus addit, Montanum et Maximillam suspendio vitam finisse; Theodotum vero, qui erat in primis illius causae patronos, in aërem sublatum in frustra disiectum esse a Spiritu falsitatis, cui se ipse commisisset sperans in caelum se ductum iri. Quanquam auctor se harum historiolarum veritatem praestare negat.

Satis magna opinionis discrepantia est de tempore accurate definiendo, quo Montanus prophetare coeperit. Annus quidem persecutionis Grati non diserte traditur, Eusebius tamen narrans de persecutione, quam martyres Lugdunenses et Viennenses subire, dicit tunc Montanum eiusque comites ut prophetas in Phrygia celebrare coeptos esse. Iam vero Eusebius ipse septimum decimum annum Antonini sive a. CLXXVII. ponit eum quo illa persecutio in Galliam facta sit. Item narrans de operibus Apollinaris Hieropolitae, qui floruit circa annum CLXX. Eusebius<sup>r</sup> ait eum scripsisse adversus haeresin taphrygiam, cuius fundamentum iacere tunc Montanus coepisset. Epiphanius<sup>s</sup> huius haeresis originem ponit anno nono Antonini Pii sive a. CLVII., quam opinionem sequuntur Pearsonus et Beausobrius, quod Baratiarius eam multo prius, a. CXXVI. ponat. Lardnerus amplectitur annum ab Eusebio notatum, cuius auctoritas in quaestionibus chronologicis fide dignior est quam Epiphanius.

Ex narratione auctoris anonymi modo allata apparet, sectator

r. Eccl. Hist. I. 16.

s. Eccl. Hist. I. 3. Martyres de hac nova prophetia epistolas miserunt cum ad fratres in Asia et Phrygia habitantes tum ad Eleutherum, Phrygiae episcopum. Ireneus etsi non diserte mentionem facit Montanistarum, tamen bis eos significare videtur, III. 11. p. 223.; IV. 61. Clemens Alexandrinus bis commemorat Cataphry-

gios, Strom. IV. p. 605.; VII. p. 900 Potter.

t. Eccl. Hist. IV. 27.

u. Haer. 28. s. 48.

x. Cognoscimus e Tertulliano unum scoporum Romanorum (de ipso haec non consentiunt viri docti) aliquamdiu inclinasse ut agnosceret prophetici Montani auctoritatem. Adv. Praxean. c. 1

Montani et multos fuisse et potentes. Unus quidem eorum, Themiso nomine, tantum valebat ut Zoticum et Iulianum, episcopos Comanae et Apameae, prohiberet malum Spiritum interrogare, a quo Maximilla videbatur esse inspirata<sup>1</sup>. Erat omnium Christianorum illis temporibus opinio, nixa illa, ut opinabantur, apostolica auctoritate, facultatem prophetiae in ecclesia remansuram esse ad alterum usque Christi adventum. Hinc faciles aures praebant ei qui prophetae auctoritatem sibi arrogaret; et quamvis Montani divini motus et ecstasici furores et fanatica insania hominibus prudentibus et sobriis non possent non taedio et contemptui esse, a credula tamen et stuporis plena multitudine pro tutissimis divinae inspirationis documentis habebantur.

E longa epitome facta ab Eusebio<sup>2</sup> ex Apollonii adversus Montanistas scriptis colligimus, eorum principem insimulatum esse coniugibus suadere ut divortium facerent, leges de jejuniis ferre<sup>3</sup>, Pepuzam et Tymium, pagos Phrygiae, Hierosolyma nominare, ubi omnes nationes orbis congregare vellet. Iustum is corpus concionatorum instituisse videtur, quibus salaria assignaret solvenda e tributis a sectatoribus oblationum nomine exactis. Maximillam et Priscillam Apollonius refert maritos suos deseruisse cum ad Montanum se applicarent omninoque Montanistas accusat et religionem in commodum suum convertere et magna morum licentia uti. Idem confirmat, quod scriptor anonymus tradit, quosdam episcopos conatos esse Spiritum in Maximilla explorare sitne a Deo; idem Themisonis mentionem facit ut viri praedivitis, qui catholicam epistolam Montanismi defendendi causa scripserit. Semet ipsum dicit opus suum composuisse quadraginta annis post quam Montanus prophetare coepit.

Quae Epiphanius<sup>4</sup> de Montanistis narrat haec sunt: eos accipere et Vetus et Novum Testamentum; credere resurrectionem ab inferis; retinere catholicam doctrinam de trinitate. Eorum error is erat, ut opinarentur Montanum, Maximillam, Priscillam divinitus esse inspiratos; ut contenderent recognitionem charismatum sive dotum spirituum, annunciatam a Montano, prorsus esse necessariam. Epiphanii narrationis maior pars versatur in refutandis Montani de inspiratione notionibus probandoque, prophetas cum Veteris tum Novi Testamenti eo tempore quo futura praedicerent plane sui compotes fuisse et perfecte intellexisse id quod dicerent. Tum<sup>5</sup> quaedam specimina dat prophetiarum Montani eiusque comitum feminarum, quae extremae sunt insaniae. Velut Montanus ait: „Ego sum dominus Deus qui habitat in homine“. Alio loco: „Ego nec angelus sum nec legatus: ego ipse, Deus pater, veni“. Epiphanius tamen has voces non intellexisse videtur tanquam eo consilio dictas, ut significarent, Montanum semet

y. Auctor anonymus tanquam argumentum contra Montanistas hoc urget, quod nulla prophetarum successio inter eos fuerit post Maximillam mortuam. Quam ipsam ex Epiphanio apparet praevidisse hanc notam ideoque sectatoribus suis praebuisse quod responderent, declarando post sese nullam prophetissam futuram, sed rerum finem esse venturum.

z. Eccl. Hist. l. 18.

a. Verba sunt *ὁ νηστείας νομοθετήσας*. Montanus non solum ipse extraordinaria ieiunia observabat, sed etiam ab aliis observari iussit.

b. Haer. 28. s. 48.

c. Sect. 4. 10. 11. 12. 13.

ipsum esse Deum patrem simulasse. Alioquin vix dixisset, Montanistas cum ecclesia catholica consentire de patre, filio et Spiritu sancto.

Secundum auctorem anonymum ab Eusebio citatum Maximus praedicebat, bella et tumultus — secundum Epiphanium, finem rerum humanarum — confestim secutura esse ipsius mortem. Ille confitetur mulieris praedictiones monet tredecim annorum intervallo, qui effugerant inter illius mortem et tempus quo ipse scripsit, orbem terrarum et ecclesiam alta pace usam esse: hic vero ait, etsi illa CCXXI. ante mortua sit, tamen orbem terrarum etiam tunc manere. Hic Epiphanius commemorat honorem a Montanistis ipsius aetate habito desolato cuidam Phrygiae loco, cui Pepuza nomen esset, ubi olim insita fuerat, iam solo aequata: ibi eos sperare caelestia Hierosolymae descensura esse. Ad commune Cathaphrygiorum nomen refertur<sup>4</sup> septem quasdam minores, quae vocabantur Quintilliani, Pepuziani, Priscilliani, Artoturitae, Tascodragitae. Tres priores ita dicebantur a visione quaedam mulieri, cui nomen esset Quintilla<sup>5</sup> vel Priscilla, Pepuzae oblitae Artoturitae nomen suum inde derivabant, quod pane et caseo utebatur in celebranda eucharistia; Tascodrugitae inde quod preces facientes digitum indicem ad nasum admovere solebant; nam *τασχος* Phrygia lingua significat palum, *δρῶνγγος* vero nasum vel rostrum.

Quae hactenus diximus de Montani doctrinis et opinionibus, videntur mentem confirmantur iudiciis quibusdam per Tertulliani opera scripta. Reperimus eum auctoritate Novae Prophetiae inculcare necessitatem frequentium jejuniorum — si non revera condemnare matrimonium. In quavis occasione sine ulla dubitatione praeferre vitam caelibem et sanctas nuptias diserte iudicare illegitimas — sustinere illam sectam fanaticis omni ecclesiae aetate valde adamatam, qua putabatur caelestia Hierosolyma<sup>6</sup> descensura esse in terram Sanctosque ibi per multos annos regnuros. Nec minus reperimus eum ubique Montanistarum de principalibus christianae fidei doctrinis orthodoxiam affirmantem quamvis de Trinitate quidem quasdam novas explicationes videmus introduxisse de filii ex patre generatione<sup>7</sup>. Porro e Tertulliano desumus, Montanum ecclesiae potestatem denegasse absolutionis dantis hominibus flagrantium criminum reis — nominatim adulteris et fornicatoribus — et obtinuisse, Christianis non licere persecutionem laevitatem evitare aut salutem argento redimere.

d. Haer. 29. s. 49.

e. Tertullianus libellum de Baptismo scripsit adversus mulierem, Quintilliam nomine, quae necessitatem et efficacitatem baptismi negaret. Describit eam ut ad dictam sectae Cainitarum (Cainorum); qui erant homines fanatici, feri et profligati, Cain appellabant patrem suum, singulari veneratione colebant Esau, Corah, Iudam omnesque eos qui in S. Scriptura notantur ut Dei voluntati adversarii. Forlasse hac de causa Tertullianus Quintilliam vocat Cainitam, ex sola analogia, quia illa repugnabat institutioni divinae, non

quod revera fuerit in hanc sectam cepta.

f. Ad confirmandam hanc notionem Tertullianus prodigium narrat, quod in loco evenit et testimonio munitum erat eccitatus tunc in orientem proficiscentis. In quadraginta dies continuos bene sibi urbi visa est e caelo suspensa. Adv. Praxean III. 24.

g. Protulit enim Deus Sermonem, qui admodum etiam Paraclitus docet, sicut dicit fruticem et fons fluvium et sol ruit Adv. Praxean c. 8.

Moshemius<sup>h</sup>, auctoritate usus libri sub Praedestinati titulo modo udati, contendit Montanum inter alias doctrinas imminentem imperii romani interitum docuisse, quem secutura esset praesentia Antiristi et alter adventus Domini nostri, ulturi persecutiones Sanctis is inflictas. Christianos prudentiores et sobrios consentaneum erat vehementer offendi aperta talium dogmatum professione, quae nihil iud efficere potuit nisi ut religio sua obnoxia redderetur potentiae ominanti et in ipsos novas iniurias et calamitates pertraheret. Ut aximillam vidimus celerem bellorum ac tumultuam adventum praexisse, quae praecessura essent finem rerum humanarum; ita in Tertulliani operibus loci quidam<sup>i</sup> extant qui suspicari nos iubeant eum miles sententias fovisse. Sensisse tamen videtur necessitatem eas elandandi, et persuasione ac prudentia ipsius inter se pugnantibus ad iandam dicendi inconstantiam subinde perductus est. Nam interdum<sup>k</sup> a loquitur ac si Christiani *deberent* precibus expetere celerem omnium rum consummationem, alias ac si *non deberent*.

Una iam quaestio restat consideranda haec, quae fuerit vera natura fraudum Montani? Duo illi loci ab Epiphanio ex eius Prophetiis lati primo adpectu nos adduxerint ad suspicandum, eum simulasse met ipsum esse Deum patrem. Quidam scriptores putaverunt eum aetendisse se esse Spiritum Sanctum, qui esset in se incarnatus, remodmodum Verbum in Iesu. Moshemium apparet variis temporis varias de hac re tenuisse sententias. In libro suo de Rebus Christianorum ante Constantinum<sup>l</sup> sic ille de Montano: „*Homo nullius ominis, minime malus, natura tristis, debilisque iudicii, morbo quoum animi in tantam incidebat amentiam, ut Spiritum Sanctum seu aractetum illum qui animaverat apostolos Iesu Christi, divinitus bi obtigisse contenderet ad res futuras maximi momenti praedicantis, et morum vitaeque disciplinam, priori ab apostolis tradita iunctiorem et meliorem, tradendam.*“ At in Historia sua ecclesiastica<sup>m</sup> hanc fere tradit de Montani fraudibus narrationem: „Montanus mulabat se esse Paracletum sive consolatorem, quem Salvator divinus cedens e terris promisit se discipulis suis missurum esse, qui eos omnem veritatem duceret. Nec ii, pergit, qui nos docent Montanum aetendisse, se coelitus eundem Spiritum seu Paracletum recepisse, ii olim apostolos animasset, accurate huius haeretici mentem interetati sunt. Propterea necesse est hic monere, Montanum distinxisse ter Paracletum a Christo apostolis promissum et Spiritum Sanctum antecostalibus super eos effusum, et priorem intellexisse divinum aendandam praecceptorem, significatum a Christo Paracleti seu consolatoris nomine, qui consummaturus esset evangelium addendis quibus-

h. De rebus Christianorum ante Constantinum. Saeculum secundum c. 67.

i. Vide in primis extremam caput libri de Spectaculis, ubi Tertulliani exortatio prospicientis instantem iam Christianorum triumphum et supplicia adversariorum tantum non vincit eius moderationem. *Quale autem spectaculum in pro-*

*simo est adventus Domini iam indubitati, iam superbi, iam triumphantis? Vide etiam de Oratione c. 5.*

k. Confer Apol. c. 32. 39. ad Scapulam c. 2. et de Orat. 3. 5. de Res. Carn. c. 22 sub in.

l. Saeculum secundum c. 66.

m. Centur. II. c. 5. p. 237. not.

dam doctrinis a Salvatore nostro omissis, et plena luce illustratae alias obscura et imperfecta ratione expressas, quamquam gravibus et causis, quae extarent tempore ministerii Christi. Hunc Paracletum Montanus semet ipsum esse professus est.“ Vix attinet monere, priorem opinionem prorsus discrepare a posteriore, quam Moshemius collegisse proficitur ex attenta lectione scriptorum Tertulliani. In quum mea ipsius lectio eorundem scriptorum eo me duxerit, ut priorem, non posteriorem putem accuratam esse explicationem opinionum a Montano prolatarum, iam exponam quibus rationibus mea sententia nitatur.

Moshemius nullum affert locum singularem. Convertamus primum ad initium libelli de Virginibus velandis, qui locus plerissimam et maxime cohaerentem expositionem Tertulliani de Paracleti notionum continet.

Proposita illa quam vocat immutabili regula fidei de Patre et Filio Tertullianus pergit dicere „eas partes dispensationis christianae, quae referantur ad vitam et convictum Christianorum, mutationes et incrementa admittere. Hanc ipsam ad rem Dominum nostrum Paracletum misisse, eo fine ut quum imbecillitas naturae humanae mortalibus non permitteret omnem veritatem semel ferre, regula vitae christianae per gradus quosdam perducere posset ad perfectionem ab eo, qui substitutus esset in Domini locum, i. e. a Spiritu Sancto. Antiquissimo tempore homines Dei timore animis ingenito rectos esse: sub Legge et Prophetis in infantia fuisse: sub Evangelio in adolescentia: tunc per Paracletum perfectae virilitatis statum assecutos esse.“ Hoc hoc Paracletus et Spiritus Sanctus aperte iidem sunt.

Iam progrediamur ad librum de Monogamia; quo in libro Tertullianus maiorem vitae caelibis sanctitatem comprobare studet contenditque, apostoli verba „melius est nubere quam uri“ nihil continere nisi permissionem datam propter infirmitates naturae humanae.

*Igitur si omnia ista, inquit, obliterant licentiam nubendi, et conditione licentiae inspecta, et praelatione continentiae imposita, cur non potuerit post apostolos idem spiritus superveniens ad deducendam disciplinam in omnem veritatem, per gradus temporum (secundum quod Ecclesiastes, Tempus omni rei, inquit), supremam in carni fibulam imponere, iam non oblique a nuptiis avocans, sed aperte; quam magis nunc tempus in collecto factum sit, annis circiter CLX. exinde productis? Nonne ipse apud te retractures, Vae haec disciplina est, praemonstrata iam tunc in carne Domini et voluntate; dehinc in apostolorum eius tam consiliis quam exemplis. Olim sanctitati huic destinabamur. Nihil novi Paracletus inducit.*

n. Ab illo vicario Domini, Spiritu Sancto. Tertulliani sententia erat, Dominum nostrum quum in caelum ascenderet, Spiritum Sanctum misisse ad evangelii dispensationem perficiendam. Sic in libro de Praescriptione Haeticorum c. 13.: Misisse vicariam vim Spiritus Sancti, qui credentes agat; iterum c. 28.: Neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius.

o. c. 3. Igitur si omnia ista obliterant licentiam nubendi etc. Tenendum est, in capite secundo et tertio libri de Monogamia Tertulliani hoc esse consilium et ostendat, quamvis iussa Paracleti non et molesta essent infirmitati humanae, Christum animos sectatorum suorum ita praeparasse ut expectarent talem eorum vitam fore. Confer c. 14.

*Quod praemonuit, definit: quod sustinuit, exposcit. Et nunc recogitans ista facile tibi persuadebis, multo magis unicas nuptias competisse Paracleto praedicare, qui potuit et nullas magisque credendum temperasse illum, quod et abstulisse decuisset, si quae velit Christus intelligas. In hoc quoque Paraclerum agnoscere debes advocatum, quod a tota continentia infirmitatem tuam excusat.*

Profecto vera conclusio, quae ex comparatione huius loci et praecedentis duci possit, non haec est, Montanum praetendisse se esse Paraclerum<sup>p</sup>, aut distinxisse inter Paraclerum a Christo apostolis promissum et Spiritum Sanctum Pentecostalibus super eos effusum: sed Montanum existimasse, se eodem Spiritu quo apostolos inspiratum esse, quamquam peculiare officium suum esset, revelationem christianam aliqua ratione claudere et in clara ac splendida luce ponere illa dogmata sublimia, illas doctrinas perfectionis, quas dum Christus in terris versaretur eius discipuli ferre non potuissent, quae tamen inde a descensu Spiritus S. Pentecostalibus facta magis in dies illustratae essent. Si quis dicit apostolos Spiritu S. inspiratos esse, Montanum Paraclero, is vero meram verborum distinctionem facit, siquidem Tertullianus, ut elucet ex universo eius scriptorum tenore, Spiritum S. et Paraclerum eundem ponebat<sup>q</sup>. In universum quidem certum est Tertullianum dixisse novam prophetiam profiscisci a Paraclero; sed hoc non constanter fit. Nam in libro adv. Praxean<sup>r</sup> eam vocat Prophetiam Spiritus S. Distinguit inter revelationes apostolis et Montano imperitias quoad earum diversos gradus perfectionis; sed non distinguit quoad fontem unde derivatae sint. Nam in libro de Praescriptione Haereticorum<sup>s</sup> ait Paraclerum fuisse praeceptorem apostolorum quum extirperint concionaturi inter gentiles; in libro de Resurrectione Carnis<sup>t</sup>, Spiritum S. quum antea quasdam doctrinas quadam obscuritate involutas manere passus esset, quo fidem Christianorum tentaret, nunc omnes ambiguitates removisse clara et diserta explicatione totius mysterii evangelii — per novam prophetiam abundanter effusam a Paraclero. Iam mea conclusio haec est, Montani assertiones recte representari ab Augustino dicente<sup>u</sup> de eo duabusque eius comitibus

p. Tertullianus tantum oberat ut stateret Montanum esse Paraclerum, ut ne illud quidem putaret revelationes Paracleri ei soli obligisse. Nam in libro de Res. Carn. c. 11. quaedam verba afert ut a Paraclero dicta per Priscam prophetissam: de quibus luculenter et Paraclerum per Prophetidem Priscam: „Carnes sunt et carnem oderunt.“

q. Utitur voce „Paraclerum“ ad significandam tertiam personam sanctae trinitatis. Hic conuectus Patris cum Filio, et Filii in Paraclero, tres efficiunt cohaerentes, alterum ex altero. Adv. Praxean c. 25. Et in libro de Ieiuniis c. 13. hoc extat: Spiritus S. — qua Paraclerum, id est, advocatus.

r. Hic interim acceptum a Patre munus effudit, Spiritum Sanctum, tertium nomen  
TERTULLIANI OPP. ED. OEHLEK. TOM. III.

divinitatis et tertium gradum maiestatis, unius praedicatorum monarchiae, sed et obnoxioitas interpretatorem, si quis sermones novae prophetiae eius admisit. c. 30.

s. Quod si nationibus destinati doctores apostoli, ipsi quoque doctorem consecuti erant Paraclerum c. 8.

t. Sed quoniam nec dissimulare Spiritum Sanctum oportebat, quo minus et huiusmodi eloquiis superinundaret, quae nullis haereticorum versutiis feminae subspergerent, immo et veteres eorum cespites vellerent, idcirco iam omnes retro ambiguitates et quas voluit parabolas aperta atque perspicua totius sacramenti praedicatione discussit per novam prophetiam de Paraclero inundantem. Sub finem.

u. Liber de Haeresibus c. 26.

feminis: *adventum Spiritus S. a Domino promissum in se potius quam in Apostolis fuisse asserunt*, et a Philastere<sup>x</sup>, qui auctor e Montanistas obtinuisse, copiam Spiritus S. non apostolis, sed Montanum datam esse. Eadem sententia placuit Lardneroy, qui ait Montanistas auctores statuisse, Deum revelationes quasdam novas per eum huiusmodi credentium perficiendorum causa. Sed quod Lardnerus, de potestate comparativo quod Montanistae tribuerent revelationibus principum suo factis et iis quae apostolis obtigissent exponens, contendit non opinari non potuisse, hanc Montani inspirationem aequalem fuisse apostolis, quippe quae non pertineret ad gravissima fidei capita, sed potissimum ad res externi ordinis et disciplinae, certum est eum non accurate repraesentare auctoris nostri opiniones, qui fortasse sic ratiocinari debuit, revera tamen aliter ratiocinatus est. Tertullianus, quod Montanum crederet destinatum esse ad revelationem christianam perficiendam, non potuit eum apostolis inferiorem existimare, a qua ea non nisi obscure et imperfecte illustrata esset; neque Lardneri sententia conciliari potest cum distincta appellatione *πνευματικῶν* spiritualium, quam Tertullianus tribuit Montanistis, cum eos qui non revelationem a Paraclete factam reiiciebant, quamvis omnia capita fidei Christianae gravissima crederent, epitheto *ψυχικῶν* s. animalium notet<sup>a</sup>.

Tertulliani opera satis probabiliter monstrant, Montani feminamque ei adiunctarum dicta litteris mandata fuisse. Cum supra in loco laudatus est qui Priscae prophetissae dictum continet, in libellis de Fuga in Persecutione et de Pudicitia<sup>b</sup> quaedam citata sunt e Montani sermonibus. Illud tamen opus, unde Epiphanius susceperit, nostro auctori notum esse non poterat. Qui si id notum in libello adversus Praxean vix praetermittere potuisset explanationem aliquam addere eorum verborum, quae primo ad aspectum Montanum cum Deo Patre eundem facere videntur.

Tales erant Montani sententiae et assertiones, quatenus eas colligere licet e scriptis auctorum eius aetati supparium, maximeque e Tertulliano, qui omnes peculiare eius opiniones suas fecisse videtur. Nonnulli ex eius sectoribus in magnos et doctrinae et vitae errors incidisse dicuntur, quamquam probabiliter suspicari licet, eos multis criminibus accusatos esse criminum quae nihil essent nisi inventa auctorum. Montanum quidem apparet hominem fuisse exiguae intel-

x. Haeres. Cataphryg.

y. History of Heretics. Of the Montanists c. 19.

z. *Homines solius animae et carnis*. De Ieiun. c. 27. De Monogam. c. 1.

a. Pag. 705. not. p.

b. *Spiritum vero si consulas, quid magis Sermone illo Spiritus probat? namque omnes pene ad martyrium exhortantur, non ad fugam, ut et illius commemoremus „Publicaris, inquit: bonum tibi est. Qui enim non publicatur (παρὰδουλαρίζεται) in hominibus, publicatur in Domino. Ne con-*

*fundaris: iustitia te producit in malum. Quid confunderis laudem ferens? tuus filius quum conspiceris ab hominibus.*” Sic alibi: „Nolite in lectulis, nec in operibus et febribus mollibus optare exire, sed martyriis, ut glorificetur qui est passus pro vobis. De Fuga in Persec. c. 9. Si Spiritum quis agnoverit, audiet et signa denotantem c. 11. Hoc ego magis et opto et dispono, qui ipsum Paracletum in prophetis novis habeo dicentem: „Potesis ecclesiam donare delictum,“ sed non potes ne et alia delinquant. De Pudicitia c.



gentiae, qui vel ingenio superstitioso vel famae cupiditate<sup>c</sup> permoveretur ut asceticum vitae genus et ipse sequeretur et aliis commendaret. Doctrinae et vitae austeritatem non mirum est ei admiratores et sectatores comparasse; confirmavit autem suam in illorum animos potestatem profitendo, sibi visiones et revelationes caelestes obtingere. Forsitan ipse sibi persuaserit, se esse divinitus inspiratum. Et furor fanaticus in impostoris religiosi ingenio plerumque coniunctus est cum fraude, nec improbabile est, Montani corpore ieiuniorum longitudine et frequentia et severitate exhausto eius animum subinde disturbatum pro veris habuisse, quae imaginatio male temperata sibi obieciisset.

Evangelii doctrinam ab apostolis non esse publice traditam summa perfectione, sed certas quasdam magni momenti res reservatas esse, quas hominum animi nondum ferre possent, non videtur fuisse opinio Montani sectae peculiaris. Nam Valentiniani<sup>d</sup> similibus utentes verbis statuebant, has res occultas pertinere ad ipsorum monstruosas et abstrusas de Pleromate Aeonumque generationibus successivis alucinationes. Etiam inter Orthodoxos sententia non plane dissimilis valde fuit vulgata. Clementis Alexandrini Stromatum principale consilium hoc est, ut ostendat discrimen inter Christianos cognitione perfectos (*γνώστικός*) et vulgum credentium, et ut regulas proponat huius perfectae indolis assequendae. Non sane, sicut Montanus, profitebatur se scientiam prodere caelesti revelatione acceptam et apostolis ignotam. Immo eam statuit Petro, Iacobo, Ioanni revelatam esse a Christo transfigurationis tempore<sup>e</sup>, Paulo autem aetate subsequente; ab iis iam viva voce sub auctoritate Ecclesiae ipsorum successoribus esse proditam. Si tamen in huius sublimis cognitionis<sup>f</sup> naturam inquirimus, eam in subtilibus doctrinae de Trinitate aliarumque doctrinarum Christianarum explanationibus, in allegoricis et mysticis Scripturae explanationibus, in praeceptis moralibus non multum illis dissidentibus ab iis quorum observatio a Montano inculcata erat, quanquam non ad tantam insaniam exaggeratis, positam fuisse invenimus. Veluti Clemens<sup>g</sup> secundas nuptias non prae-fracte negat legitimas esse, sed eum qui defuncta uxore iterum matrimonium ineat christianae perfectionis expertem esse dicit. Clementis notiones magnam habent cum mysticismo affinitatem et compositae sunt ad formandum philosophum quandam christianum, longe supra res sensibiles elevatum et sublimibus contemplationibus quasi absorptum; Montani notiones homines eo ducant ut omnem virtutem in austeritate corporis et mortificatione carnis ponant: uterque iure argui potest contulisse ad viam muniendam monachicae vitae introducendae.

c. Hinc Auctor anonymus apud Eusebium Montani disciplinam repetit.

d. De Praescriptione Haeticorum c. 25.

e. Eusebius dicit *post resurrectionem*, Eccl. Hist. H. I. Cf. Clem. Alex. Strom. I. p. 322. l. 18.; p. 323. l. 23.; p. 324. l. 26.; VI. p. 771. l. 14.; p. 774. l. 27.; p. 802. l. 36.; p. 806. l. 25. ed. Potter.

f. Clemens sibi licere negat plene et

aperte explicare, qua in re haec *γνώσις* posita sit, quippe cuius natura purior sit et magis spiritualis quam quae a vulgo Christianorum percipi possit I. p. 327. l. 41. Haec sententia, si non ab initio suppositata quibusdam locis in S. Pauli epistolis, certe defendebatur iis afferendis. Strom. V. p. 683. l. 18.

g. Strom. III. p. 548. l. 26.

stra hora nanc disuncuonem introduxisse, quandoquidem narratione quam de eius origine tradit gravissima nitantur quibus Catholici Romani cum alias fraudes suas defendu quibus doctrinam corruerunt. Nam omnibus reliquis l illi tanquam ad ultimum refugium ad *disciplinam arcani* e ditionem confugiunt; et quanquam Clementis scripta nihil a bent singularibus erroribus, quos ecclesia Romana sollicito tinet, tamen ea non exiguum patrocinium causae suae e se antiquo repetit narrante, Christum gravia veritatis capita e lis communicasse, quae vulgi credentium neque auribus d sent neque intellectui accommodata, quaeque usque ad ips vivae traditionis ope perlata essent.

Sed ut ad Tertullianum revertamur, cum ad Montan amplexendas frustrata ambitione commotum esse, Pamelius ulla veritatis specie contendunt. Indignabatur, inquit, quiciderat episcopatus sive Romani sive Carthaginensis. Vera causa repetenda est ex eius animi indole ac temperame austera novi prophetae et doctrina et vita plane erat e cuiusque ingentium ardorem et acerbiter Hieronymus i tr norum clericorum notis, nescio an et malignis interpretati ctam esse.

Hanc quaestionis partem antequam relinquamus, occurri scrupulo cuidam quem praegressa expositio iniicere possit. xerit quispiam: „quam fidem habere licet iudicio vel etiam Tertulliani, qui ad credendas Montani fraudes insanas adduc quidve commodi theologiae studiosi repetere possunt ex a creduli et superstitiosi operibus legendis?“ Hae sunt quae cile iniectae et sine dubitatione solutae ab iis qui regiam v nae theologiae ingrediuntur: qui quidem, sive propter ot sive laboris impatientia ad Patrum scripta examinanda neces ignorantiam quadam contemptus specie sibi tegendam pu sententia temeraria et iniura cum Patres demerantur. f--

et imbecillitatis, stupiditatis, superstitionis in altero. Sententia iniqua est propterea quod Patres damnat ob vitia, quae non hominum, sed aetatis sunt: Plinii maioris et Marci Antonini non minus quam Tertulliani. Deinde iniqua est propterea quod qui sic iudicant in Patrum causa, in aliis causis aliter iudicant. Quamvis enim Fenelonis ingenium mite, amabile ac politum comparare nolim cum Tertulliani acerbitate, ardore asperitateque, aut feminae celeberrimae Guyon somnia contendere cum Montani eiusque prophetissarum alucinacionibus, tamen hoc dici potest, Fenelonis studium rerum mysticarum prodere mentis quandam imbecillitatem, gradu magis quam genere discrepantem ab ea quae Tertullianum induxit ad Montanismum admittendum. Neque vero propter hanc Fenelonis imbecillitatem eius libros repudiamus tanquam cognitione omnino indignos, aut hoc satis causae esse putamus cur eius ingenii et scribendi praestantiam in dubium vocemus: miramur et dolemus novum hoc infirmitatis humanae exemplum, sed Telemachum cum fructu et oblectatione legere pergimus. Utamur eodem animi candore et iudicii sanitate in Patrum causa: separemus triticum, ut aiunt, a palea, neve eodem incendio utrumque deleamus. Mirum dictu videri potest, neque tamen minus est verum, quem fructum Tertulliani scripta theologiae studioso praebeant, eius magnam partem ex illius erroribus nasci. Ubi Montanista factus est, hoc egit ut exponeret si quid falsi in moribus et disciplina ecclesiae esse putaret: ita, licet paulo tectius, edocemur qui fuerint illi mores, quae disciplina, et ea cognoscimus, quae, nisi is ab ecclesia secessisset, ex eius operibus vix percepissemus. Ut brevi praecidam, sive testimonium consideramus veritati et integritati Novi Testamenti a Tertulliano dictum sive cognitionem cerimoniarum, disciplinae, doctrinarum ecclesiae primitivae, Tertulliani scripta principem quandam locum obtinent in illa traditionis quasi catena, quae aetatem apostolicam cum nostra connectit.

Fuerunt qui Tertulliani opera ordine chronologico disponere conarentur<sup>k</sup>; quod quo successu fecerint, iudicari potest ex opinionum diversitate, quae obtinuerunt inter viros doctos de tempore unius libri, qui inscribitur de Pallio. Tertullianum togam Romanam commutasse apparet cum pallio, quod gestabatur a Graecis et ab iis qui philosophorum nomen affectarent. Haec vestis commutatio quum ri-

k. Quo melius quae de Tertulliani scriptis dicimus intelligantur, tempora praecipuorum sub Severi regno eventorum inserimus, ita ut constituta sunt a Benedictinis in opere doctissimo: *L'art de vérifier les dates.*

	A. D.
Initium regni Severi . . . . .	193.
Nigri clades . . . . .	195.
Byzantii expugnatio . . . . .	196.
Albini clades . . . . .	197.
Caracalla imperii socius assumptus . . . . .	198.
ellum Parthicum . . . . .	198.

	A. D.
Severi e bello reditus . . . . .	203.
Celebratio ludorum saecularium . . . . .	204.
Plantianus ad mortem ductus . . . . .	204 aut 205.
Bellum Britannicum . . . . .	208.
Vallum a Severo exstructum . . . . .	210.
Severi mors . . . . .	211.
Caracalla natus . . . . .	185.
- Caesar appellatus . . . . .	196.
- Augustus . . . . .	198.
Geta natus . . . . .	189.
- Caesar appellatus . . . . .	198.
- Augustus . . . . .	208.



sum et censuram civium Carthaginiensium excitasset, ad eorum offensas repellendas librum de Pallio scripsit. Pamelius<sup>1</sup>, quocum Scaliger consentit, eum statuit esse antiquissimum inter Tertulliani libros nunc extantes, quippe statim post eius conversionem ad doctrinam christianam scriptum, quo tempore pallium induit, vestem tunc omnibus Christianis communem. Salmasius contendit pallium presbyterorum fuisse vestem, non omnium omnino Christianorum; librum igitur scriptum esse Tertulliano in eum ordinem admissio. Alixius<sup>2</sup> et a Pamelio et a Salmasio dissentiens affirmat pallium ab iis solis Christianis gestari solitum, qui asceticum vitae genus sectarentur; hinc colligit, librum scriptum esse paulo post quam Tertullianus Montani doctrinam aperte professus est. Illi tres critici suam quisque opinionem locis ex ipso libro allatis fulciunt, extatque unus locus, qui primo aspectu lectori spem facere possit fore ut tempus satis accurate constituitur. Ait enim Tertullianus<sup>3</sup>, tres viros tum consociatos esse ad imperium administrandum et orbem terrarum alta frui pace. Sed infelici casu accidit ut inter commentatores non conveniat, utrum tres illi imperatores fuerint Severus, Antoninus Caracalla, Albinus<sup>4</sup>, an Severus, Antoninus Caracalla, Geta<sup>5</sup>; neque utrum alta pax de qua Tertullianus loquitur illa fuerit quae Nigri seditionem oppressam consecuta est, an illa qua imperium per ultimos Severi vitae annos fruebatur. Semlerus<sup>6</sup> quidem in priorem sententiam inclinatur, ut tamen quaestionem magna obscuritate involutam esse fateatur. Est sane dicendi genus in hoc libro tam declamatorium et rhetoricum, ut e singulis verbis certi quidquam colligi non possit; mihi tamen scriptis videtur esse ad defendendam communem pallii assumptionem illo tempore a Christianis Carthaginiensibus factam<sup>7</sup>; vel fortasse ad defendendam suam eius vestis assumptionem, qui eam christianis moribus magis convenire arbitraretur.

Unum opus quando scriptum sit certo testimonio constat, primum dico librum adversus Marcionem. Capite enim 15.<sup>8</sup> Tertullianus dicit se scribere quinto decimo anno Severi imperantis sive a. CCVII. Extat etiam in hoc libro<sup>9</sup> certum testimonium, auctorem, quum eum scriberet, fidem habuisse Montani prophetiis.

l. Dodgsonus V. cl. Pamelii opinionem suam facit: nescio an excusari possimus, si ex paucitate locorum e S. Scriptura citatorum concludamus, librum scriptum esse paulo post Tertulliani conversionem.

m. *Dissertatio de Tertulliani vita et scriptis* c. 6.

n. *Quantum urbium aut produxit aut auxit aut reddidit praesentis Imperii triplex virtus! Deo tot Augustis in unum favente, quot census transcripti!* etc. c. 2.

o. A. S. CXCVI.

p. A. S. CCVIII.

q. *Dissertatio in Tertullianum* c. 1.

r. Hoc colligo ex his locis: *Enimvero quum hanc primum sapientiam vestis, quae vanissimis superstitionibus renuit, tunc cer-*

*tissime pallium super omnes exurias & peplos augusta vestis, superque omnes opes et titulos sacerdos suggestus; deducorolos, suadeo, reverere habitum unius inter erroris tui renuntiatorem,* c. 4. sub. f. Tu: *Sed ista pallium loquitur: „At ego iam etiam divinae sectae ac disciplinae commercium confero.“ Gaude pallium et exulis: melior iam te philosophia dignata est, et quo Christianum vestire coepisti.* c. 6.

s. *Ad decimum quintum iam Severi imperatoris.*

t. *Sed etsi nubendi iam modus ponitur, quem quidem apud nos spiritualis ratio, per caelesto auctore, defendit, unum in fide matrimonium praescribens.* c. 29.

Loco quodam libri de Monogamia supra iam allato<sup>a</sup> Tertullianus ait, annos CLX. elapsos esse, ex quo St. Paulus primam epistolam ad Corinthios dedisset. Hinc Pamelius librum illum anno CCXIII. scriptum esse statuit, existimans primam ad Corinthios epistolam scriptam esse a. LIII. Sed primum docti non consentiunt de tempore epistolae illius definiendo, quum quidam eam ad a. LIX. reiiciant; deinde admodum probabile est, Tertullianum non accurate locutum, sed numeris rotundis usum esse. In primo libro ad Nationes Auctor noster ait uno loco, annos CCL., altero CCC. nondum effluxisse post Christum natum<sup>x</sup>: unde elucet, neutro loco Tertullianum accuratum numerum exprimere voluisse.

Iam quum in ipsis operibus nulla testimonia investigari possint, unde eorum tempora accurate constituentur, postea alii critici in eo acquieverunt ut in duas classes ea dividerent; unam eorum quae scripta essent antequam Tertullianus Montani errores suos faceret, alteram eorum quae postea essent composita. Verum etiam in hac re opinionum dissensio est, quum inter commentatores non conveniat, ad utram classem quodque opus adnumerandum sit. Nisi opus revera aliquam Paracleti vel novae prophetiae significationem continet, non licet nobis certo contendere id a Montanista scriptum esse; neque vero absentia omnium eiusmodi significationum contrariam conclusionem firmare potest. Fieri potuit ut libri argumentum auctori nullam opportunitatem praerebet fidem Montani inspirationi habitam prodendi; cum ex altera parte hoc unum, quod aliqua ex huius haeresiarcae sententiis in singulari quodam opere reperitur, non sufficiat ad probandum, Tertullianum quo tempore id scripserit se Montanistam esse professum. Fuerunt iha aetate, sicut omnibus ecclesiae aetatibus, duae partes, et lenioris et severioris disciplinae defensores. In hac altera classe complures fuisse videntur, quorum opiniones de vitae ratione Christiano homini sequenda haud longe differrent a Montano, quamvis caelestibus eius revelationibus fidem non haberent. Ingenita Tertulliani natura ad rigiditatem, opinor, partem eum deduxit; probabile tamen est, mutatas eius sententias gradatim esse, et, ut aetate progredere, ita in dies naturam asperiores et pertinaciores induisse. Talis cum plerumque opinionis progressus est, tum de duabus certe rebus eius sententiam revera mutatam esse scimus — de poenitentium in Ecclesiam admissione et de culpa secundo matrimonio tribuendae gravitate. Cum igitur Tertulliani animus semper ad severam Montani disciplinam inclinaret eaque inclinatio per gradus exiguos et vix cognoscendos incrementa ceperit, fieri vix potest, ut omni externo testimonio deficiente certa quasi linea separemus ea opera quae ante eius ab ecclesia secessionem ab iis quae post illam composita sunt. His praemissis de difficultate certi quidquam in hac re statuendi, progrediar iam ad ea exponenda quae mea me examinatio scriptorum Tertulliani docuit.

Libros de Poenitentia, de Oratione, de Baptismo scriptos esse ante-

u. C. 3. Vide p. 704. not. p.

x. Prior numerus occurrit c. 7. alter c. 9.

quam Tertullianus Montanum sectari coepisset, plerique commentarum consentiunt.

Erasmus an liber de Poenitentia genuinus esset dubitabat, partim propter orationis bonitatem confessis Tertulliani operibus maiore partim quia opiniones continet ab iis quas in libro de Pudicitia expressit discrepantes. In priore enim<sup>y</sup> diserte ait, omnia crimina per baptismum commissa nullo excepto semel, sed semel tantum poenitenti ab ecclesia ignosci posse: in altero<sup>z</sup> negat adulteros item ut id latras et homicidas unquam cum ecclesia reconciliari posse. Sed in tertio libri de Pudicitia<sup>a</sup> ipse significat hanc sententiarum suarum mutationem, quae etiam ab Hieronymo<sup>b</sup> commemoratur; et e comparatio illorum locorum hoc necessario sequitur, librum de Poenitentia genuinum esse et enim compositum cum Tertullianus nondum ab ecclesia secessisset.

In Hilarii comment. ad St. Matthaeum capite quinto<sup>c</sup> locus est ex quo colligitur, Tertullianum librum de Oratione composuisse antequam ecclesiae communionem reliquisset. Hoc certum est, eum Hamae Pastorem ita commemorare<sup>d</sup> ut nihil istorum opprobriorum in eum coniciat, quibus utitur in libro de Pudicitia<sup>e</sup>, scripto postquam Montanista factus est.

In libro de Baptismo Allixius sibi invenire videtur vestigia cuiusdam ad Montanismum propensionis. Quam suspicionem et ex allusionem ad nomen *pisciculi*<sup>f</sup>, quod Tertullianus in Christianos transfert, et e charismatum<sup>g</sup> mentione repetit. Sed hanc quidem vocem nulla ratio apparet cur ad Montani revelationes restringamus; illud autem nomen *pisciculorum* etsi Allixius recte suspicari videtur Tertullianum ex libri Sibyllinis mutuatum esse, confectis illis, ut opinatur, aut a Montano aut a Montanista aliquo, tamen plerique doctorum ita censent, versus Sibyllinos ante Montani haeresin exortam procusos esse. Meo quidem iudicio locus multo suspiciosior extat in hoc libro<sup>h</sup>, ubi Tertullianus ait, tres personas efficere ecclesiam, quae quidem sententia frequen-

y. Vide c. 7. 8. 9.

z. Vide c. 5.

a. c. 1. Erit igitur et hic adversus Psychicos titulus, adversus meae quoque sententiae retro penes illos societatem etc.

b. Epistola ad Damasum de parabola filii prodigi: Unde vehementer admiror Tertullianum in eo libro, quem de Pudicitia adversus poenitentiam scripsit et sententiam veterem nova opinione dissolvit, hoc voluisse sentire.

c. De orationis autem sacramento necessitate nos commentandi Cyprianus vir sanctae memoriae liberavit. Quanquam et Tertullianus hinc volumen aptissimum scripserit; sed consequens error hominis detrahit scriptis probabilibus auctoritatem.

d. C. 12.

e. C. 10.

f. Sed nos pisciculi secundum *ἰχθύον*

nostrum Iesum Christum in aqua nascimus

c. 1. Cicero ait (de Divinat. II, 54) veros versus Sibyllinos fuisse acrostichos in octavo autem libro versusum spatiores sunt quaedam acrosticha, quae incipiunt litteris initialibus verborum *Ἰησοῦς Χριστός, Θεοῦ Υἱός, Σωτήρ*, quibus et in veteris *ἰχθύς* vox composita est. Sed ut dice Lardnero non satis causae est a Tertullianum haec acrosticha notasse potest. Credibility of the Gospel History, c. 29.

g. Petite de domino peculia, gratias, distributiones charismatum subiiciente, c. 21 sub f.

h. Quum autem sub tribus<sup>h</sup> et testibus fidei et sponsa salutis pignerentur, necessario adiicitur Ecclesiae mentio; quomodo ubi tres, id est pater, filius et spiritus sanctus, ibi ecclesia quae trium corporum c. 6.

est in iis operibus quae, postquam novae prophetiae fidem habere coepit, scripta esse certo constat.

Allixius eadem ratione aliquam ad Montanismum propensionem reperit in duabus ad Uxorem dissertationibus; quarum in priore Tertullianus uxori suae dissuadet, ne si forte ipsi superstes esset, secundum matrimonium iniret, in altera metuens ne illa gravaretur tam severam legem sibi imponere, eam certe commonet, ne pagano nubere. Haec indulgentia infirmitati humanae habita adeo dissidet ab asperitate illa, qua in secundum matrimonium invehitur, postquam Montanista factus est, ut ego Allixio assentire non possim.

In libro ad Martyres<sup>1</sup> respicitur ad usum tunc valentem, quo poenitentes in ecclesiae communionem restituebantur rogatu eorum qui propter christianae doctrinae professionem in carcerem essent coniecti. Huius loci orationem si comparamus cum gravi illius usus condemnatione quae extat in libro de Pudicitia<sup>2</sup>, colligendum nobis est, opinor, Tertullianum nondum ad Montanismum conversum fuisse, cum librum ad Martyres scriberet. In c. 4. commemorata est Peregrini philosophi mors, quae accidit intra annos CLXIV. et CLXX.; extrema autem libri sententia magna cum probabilitatis specie credita est referri ad crebra illa supplicia, quibus post Albinus cladem et mortem<sup>1</sup> maxime homines senatorii ordinis affecti sunt; quanquam ea possit etiam ad Plautiani mortem referri.

Si inter se comparabimus diversas rationes quibus Tertullianus de fuga in persecutione loquitur in libris de Patientia<sup>m</sup> et de Fuga in Persecutione<sup>n</sup>, adducemur ad hanc conclusionem, priorem librum scriptum esse antequam ecclesiam reliquisset.

Dissertatio adversus Iudaeos a Pamelio scripta esse statuitur a. CXCVIII., ab Allixio (secundum Baronium) a. CCVIII. Allixius opinionis suae fundum habet verba de imperii Romani statu, quae in c. 7. leguntur, quae quidem ille non nisi de extremis Severi imperantis annis intelligi posse censet; sunt tamen tam generatim dicta, ut de tempore libri certi quidquam inde colligi nequeat.

Librum de Praescriptione Haereticorum scriptum esse postquam Tertullianus Montanista factus est, Allixius e charismatum mentione colligit. Sed, ut iam monitum est in librum de Baptismo, nexus verborum nihil causae suppeditat, cur illam vocem ad peculiare dotes Paraleti Montani restringamus. Idem Allixius locum affert e libro I. adversus Marcionem, unde probat, eum librum priorem fuisse libro de Praescriptione Haereticorum; qui tamen locus<sup>o</sup> me ad contrariam sen-

i. c. 1. *Quam pacem quidam in ecclesia non habentes a martyribus in carcere exorare consueverunt. Et ideo eam etiam propterea in vobis habere et fovere et custodire debetis, ut si forte et aliis praestare possitis.*

k. C. 22.

l. A. S. CXCVII.

m. C. 13. *Si fuga urgeat, adversus incommoda fugae caro militat. Ex his ver-*

*bis recte colligi posse videtur, fugam tempore persecutionis esse concessam.*

n. C. 29.

o. *Sed alius libellus hunc gradum sustinebit adversus haereticos, etiam sine retractatu doctrinarum revincendos, quod hoc sint de praescriptione novitatis. Nunc quatenus admittenda congressio est, interdum, ne compendium praescriptionis ubique advocatum dissidentiae deputetur, regulam adversarii prius praetexam, ne cui*



tentiam ducit. Praeterea si liber ille scriptus esset a Montanista, futurum fuisse probabile est ut aliqua Paracleti mentio fieret in brevis fidei summa quae extat in c. 13.; quemadmodum fit in primo capitulo libri de Virginibus Velandis. Nec minus conclusio libri hanc sententiam firmat, eum omnibus dissertationibus adversus singulares haereses priorem esse: libro quidem de Carne Christi priorem esse et constat.

Item prior fuit libro adversus Hermogenem, cuius in capite praetexte significatur. Allixius Tertullianum Montanistam fuisse putat, qui adversus Hermogenem scriberet, propterea quod illum haeticum et impius de matrimonio vituperat; dubito tamen an verba tam disertum ut hanc conclusionem admittant.

Apologeticum quando scriptum sit, magna est inter commentum res opinionum dissensio. Hoc quidem Allixius mihi satis comprobatur videtur, eum librum non Romae, sed Carthagine scriptum: non in senatum, sed ad magistratus Africae proconsularis missum esse. Si illud minore successu demonstraturus erat, eum scriptum esse ante demum CCXVII. Nam equidem in eo loco, ubi Tertullianus de huiusmodi Papiarum reformatione verba facit, nihil invenio, cur Severo tunc mortuum fuisse putemus; immo potius contrarium inde efficeretur. Et significatio coniurationum, quae quotidie debebantur eo ipso tempore quo liber perscribatur, et enumeratio nationum barbararum quae sive tunc bellabant sive paulo ante bellaverant cum Romanis eventis respondent quae Severo regnante acciderunt; cumque liber ista terna testimonia contineat, Christianos tunc persecutionem subisse quidni scriptus sit paulo post promulgatam legem, quae Christianos

*lateat in qua principalis quaestio dimicatur est. c. 1.*

p. C. 45. *Sed nunc quidem generaliter actum est a nobis adversus haereses omnes certis et iustis et necessariis praescriptionibus repellendus a consolatione Scripturarum. De reliquo, si Dei gratia annuerit, etiam specialiter quibusmodi respondendum.*

q. C. 2. *Sed plenius eiusmodi praescriptionibus adversus omnes haereses alibi iam usi sumus.*

r. C. 1. *Solemus haeticis compendii gratia de posteritate praescribere.*

s. C. 1. *Praeterea pingit illicite, nubit assidue. Legem Dei in libidinem defendit.*

t. De Roma dicens Tertullianus ait c. 9.: *Ecce in illa religiosissima urbe Aeneadum, et c. 21. sub f. ita Romanos alloquitur: Ut ad vos quoque, dominatores gentium, aspiciam. Porro c. 35.: Ipsos Quirites, ipsam vernaculam septem collium plebem convenio: quae quidem dicendi ratione vix usus esset, si librum Romae scripsisset.*

u. *Eos virgo significans, ad quos Apologeticum missum est, universe Praesides*

*appellat; velut veritatis extorquendae praesides c. 2. Ex ipsis etiam nobis inanimis et severissimis in nos praesidibus!* Hoc agite, boni praesides c. 50. C. 2. *ut utitur dictione: Hoc imperium cuius ministri estis; et e loco c. 45. Dum in Proconsulem timentes, haud inepte colligere potest, eum scripsisse in provinciis proconsule administrata.*

x. *Nonne vanissimas Papias leges, quae ante liberos suscipi cogunt quam huiusmodi matrimonium contrahi, post tantae aeternitatis senectutem heri Severus constitutus principum exclusit? c. 4.*

y. *Unde Cassii et Nigri et Albini? deinde Sed et qui nunc scelestarum partium aut plausores quotidie revelantur, postquam demum parricidarum racematio superi etc. c. 35. Hic locus referri videtur Severi triumphum post reditum e Parthico, et ad Plautiani coniurationem quae facta est circiter a. CCIV.*

z. c. 37. *Plures nimirum Mauri et Libyanorum ipsique Parthi.*

a. *Quod Syri Palaestineses a Nigri partibus stabant, Severum vehementer irritavit videturque huius legis occasionem*

vetuit proselytos facere, hoc est a. CCIV. ? Moshemius in dissertatione hac ipsa de re scripta ei annum assignat CXCVIII. Ullum Montanismi vestigium in Apologetico apparituum esse non erat expectandum.

Duo libri ad Nationes tam male affecti ad nostram aetatem pervenerunt, ut difficile dictu sit, utrum Tertullianus id diversum ab Apologetico opus ipse voluerit, an primo materiem hac forma consignaverit, quam postea sibi mutandam esse putaret. Argumenta maximam partem eadem sunt atque ea in quibus Apologeticum versatur, saepe iisdem verbis expressa. Allixius cum vestigium „Parthici“ tituli a Caracalla assumpti sibi invenisse visus esset<sup>b</sup>, inde hos libros post Severi mortem scriptos esse effecit; ego tamen hoc vestigium nusquam nisi in eius mente extitisse suspicor.

Liber de Testimonio Animae Apologeticum subsecutus est, ad quod hic locus refertur: *Ut loco suo edocuimus ad fidem earum (divinarum Scripturarum) demonstrandam*, c. 5. Refertur is locus ad Apologetici c. 19., in quo Tertullianus Hebraeorum scripta gentilium litteris antiquiora esse demonstrat.

In libello ad Scapulam de Severi erga Christianos favore, quem illi nacti erant propter curam imperatori aegrotanti a Proculo Christiano adhibitam<sup>c</sup>, Tertullianus iis verbis utitur, e quibus colligi possit, eum librum post imperatoris obitum esse compositum. Respicitur in eo libro et Byzantii vastatio quae facta est a. CXCVI., et prodigiosa luminis solaris extinctio<sup>d</sup>, quae Uticae accidit, quamque Allixius solis eclipsin fuisse statuit, quae evenerit a. CCX. Idem cum Scaligero et Holstenio consentit, hoc unum ex ultimis Tertulliani operibus esse, scriptum circiter a. CCXVII. In c. 4 Tertullianus Cincii Severi facit mentionem inter magistratus qui in Christianos lenitate uterentur. Is autem supplicio affectus est a Severo post Albinum devictum ac necatum<sup>e</sup>. Liber etsi nulla Montanismi vestigia continet, tamen probabiliter scriptus est, postquam auctor Montanum sequi coepit.

Dissertationes in quibus diserta de Montani prophetiis testimonia exstant hae sunt: de Corona<sup>f</sup>, de Animas, de Virginibus Velandis<sup>h</sup>, de

disse. Aelii Spartiani Severus p. 902. C. Ex historici verbis colligi possit, legem ad solam Palaestinam pertinuisse. In itinere Palaestinis plurima iura fundavit. Iudaeos fieri sub gravi poena vetuit. Idem etiam de Christianis sanxit p. 904. Paulo post de Alexandria incolis dicens ait: *Multa praeterea his iura mutavit.*

b. Ita vero sit, quum ex vobis nationibus quotidie Caesares et Parthici et Medici et Germanici, I. 17. Allixius illud colligit e loco quodam Vitae Caracallae, quae sub Aelii Spartiani nomine circumfertur. *Datis ad Senatum, quasi post victorium, litteris Parthicus appellatus est; nam Germanici nomen patre vivo fuerat consecutus*, p. 930. D. Res hic significata facta est non multo ante Caracallae obitum a CCXVII. Sed

„Parthici“ et „Germanici“ tituli tam saepe in imperatores collati sunt, ut nulla cum certi specie affirmari possit, peculiariter Caracallam menti scriptoris observatum esse.

c. C. 4. Curatio illa effecta erat olei usu. Severus morbo arthritico laborabat. Aelii Spartiani Severus p. 903. D.

d. C. 3. *Extincto paene lumine.*

e. A. D. CXCVIII. Aelii Spartiani Severus p. 902. A.

f. C. 1. *Qui prophetias eiusdem Spiritus S. respuerunt.*

g. C. 11. 55. 53. In hoc libro c. 55. commemoratur Perpetuae martyrium, quod accidisse putatur circa a. CCIII.

h. C. 1. 17.

Resurrectione Carnis<sup>i</sup>, adversus Praxean<sup>2</sup>, adv. Marcionem lib. III. = IV. = V.°, libri de Fuga in Persecutione, de Monogamia et Ieiuniis, de Pudicitia. Quattuor libros postremo appellatos Hieronymus auctor est a Tertulliano compositos esse hoc ipso consilio ut easiam impugnaret, id quod eorum argumenta plane confirmant. Eisdem eorum hoc unum scimus, librum de Monogamia priorem huius libro de Ieiuniis<sup>p</sup>, quippe in quo ille citetur.

Perspicuum esse affirmat Gibbonus<sup>q</sup> Tertullianum suam de Corona dissertationem multo prius composuisse quam Montani erroribus imbutur. Quam ad opinionem amplectendam vereor ne historicus addens sit propterea quod ipsum adiuturam erat in Tertulliani sententiis a Montani sectatoribus ad primos Christianos universos transferendis, quod suum de illorum temeritate et amentia iudicium confirmaret. At haec opinio certissime refutatur novae prophetiae mentione in primo huius capite facta. Idem Gibbonus statuit eam rem quae dissertationis occasionem dederit evenisse Carthagine, donativo ab imperatoribus Severo et Caracalla militibus distributo, ergo antequam Caesaris nomen in Getam esset collatum, i. e. ante a. CXCVIII. Sed etiamsi huiusmodi fidem certiore esse concedamus quam est, nihil aliud inde colligi possit quam hoc, iam illo tempore Tertullianum aperte professum esse se Montani prophetis fidem habere. Praeterea in hoc libro tangitur dissertatio de spectaculis publicis<sup>r</sup>, quam Tertullianus graeco conscripsit; quae si consensit cum latina dissertatione nunc superstiti, probabile est quando eam scripserit Montanistam fuisse. In libro de Corona Tertullianus Scorpiani scribendi consilium denuntiari videtur.

Secundus adv. Marcionem liber docet quam difficile sit ex scriptis ipsis definire, num auctor fuerit Montanista quando ea compararet: nullam enim certam Montanismi notam continet. Eadem observatio adhiberi potest ad librum de Carne Christi, quanquam in eo quartum adv. Marcionem librum perspicue significari videmus<sup>s</sup>; minus ad Scorpianum, in quo et ipso libris adv. Marcionem citate reperimus<sup>t</sup>. Hunc quidem libellum Hieronymus adv. Vigilantium c. 3 scriptum esse ait contra Cainitas, Gnosticorum genus, qui de martyrio contemptum dixisse et Christianis persecutionis tempore dissuasisse videntur, ne aperta fidei suae confessione periculis sese offerret. eum esse verum martyrem, μάρτυρ, contendentes<sup>x</sup>, qui vitae et consuetudinis sanctitate evangelio testimonium ferret. Hic iam magna

i. C. 11.

k. C. 1. 2. 8. 13. 30.

l. C. 29.

m. C. 24.

n. C. 22.

o. C. 16. *Ut docent veteres et novae prophetiae.*

p. C. 1.

q. C. XV. not. 49.

r. *Sed et huic materiae propter suavitudo nosros graeco quoque stilo satisfecimus, c. 6. sub f.*

s. C. 1. *Sed de quaestionibus confesum alibi docebimus.*

t. C. 7. *Audiat igitur et Apelles quod iam responsum sit a nobis Marcioni in bello, quo ad Evangelium ipsius provocavimus. Hic locus refertur ad c. 19.*

u. C. 5. *Longum est ut Deum meminum ostendam; quod iam a nobis diderunt Marcionitae. Locus refertur ad lib. E. c. 1 et 4. apparet Scorpianum perntionis tempore scriptum esse.*

x. Conf. Irenaeus III. 20.; IV. 64. (mens Alex. IV. 4. p. 571. lin. 10.

Tertulliani Montanismo indicia expectemus; ea tamen non occurrunt. Et in Scorpiaco locus, ubi ludi Pythici Carthagine instituti sic tautantur, ac si id recens factum esset<sup>7</sup>.

Si Proculus, quem Tertullianus appellat Proculum nostrum et in bello adv. Valentianum cum honoris significatione commemorat<sup>a</sup>, nem est, cuius cum Caio disputationem sive dialogum et Eusebius<sup>a</sup> et Hieronymus tangit, recte concludere licet, Tertullianum Montanistam fuisse quum illum libellum conscriberet.

Librum de Spectaculis Allixius argumentatur, postquam Tertullianus Montanista factus esset scriptum esse propterea quod inter Christianorum privilegia hoc commemorat, quod revelationes a caelo petunt<sup>b</sup>. At novae Hierusalem in ultimo capite introductio<sup>c</sup>, comparata cum ultimo capite libri III. adv. Marcionem, me iudice multo certius Montanismi documentum suppeditat. Eum non Romae, sed Carthagine scriptum esse, Allixius satis demonstravit<sup>d</sup>. Prior fuit libro de Idololatria<sup>e</sup> et primo libro de Cultu Feminarum<sup>f</sup>, qui ad illum respiciunt. Hi igitur duo libri probabiliter scripti sunt postquam Tertullianus Montanista factus est, quanquam certam Montanismi notam nullam continent. In libro de Idololatria<sup>g</sup> Allixius sibi visus est invenisse significari solemnia quae Carthagine agebantur quum Getae dies natalitius celebraretur a. CCIII.<sup>h</sup>

Illam opinionem qua tres personae ecclesiam efficere putantur Montanismi indicium esse iam supra monitum est<sup>i</sup>. Ea etsi reperitur in libro de Exhortatione Castitatis<sup>k</sup>, tamen huius libri cum dissertatione de Monogamia comparatio eo me ducit ut Tertullianum statuum quum hunc scriberet, nondum omni Montani dogmatum rigori adhaesisse.

Haud scio an non longe a vero aberremus, si hanc Tertulliani operum descriptionem ponamus, non tentantes tamen illa eo ordine collocare quo scripta sunt:

Opera probabiliter scripta dum Tertullianus membrum erat ecclesiae:

- De Poenitentia.
- De Oratione.
- De Baptismo.
- Duo libri ad Uxorem.

y. Adhuc Carthaginem singulae civitates gratulando inquietant, donatam Pythico Agone post stadii senectutem, c. 6.

z. C. 5.

a. Hist. Eccl. VI, 20. Catal. Script. Eccl. sub Caio.

b. C. 29. Quod revelationes petis.

c. Qualis civitas nova Hierusalem?

d. Quanta praeterea sacra, quanta sacrificia praecedant, intercedant, succedant, quot collegia, quot sacerdotia, quot officia moveantur, sciunt homines illius urbis (Romae) in qua Daemoniorum conventus consedit, c. 7. Proinde tituli: Olympia Iovi, quae sunt Romae Capitolina, c. 11. Item

animadvertendus est usus vocis praesides in ultimo capite.

e. C. 13.

f. C. 8.

g. C. 15.

h. Dodgsonus utrumque librum scriptum esse censet antequam Tertullianus ecclesiam reliquisset.

i. Pag. 712.

k. C. 7. Sed ubi tres, Ecclesia est, licet Laici. Cf. de Pudic. c. 21. Tres personae hoc loco significatas Pamellius aspicatur Montanum, Maximillam ac Priscillam esse; sed ut mihi videtur, sine idonea causa.

Nihil est quod fastui humano magis blandiatur quam si quis sibi persuaserit, ipsi quasi beneficio quodam contigisse scientiam plerisque hominibus non adipiscendam; quum illi destinati sint ad vitam in spissa caligine ac tenebris degendam, ipsi cum paucis quibusdam selectis hoc tributum esse, ut in meridiano divinae veritatis sole apricetur. Iam vero quum gentilium et philosophia et religio doctrinas externas et internas haberet, sinistra quadam hora accidit, ut haec distinctio in Ecclesiam christianam induceretur. Atque antiquissimus quidem scriptor christianus, cuius in operibus aliqua eius distinctionis significatio appareat, Clemens Alexandrinus est; eumque dicimus sinistra hora hanc distinctionem introduxisse, quandoquidem in illa et in narratione quam de eius origine tradit gravissima nitantur argumenta, quibus Catholici Romani cum alias fraudes suas defendunt tum illas quibus doctrinam corruerunt. Nam omnibus reliquis locis expulsi illi tanquam ad ultimum refugium ad *disciplinam arcani* et vivam traditionem confugiunt; et quanquam Clementis scripta nihil auxilii praebent singularibus erroribus, quos ecclesia Romana sollicito studio obtinet, tamen ea non exiguum patrociniū causae suae e scriptore tam antiquo repetit narrante, Christum gravia veritatis capita cum apostolis communicasse, quae vulgi credentium neque auribus destinata essent neque intellectui accommodata, quaeque usque ad ipsius aetatem vivae traditionis ope perlata essent.

Sed ut ad Tertullianum revertamur, eum ad Montani opiniones amplectendas frustrata ambitione commotum esse, Pameliū et alii sine ulla veritatis specie contendunt. Indignabatur, inquit, quod spe exciderat episcopatus sive Romani sive Carthaginiensis. Vera defectionis causa repetenda est ex eius animi indole ac temperamento <sup>h</sup>, cui austera novi prophetae et doctrina et vita plane erat consentanea, cuiusque ingenitum ardorem et acerbiter Hieronymus <sup>i</sup> tradit Romanorum clericorum notis, nescio an et malignis interpretationibus actam esse.

Hanc quaestionis partem antequam relinquamus, occurrendum est scrupulo cuidam quem praegressa expositio iniicere possit. Nam dixerit quispiam: „quam fidem habere licet iudicio vel etiam testimonio Tertulliani, qui ad credendas Montani fraudes insanas adduci potuerit? quidve commodi theologiae studiosi repetere possunt ex auctoris tam creduli et superstitiosi operibus legendis?“ Hae sunt quaestiones facile iniectae et sine dubitatione solutae ab iis qui regiam viam doctrinae theologiae ingrediuntur: qui quidem, sive propter otii inopiam sive laboris impatientia ad Patrum scripta examinanda necessarii, suam ignorantiam quadam contemptus specie sibi tegendam putant. Tali sententia temeraria et iniqua cum Patres damnarentur, factum est ut eorum opera in immeritam invidiam incurrerent. Sententia illa temeraria est propterea quod magnam prodit ignorantiam naturae humanae, quae saepe mirificam quandam societatem diversissimarum rerum in eodem ingenio fingit: vigoris, acuminis, perspicacitatis in uno genere

h. Moshem. de reb. Christ. ante Constant. s. 2. c. 66.

i. Catalogus scriptorum ecclesiasticorum.

Praeter opera modo enumerata Tertullianus alia scripsit nunc perdita:

Dissertationem inscriptam de Paradiso<sup>γ</sup>.

Aliam de Spe Fidelium<sup>α</sup>.

Sex libros de Estasi et septimum advers. Apollonium, ab Hieronymo narrante de auctore nostro commemoratos<sup>α</sup>.

Librum advers. Apelliacos sive Apellis sectatores<sup>β</sup>.

Librum advers. Hermogenem, inscriptum de Censu Animae<sup>α</sup>.

In libro de Anima<sup>δ</sup> Tertullianus profitetur sibi propositum esse aestiones de fato et libero arbitrio excutere secundum evangelii accepta.

Hieronymus alia Tertulliani opera memorat:

Unum de Vestibus Aaronis<sup>ε</sup>.

Unum ad Amicum Philosophum<sup>ζ</sup>:

Hieronymi verba haec sunt: *Et nunc eadem admoŕeo, ut, si tibi placet scire quot molestiis virgo libera, quot uxor astricta sit, has Tertullianum ad Amicum Philosophum et de Virginitate alios illos et beati Cypriani volumen egregium. Inter Tertulliani libros nec superstitis quum nullus sit ad Amicum philosophum inscriptus, necissem Hieronymum significasse librum de Exhortatione Castitatis, nisi is in primo adv. Iovinianum libro dixisset, Tertullianum iuvenem scripsisse de caelibatu.*

Index operum Tertulliani qui est in codice Agobardi tres exhibet libros hos: de Animae Summissione; de Superstitione Saeculi; de Carne et Anima. Libri ipsi non extant in MS., qui idem continuisse detur libros de Paradiso et de Spe Fidelium.

Moshemius<sup>ε</sup> Montanistas inter sectas illitteratas recenset: sed hoc epitheton in Tertullianum omnino non cadit, quem appareat gnarum esse cuiusque scientiae et litterarum generis, quod illo tempore coetetur. Eusebius<sup>h</sup> nominatim eius scientiam legum Romanarum<sup>i</sup> commemorat, quae se ipsa prodit crebro eius usu verbarum legalium; eius tractationes non solum poesin et historiam, sed etiam antiquorum philosophiam naturalem<sup>k</sup> et medicinae scientiam<sup>l</sup> amplectuntur. Graecae linguae usus ei admodum familiaris fuisse videtur, siquidem tres libelli graece scripsit non iam superstites<sup>m</sup>. Tanta sane eius fama fuit

y. Citatur in libro de Anima c. 55. et libro V. adv. Marcionem c. 12.

z. Citatur in libro III. adv. Marcionem c. 24. et ab Hieronymo narrante de Peccatis et in Ezechielem c. 36.

a. Extat mentio librorum de Ecstasi in libro IV. adv. Marcionem c. 22.

b. Memoratur in dissertatione de Carne et Spiritu c. 8.

c. Memoratur in dissertatione de Anima c. 1. 3. 22. 24.

d. C. 20.

e. Epistola ad Fabiolam de veste sacerdotali sub f.

f. Epistola 22. ad Enstochium de Custodia Virginitatis. Dubius haereo utrum Hieronymus hic innuat libros diserte inscriptos de Virginitate, an hoc solum dicat, Tertullianum in variis operibus scripsisse de praestantia caelibatus.

g. Cent. II. c. 5. Sect. 23.

h. Hist. Eccl. II, 2.

i. Vide librum de Anima c. 6. sub f.

k. Is Plinium bene novisse videtur.

l. Vide librum de Anima c. 2. 6.

m. De Spectaculis (vide de Corona c. 6.), de Virginitate. Vel. c. 1., de Baptismo c. 15. Alia specimina de eius graecae linguae

ingenii et doctrinae, ut quamvis ab ecclesia secessisset, tamen scriptores ecclesiastici subsequentes nunquam sine summa reverentia mentionem faciant. Nam Cyprianus, id quod iam vidimus, eum magistrum suum appellat nec ullum diem praetermissit quin aliquam eius operibus partem legeret. Neque tamen inter Tertulliani laudare licet dicendi genus nativum, fluens, perspicuum. Saepè istos viros vehementia sua secum rapit atque imaginationis suae et vigorem et inexhausta fertilitate percellit; verum eius copia delectu caret, ac inerat ingenio quaedam ad exaggerandum propensio, quae ipsius orationem afficeret et inflatam monstruosamque redderet. Est praescriptorum asperrimus et obscurissimus quique in aliam linguam accurate transferri minime possit. Eius latinitatem qui commendare ausus sit, unum novi criticum — Gilbertum Wakefieldum nuper defunctum; inter quem et Tertullianum, quantumvis in quaestionibus doctrinae dissiderent, quaedam similitudinis notae intercessisse reperiuntur. Uterque enim magnam habuit acquisitionem doctrinae copiam, quam vel recte vel intempestive protulit: utraque defecit pulcri sensus, distinguendi ratio, iudicium. In epistolis ad Foxium Wakefieldus conqueritur, quod Tertulliani, Arnobii, Apuleii, A. Gellii, Ammiani Marcellini verba in lexicis in inelegantia et suspectae auctoritatis notari soleant: quae quidem revera genuinae reliquiae sint purae compositionis Romanae, sive, ut ait, dixit, sermonis veterum comicorum et tragicorum, Ennii et Laevii. Quam sententiam multum sane abest ut plane ratione destitutam esse pronunciem. Nam ubi ipse lexica consulere cogebar de sensu verborum cuiusdam novae et portentosae quae mihi in Tertulliani operibus versanti occurrisset, non semel eam vocem a Plauto usurpatam esse invenii; verumtamen quod universe de Tertulliani Latinitate sentiri melius exprimi nequit quam Ruhnkenii viri doctissimi verbis: *Fax nescio quis — qui se pulcre de Latina lingua meritum sperat, si verba et verborum constructiones ex Tertulliano — in lexicis referret. A cuius sententia dici vix potest quantopere dissentiam. Sit Tertullianus quam velis eruditus, sit omnis peritus antiquitatis: nihil impedit; Latinitatis certe pessimum auctorem esse aio et confirmo. At usus est sermone eo quo nunc omnes Afri Latinae loquentes utebantur.*

*Δωρίσθην δ' ἔξεστι, δοκῶ, τοῖς Δωριέσσιιν.*

*Nec hoc quidem concesserim. Nam si talis Afrorum sermo fuit, cur, non dicam Apuleius et Arnobius scriptores praeaelegantiae studiosi, sed Cyprianus etc. aliter locuti reperiuntur? Quis ergo? Fecit hic quod ante eum arbitror fecisse neminem. Etiam quum in aliorum vel summa infantia tamen appareat volumus et conatus bene loquendi, hic, nescio qua ingenii perversitate, cum melioribus loqui noluit, et sibi ipse linguam finxit duram, hor-*

peritia vide adv. Marcionem II. 9. 24.; III. 15. 22.; IV. 8. 11. 14.; V. 17.; Praescript. Haer. c. 6. adv. Hermog. c. 19. 40. adv. Praxeas c. 3. 5. ad Scapulam c. 4. de Idololatria c. 3. Sabinde ita di-

xit ac si linguam Hebraicam collet. In adv. Marc. IV. 39.; adv. Praxeas c. 1. adv. Iud. c. 9.

u. Epistola 54.

o. Praefatio ad Schelleri Lexicon.



*ridam Latinisque inauditam; ut non mirum sit per eum unum plura monstra in linguam latinam quam per omnes scriptores semi-barbaros esse inuenta.*

In praegressis ubique pro certo tenuimus, opera, quorum tempora investigabamus, composita esse ab uno homine Tertulliano. Id censuimus testimoniis confirmatum esse prorsus similibus eorum, quibus cuiuscunque auctoris opera genuina esse comprobatur — testimoniis scriptorum, qui quum tempore proximi essent possentque facile verum comperire, idonei erant ad recte de hac re iudicandum. Traditur Cyprianus, qui erat episcopus Carthaginiensis quadraginta fere annis post quam Tertullianus ibi degebat, eius opera insigni in honore habuisse; id quod eo confirmatur quod Cyprianus non solum sententias, sed ipsa verba ex scriptis sub eius nomine nunc extantibus crebro repetit. Reperimus Eusebium<sup>r</sup>, diligentem investigatorem omnium quae cum historia ecclesiastica coniuncta sunt, centum fere annis post Tertulliani mortem unum ex eius operibus citantem, quod graece translatum esset, et de eo loquentem ut bene noto in orbis terrarum urbe capitali<sup>r</sup>. Reperimus Hieronymum, qui nobis catalogum scriptorum ecclesiasticorum reliquit adiectis succinctis commentationibus de eorum vitis scriptisque, varia Tertulliani opera citantem neque quidquam suspicionis de eorum auctoritate ac fide moventem. Reperimus eum citatum ab Augustino<sup>r</sup>, qui Carthagine degerat ibique inquisiverat in sectam illius nomen gerentem, nec minus ab inferioris aetatis scriptoribus, qui possint sane longius distare videri ab eius tempore quam quorum testimonia sat locupletia existimentur. Haec profecto tanta nubes est testium, quae quamvis suspicioso animo satisfaciat. Verumtamen non satisfacit Semlero, qui in dissertatione quadam, inserta eius editioni operum Tertulliani<sup>r</sup>, non solum his, sed etiam scriptis Iustini Martyris et Irenaei fraudis notam inurere studet. Eius ratio<sup>r</sup> haec est, ut omnia haec opera quae variorum auctorum nomina gerunt ex una eademque officina Romana prodiisse statuatur, et composita esse iunctis complurium virorum laboribus, qui societatem iniissent ad historiam adulterandam et Scripturas corrumpendas, hoc potissimum consilio ut homines quosdam infamarent, Marcionem, Valentinum, alios, quibus haereticorum notam inurere vellent. Hanc argumentationem negari non potest tam novam et singularem esse ut cum audacissimis criticorum Germanorum ariolationibus comparari queat. Quapropter scrutemur quibus ea fundamentis nitatur;

p. II, 2. Unum Tertulliani opus quod Eusebius commemorat Apologeticum est, quod graece translatum esse dicit, quodque solum novisse videtur. Erat is fortasse parum versatus in lingua latina nec unquam inciderat in libellos ab ipso Tertulliano graece compositos, quorum argumenta minus quam Apologetici vulgi intellectui paterent.

q. Si verborum τῶν μάλιστα ἐπὶ Ρόμης λαμπρῶν interpretationem post Rufinum a Valesio suggestam accipiemus hanc:

TERTULLIANI OPP. ED. OENLER. TOM. III.

inter Latinos scriptores celeberrimus, illa argumentatio etiam certior sit.

r. Liber de Haeresibus 86. *Tertullianistae.*

s. Halae Magdeburgicae MDCCCLXX.

t. *Ex una atque eadem officina quidam libri videntur prodiisse quos studiosissime solebant variis et diversis scriptoribus dividere. Antiquissima fuit haec societas et impensa sive ab uno sive a duobus diligentia, quae cum Romana illa, tam Graeca quam Latina, societate nova videtur sic co-*

monemus tamen nos neque profiteri neque nostrum esse ducere, quas-  
cunque dubitationes et difficultates homo ingeniosus fingere possit ad  
auctoritatem operum sedecim saeculis ante scriptorum impugnandam,  
eas omnes copiosa et plena disputatione tollere. Quod si require-  
retur, operam plane luderent qui ullius operis admodum antiqui aucto-  
ritatem comprobare studerent; nam ipso temporum intervallo multa  
facta et eventa oblivioni tradita sunt, quorum cognitio sola nos ido-  
neos reddere potest ad omnem obscuritatem dispellendam et omnia  
quae sibi contradicere videntur inter se reconcilianda. In his rebus  
non expectanda est demonstratio, sed acquiescendum in ponderandis  
probabilitatibus, ut eruamus utra in parte evidenter maior sit.

Iam progrediamur ad Semleri argumenta vel potius figura; nam  
hoc nomen accomodatius videtur esse. Primum is conqueritur,  
quae in his libris de vita et rebus auctorum ipsorum tradantur esse  
admodum pauca et obscura nec quidquam utilitatis inde hauriri posse.  
Quid? quod suspicionem movet, ipsa opera instar librorum a Sophi-  
stis scriptorum nihil esse nisi ingenii exercitationes; facta historia  
et temporis notas ab auctoribus intertexta esse ea mente, ut figmentis  
suis speciem veritatis conciliarent. Sed haec suspicio argumentis plane  
est destituta. Auctor quisquis est certe voluit lectores suos putare  
ipsum Severi tempore vixisse; nam quae narrat aliquoties consentiunt  
nunquam dissentiunt cum iis quae nobis ab historicis de eius impe-  
ratoris regno traduntur. Mores et consuetudines quas describit, actio-  
nes quas attingit congruunt cum iis quae ex aliis fontibus haurimus.  
Verumtamen fuerint eius opera plane ficticia; invenerit causas quae  
eorum occasionem dedisse finguntur — calumnias, a quibus Christi-  
anos defendit — persecutiones, quas eos exhortatur ut constanter  
ferant — opiniones haereticas, quas refutandas suscipit; passim histo-  
rica facta intersperserit, quibus inventis suis probabilitatis speciem con-  
ciliaret. Haec omnia concedamus fieri potuisse. Sed quid statuamus  
de auctoris nostri Montanismo? num is quoque ficticius fuit? Quid  
illum de Semleri nova societate Romana hominem, qui alias defenso-  
rem doctrinae Christianae et vehementem orthodoxiae propugnato-  
rem agit, inducere potuit, ut alias eius personam susciperet qui ecclesiam  
deseruisset? Hoc quidem cum Semleri ratione nullo modo conciliari  
posse videtur. Neque illud praetereundum est, pauca illa, quae de  
Tertulliani ipsius vita in eius operibus traduntur, non introducta esse  
cum ulla iactatione, aut ut singulari cuidam proposito responderent,  
sed fortuita illa ratione quae plerumque certissimum veritatis indicium  
esse visum est.

Deinde Semlerus progreditur ad consideranda quae Hieronymus  
de Tertulliano narrat, de quibus monet, si Hieronymus plura de aucto-  
ris nostra vita invenire potuisset, eum haud dubie inserturum ea

*haerere ut communi consilio operam dederint.*  
Sect. 10. Vide etiam sectionem ultimam.

*u. Solent autem mediocria et parum lu-  
culenta esse, quae horum librorum auctor  
de se et de suis rebus commemorat.*  
Sect. 1.

*x. Solet enim hic scriptor declama-  
torum imitari exemplum qui ipsi con-  
fingunt argumentis, quod sibi desump-  
erunt, tempus, et omnes illas rerum ap-  
pendices, quibus tempora solent commode  
et studiose distingui.* Sect. 1.

fuisse<sup>7</sup>. Hoc minime certum est; summa enim brevitatis qua ille vitas scriptorum ecclesiasticorum delineat probat, eum non laboriose eius vitas perscrutatum esse, sed contentum fuisse iis, quae casu ipsi occurrissent. Semlerus porro conicit<sup>8</sup>, ne ea quidem quae Hieronymi brevis narratio continet e fontibus veri nominis derivata, sed e Tertulliani operibus collecta esse. Hoc aliqua ex parte verum fuerit; e variis locis ille collegerit, Tertullianum natum esse in Africa, degisse Carthagine, floruisse imperatoribus Severo et Caracalla. Sed ut taceam mentionem de Cypriano Tertulliani admiratore, cuius ille auctor est, unde didicit, Tertullianum presbyterum ecclesiae mansisse usque ad mediam aetatem et summa senectute fuisse quum diem obiret? Iure dubitari potest, num vulgus lectorum, nisi antea ex alio fonte rem didicissent, ex usu operum nunc extantium concluderent, Tertullianum unquam in ordinem clericorum admissum esse.

Semlerus aliam difficultatem in Hieronymi narratione deprehendit, quae sic incipit: *Tertullianus presbyter nunc demum primus post Victorem et Apollonium Latinorum ponitur*. Quorum verborum apparet hanc sententiam esse, Hieronymum, enumeratis multis auctoribus graecis, postremo ad eum locum pervenisse, quem Tertulliani nomen esset occupaturum; quum autem Tertullianus primus scriptor ecclesiasticus latinus sit post Victorem et Apollonium, de quibus Hieronymus supra dixerat, Semlerus<sup>9</sup> putat accuratiorem orationem hanc fuisse futuram, Tertullianum primum *presbyterum* fuisse qui latina lingua uteretur, et hanc revera Hieronymi mentem fuisse; in qua quidem assertione pauci lectorum, opinor, acquiescendum sibi putabunt. Sed quomodo, ait Semlerus, Tertullianus dici potest primus fuisse presbyter qui latina lingua uteretur, qui se quosdam libellos graece scripsisse ipse dicat? Equidem fateor me ne minimam quidem inter illas res discordiam videre posse. Si qui scriptor tres libros graece composuit, viginti duo tresve latine, nonne proprie inter latinos scriptores referri potest? Nam ut probabile est Hieronymum nunquam incidisse in graecos Tertulliani libellos, ita Eusebium non incidisse paene certum.

Sed, pergunt fere Semlerus, initio libri de Testimonio Animae auctor quosdam scriptores christianos notat, qui profanis litteris usi gentilium poetarum et philosophorum opera advocassent ad defendendam doctrinam christianam. Hanc ille contendit meram fictionem esse auctoris<sup>10</sup>. Frustra nos quaesituros esse dicit in historia ecclesiastica

y. Haec Hieronymus; qui profecto, si plura requirere atque discere potuisset ad historiam Tertulliani facientia, haud dubie hic omnino perscripsisset. Sect. 2.

z. Nisi quidem putemus talia Hieronymum ipsum coniecturis reperisse ex variis horum scriptorum locis. Sect. 2.

a. Optare licet ut Hieronymus scripsisset et narrasset accuratius, Tertullianus Latinorum presbyter primus est; nempe id vult Hieronymus eorum hominum, qui Romanae latinae linguae uti solebant, Ter-

tullianus fuit primus presbyter. At hic idem Tertullianus graecarum multarum scripturarum se auctorem dixit; quomodo igitur Latinorum dicitur primus esse Romanus presbyter? Sect. 10.

b. Confectum est hoc argumentum universum declamatorum more; nisi putamus huius generis scriptores tam antiquos, tam frugiferos adeo oblivioni statim addictos fuisse neglectosque et deperditos omnino, ut ne Eusebius quidem vestigium vel notam talium scriptorum reperire potue-

quo illud confirmetur; frustra operam duros, ut ullum librorum illorum doctorum vestigium reperiamus, quibus antiqui christianae religionis defensores causam suam vindicarint. Quae opera si unquam extitissent, Eusebium et Hieronymum fugere non potuissent; qui tamen de iis omnino silent. At haec quidem audacter affirmata sunt. Quorum iam quatenus argumentis nitantur. Quos Tertullianus nominatim memorat scriptores ecclesiasticos, hi sunt: Iustinus Martyr, Tatianus, Miltiades, Irenaeus. Qui omnes ad Christianismum aduersus paganismum defendendum libros scripserunt. Ac Iustini quidem et Tatiani opera etiam nunc extantia probant auctores, ut Lardnerus et altero ait<sup>d</sup>, fuisse multae lectionis et bene versatos in litteris graecis. Deinde Athenagorae Apologiam habemus et Theophili aduersus Autolycum librum; quorum uterque et tempore prior erat Tertulliani Apologetico et, Athenagoras maxime, crebro litteras profanas attingit et argumenta e philosophis gentilibus ducta ad Christianismum defendendum adhibet. Sed in Semleri argumentatione pars maxime admirabilis ea est quae pertinet ad Hieronymum; cuius in operibus epistola quaedam<sup>e</sup> est, inscripta ad Magnum oratorem, hoc ipso consilio composita, ut suam consuetudinem litteras profanas et sacras in scriptis suis miscendi defenderet. In ea epistola ad auctoritatem superiorum scriptorum ecclesiasticorum provocat qui idem consilium secuti essent, nominatim afferens Quadratum et Aristidem, qui Apologias suas ad imperatorem Adrianum miserunt et alterius opus describens tanquam paene totum e philosophorum sententiam compositum<sup>f</sup>. Addit porro Apollinarium, Dionysium Corinthium; Titianum, Bardesanem, Irenaeum curiose diversas philosophorum sectas distinxisse, ad quas cuiusque opinionis haereticae tunc praevaletis origo referri posset. Idem dicit Cyprianum adeo notatum esse propterea quod in suo aduersus Demetrianum scripto se plane intra scripturae testimonia continuisset, quorum auctoritatem Demetrianus non admitteret, nec provocasset ad poetas et philosophos, quorum auctoritatem homo gentilis addubitare non potuisset. Defensores Christianismi cum bene scirent nullum librum vel aliquantulum gentilis philosophi animum in se convertere posse, nisi doctrinae et philosophiae illius aevi cognitionem proderet, factum est. ut suam argumentandi rationem accommodarent ad eorum quibuscumque ipsi res esset ingenia et opiniones. Quae Tertullianus libro de Testimonio Animae praefatur eo dicta sunt, ut se excusaret, quod relicta usitata ratione non ad philosophorum argutias, sed ad testimonium doctrinae Christianae ab anima humana latum provocaret.

*rit, qui in isto opere de Praeparatione evangelica id omnino egit, quod hic Tertullianus dicit suo iam tempore quosdam instituisse. Eusebius vero nihil quicquam eius rei didicit nec Hieronymus aliquid reperire potuit. Audemus igitur statuere scriptorem talia ultro confinxisse, ex suo ingenio rem illam arbitrari.* Sect. 10.

c. Aduersus Valentinianos c. 5. Etiam Clementem Romanum et Hermam nominat, sed ii non videntur Christianismi defensionem suscepisse.

d. Credibility of the Gospel History c. 13.

e. Ep. 84.

f. Contextum philosophorum sententiarum.

Sed etiamsi, pergit Semlerus<sup>g</sup>, talia opera, qualia Tertullianus significasse putatur, revera extitissent, is tamen illa, quippe graece et locis a Roma et Carthagine remotis scripta nullo modo sibi comparare potuisset. Quidni? Num diversae imperii Romani partes tam dissociabiles erant, ut nonnisi pluribus annis elapsis opus aliquod graece scriptum Romae vel Carthagine innotescere posset? Audiamus Gibboni sententiam. Is cum verba facit de viis publicis, quae Antoninorum aetate extarent, eas ait<sup>h</sup> incolas provinciarum inter se maxime distantium facili quodam et familiari commercio consociasse. De Christianis vero singulatim hoc dicit<sup>i</sup> institutione synodorum provincialium, facta sub finem saeculi secundi, intra paucorum annorum spatium continuum litterarum commercium inter ecclesias remotissimas constitutum esse. Proinde ecclesias Vinnensem et Lugdunensem bene gnaras fortunae ecclesiarum Asianarum, fuisse Irenaeum, episcopum Lugdunensem, inter has et pontificem Romanum in controversia de pascha celebranda conciliatoris partes egisse reperimus.

Irenaei mentio me monet ut aliam Semleri dubitationem expendam<sup>k</sup>. Quis, ait, Irenaei opera nunc extantia legere potest, quin sibi persuadeat, auctorem et ingenio et doctrina carere? Attamen Tertullianus eum praedicavit omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem. Nonne hoc encomium vehementer absonum certissime sophistam et declamatorem indicat? Cui quidem dubitationi hoc reponimus, nos de Irenaei ingenio vix iudicium ferre posse ex eo opere quod, exceptis parte libri primi et quibusdam fragmentis dispersis, non ipsum extat, sed barbara Latinitate vestitum. E partibus ipsius operis adhuc superstitibus colligere licet, in eo scriptoris virtutem fuisse facile utilissimam— hanc ut perspicue scribere posset de argumento vehementer obscuro ac sterili. Deinde quid est quod statuamus, Tertullianum hoc encomium de Irenaeo pronunciantem id ad unum illud opus nunc extans, quod est adversus Gnosticos, retulisse? Nam Eusebius aliorum operum ab eo scriptorum tabulam proponit et idem de eo sic loquitur ut in omnibus rebus ecclesiasticis eius auctoritatem multum valuisse intelligamus.

At Tertullianus<sup>l</sup> non videtur acquievissse in laudando; immo etiam

g. Pamelii sententiam vel illud evertit: Tertullianus Romae, Carthagine tot scriptorum libellos, qui inter Graecos satis remoti ab istis urbibus vivebant, nancisci non potuit. Sect. 10.

h. C. l. p. 51. ed. 4.

i. C. XV. p. 491.

k. Quis autem sine laedio et stomacho legat istam declamationem, „Irenaeus, omnium doctrinarum curiosissimus explorator?“ Nos certe statuimus, hoc encomium monstro non carere. Ea quae nobis supersunt Irenaei profecto hominis ingenium humile et parum excultum prae se ferunt; ista vero Tertulliani nostri scripta sic turgent rerum fere omnium copia et varietate, ut in ipsum hoc maxime con-

venial hunc scriptorem id diligenter egisse, ut omnium doctrinarum curiosissimus explorator videretur. Sect. 10.

l. Iam novae rei alius superest observatio, quae non parum facit ad illustrandam huius suspicionis rationem. Ista enim Irenaei quae sunt nostris in manibus scripta si comparantur cum his Tertulliani nostri, mirifice conveniunt. Scimus autem Tertullianum istum esse illorum primum qui Irenaei nomen recitant inter scriptores; nempe omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem dicebat Irenaeum noster Tertullianus. Si vero ille Irenaeus Lugduni scripsit istos libros adversus haereses, quomodo Tertullianus isto iam tempore hoc

mutuatus est ab Irenaeo idque ne nominato quidem. Eius adv. Valentinianos disputatio non solum imitatio, sed multis locis translata est primi libri illius scriptoris, ut tamen ne minimam quidem significationem fontis, unde tam larga manu hausisset, addiderit. Remur admirabilem quomodo explicemus? Siquidem Semlerum audiemus ita ut eius sententiam adoptemus, fuisse societatem auctorum, qui suorum ipsorum opera sub fictis nominibus in vulgus emitterent et alias Graeci Irenaei, alias Latini Tertulliani personam agerent. Sed si hoc ita esset, unde magna illa inaequalitas oritur quam Semlerus ipse inter se deprehendit? Unde fit ut Tertulliani opera tantam scientiae amplitudinem ac varietatem exhibeant, Irenaei scripta, Semlerio iudice, miseram intelligentiae et doctrinae paupertatem prodant?

Quae in re supra significata intercedit inter Tertullianum et Irenaeum accurata similitudo, eam equidem censeo satis idonea ratione explicari posse. Irenaei liber primus et Tertulliani dissertatio idem plane consilium sequuntur, — hoc ut explanent Valentinianorum de Aeonum generatione doctrinam; qua argumenti communione consentaneum est ambo scriptores motos esse ad eundem ordinem sequendum eandemque orationem adhibendam. Maxime vero Semlerum miramur affirmantem, Tertullianum ne nominasse quidem Irenaeum quem eo ipso loco, quem Semlerus citat, una cum Iustino, Miltiade Proculo nominaverit. Dicit ibi ab omnibus his scriptoribus Valentinianos refutatos esse, seque acerrime studere eos imitari non solum in hoc opere fidei (in haeresis refutatione), sed in omnibus ceteris. Ergo lectorem quam planissime monuit, se nihil esse nisi imitorem: et quod subinde ab Irenaei argumentatione discedit, id mihi persuadet eum non ab illo solo mutuatum esse, sed non minus a ceteris quoque commemoravit scriptoribus. Semlerus tamen alia habet quae obicit: ex hoc ipso loco libri adversus Valentinianos<sup>o</sup> petita. Qui fit, ut

(l. hos) libros oculis et manibus usurpavit suis? Quo autem iure sic fecit Tertullianus, ut ex graeco illo textu Irenaei sublegeret sua et latine repeteret, quae ille creditur scripsisse graece? Atque sic quidem ut ne nominaverit quidem Irenaeum, quem tamen latine exscribebat? Viderint lectores quid statuendum putent de ista causa: nobis certe non videtur monstro carere. Sect. 12.

m. Vide locum modo laudatum e Sect. 10. in nota k.

n. Nec undique dicemus ipsi nobis finivisse materias quas tot iam viri sanctitate et praestantia insignes, nec solum nostri antecessores, sed ipsorum haeresiarcharum contemporales, instructissimis voluminibus et prodiderunt et retulerunt: ut Iustinus Philosophus et Martyr, ut Miltiades ecclesiarum sophista, ut Irenaeus omnium doctrinarum curiosissimus explorator, ut Proculus noster virginis senectae et christianae eloquentiae dignitas: quos in omni

opere fidei, quemadmodum in isto, quae verim assequi. Aut si in totum haereticorum non sunt, ut qui eas pellunt furiose credantur, mentietur apostolus praedicatorum. Porro si sunt, non aliae erunt quae retractantur. Nemo tam otiosus futurus stylo, ut materias habens fingat. Ad Valentin. c. 5.

o. Sect. 4. not. 27. Miltiades vero? Quid tandem illud est, ecclesiarum sophista? quid tandem est? Putamusque Tertullianum legisse aliquid huius Miltiadis aliquas descriptiones Eusebius (Hist. Eccl. V, 17.) ex Rhodone nominat contra Montanum, Priscillam et Maximillam: contra gentes et Iudaeos; sed contra Gnosticos aut Haereticos nihil. Cur ergo hic excutitur, quasi scripserit adversus Valentinianos? Quamvis Eusebius nolum Miltiadis adversus Gnosticos opus aut commemoraverit aut viderit, tamen eiusmodi opus Tertulliano notum esse potuit. Ita hanc notam scripseram in prima edi-

Tertullianus Miltiadem appellet eiusque honorificam faciat mentionem, quem Eusebius auctor sit contra ipsam Montani prophetiam opus composuisse? Ad hanc quaestionem optime videtur altera quaestione responderi posse. Nonne fabricator librorum Tertulliani nomini suppositorum talem inconstantiae speciem curiose vitaturus fuisset? Res ipsa cum historia ac Tertulliani ingenio, quod quidem ex eius scriptis colligi queat, planissime videtur conciliari posse, siquidem is eo ipso tempore quo Montanum adversus ecclesiam defendebat, constanter cum ecclesia in omnibus gravissimis fidei locis se consentire profitebatur; cum Semleri vero ratione conciliari nullo modo potest.

Sed quid iudicabimus de singulari causa, ob quam Tertullianus Miltiadis et ceterorum nomina introduxisse se ait? Veretur nimirum ne incredibiles opiniones quas Valentinianis imputat ipse invenisse arguatur; quo a crimine opus esse putat se purgare appellanda auctoritate Iuliani Martyris et ceterorum. Nonne hic gravissimo indicio tenemus merum sophistam et declamatorem, animadvertentem se in eo esse ut res proferat nullas factorum fundamentis nixas, eoque anxie sollicitum ut incredulitatis sensus ex earum improbabili natura haud dubie exorturos praecipiat? Hanc interpretationem illi loco a Semlero adhiberi non est mirandum; nam eius ratio ita interpretari iussit. Sed equidem non miror, quod scriptor, qui opiniones tam monstruosas quam Valentinianorum enarraturus est, veretur ne lectores ipsum suspicientes sui cerebri fictiones pro aliorum religiosi dogmatis venditare conari. In libro de Baptismo Tertullianum videmus simili excusatione uti de monstruosa aliqua opinione, quam confutare aggreditur, et magna cum solemnitate affirmare, semet ipsum eam pronuciari audisse.

Aliud argumentum ad rationem suam fulciendam Semlerus\* inde repetit, quod bona pars libri tertii adv. Marcionem paene verbo tenus in libello adv. Iudaeos repetita est. Sed quae ex hac re oriuntur difficultates non maiores sunt, si Tertullianum verum auctorem utriusque operis esse statueris quam si ea ab aliis eius nomini supposita

tionem. Interim in locum incidi, ubi Eusebius, auctoritatem scriptoris anonymi secutus, Miltiadem inter eos recenset, qui contra Haereticos scripserunt: *καὶ ἀδελφῶν δὲ τῶν ἐστὶ γράμματα πρεσβύτερα τῶν Βίκτορος χρόνων, ἃ ἐκεῖνοι πρὸς τὰ ἔθνη ὑπὲρ τῆς ἀληθείας καὶ πρὸς τὰς τότε αἰρέσεις ἐγραψαν· λέγω δὲ Ἰουστίνου καὶ Μιλτιάδου καὶ Τατιανοῦ καὶ Κλήμεντος καὶ ἑτέρων πλείονων, ἐν οἷς ἅπασι θεολογεῖται ὁ Χριστός.* Eccl. Hist. V, 28.

p. De Ieuniis c. 1.

q. Sect. 4. not. 27. Semlerus locum not. n. modo citatum his verbis introducit: *Ipse hic scriptor videtur (sicut dici solet) se prodere sicut solet: nam hoc ipso libro adversus Valentinianos c. 5. sic scribit. Tum integro loco prolato subiicit: Totus hic locus videtur aliquid monstri prodere.*

*Si omnino Romae alibique vivebant homines haeretici, eos igitur non solus Tertullianus noverat: Christiani alii similiter hanc haereticorum causam sciebant. Haec non intelligimus, qua ratione hic scriptor amoliat eam suspicionem, qua dici ipse possit sibi finxisse materias.*

r. Illa opinio proposita erat sub dilemmatis forma. Apostoli non acceperunt baptismum christianum, quandoquidem Ioannis baptismo baptizati erant. Ergo aut apostoli non obtinuerunt salvationem aut baptismum christianum ad salvationem non est prorsus necessarium. Hac opinione memorata Tertullianus addit: *Audiri Domino teste eiusmodi, ne quis me tam perditum existimet, ut ultro exagitem, libidine stili, quae aliis scrupulum incutiant.* c. 12.

s. Sect. 9.



esse duxeris. Atque ego rationem non video cur auctori alicui interdicitur ne eadem argumenta iisdem verbis repetat, ubi locus adsit in quem ea pariter cadant. Talis autem haec causa est quae nunc agitur. Et Marcion et Iudaei, quamvis diversis rationibus ducti, Iesum esse Messiam in Vetere Testamento praedictum negabant. Utrique igitur refutandi erant ita ut demonstraretur prophetias de Messia vere in eo expletas esse; hoc ipsum autem demonstratur duobus illis locis. quorum tam arcta est similitudo. Tertullianus si argumento iam semel enarrato et bene exornato animi causa sermonem variare voluisset, nae ille egregie otio abusus esset: praesertim quum loci de quibus nunc agimus toti versentur in prophetiis exponendis. Nihilominus eas mutationes facit, quas mutata rerum facies requirere visa est. Monendum est, librum adv. Iudaeos disertis verbis ab Hieronymo et Tertulliani opus citari<sup>1</sup>.

Alienum esset ab ipso huius libri consilio, rationes excutere alias a Semlero<sup>a</sup> contendente, opera quae nunc sub Iustini et Irenaei nominibus extant manifesta furta e Clemente Alexandrino continere ideoque spuria esse. Ab Eusebio<sup>x</sup> ea pro genuinis citata esse idem concedit; quae res vel sola sobriorum criticorum iudicio sexcentas coniecturas certis argumentis destitutas vincet.

Ut Semleri dissertationi examinandae tantum temporis impenderetur non feci propter ipsam eius praestantiam<sup>7</sup>, quam equidem multum abest ut magni faciam, sed quia Semlero inter criticos biblicos insignis quidam locus assignari solet. Eius consilium apparet hoc esse, ut Iustini, Irenaei, Tertulliani auctoritatem subvertat: neque tamen illud ingenue et aperte fatetur, sed nube quadam se involvit obscuraque et mystica oratione utitur,<sup>8</sup> ita facta ut plus tecte significet quam exprimat. Ita quum lector opiniones suas priores disturbatas videat, nec tamen quid in earum locum substituendam sit comperiat, in molesta quadam dubitatione et trepidatione relinquitur.

Semlerus si in eo acquievisset ut diceret, Tertullianum in libro adv. Valentinianos nihil aliud fecisse nisi ut ea quae superiores scriptores tradidissent repeteret ideoque pro locuplete dogmatum ab illis haereticis propositorum teste haberi non posse — si dixisset, omnium omnino huius auctoris scriptorum ratione habita, eum ingenita animi vehementia inductum esse ad exaggerandum et permotum ad declamatorium dicendi genus sequendum, quod saepe nos vix definire patitur, quatenus eius verba ad litteram intelligenda et eius relata pro veris accipienda sint — si longius etiam progressus contendisset idoneam causam esse suspicandi, Irenaeum<sup>x</sup> ac Tertullianum sive per ignorantiam sive de industria subinde Gnosticorum opiniones pervertisse iisque imputasse res absurdas et monstruosas, quae minime in eos

t. In commentario ad Dantelis c. 9.

u. Sect. 14. 15. 16.

x. Hist. Eccl. V, 8.; IV, 18.

y. Utilissima pars Semleri dissertationis me iudice ea est, quae pertinet ad

Tertulliani citationes e S. Scriptura et versionem latinam, unde eas duxit.

z. Hoc semper tenendum animo, leq̄ maioris ex Irenaei opere partis nihil et tate nisi barbaram versionem latinam, quae gravissimis interpolationis suspitionibus prematur.

caderent — si sententias suas intra hos limites continuisset, eas probabile est omnium qui in hoc studiorum genere versantur assensum laturas fuisse. At quum ea fingens quae modo consideravimus, et consentienti antiquitatis ecclesiasticae voci obstrepens eo devenit ut Irenaei et Tertulliani scripta tanquam quosdam fraudis et imposturae foetus denunciaret — tanquam opera hominum qui societatem iniissent ad libros spurios divulgandos — tum vero sobriam iudicandi normam ac rationem ita excedit, ut omnium rerum fidem labefactet.

---

---

Lipsiae, impressit J. B. Hirschfeld.









3 2044 050 690 10

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

~~DUE NOV 13 '33~~

~~DUE APR 8 '34~~

~~JUL SEP 13 '35~~

~~JUL OCT 14 '37~~

Catholic Univ. of  
Amer. 10/16/45

Phillips Acad  
9/30/52



